R. P. JOANNIS MICHAELIS
CAVALIERI
BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA
LITURGICA,
SEU
COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præſertim Breviarium, Miſſale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

OPUS NOVUM, INTENTATUM HACTENUS, AC DOCTRINÆ VARIETATE CONTEXTUM, OMNIBUSQUE ECCLESIASTICIS APPRIME UTILE, QUIN NECESSARIUM,

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

Ab Auctore curis poſthumis auctum, & perpetuo emendatum, atque integro Tomo ex manuſcriptis ejus ſchedis nunc primum collecto locupletatum.

TOMUS PRIMUS.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT,
VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

TYPOGRAPHUS
LECTORI HUMANISSIMO
S.

INTER Bergomates Scriptores, qui ſane & magno numero ſunt, & doctrinæ præſtantia longe celeberrimi, P. Jo: Michaelem Cavalieri Auguſtinenſis inclytæ familiæ decus non ultimum nemo eſt, qui neſciat, excellere. Qui vel cum illo conſuetudinem iniere, vel etiam ſunt eum aliquando alloquuti (hos inter docti fere omnes viri in illis urbibus commorantes, quas dum *Viſitatoris* apud ſuos, ut ajunt, *generalis* munere fungeretur, neceſſe ipſi fuit adire) doctrinam in eo demirati ſunt, morum ſanctitati, prudentiæ, humanitati parem, ſummam ſcilicet, ac plane ſingularem. Verum extabit *monumentum ære perennius*, ut Horatii verbis utar, quod poſteritati univerſæ tantam Joannis Michaelis doctrinam commendabit, inſigne, inquam, illud in authentica S. C. Decreta Commentarium. Nimirum hoc uno factum eſt, ut Benedictus XIV. omnium quidem diſciplinarum eruditione præſtans, ſacrorum tamen rituum multo ſcientiſſimus, eorumque amplificandæ doctrinæ ſtudioſiſſimus, quemadmodum præclariſſima illius volumina, inſtitutæque tum Romæ apud Jeſuitas in Gregoriano Lycæo, tum Conimbricæ apud Regulares Canonicos Liturgicæ Cathedræ teſtificantur, P. Cavalieri quum Romam adceſſiſſet, adque ejus pedes advolveretur, omni officiorum genere ſit proſequutus, illiuſque eruditionem maximis laudibus prædicarit. Quod quum ipſe mecum reputo, tantique Pontificis teſtimonium, ut decet, expendo, illud adfirmare non dubito, P. Jo: Michaelem nominis immortalitatem apud poſteros conſequuturum, nullamque ætatem Opus eximium, quod ipſi doctiſſimi Pontificis benevolentiam, æſtimationemque conciliarit, ſilentio, atque oblivione obvoluturam. Utinam vero conſilia ſua perfeciſſet Vir doctus, & promiſſum a ſe commentarium in ea quoque Sacræ Cong. Decreta, quæ ad Miſſale ſpectant, ſcripto mandaſſet. Nihil certe in eo genere aut luculentius, aut abſolutius a quoquam habuiſſemus. Verum apoplectico ictu perculſus, ac tandem morte interceptus (quod infelix, infauſtumque certe fuit univerſæ litteratorum hominum Reipublicæ) fidem liberare non potuit. Id tamen feliciter vertit, quod & in edita pridem Bergomi volumina ſecundas curas, & in Miſſale ſchedas plurimas manuſcriptas majoris operis rudimenta eruditiſſimo cuidam ſuæ Congregationis alumno, atque amico ſuo reliquerit. His enim omnibus ejuſdem doctiſſimi viri humanitate uti mihi licuit ad novam hanc Cavalerianorum librorum editionem. Unum fortaſſis deſiderare quis poſſet, ut editio iſthæc ornatior prodiret. Fuit nuper vir eruditus, qui de rebus a celeberrimo Patre Cajetano Maria Meratio Clerico Regulari geſtis commentarium ederet, & Cavalerium, quod in nonnullis Meratium accuſarit, acriter ſane inſectaretur. Quamobrem e re eſſe videretur, ut accuſationes iſtiuſmodi apologia quapiam diluerentur. Atque id ego ipſe optaſſem maxime. Verum quum Cavalerius ipſe adverſarii criminationes viſus ſit neglexiſſe, anne ego illas pluris facerem? Unam tamen non prætermiſit. Queſtus fuerat Cavalerius Meratium referentem Decretum CLXXXVIII. hæc Decreti ejuſdem verba omiſiſſe: *etiam ſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus*. Reſpondit Meratii vindex, non fuiſſe cur illi ob eam rem litem Cavalerius intentaret, quod ſuperflua eſſent ejuſmodi verba. Habeto jam, quid Cavalerius ad ejus Decreti enarrationem (Tom. II. cap. XXIV. Decr. VII.) ſua manu adſcripſerit. *Hactenus ad litteram veter Decreti expoſitio, nunc ad te, ſpudacten mi, qui talia verba in petitione abſurde ſenties fuiſſe poſita, propterea a Merato, tamquam ſuperflua rite in Decreto omiſſa. Et abſis ſit jurgium inter nos, ſed malo juvare intelligentiam tuam doctrinæ jam traditæ planiori ſrituratione. Hujuſmodi officiorum indulta alia ſunt omnimode abſoluta ſine ulla temporum exceptione, alia vero, quæ quidem ali-*

quæ excludunt tempora; puta Adventum & Quadrageſimam, ſed non poſtea V. G. vigilias, & quatuor tempora, cum verba quibus conſtant Indulta, ſine menſura extenſionis officii conceſſi. Utique quis, niſi omnino bardus, umquam proponere poteſt dubium; num talia officia locum habere poſſint in iis diebus, ſeu temporibus, quæ in ſui conceſſione expreſſe fuerunt excepta? Non ſic eſt de Indultis, quæ cum nulla tempora excipiant, rite dubitari poteſt, num generaliter ſint accipienda, cum lex generaliter loquens, generaliter ſit intelligenda; an vero adhuc excipiendæ ſint illæ feriæ, quæ ſanctiores ob cauſas, in conceſſionibus hujuſmodi officiorum excipi ſolent. Idipſum eſt de Indultis, quæ Adventum, & Quadrageſimam V. G. dumtaxat excipiunt; hoc enim ipſo dubitare quis facile poteſt, num item exceptas ſimul faciant memoratas ferias, de quibus fere eadem procedit exceptionis ratio, an vero magis locum habeat proloquium illud, exceptio facit regulam in contrarium pro caſibus non exceptis. De hujuſmodi Indultis, quæ vel nullam temporum exceptionem faciunt, vel ſolum aliquorum, non omnium, quorum peltio meminit, dubium modo procedit; Unde vide quemadmodum quadrent eam petitioni, quam reſponſioni; memorata verba, etiam ſi de feſtis diebus nulla &c. *Deſignant enim officia ejuſmodi votiva non habere locum in memoratis feriis, quamvis eorum Indulta abſolute, & ſine ulla exceptione fuerint concepta, aut ſi cum exceptione fuerint concepta aliquorum eu aſſertis diebus, non tamen omnium. In re adeo notiſſima, nos pudet ulteriora addere.* Hæc ille, quod quidem apologiæ, quæ pro Cavalerio facillime poſſet ornari, ſpecimen eſſe poteſt luculentiſſimum. Ceterum etſi Cavalerius Meratium vehementius fortaſſe quam par erat, acriuſque redarguerit, non tamen viri præſtantiſſimi famæ invidiſſe credendus eſt. Dandum hoc tractatoribus, qui in eodem argumento verſantur, ut in illorum, qui ante ſe ſcripſere, errata inquirant, illaque reprehendant, quemadmodum vel ipſius Merati exemplo poſſet demonſtrari, qui Gavantum Virum ſane ſpectatiſſimum non ſemel deſerit, objurgatque. Hæc præfari debuiſſe me intellexi, ut & editionis meæ conſilium proderem, nec plane nihil in Auctoris mei defenſionem conſcriberem. Id unum reſtat, ut conatus meos æqui bonique facias, Lector humaniſſime, meaque optimorum librorum in publicam utilitatem edendorum ſtudia tua benevolentia ſuſtentes.

RE

DEDICATIO AUCTORIS
PRIMÆ EDITIONI PRÆFIXA.
BEATISSIMO PATRI
BENEDICTO PAPÆ XIV.

F. JOANNES MICHAEL CAVALIERI.

VIX Commentariorum Opus hoc meum aggredi meditabar, quod non mihi diu cogitandum, aut quærendum fuit, cuinam potiſſimum illud foret nuncupandum; id enim mihi cogitanti illico, & continuo unus occurrebas, cui nuncupationem omnibus de cauſis jure merito deberi intelligerem. Si tamen oblationis tenuitatem, operiſque exilitatem, quæ ſupremo tuæ gloriæ ſolio ſe ſiſtere debebat, recogitabam, quaſi me hæc nimiæ audaciæ inſimularet, a propoſito abſterrebar adeo, ut quod in pignus obſequii offerebam, magis in culpam arrogantiæ, quam in argumentum venerationis vertendum fore arbitrarer; & licet magnitudo Clementiæ tuæ, quam parva etiam munera ex inſtituto deſpectui non habere optime noveram, me ſatis opportune erigeret, conſequi tamen haud poterat, ut verecundiæ, & timoris reſpectu poſthabito impulſui obſequii mei obtemperarem, omnemque a me dubitationem abigerem. Cum ecce idipſum, quod me morabatur, hæſitationem omnem repente excuſſit, exilitas ipſa ſcilicet operis, cui nonniſi per inſcriptionem, ac præſidium nominis tui pretium plurimum fieri poſſe, & decus exiſtimavi, quemadmodum per Numinum imagines in ſaxo, licet rudi, inſculptas venerabile hoc redditur, ac divino uſque dignum honore. Maximas hic in tuas laudes mea profecto excurrere deberet oratio, at ſi eas auderem attingere, curſim, rapſimque expoſitas temerarem potius, quam augerem; qui enim ego poſſem unquam illas dicendo complecti, quæ & numero orationis brevitatem, & magnitudine audientium fidem longe nimis excederent? Ab iis ergo ſermonem abſtineo, præſertim quia & luce ſua fulgent ſatis, & in omnium ore verſantur, nec quiſquam eſt rerum adeo imperitus, quem nominis tui gloria in tuæ admirationem virtutis non excuerit; quinimmo hoſtes ipſi, hoſtes, inquam, catholici nominis id ſatis ſuperque teſtatum fecere, quum inſigni, licet meritis tuis adhuc longe impari, elogio libros quoſdam tuo, dum adhuc in minoribus eſſes, præſtantiſſimo inſcribendos putarunt nomini; quæ autem major laus, quam quæ ab hoſtium ore comparatur? Equidem unus es ille, cujus felicem res arduæ, & variæ, graviſſimæque curæ vix exercent, non implent mentem, dignus propterea, cui ſupremi Pontificatus cura fuerit demandata. Quod ſi divino (ut vulgo dictus fuit) licuit ſcribere Platoni, tunc orbem terrarum beatum futurum, cum aut Sapientes regnare, aut Reges ſapere cœpiſſent, qualis modo ſit, & ſit futura, jam habet Eccleſia, quæ tam ſapienti a Chriſto miſericorditer commiſſa eſt Moderatori, qui Summis Præſidibus ejus, & Anteceſſoribus ſuis, etiam Leoni, & Gregorio Magnis, forſitan haud habet, quod invideat. Tu inter omnes ſane ſpectabilis, qui celeberrima Majorum tuorum exempla abunde exhauris, ornamenta congeſta tenes, cunctiſque adeo præfulges eximioribus dotibus, quarum ſingulæ maximum valent efficere, ut jurgium magnum ſit, num eædem te ornent, an magis a te ornentur. Sed quid plura? Adhuc enim præterire præſtat potiora tuæ magnitudinis argumenta, ne cum licet ſis graviſſimis Pontificatus Summi curis diſtentus, adhuc non ceſſes præſcriptis intra debitas morum

metas univerſum continere orbem, doctrinis, & verbo paſcere gregem, nec dedigneris pauperibus præſto eſſe æque ac locupletibus, & ſemper publicæ inſpiciat tua mens auguſta ſaluti, te longiori ſermone morans communia commoda frangam. Lubens itaque prætereo, quæ Anconæ, quæ Bononiæ, dum iis præeſſes Eccleſiis, tanta cum laude geſſiſti, & quæ nunc mirifice præſtas, dum in Petri Cathedra ſedes, ſolumque brevi ſermone complectar, quæ me de Patrono deligendo cogitantem, quocumque verterem me, ad te tandem reverti, tandem in te uno conquieſcere pepuliſſe dicebam. A feliciſſimo præſidio, quod litteraria reſpublica in te experitur, potiſſimam hujuſce nuncupationis cauſam proficiſci quis facile credat; a tibi enim naturaliter indita in litteras propenſione habes, ut litterarum promoveas ſtudia, ab exemplo tuo, ut otia deleas, virtutem provehas, ad hanc renitentiores accendas, & promptiores confirmes, & foveas, & ab eximia virtute, ut gaudeas litteris, ac Litteratis eſſe patrocinio. At qui ſum ego, qui talia audeam; ut inter ſcientiarum cultores, ac litteratorum numerer turbam? Magis memoria, quæ meo perennis hæret cordi, tuæ ſummæ benignitatis, quæ jam me, licet nullis apud te ſuffultum meritis, Bononiæ cum eſſem occaſione Comitiorum generalium Congregationis meæ, promptitudine beneficientiæ proſequi dignata eſt, nec diſſimili voluntate, hoc qualecumque munus grati animi monimentum ad te mittere dicenda foret. Verum potiora totus meus Eremitarum Ordo mihi exhibet grati animi argumenta: ex inclyta enim ſtirpe tua prodiit Meſſina mulier illa Deo devota, quæ Monaſterium quoddam Monialium ſub titulo S. Auguſtini Bononiæ jampridem fundatum, ſed vetuſtate collabens, exeſum, & majori ex parte dirutum, anno 1324. proprio ære latius, & magnificentius reparavit, & fabricis auxit, quod poſtea una cum decem & novem ſociis ingreſſa miræ pietatis operibus, & exemplis illuſtravit. Nec ſilentio proculdubio præteriri valet hujus ex fratre neptis Beata Imelda, quæ in Monaſterio Sanctæ Mariæ Magdalenæ tunc temporis Auguſtiniani Inſtituti, cum ſupra modum vehementer angeretur, & in ſancto deſiderio langueſceret participandi, ſicut reliquæ Sorores, de Dominica Menſa, a qua ob immaturam arcebatur ætatem, quodam die pro gratia enixius Deum deprecans, & in extaſim rapta vidit Hoſtiam ſacroſanctam divinis ſplendoribus circumdatam, per aerem ſuper Altare volitantem, quæ cum ſuper patenam a Sacerdote ſuppoſitam ſe recepiſſet, divino illo cibo refecta ſuis ancilla Chriſti, quæ præ gaudio, & amore confecta cæleſti ſuo Sponſo tradidit animam, qui ſibi tantopere gratificatus fuerat. Te itidem Mecænatem Operis expetebat argumentum, ſacros complectens ritus, & Eccleſiaſticas ſanctiones, quarum inſtitutum vergit ad ſtudium pietatis promovendum; ad divinas, & Sanctorum laudes referendas, & ne divina officia a recta deflectant methodo, & regula, juxta quam ſancte præſcripta ſunt celebrari; quanti autem id faciendum ſit, non eſt, quod immorer demonſtrare, cum omnibus compertum ſit, qui Summorum Pontificum & Conciliorum iterata Decreta, vel ſedulam advertunt curam, ac ſollicitudinem, quibus in id incubuere. Abſimile tuum haud fuiſſe ſtudium, munera, quæ olim ſapienter obiiſti, pretioſa volumina a te mira cum eruditione elucubrata, quorum ſaltem plurima non valde diſſimile habent inſtitutum, & ſummus zelus, & vigilantia, quibus Anconitanæ, & Bononienſi præfuiſti Eccleſiis, quarum hanc mirificis illis Notificationibus nunquam deſinebas imbuere, abunde utique oſtendunt; quibus ſi addantur, quæ nunc in idipſum indeſinenter præſtas, quis inficiabitur, quod tibi uni opus hoc meum debeatur? Adhuc alteram, forſan potiſſimam, nuncupationis lubet adjicere cauſam; cum enim quamplurima, quæ præſens tenet opus, ex uberrimo, & nitidiſſimo fonte admirabilis doctrinæ tuæ in æterna dignis laude a te voluminibus exaratæ, fuerint hauſta, aut confirmata, vel tuæ præſtanti auctoritate ſapientiæ roborata, dum volumen iſtud ſe tibi ſiſtit, nonniſi ſuum recognoſcit Auctorem, & cum ſit quodammodo juris tui, non aliud, quam præclariſſimum nomen tuum in fronte præferre debebat. Quæ cum ita ſint, dum præſens opus tibi devoveo, nonniſi tuum tibi offero, quod tamen, quia per meas tranſiit manus, præſtantiſſimo tuo indiget præſidio, nec plurimam ſibi vindicare valet æſtimationem, niſi tua Apoſtolica accedat Benedictio, quam pedibus Sanctiſſimis tuis obvolutus humillime imploro.

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS
PRIMÆ EDITIONI PRÆMISSA.

JActabunda forſitan videbuntur verba illa: *Opus novum, hactenus intentatum, ac Doctrinæ varietate contextum &c.*, quorum inſcriptione veluti ſuperbientia prodeunt Commentaria hæc noſtra. Aſt non eſt, rationem facito nobis, quod iiſdem ſuccenſeas, modo vera ea ſint. Scripſere quidem de Eccleſiaſticis Ritibus, ac Sacris Cæremoniis, & non minus diſerta, quam varia undequaque eruditione ſcatentia Commentaria edidere in Rubricas Breviarii, Miſſalis, & Ritualis Romani Antiquiores plurimi, Recentiores non pauci, fere omnes profecto celeberrimi, & laudatiſſimi viri, quorum adeo ingens uſque excrevit numerus, cæteroqui cuique notiſſimus, ut eorumdem catalogum hic attexere omnino ſupervacaneum arbitremur. Inter hos, verbo abſit injuria, & invidia, principem tenent locum Bartholomæus Gavantus, ac ejuſdem fideliſſimus aſſecla Cajetanus Maria Merati, qui noviſſimis hiſce temporibus ejuſdem Gavanti Commentaria novis obſervationibus, & additionibus auxit, concinne locupletavit, atque egregie illuſtravit. Parem, ni ſuperiorem mavis, Carolo Guyeto locum nos denegare non poſſumus; qui in ſua Heortologia admodum erudita, ac accurata methodo de Feſtis propriis prolixum tractatum inſtituit. Sua nec carent laude nuperrima Commentaria, quæ Baruffaldus in Rituale perbelle digeſſit.

Scripſere quidem de Sacris Ritibus formoſe hi omnes; aliique plurimi non inferioris notæ præſtantiſſimi viri, & pro opportunitate dictis ſuis Decreta Sacrorum Rituum Congregationis accommodarunt, expenderunt, & affabre explanarunt; nemo tamen, quem ſciamus, præfata Decreta ex profeſſo exponendi uſquemodo provinciam ſuſcepit, nemo declarandi, quæ ſit eorumdem mens, vis, ac facultas, ſuum fecit inſtitutum; nemo proferendi eorumdem, quæ ex ſe alioquin ſatis uberem ſibi vindicant venerationem, ac mutum obſequium, rationes validas, fortiaque argumenta, quibus innixa immota ſtant, atque inconcuſſa conſiſtunt, curam aſſumpſit; nemo ea conciliandi, ampliandi, & limirandi, quantum ipſorum Decretorum verba, mens, rationes, & argumenta, ac ferunt Decreta alia, & quod majoris hac in re momenti eſt, nemo ea a quibuſcumque, quæ in contrarium facere poſſe videntur, liquido vindicandi, ſuum voluit eſſe ſtudium; nemo denique ſui muneris fecit ea uſque ad minimum apicem quoties neceſſitas, aut utilitas ulla expoſcit, ſtudioſe rimandi, ac ita minutatim triturandi, ut admodum ponderatarum Sanctionum Eminentiſſimorum illorum Patrum, qui Sacrorum Rituum venerabilem conflant conſeſſum, perquam nitida, & undique delicioſa appareat ſiligo. Vix ullus item eſt, qui Decretorum argumenta, atque materias, in quibus lata ſunt, plenius diſcutiat, difficultates, ac dubia cuncta promoveat, ſolvat, ac dirimat, & via, atque ſcholaſtica methodo in iiſdem tradendis procedat, cuique pro ratione ut plurimum ſola non ſtet auctoritas. Nos uni id in noſtras arrogavimus partes, noſtra voluimus eſſe ſtudia, noſtramque provinciam. Non deſunt demum utique, qui memoratæ Congregationis Decreta in parva volumina reſtricta, ac in unum collecta, in lucem edi curarunt; verum liceat nobis citra injuriam hujuſmodi verba pronunciare: Sunt hi proletarii conſarcinatores, qui & ſi quid nonnunquam pro majori rerum elucidatione de ſuo addere auſi ſunt, aut annotationes facere, dirimitu difficilis adhuc lis pendet, an Decretorum nitorem conſpurcarint magis, vel illuſtrarint.

Nos tamen, qui hujuſmodi tentavimus agere, profecto fallimur, ſi non ſit, qui noſmet de temeritate inſimulet, quaſi noſtras pervaſerimus, & alienas invaſerimus partes, acriterque criminetur, quod quæ alieni ſunt juris, ac fori, præſumſerimus uſurpare, ea ducti vulgata regula, quod *ejus eſt interpretari, cujus eſt condere*. Interpretationis tamen duplex ſpecies eſt, *neceſſaria* una, quam appellat *auctoritativam* Card. Jacob. *in tract. de Concil. cap. 16.*, & eſt, quæ a Principe ut Principe, vel a Legislatore ut tali emanat; *non neceſſaria* altera, ſed *probabilis tantum*, quam nonnulli *doctrinalem* nuncupant, ſicut eſt interpretatio Gloſſarum, & Magiſtrorum. Prima habet vim legis, & facit jus, eique ſtare quilibet adſtringitur, & certum eſt, quod hæc ſolum debet, & poteſt procedere, unde jus ipſum prodiit. Secunda vim legis non habet, nec parendi inducit neceſſitatem, ſed tantum probalitatem facit, & a Magiſtris non fit auctoritative, cum nemo ſit adſtrictus ſtare verbis Magiſtri, *l. 2. c. de Profeſſ. lib.* 10. *gloſſ. in l. 1. in ver. Juſque, de legib.* Hujuſmodi interpretationis circumſcripta Principis reſervatione, ſeu prohibitione Lectores, & Magiſtri facultatem habent edendi, *Cap. 1. verſ. At vero, & ibi gloſ. in verſ. Magiſtrorum de Decim. l. 1. ff. de orig. jur. l. negotium ibi, Ita accepi, ubi gloſ. exponit, ideſt a Præceptoribus, ff. de privil. Cred. l. 1. & ibi gloſ. ſi cert. pet. & habetur in proæm. Decret. Sixti, & Clem.* hinc inter alias qualitates, quas habere debent Lectores, jura recenſent *interpretandi* ſubtilitatem, ut *in l. un. c. de Profeſſ. qui in verb. Conſtantin. lib.* 12. *& notat Abbas in c. 1. num.* 5. *de Magiſtr.* quapropter mos eſt in publicis Univerſitatibus, ut in Doctoratu conferatur auctoritas, ſeu licentia legendi, & *interpretandi*. Et revera Sacræ ipſæ Paginæ quot interpretes, quot gloſſatores non habuere? Quot probabiles gloſſatorum interpretationes Conſtitutiones Apoſtolicæ? Quot commentaria, annotationes, expoſitiones non ſubiit Corpus ipſum Juris utriuſque, Civilis, atque Canonici?

Cum juſſu Pontificio miris elucubratus fuiſſet laboribus ſeptimus Liber Decretalium, & jam typis excuſus, & propediem eſſet publicandus, eo quod gravis difficultas emerſit, quod cum Decreta fere omnia Concilii Tridentini, quorum interpretatio Sedi Apoſtolicæ reſervata fuerat a Pio IV. 7. Kalend. Febr. 1564. in ſua Conſtit. *Benedictus Deus*, in eo inſerta forent, ſi in Corpus Juris Canonici redacta venirent, jam negandum non erat, quin Juriſperitis liceret eis applicare gloſſas, & commentarios, quemadmodum in præcedentibus compilationibus jam præſtitum fuerat; & hanc unam ob cauſam ſubſtitit dicti voluminis publicatio. Cum itaque nullam ſit reperire ſibi factam reſervationem, aut inhibitionem interpretationis Decretorum Sacræ Rituum Congregationis, quis dicet, nos extra ſepta, & metas egredi, alienamque juriſdictionem invadere, dum doctrinales dumtaxat haſce noſtras, & nullo pacto auctoritativas, quales volumus, & fatemur eſſe, interpretationes in memorata egimus Decreta?

Quæ cum reipſa ita ſint, & eſſe velimus, ultro fatemur, quod hæc noſtra Commentaria nihil habent

auctoritatis, & iis, quæ in Decretorum explanatione exarantur, nulla cuilibet obvenit parendi neceſſitas, ſed adhuc integrum æque manet ab iiſdem deflectere, & aliis forſitan probabilioribus interpretationibus, quas eorumdem Decretorum verba, mens, & rationes valent ſuſtinere, pro libito indulgere. Erit igitur, haud imus inficias, fortaſſe alius ab eo, quem nos cenſemus, legitimus Sanctionum intellectus, vis, robur, aut ſenſus, & nec dubitamus, quin validiores ſint rationes, ac efficaciora momenta, quibus innixæ eædem ſtant, quæ tamen imbecillitas noſtra nec eſt aſſecuta, nec aſſequi valuit.

Doctrinæ varietate contextum Commentariorum hoc opus non erubuimus facere, non utique quaſi aliena ab inſtituto ex profeſſo pertractare ſumamus, ſed quia diſertior elucidatio rerum, & materies ipſa Decretorum, in qua lata ſunt, vel tangunt, per Morales, Hiſtoricas, Theologicas, & Canonicas, aliaſque extraneas quæſtiones curſim recenſendas, vel agitandas interdum nos trahunt, noſque ipſi non ſemel data opportunitate ad quamplurima, quæ ad rem, de qua agimus, vel parum, vel non apprime proſunt, perquirenda, inſerenda, vel indicanda, ultro vagamur. Hæc *utilitatem uberem*, *neceſſitatem* vero *plurimam*, quam Eccleſiaſticis omnibus hujuſce dedimus Operis, utique ſatis ſuperque deſignant Doctorum Aquila D. Parens Auguſtinus *lib.* 1. *Oper. imperf. num.* 105., dum peccandi neceſſitatem agnoſcit in eo, qui neſcit id, quod ſcire, & facere tenetur, ac ejuſdem Diſcipulus Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, qui 1. 2. *qu.* 76. *art.* 2. ignorantem quæ ad ejus ſtatum, vel officium ſpectant, aut ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere, de peccato inſimulat. Utinam hæc ſaperent, & intelligerent plurimi de Clero, qui ſui ſtatus prorſus immemores, alienis toti incumbunt ſtudiis, propria negligunt, ſuum peſſundant officium, & in divinorum legibus, quas ex munere ſcire manent adſtricti, rudes penitus ſunt, & ignorantiam uſque gloriantur habere! Quamplura utique, quibus hi terreantur, in Sacris Scripturis, Sanctiſque Patribus paſſim haudquaquam deſiderantur; quæ cum hujus non ſit loci exerere, reliquum eſt, ut pro præterito cum Regio Vate *Pſalm.* 24. 7. ſuper delictis ignorantiæ Divinam precentur oblivionem, & pro futuro ediſcentes caveant, quod minatur Apoſtolus 1. Cor. 14. *Si quis ignorat*, *ignorabitur*, aut Rom. 2. *Qui ſine lege peccaverunt*, *ſine lege peribunt*.

Authentica autem, & indubia ut ſolummodo ſumeremus examinanda, Decreta, quæ in ſuis Indicibus prodit Meratus, ſuſcepimus exponenda; in utriuſque enim Indicis initio, & in Præfatione operis proteſtatur celeberrimus hic Auctor, omni exceptione major, quod quæ profert Decreta, ex Autographis, ſeu Originalibus, quæ extant in Regeſtis ſæpe memoratæ Congregationis, fideliter non ſemel excerpſit, & cum iiſdem Tabulariis, ſeu Archetypis diligenter contulit, & comparavit, & miſſa ea fecit, quæ licet ab Auctoribus paſſim aſſerta, citata, ac indicata ſint, tamen in iiſdem Regeſtis, & Tabulariis reperiri minime potuerunt; *ne ſcilicet*, ut idem ait, *apocripha, aut dubia genuinis, & certis fidem detraherent*. Non adeo tamen in Merati indicibus juravimus, ut nonnulla interim alia non putaverimus noſtræ ſubjicere ponderationi; at cum ex limpidiſſimo non minus fonte ea fuerint hauſta, de ſua authenticia nullam relinquunt dubitandi rationem. Vel enim ex Bullariis Romanis eadem decerpta fuere, vel apud nos in authentica forma aſſervantur exarata, aut ea deprompſimus ex tunc Cardinali Eminentiſſimo PROSPERO LAMBERTINI, nunc BENEDICTO PAPA XIV., qui in ſuis Libris æterna laude dignis de Canonizatione Sanctorum eandem, quam Meratus, identidem proteſtationem facit.

De Decretis autem his omnibus agimus non ſervato temporis ordine, nec cuſtodita ſerie, qua a Merato in ſuo Indice recenſentur, ſed habita unice ratione materiei, in qua noſcuntur edita, eadem diſtribuenda eſſe cenſuimus, tum ne eadem multoties repetere cogeremur, tum quo Lector clarius, & celerius rerum, ac reſolutionum plenam notitiam arripiat, nec hanc ob cauſam totum teneatur percurrere Librum. Quia tamen plurima eorumdem ad diverſa ſpectant Capita, & de multiplici, ac promiſcua agunt materia, non adeo ea ad Caput aliquod reſtringere potuimus, ut quandoque inviti non trahamur ad ſermocinandum de rebus ad aliud Caput attinentibus. Hac de cauſa in fine Tomi, ſeu Partis cujuſcumque, in qua reſpective abſoluta fient Decreta, quæ ad Romanum ſpectant Breviarium, Miſſale, & Rituale, Appendicem quandam pollicemur, in qua diſtinctim notabuntur Decreta quæcumque, quæ cum alibi elucidata veniant, ad aliquod ex aliis Capitibus quodammodo pertinere queunt, aut de conſimili agunt materia, ut Lector, qui copioſius exoptat pabulum, præſto habeat, atque reperiat, unde plene ſaginetur.

Indicibus plerumque Auctores alii admodum abundant, nos Indicum multiplicitate pluribus de cauſis Lectorem obruendum non eſſe putavimus; ſed ſolum illos ex iiſdem eſſe introducendos, qui neceſſarii ſunt, aut utiles, atque apprime bene ſufficiunt. Sunt autem hi Indices, quibus contenti fuimus, duo, Decretorum ſcilicet unus, rerum erit alter notabilium valde diſertus, & copioſus, quo Lector ſub oculos habeat quæcumque vel minima agitantur, promoventur, aut judicantur, & licet hic in fine ultimi Tomi, tamquam in opportuniori loco, & veluti compendium rerum omnium, quæ ubivis pertractata ſunt, concinnius, & ſine rerum inutili repetitione fortaſſe collocaretur, adhuc nos in plures juxta Tomorum, ſeu eorumdem Partium multiplicitatem ſecandum eſſe cenſuimus, ac cuique ex iiſdem rerum, quas continet, ſuum reſpective non eſſe denegandum, ne dum cæteri excuduntur, ſine ductrice regula in rerum perveſtigationem Lector vagari cogatur, huic commodo etiam per nonnullæ repetitionis incommodum bene conſultum iri opinantes.

Non ſic tamen agimus de Decretorum Indice, quem in noviſſimo Tomo, ſeu Parte Breviarii reſpective, & Miſſalis producere reſervamus; cum enim Commentatio hæc noſtra ultra expectationem ſub manum nobis adeo multum excreverit, ut opus fuerit in plures partes Tomum unum diſtribuere, præfatum tamen Indicem in plures ſecandum non eſſe cogitavimus, & cuique Parti Indiculum Decretorum, quæ facit expoſita, conſignare, ſed magis illum integrum, ac penitus immutatum in fine ultimæ reſpective Partis tradere, præſertim quia hinc aliud exurgit commodum, remotio videlicet cujuſcumque dubietatis, quæ ſuper Decretorum authenticitate, vel fideli traditione eorumdem ex tentata innovatione in minus peritorum judicium poterat derivare. * Ut autem cuncta apte ſuo loco ſint poſita, Decreta ex aliis fontibus hauſta, quæ interpretationem itidem ſuſcipient, poſt memoratos ſeparatim dabimus Indices, & Ritualis Tomum particulari ſuo Indiculo neque defraudabimus.

Alia

* *Decretorum hunc indicem nos in nova hac editione conſultius duximus, ac legentium utilitati magis accommodatum initio cujuſque voluminis præfigere, ut quiſque materiam totam, de qua in eodem volumine agitur, antequam ad legendum aggrediatur, uno quaſi intuitu inſpicere poſſit.*

Alia quoque ratio ad id faciendum profecto nos impulit, videlicet ut Lectori una ſimul citra dubitationem ullam præſto forent annotationes illæ, quas in eadem Meratus egit Decreta, quæ quanti ponderis ſint, ac æſtimationis eſſe debeant, non eſt, quod hic indicemus, cum ejuſdem doctrina, meritum, & fama jam ſatis oſtendant. Quia tamen varia ſunt hominum ſtudia, ac ingenia, monitum Lectorem volumus, quod præfatæ annotationes, licet forſan noſtris ſaniores, ac doctiores, & a nobis ipſis omni dignæ cenſitæ veneratione, in omnibus, & per omnia a nobis minime ratæ habentur, niſi quæ, & prout ſunt conformes iis, quæ in reſpectivorum Decretorum explanatione late tradentur. Ne autem quid deſit, quod Lectorem noſtrum aliqualiter juvare valeat, præfatis haudquaquam obſtantibus in dictis Indicibus poſt quodlibet Decretum diverſo annotatum faciemus caractere, ubinam illud noſtro ſubjiciatur examini, ut ſciſcitanti in promptu, ac obviam ſint omnia; quod & præſtandum putavimus per brevem Elenchum capitum, ſeu argumentorum cuilibet Tomo, ſeu Parti præmittendum, de quibus in unaquaque diſſeritur: ** *Brevem* diximus, & eſſe voluimus, propuereaque a diſtincta Decretorum in iiſdem explanandorum recenſione temperabimus, ſolumque numerum Decretorum annotabimus, quæ in unoquoque ex Capitibus fiunt expoſita, pro tunc Lectore, qui ſuper verbali eorumdem exaratione inſtrui exoptat, remiſſo ad reſpectiva Capita, in quibus fideliter deſcripta inveniuntur.

Fuerunt vero potiſſimæ præfatos Indices reſecandi cauſæ tum eorumdem inutilitas, ac ſuperfluitas, quibus profecto abundant Indices Auctorum, Conciliorum, Locorum Sacræ Scripturæ, aliorumque ſimilium, quæ Commentator novit, aut in ſuo opere allegat, utiturve, quæque unus ipſe generalis Index abunde indicat, vel ſaltem indicare valet: Tum demum ne per Indicum pluralitatem, qui ad nihilum reapſe, vel parum proſunt, nobis præripiatur locus dandi meliora, & quæ incomparabiliter pretioſiora, ac utiliora eſſe cenſemus.

Reſtat modo de duobus adhuc, quæ tenet inſcriptio Libri, Lectorem præmoneamus, ſcilicet de ly *Sacræ Rituùm Congregationis*, & de dictione *Præſertim*. Equidem nonnumquam aliqua ſumuntur Decreta explananda, quæ a Summis Pontificibus immediate emanata extitere; quia tamen hæc ex inſtituto ad examen minime vocantur, ſed ratione dumtaxat materiei, vel majoris rerum elucidationis in volumen irrepunt, idcirco conveniens haud eſſe putavimus, quod ultra Commentariorum titulum *in Decreta Sacræ Rituum Congregationis*, illo etiam *Summorum Pontificum* inſcriptio Libri gauderet. Dictio autem *Præſertim* deſignat nobis, quod licet fere omnia, quæ interpretationem ſuſcipiunt, Decreta, ad Breviarium, Miſſale, vel Rituale attineant, ſunt tamen eorumdem nonnulla, quæ præfata ſaltem directe minime tangunt, quæque ſolummodo cauſa uberioris notitiæ ſuper argumentis, quæ pertractantur, introducta fuere, quod conſulto per dictionem illam *quomodolibet* declaratum eſſe voluimus. Cum vero Miſſas ſequatur officium, Decreta Breviarii priorem, Miſſalis poſteriorem, & Ritualis, quod eſt veluti ſupplementum quoddam Breviarii, & Miſſalis, poſtremam noſtram ſibi vindicabunt conſiderationem.

Litterariæ Lucubrationes, quæ noviſſimis hiſce noſtris temporibus in lucem eduntur, adeo perpolitione verborum, elegantia ſermonis, ac ſtylo culto, ac compto prodeunt exornatæ, & expoſcuntur, ut nedum ipſæ omni penitus vel levi careant vitio, verum etiam quaſcumque alias non ita probe elaboratas averſentur homines, atque faſtidiant. Attamen pluribus de cauſis condonandum eſt nobis, ſi ſtylo facili, ac phraſibus obviis hoc noſtrum perſequimur argumentum. Elegantia verborum, atque ſermonis perpolitum quidem Auctorem, haud imus inficias, publicum facit; aſt demus, quod acrem etiam peritorum aciem quandoque haudquaquam obtundat, quis tamen inficiabitur, quod minus doctorum mentem interdum moratur, in intelligentia retardat, ipſumque argumentorum acumen ſua vi, ac robore expoliat, & exuit, adeo ut quæ in quibuſdam tradendis diſciplinis neceſſaria, utilis eſt, & commoda, in aliis ſit minus commendabilis, & tamquam pernicioſa ſpernenda? Argumentum itaque hoc noſtrum cum ſit in materie, quæ politiorem non expoſcit ſermonem, & aliunde per omnium indifferenter de Clero, cujus plurimi (proh dolor!) minus ſapiunt, manus debeat devenire, publicæ utilitati magis conſulendum eſſe ſtatuimus, quam nonnullorum voluptati eſſe, Divi Parentis Auguſtini veſtigia ſequentes, qui *in expoſit. Pſalmi* 138., ne os pro oſſe poſitum, pro ore intelligeretur, Oſſum dicere non erubuit, hæc ſcribens ſuo Auctore digniſſima: *Habeo in abſcondito quoddam Oſſum; Sic enim potius loquamur. Melius eſt, ut reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi.*

Quoniam vero a mendis omnibus expurgare typos humanam ſuperat ſedulitatem, præſertim cum Auctoris præſentia deſideratur, expectari profecto non poterat, quod in hujuſce voluminis editionem aliqua non irreperent. Quatenus tamen nobis proſpicere licuit, vel ſenſum ea minime lædunt, vel obviæ, ac facilis ſunt correctionis, hinc erratorum tabulam inducendam non eſſe cenſuimus, ſed eadem benevoli Lectoris judicio, ac diſcretioni eſſe donanda. Qualecumque ſit igitur opus hoc noſtrum, ne dedigneris lubenter accipere: tuæ enim, & publicæ utilitati illud cudimus. Vale.

** *Hac ſuper re Auctor poſtea conſilium mutavit. Vide Præfationem ejuſdem ſecundo operis Tomo præmiſſam.*

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM,

Et Argumentorum.

CAPUT PRIMUM.

De Dedicatione Eccleſiæ. a pag. 1. ad pag. 37

CAPUT II.

De Patrono, vel Titulo Eccleſiæ. a pag. 37. ad pag. 63

CAPUT III.

De Patronis Locorum. a pag. 64. ad pag. 96

CAPUT IV.

De Reliquiis Sanctorum. a pag. 96. ad pag. 131

CAPUT V.

De Separatione Feſtorum. a pag. 131. ad pag. 137

CAPUT VI.

De Sanctis, qui in fine anni ſuperſunt. a pag. 138. ad pag. 151

CAPUT VII.

De Privilegiorum Communicatione. a pag. 151. ad pag. 159

CAPUT VIII.

De Regularibus relate ad Feſta Locorum. a pag. 159. ad pag. 170

CAPUT IX.

De Perpetua Feſtorum Immutatione. a pag. 170. ad pag. 184

CAPUT X.

De Accidentaria Feſtorum Immutatione. a pag. 184. ad pag. 188

CAPUT XI.

De Natali Sanctorum. a pag. 188. ad pag. 189

CAPUT XII.

De Conceſſionibus Univerſalibus. a pag. 189. ad pag. 192

IN-

INDEX
DECRETORUM

Servato ordine, quo a nobis per Capita diſtributa ſunt, & ſunt expoſita, prout monuimus in Præfatione ad Tomum ſecundum.

Numerus Paginam notat.

1. Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu conſecrationis ſtatuere aliam diem pro Anniverſario ejuſdem Conſecrationis. S. R. C. 19. Februarii 1587. *ex Merato in Indice Decretorum ſpectantium ad Breviarium Romanum num. 1., qui habetur verſus finem primæ partis ſecundi Tomi Obſervationum, ac Annotationum ejuſdem in Gavanti Commentaria.* Pag. 1

2. Dedicationis Feſtum extra actum Conſecrationis non poteſt amplius mutari ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica. S. R. C. 16. Octobris 1604. *in Ariminen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 16. 8

3. Dum Epiſcopus in Conſecratione Eccleſiæ non elegerit diem, ſed conſecravit eam die &c. Menſis &c. Anniverſarium Dedicationis debet celebrari in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari. S. R. C. 20. Nov. 1662. *in Albigianen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 83. 9

4. Eccleſia Cathedralis Ferentina cum fuiſſet pluribus in locis reſtaurata, & magna in parte renovata, & de illius conſecratione ſigna nullibi apparerent, neque aliæ probationes exiſterent, adhuc quia in præteritum Feſtum Dedicationis fuerat celebratum, cenſuit S. Rituum Congregatio non indigere nova conſecratione, & ſtatuit Dedicationis feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam. S. R. C. 27. Nov. 1706. *in Ferentina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 243. 11

5. Non poteſt celebrari Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ quam certum eſt non fuiſſe conſecratam, vel dubium eſt; ſi autem conſtet de Conſecratione, & ignoretur dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro feſti prædicti celebratione. S. R. C. 18. Aug. 1629. *in Alexandrina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 69. 12

6. Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Civitate celebratur cum octava, in Diœceſi vero ſine octava. S. R. C. 2. Maii 1619. *in Conchen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 42. 13

7. Cum Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem celebretur ſine octava, hæc annua Dedicatio per totam Diœceſim celebranda eſt juxta ſolitum quoad ritum, ſcilicet vel ſub ritu duplici primæ claſſis, vel ſub duplici minori. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 214. 14

8. Cum præter propriæ Eccleſiæ Dedicatinem fieri debeat officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, in Urbe cum octava, extra Urbem ſine octava; quæſitum fuit, utrum extra Urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem, fieri debeat octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis? Et reſponſum fuit negative. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 176. 15

9. Regulares tenentur quidem celebrare feſtum de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & ſine octava. S. R. C. 1. Apr. 1662. *approbante Alexandro VII. die 8. ejuſdem menſis, & anni*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 81. 16

10. Regulares degentes in Civitate debent recitare officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici tantum ſine octava ex Decreto edito die 1. Aprilis 1662. extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem officii in die feſto, ut alias pluries. S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 176. *ibid.*

11. Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare officium de octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantum tenentur prædictum officium recitare ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava. S. R. C. 11. Febr. 1702. *in Tarviſina*; ex Merato in Indice Decret. Breviar. nu. 224. 17

12. Quando plures adſunt Cathedrales unitæ, officium Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ Cathedralis non debet recitari ab univerſo Clero Diœceſium unitarum, ſed in qualibet reſpective Diœceſi debet recitari de ſua propria reſpective Eccleſia Cathedrali. S. R. C. 8. Martii 1704. *in Viterbien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 227. 18

13. Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali, celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi conſecrationis dies peragitur. S. R. C. 19. Auguſti 1629. *in Alexandrina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 69. *ibid.*

14. De Titulo, & Conſecratione Parochialis Eccleſiæ, quæ non eſt Cathedralis, non debet fieri officium in die, neque per octavam a Sacerdotibus, qui non ſunt de Clero Parochiali, licet ſub eadem Parochia degant. S. R. C. 17. Aug. 1709. *in Bergomen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 249. 20

15. Si Eccleſiæ Dedicatio accidat in Feſto Nativitatis B. M. V., officium fieri debet de Dedicatione, & duæ Miſſæ poſſunt cantari. Infra octavam vero fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobris 1604. *in Arimin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 17. 25

16. Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas veſperas cum commemoratione tantum ſequentis. In Feſto autem Dedicationis veſperæ ſunt dimidiandæ, & a capitulo debet fieri de Sanctis Patronis cum commemoratione Dedicationis, ut in utroque caſu præſcribitur in Rubrica de Concurrentia num. 2. verſu *Inter Feſta*. Ita pariter infra octavas dictorum feſtorum, nempe S. Joannis Baptiſtæ, & Dedicationis &c., faciendum eſt officium de octava S. Joannis Baptiſtæ cum commemoratione octavarum Dedicationis, & SS. Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ, ut in Tabella de concurrentia n. 7. & Gavantus in Rubr. ſect. 3. cap. 8. n. 6. Ita S. R. C. 21. Aug. 1688. *in Aquilejen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 156. 26

17. Benedictus XIII. die 28. Aprilis anni 1726. ritu ſolemni conſecravit ſacroſanctam Baſilicam Lateranenſem, ejuſdem Celebritatis memoriam decrevit recolendam quolibet anno die 9. Novembris, & mandavit, ut idem Feſtum tamquam Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis ab univerſo ipſius Clero Sæculari tantum, & ejus Diſtrictus juxta S. R. C. Decreta, hac in re pluries edita, ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, quotannis celebretur. Ita etiam S. R. C. 14. Septemb. 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 266. 30

18. Dedicatio Baſilicæ SS. Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras ſecundas veſperas, ſi concurrat cum ſequenti officio duplici minori. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decret. Breviar. num. 85. 31

19. Occurrente Dedicatione Baſilicæ SS. Salvatoris, vel SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum infra octavam Dedicationis aliarum Eccleſiarum, pro earum octava debet ſumi alia oratio de communi, nempe *Deus qui inviſibiliter*. S. R. C. 25. Sept. 1706. *in una Urbis, & Orbis*; ex Merato in Indice Decrt. Brev. num. 242. 32

20. Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani inſtitit pro extenſione officii Dedicationis cum octava Eccleſiæ majoris, non ſolum ad Clerum ſervitio ejuſdem Eccleſiæ addictum, & ad Equites, qui tenentur ad Horas Canonicas ratione alicujus beneficii, ſed etiam ad omnes alios Religioſos utriuſque ſexus ſupradicti Ordinis ubique locorum exiſtentes, etiam extra Melitam, non obſtante Decreto hujus S. R. C. emanato a die 11. Julii 1711. & Sacra Rituum Congregatio reſpondit: *negative quoad extenteuſionem ubique locorum*. Die 16. Septemb. 1730. *in una Ord. Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 276. 34

21. In die Octava Dedicationis ſemper ſunt repetendæ lectiones in primo nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo nocturno officii de ipſomet Feſto Dedicationis. Rubr. Brev. de Lect. num. 9. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 308. 35

22. Octava omnium Sanctorum tamquam dignior, præferenda eſt Octavæ Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 5. Martii 1693. *in Sabinen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 187. *ibid.*

23. Officium, & Miſſa S. Rocchi conceditur tantum in Eccleſiis ad ejus honorem Deo dicatis. S. R. C. 16. Junii, & 26. Nov. 1629. *In Matriten.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 70. 40

24. Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum Officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, ſeu ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. 8. Apr. 1628. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 60. 44

25. De Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ debet fieri Officium ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava a Clero eidem adſcri-

pro,

Digitized by Google

pto, etiamſi Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum bene-
dicta. S. R. C. 21. Jun. 1710. *in una Capuccinor. Provin-
cia Lugdunen.* ex Merato in Indice Dec. Brev. n. 343. 46
26. Parochus duarum Eccleſiarum unitarum debet de ambarum
Titulari recitare officium juxta Rubricas, maxime ſi Eccle-
ſiæ ſint peræque unitæ. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*
ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 201. 50
27. Epiſcopus, quando reperitur in aliquo Oppido ſuæ Diœ-
ceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſam, poteſt licite re-
citare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubrica-
rum, ſeu ex conceſſione S. Congregationis, eo quod ſint Pa-
troni, ſeu Titulares, in eiſdem Oppidis recitatur, & ſic præ-
cepto de recitando officio ſatisfacit. S. R. C. 14. Martii
1643. ex Merato *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 4., qui in Indice e-
juſdem non meminit. 54
28. In Titularibus Eccleſiis ſub invocatione S. Mariæ Ange-
lorum (apud Minores S. Franciſci) non de Dedicatione
prout in Feſto Portiunculæ, ſed de S. Maria Eccleſiæ Ti-
tulari, prout in Feſto S. Mariæ ad Nives faciendum eſt of-
ficium, & lectiones ſecundi nocturni ſumendæ ſunt ex ſecun-
do nocturno Nativitatis ejuſdem, mutato verbo *Natali* in
verbum *Feſtivitate*. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ord.
Minor. Obſerv.* ex Merato ſect. 8. cap. 5. n. 4., & in In-
dice Decr. Brev. num. 162. 57
29. De Sancto Roccho, licet ejus feſtum ſervetur ex devotio-
ne, attamen non poteſt de eo recitari officium, & celebrari
Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex
conceſſione S. R. C. die 4. Junii 1629. & clarius die 20.
Nov. ejuſdem anni 1629., & tunc dicendum eſt officium ſub
ritu duplici primæ claſſis. Ita S. R. C. 10. Januarii 1693. *in
una Galliarum*; ex Merato in Iudice Decretor. Brev. n. 183. 61
30. *Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos a Sacra Ri-
tuum Congregatione de ordine SS. D. N. Urbani Papæ VIII.
emanatum die* 23. *Martii* 1630.
Sacra Rituum Congregatio annuente SS. Domino Noſtro in e-
lectione Patronorum mandavit, infraſcripta in poſterum ſer-
vari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ip-
ſo jure.
Primo, quod eligi poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Ec-
cleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Bea-
tificati dumtaxat.
Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſe-
creta ſuffragia a Populo, mediante conſilio generali illius Ci-
vitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolum, & quod
accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci.
Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi de-
beat per ſecreta ſuffragia a Populo ſingularum Civitatum
Provinciæ.
Et Quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam,
nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc ha-
beant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat conſenſus
Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.
Et tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant
in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac de-
mum, cauſa cognita, ab eadem Congregatione approbari,
& confirmari.
Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit al-
legari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum De-
cretum imprimi, & publicari mandavit.
Hoc Decretum habetur apud Gaventum ſect. 3. *cap.* 12. *num.*
2., *& indicatur a Merato in ſuo Indice Decr. Brev.* n. 71.,
ubi ad dictam ſect. remittit lectorem. 64
31. Uſus ſemel introductus, & receptus in Eccleſia Cathedra-
li celebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Sancto tamquam
de Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Pa-
tronis Eccleſiæ, vel in Breviario Romano de eo non fiat of-
ficium. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Sempronien.* ex Me-
rato in Indice Decr. Brev. n. 32. 71
32. In Patronorum, ſive Protectorum præcedentia ſervandus
eſt Ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & inter Ordinem Hie-
rarchicum attendenda eſt anterioritas in Electione. S. R. C.
11. Martii 1690. *in Lycien.* ex Merato io Indice Decr. Brev.
num. 161. 74
33. Feſtum Patroni principalis loci, tenentur omnes cum offi-
cio de eodem, etiam Regulares, celebrare, ſed iſti ad octa-
vam non tenentur. S. R. C. 27. Martii 1728. *in Piſtorien.*
ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 63. 77
34. De Protectore principali Civitatis debet celebrari officium
cum octava per Civitatem, & Diœceſim. S. R. C. 23.
Maii 1639. *in Caven.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n.
78. *ibid.*
35. Feſtum Patroni principalis Civitatis a Clero Sæculari Ci-
vitatiſmet celebrandum eſt cum octava, a Regularibus vero
ſine octava. In Diœceſi autem, ubi non adſit proprius Loci
Patronus, ſimiliter cum octava, at ubi colitur Feſtum pe-
cularis Patroni, nihil de Patrono Civitatis; vel attenta con-
ſuetudine ſub ritu duplici majori tantum ſine octava. S. R.
C. 28. Septemb. 1658. *in Calaguritana*; ex Merato in Indice
Decretor. Breviar. nu. 78. 78
36. Poſtulantibus Sydico, & Electis Terræ Aquavivæ facul-
tatem celebrandi Feſtum S. Antonii Patroni dictæ Ter-
ræ cum octava, non obſtante, quod cum octava celebra-
rent in eodem Oppido Feſtum S. Euſtachii pariter Patro-
ni; Sacra Rituum Congregatio reſpondit *De principaliori
dumtaxat Patrono celebrandum eſt cum octava*. Ita die
26. Martii 1639. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 78. 79
37. Religioſi tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis
cum octava Feſtum tam de Dedicatione, quam de Titulari
Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur; & ſub eodem
ritu duplici primæ claſſis tenentur recitare de Patrono prin-
cipali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum; ad
octavam autem non tenentur, juxta pluries reſoluta: De a-
liis autem Patronis minus principalibus non tenentur recita-
re, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dicto-
rum Religioſorum proprio. S. R. C. 24. Januar. 1682. *in una
Ordinis Minor. de Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev.
num. 125. 80
38. Diſponente Sacra Rituum Congregatione, quod Regulares
ad octavam Patroni Principalis non tenentur, quæſitum
fuit, an ly *non tenentur*, excludat etiam libitum, ita ut
Regulares non poſſint de dicta octava recitare, ſi velint?
Reſponſum fuit, excludi etiam libitum, & non poſſe, niſi
id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi Con-
ceſſionis Apoſtolicæ, vel Conſtitutionis Religionis ab Apo-
ſtolica Sede approbatæ. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una
Ordinis Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev.
num. 142. 83
39. Declaratio (de qua num. 63. & num. 135.) ubi dicitur,
quod Regulares non poſſint recitare officium de octava Pa-
troni principalis ſine ſpeciali indulto, comprehendit etiam
Moniales Ordinariis ſubjectas. Ita reſpondit S. R. C. 11.
Febr. 1702. *in Tarviſina*; ex Merato in Indice Decr. Brev.
num. 224. 84
40. Cum ex declaratione Sacræ Congregationis Regulares te-
neantur recitare officium de Patrono Principali loci, dubi-
tabatur, an ſub ly *Loci* comprehendatur etiam Patronus prin-
cipalis Regni, vel Provinciæ, de quo conceſſum eſt ab Apo-
ſtolica Sede, ut a Clero tam Sæculari, quam Regulari in
dictis locis recitetur, ſed declaratum fuit, comprehendi et-
iam dictos Patronos, ſi liquido conſtet de conceſſione Apo-
ſtolica. Ita S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordinis Minor.
Obſerv. ad* 7. *dubium*; ex Merato io Indice Decr. Brev.
num. 141. *ibid.*
41. Quæſitum fuit, an ſub nomine Patroni loci, de quo juxta
Bullam Gregorii XIII. Regulares tenentur recitare officium
ſub ritu duplici primæ claſſis, veniat etiam Patronus Paro-
chiæ, in qua commorantur? S. R. C. reſpondit *negative* die
14. Februarii 1705. *in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ*;
ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 231. 88
42. Feſtum principalis Patroni alicujus Diœceſeos a Regulari-
bus eſt celebrandum ritu duplici primæ claſſis, & Dedicatio
Eccleſiæ Cathedralis ritu duplici ſecundæ claſſis, ſine octa-
vis, & degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicatio-
nis officium. S. R. C. 5. Maii 1636. *in Einſidlen.*, & antea
die 16. Junii 1708. *in Pariſin.* ex Merato in Indice Decr.
Brev. num. 305. 89
43. Dum dicenda ſunt ſuffragia Sanctorum in locis gaudentibus
duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda eſt com-
memoratio tantum de Patrono principaliori. S. R. C. 20.
Novemb. 1683. *in Lauden.* & reperitur in Rubricis Brevia-
rii Minorum Obſerv. num. 102. ex Merato in Indice Decr.
Brev. num. 145. 90
44. Quæſitum fuit, an Officium Tranſlationis Patroni, de quo
ſit, ut de Apoſtolo, & de quo ſit duplex per annum, præ-
ferri debeat alteri duplici per annum, & habere Veſperas
integras in concurſu? Et reſponſum fuit: *Exprimi caſum,
& doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*.
S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliarum*; ex Merato in In-
dice Decr. Brev. num. 175. 94
45. De Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt
officium duplex minus in ejus feſto. S. R. C. 22. Novem-
bris 1602. *in Vicentina*; ex Merato in Indice Decr. Brev.
num. 6. 97
46. Duplex officium eſt inſtituendum de Sancto, cujus habetur
inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit corpus integrum,
aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis appro-
batis, & poſitis in Martyrologio Romano. S. R. C. 3. Junii
1617. *in una Urbis Theatinorum*; ex Merato in Indice Decr.
Brev. num. 40. 100
47. De Reliquia inſigni officium eſt ſolum recitandum in Ec-
cleſia, ubi aſſervatur, nec aliæ Eccleſiæ debent ſe uniformare
cum Cathedrali, ſeu Matrice. S. R. C. 12. Maii 1618. *in
Conchen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 41. 103
48. Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim,
etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum of-
ficio, eo quod in loco adſit aliqua Reliquia, ſed tantum ubi
aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S.
R. C. 8. Aprilis 1628. ex Merato in Indice Decr. Brev.
num. 60. 105
49. Inſignes Reliquiæ (quarum ratione recitari poteſt officium
ſub ritu duplici minori) ſunt Caput, Brachium, Crus, aut
illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit in-
tegra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata.
S. R. C. 8. April. 1628. *approbante Urbano VIII.* ex Merato
in Indice Decr. Brev. num. 59. 106
50. Tybia non eſt Reliquia inſignis. S. R. C. 3. Junii 1662. *in
una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 82. 111
51. Spinæ de Corona Domini Jeſu Chriſti inter Reliquias in-
ſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt.
S. R. C. 21. Junii 1632. *in Conchen.* ex Merato in Indice
De-

Digitized by Google

Decr. Miſſalis n. 264. Ejuſdem eriam meminit idem Meratur *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 4.* Et habetur apud nos ex Regeſtis decerptum. 112

52. Epiſcopus non poteſt ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti Martyris, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia. S. R. C. 23. Junii 1662. *in una dubior.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 82. 114

53. De aliquo Sancto Martyre, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia, celebrari non debet officium & Miſſa in ipſa die ſui martyrii, niſi Reliquia ſit de Sancto ſcripto in Martytologio Romano, & niſi conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. S. R. C. 3. Junii 1662. *in una dubior.* ex Merato io Indice Decr. Brev. num. 82. 115

54. Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologin Romano deſcriptus. De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante, quod ipſorum Corpora; vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur: Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (prout hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium aliiſque in Conſtitutione Beati Pii V. contentis. S. R. C. 11. Aug. 1691. *in Decreto Generali approbante Innoc. XII.* ex Merato io Indice Decr. Brev. num. 165. 118

55. Conſuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari poſſit recitatio officii de aliquo Sancto in Eccleſia in qua aſſervatur ejus Corpus, niſi doceatur, an ſit deſcriptus in Martyrologio, & de ejus identitate conſtet. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 199. 120

56. Epiſcopus Ripanus Sacræ Congregationi Rituum exponit, aſſervari in Parochiali Eccleſia Caſtri Sancti Benedicti Corpus cujuſdam Sancti Benedicti martyris, & io ejus honorem ab immemorabili tempore celebratum fuiſſe Sacrificium Miſſæ, & recitatum Officium de communi; aſt cum obſtare videatur Decretum Sacræ Congregationis editum die 11. Auguſti 1691., quærit, an id in poſterum permittere debeat. Et eadem Sacra Congregatio cenſuit, nihil eſſe innovandum, & ratione immemorabilis temporis permittendam eſſe continuationem recitationis Officii, & celebrationis Miſſe de communi unius Martyris. S. R. C. apud Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontificem Maximum *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. par. 2. cap. 17. num. 29.* ex quo nos illud tranſcripſimus. *ibid.*

57. Dedecet, quod Sacra Corpora, & Reliquiæ Sanctorum Martyrum, quorum Zelotypus eſt Chriſtus, & ſpecialiter inſignes, collocentur, & conſerventur in Domibus privatis, & apud Laicos, cum ſint cuſtodiendæ, & adorandæ religioſe in Eccleſiis. In Alma Urbe non conceduntur Corpora integra, nec Reliquiæ inſignes, niſi petentes deferant Litteras Ordinarii Loci, a quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari, & decenter cuſtodiri: excipiuntur tamen ab hac prohibitione magni Principes, & conſpicui Eccleſiæ Prælati, & ne pietas aliorum Fidelium hiſce omnino privetur ſacris Theſauris, eis conceduntur Reliquiæ minus inſignes. Clemens XI. 19. Februarii 1704. *in ejus Bull. particul.* ex Merato in Indice Decret. Miſſalis num. 582. 122

58. Nullo modo probatur Sacræ Congregationi, ut ſancta Corpora reponantur in Arca Cryſtallina, exponenda ſuper Altare, quemadmodum ſcribitur Patres Cappuccinos intendere, cum id a ritu, & uſu Eccleſiæ alienum ſit, quæ ſolet Sanctorum Corpora tenere ſub terra, vel intra Altaria, ſupra quæ tremendum Sacrifficium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum Altare marmoreum, intra quod prius rite conſecratum ſacra Corpora reponantur ſic, ut illa collocentur diſtinctim intra tres Arculas plumbeas, ſin vero aliter videatur, intra unam, ſeparatim tamen per intervalla. Ipſa autem involvantur ſericis pannis coloris convenientis ordini eorum, puta Confeſſorum, vel Martyrum; atque intra eamdem capſam, ſeu capſas ponatur lamina ænea cum litteris bene ſculptis continens Sanctorum nomina, & tempus, quo iſthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo tranſlati fuerunt. Facienda præterea erit Tabula marmorea, vel ænea, & loco Eccleſiæ conſpicuo affigenda, per quam conſtet, intra ejuſmodi Altare eſſe Corpus, vel Corpora ejuſdem Sancti, vel Sanctorum, qui illuc transferrentur; addito expreſſe id factum de licentia ſuæ Sanctitatis. Poterunt autem per Patres aliquæ Reliquiarum non admodum grandes reſervari, ut hierothecis decentibus incluſæ in eorumdem Sanctorum Feſtis, aliiſque Solemnitatibus Populo ſupra Altare venerandæ exponantur. *Ita reſponſum fuit nomine Sacræ Congregationis Rituum a Cardinali Ruſticuccio anno 1592. cuidam petitioni apud eamdem Congregationem factæ a Patribus Cappuccinis Civitatis Neapolitanæ.* Ex Eminentiſs. Lambertini, nunc Benedicto XIV. *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 25. num. 3.* 124

59. Quando exponuntur ſacræ Raliquiæ, ultra lampadem debent continuo ſuper Altare ardere duo ſaltem lumina, alias non exponantur. S. R. C. 22. Jan. 1761. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*; ex Merato in Iodice Decr. Miſſalis num. 554. 126

60. Feſtum ſacrarum Reliquiarum, quæ aſſervantur in Eccleſiis Ordinis Benedictini, celebrandum eſt ab ipſis Monachis de præcepto, & quidem die 30. Octobris. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 328. 128

61. Quando Vigilia Omnium Sanctorum venit in Dominica, & conſequenter anticipanda eſt in Sabbato, quod tunc erit dies 30. Octobris, in qua a Patribus Benedictinis celebratur feſtum ſacrarum Reliquiarum totius Ordinis, tunc a prædictis Monachis facienda eſt commemoratio tantum de Vigilia Omnium Sanctorum. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſid.* ex Merato io Indice Decr. Brev. num. 303. 130

62. In Eccleſia SS. Nazarii, & Celſi transferendum eſt Feſtum SS. Victoris & Innocentii in primam diem non impeditam (poſt Feſtum SS. Nazarii, & Celſi) ſub ritu ſemiduplici, ſed cum Evangelio, & Oratione eorumdem, in qua omittuntur Socii. S. R. C. 12. Febr. 1633. *in Mediolan.* ex Merato io Indice Decr. Brev. num. 74. 131

63. Oratio, quæ dicitur in Feſto SS. Fabiani, & Sebaſtiani non eſt alteranda, ita ut de S. Sebaſtiano tantum recitetur, etiam in propria Eccleſia, eidem dicata. S. R. C. 9. Sept. 1603. *in Egitanien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 12. 133

64. Cum S. Januarius fuerit declaratus a Sacra Rituum Congregatione Patronus Principalis Regni Neapolitani, hinc die feſto dicti Sancti debet in eodem Regno fieri officium ſub ritu duplici cum octava, ſed de S. Januario tantum, non vero de Sociis ejuſdem, quorum officium transfertur ad primam diem non impeditam. S. R. C. 12. Julii 1664. *in Monopolitana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 86. *ibid.*

65. Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani una ſimul celebratur in illis locis, io quibus S. Sebaſtianus eſt Patronus minus Principalis. Ita declaravit S. R. C. referente Eminentiſſimo D. Cardinale Colloredo die 22. Nov. 1698. *in Cremen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 210. 134

66. Conſuevit Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani hactenus celebrare ſub ritu duplici majori Feſtum S. Sebaſtiani martyris Patroni prædicti Ordinis, & Titularis Cappellæ Linguæ Alverniæ, erectæ in Eccleſia majori ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ, ejuſdem Ordinis, translato in primam diem non impeditam feſto S. Fabiani Papæ, & Martyris ſub ritu ſemiduplici, & quia, ut aſſeritur, emanavit Decretum S. R. C. uſque de die 22. Novemb. 1698. quo declaratum eſt, quod feſtum S. Fabiani non transferatur, ſed celebretur una cum S. Sebaſtiano, ideo humiliter poſtulat, ut poſſit ſolitum ſervare, non obſtante dicto Decreto, aliiſque rationibus. Et reſolutum fuit, quod ſervari debeat Decretum emanatum die 22. Novemb. 1698. Ita S. R. C. 16. Sept. 1730. *in una Ordinis Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 273. 135

67. In Eccleſia S. Mariæ in Porticu, ubi aſſervatur Brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18. Junii) faciendum eſt officium etiam de S. Marco ſub ritu duplici minori de communi plurimorum Martyrum. S. R. C. 7. Auguſt. 1717. *in una Urbis*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 259. *ibid.*

68. Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis alicujus Sancti, qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, & uterque habent feſti ſimplicis ritum, veluti contingit in feſto SS. Gervaſii, & Protaſii, quorum duæ lectiones vitam, amborumque mortem enarrant; in quo caſu, ſi lectiones disjungi commode poſſunt, legenda eſt illa de Sancto, cujus fit officium duplex propter Reliquiam inſignem, in ſecundo nocturno, & hæc erit quarta lectio. Quinta, & ſexta ſumendæ ſunt de communi, altera vero lectio disjuncta poni poterit pro nona lectione in tertio nocturno tamquam de Sancto ſimplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes. Si vero non poſſint commode disjungi, utraque ponenda eſt in ſecundo nocturno pro quarta, & quinta lectione, & ſexta legenda eſt de communi; & in hoc caſu lectio nona pro ſimplici repetenda non eſt; fieri tamen debet de eo commemoratio. S. R. C. 16. Jan. 1667. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 100. 136

69. Officia Sanctorum, quæ de Menſe Decembris aliquando ſuperſunt, transferri poſſunt, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canonic. Regul. Lateran.* & 27. Aprilis 1697. *in Florentina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 108. 139.

70. Cum ſæpe contingat aliqua officia unius anni non poſſe in eodem celebrari, licet anno proxime ſequenti ea perſolvi. S. R. C. 27. Septemb. 1698. *in una Ordinis Cappucc.* ex Merato in Indice. Decr. Brev. num. 307. 140

71. Sancti, qui io fine anni ſuperſunt, non ſunt transferendi ad annum ſequentem, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit io ſemiduplicibus cum nona lectione ad matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni. S. R. C. 26. Nov. 1735. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 282. *ibid.*

72. Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit, an ſtantibus Decretis de non addendo, mutando, vel retrahendo, in Breviario Romano; necnon Decretis officiorum noviter

appo-

apponendorum in Corpore, in quibus præcipitur his verbis; *Debeant, teneantur, agant*; in officiis vero Provincialibus concluditur ſic: *Valeant, poſſint, recitare poſſe cenſuit, conceſſit, annuit &c.*, ſi autem in aliqua Eccleſia, præſertim Regularium, ſint tot feſta, quod non poſſint nonnulla ſemiduplicia tranſlata adhuc recurrente anno reponi ſemel in biennio; in hoc ergo caſu quæſitum, inquam, fuit: *An licebit omittere, quæ ſunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo conceſſis?* Et S. R. C. reſpondit: *Detur Decretum in Hiſpalen. emanatum ſub die 26. Novembris 1935.* Ita S. R. C. 15. Sept. 1736. *in Toletana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 337. 143

73. Ex parte Patris Joſephi a Vernlo Ordinis Minorum Cappuccinorum ſupplicatum fuit pro declaratione infraſcripti dubii: *An Sancti, de quibus in toto anni decurſu celebrari officium non potuit, transferendi ſint ad annum ſequentem, vel potius eo anno ſint omittendi?* Sacra Rituum Congregatio inhærendo alteri reſolutioni in ſimilibus datæ ad inſtantiam Reverendiſs. Archiepiſcopi Hiſpalen. ſub die 26. Novemb. 1735. reſcribendum cenſuit: *Sanctos, qui in fine anni ſuperſunt, non eſſe ad annum ſequentem transferendos: ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandos eſſe tanquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in ſemiduplicibus, cum nona lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum unius.* Et ita declaravit die 8. Martii 1738. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 341. 145

74. Ratione communicationis privilegiorum non poteſt recitari peculiare officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Sept. 1668. *in Januenſi*; ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 94. 152

75. Regulares propter communicationem, ſeu participationem privilegiorum Mendicantibus, ſive aliis Religionibus conceſſam, recitare non poſſunt officia ſpecialiter conceſſa alicui Religioni, *ut de Corpore Chriſti &c.*, & quatenus extenſio petatur, omnino quoad tempus Adventus, & Quadrageſimæ non eſt concedenda. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Cappuccin.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 102. 154

76. Communicatio etiam ampliſſima privilegiorum unius Religionis altari facta, non ſe extendet ad officia Sanctorum. S. R. C. 16. Decembris 1679. *in una Ord. Minor. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 107. 155

77. Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non poſſunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, nec recitare officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Decreto Generali*; ex Merato in Indice Decretor. Breviar. n. 238. 157

78. Regulares non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem officii Patroni principalis loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorundem octavas celebrandas non tenentur. Sacr. Rit. Congr. 20. Martii 1683. *in una Ord. Min. Obſerv.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 135. 159

79. Regulares poſſunt, & debent recitare officia ad petitionem Regum, & principum recitari conceſſa in aliquibus Regnis, Provinciis, Dirionibus &c. a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari. Sac. Rit. C. 20. Martii 1683. *in eadem Ord. Min. Obſ. ad ſecundum dub.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 136. 161

80. Moniales Ordinariis locorum ſubiectæ non tenentur recitare officia particularia Diœceſum, tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, necnon de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non vero de eorundem feſtorum octavis. S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 147. 163

81. Ab eo tempore, quo Innocentius X. ad duplicem ritum erexit officium S. Franciſcæ Romanæ, dubitari cœpit, an Feſto quadraginta Martyrum ſit aſſignanda dies fixa, nempe dies 10. Martii, an vero idem feſtum tanquam tranſlatum prima die non impedita ſit celebrandum; quo dubio in Sacra Congregatione propoſito, hæc declaravit, aſſignari debere certam ſedem officio quadraginta Martyrum, diem ſcilicet 10. Martii; idemque in novis Martyrologiis ſervari mandavit die 29. Novembris 1659. *in una Rubricarum*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 80. 171

82. Cum Feſtum Sancti Gregorii VII. ex mandato Benedicti XIII. celebrandum ſit die 25. Maji, quo die antea celebrabatur feſtum ſemiduplex S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; Quæritur, *an hoc Feſtum habeat diem fixam, an vero ſit transferendum in primam diem non impeditam.* S. R. C. 23. Junii 1737. *in Brugen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 318., ubi aſſerit idem omnino confirmatum fuiſſe die 16. Februarii 1737. *in Mechlinen. ad 4. dubium.* *ibid.*

83. Nemo valet aſſignare diem fixum Sanctis tranſlatis ſine ſpeciali Decreto Sacræ Congregationis. S. R. C. 28. Novemb. 1682. *in Faventina*; ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 134. 172

84. Nullum officium transferri debet in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica. Sac. Rit. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 174. *ibid.*

85. Non licet Patribus Cappuccinis, nec aliis cujuſvis Ordinis Regularis, qui non utuntur Breviario Patrum Minorum Obſervantium in uſum deducere Rubricam in dicto Breviario anni 1696. n. 15. his verbis expreſſam: *Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut tranſlatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies, proxima non impedita, aſſignanda cenſetur in perpetuum pro die propria Feſti tranſlati reſpective.* Siquidem conceſſio facta utentibus Breviario Minorum, non extenditur ad non utentes. S. R. C. 28. Auguſti 1706. *in una P. P. Cappuccin. Provinciæ Leodien.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 240. *ibid.*

86. Cum nonnulla officia propter perpetuam occurrentiam officiorum majoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, ſeu Ritus perpetuam habeant tranſlationem, & juxta Rubricas de Transl. Feſtor. num. 6. in primam diem non impeditam ſemper transferenda ſint, quæſitum fuit, *an illa prima dies cenſenda ſit propria illius tranſlati ſedes perpetuo juxta Gavantum ſect. 3. cap. 10. num. 15., ita ut debeat de eo celebrari ſemper illa prima die, etiamſi occurrat transferri aliud officium ejuſdem, vel ſuperioris ritus.* S. R. C. 14. Decemb. 1709. reſpondit *negative, & ſerventur Rubricæ Generales*, in una Ordinis Cappuccinorum; ex Meratu in Indice Decretor. Breviar. n. 252. 173

87. In Civitate, & Diœceſi Piſaur. die trigeſimaprima Aug. occurrit feſtum Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandum, & eadem die ab Eccleſia univerſali fit officium S. Raymundi Nonnati ſub ritu duplici minori. Item in eadem Civitate, & Diœceſi die 24. Septembris occurrit feſtum S. Terentii Martyris Patroni principalis Civitatis, & Diœceſis ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandum, & eadem die ab univerſali Eccleſia fit officium B. M. V. de Mercede ſub ritu duplici minori; Supplicatur: Si ſupradicta feſta altioris ritus venerint die Sabbato, an officia S. Raymundi, & B. M. V. de Mercede vigore Decreti Sacræ Rituum Congregationis emanati 14. Auguſti 1684., & iterum 18. Octobris 1696. in reformatione Kalendarii Fratrum Minorum, ſint celebranda die Dominica ſequenti, tamquam die propria, vel debeant transferri in feriam proximam non impeditam? Et Sacra eadem Rituum Congregatio reſpondendum cenſuit, *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ.* Et ita decrevit die 2. Julii 1712. *in Piſaurenſi*; ex Merato in Indice Decr. Brev. nu. 254. *ibid.*

88. Ex parte Eccleſiæ S. Jacobi Incurabilium Urbis quæſitum fuit, an officium Viſitationis B. M. V. diei 2. Julii, in qua Feſtum Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ occurrit, celebrari poſſit die immediate ſequenti, etiamſi fuerit dies Dominica? 2. Quæſitum fuit ex parte ejuſdem Eccleſiæ, an item die immediate ſequenti diei 1. Auguſti etiam Dominicæ, celebrandum ſit officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipſa die occurrat octava S. Jacobi? Et S. R. C. reſcripſit: *Faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, in die immediate ſequenti etiam in occurſu Dominicæ propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum Decretum S. R. C. 2. Julii 1712.* Et ita declaravit die 20. Novembris 1717. ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 260. 175

89. Cum in Directorio Divini Officii pro Civitate, & Diœceſi Januenſi impreſſo ſub prætextu Decreti S. R. C. die 18. Octobris 1684. ſuper aſſignatione diei pro officiis Sanctorum die propria impeditis, prima dies non impedita pro hujuſmodi officiis fixe fuerit aſſignata, cumque occaſione ſimilis impreſſionis multæ exortæ fuerint altercationes, propterea Sacr. Rit. Congregat. inſtantibus Eccleſiaſticis Civitatis Januenſis, & præcipue quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & nunquam editum fuerit; in caſu, de quo agitur, ſervandas eſſe Rubricas declaravit, atque decrevit. S. R. C. 29. Novemb. 1721. *in Januenſi*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 262. *ibid.*

90. Ad preces Archiepiſcopi Januenſis iterum porrectas ſuper aſſignatione dierum fixorum pro officiis plurium Sanctorum, quæ ob occurrentiam aliorum officiorum majoris ritus in prædicta Civitate, & Diœceſi propria die recitari nequeunt, S. R. C. quoad officia tantum Sanctorum Canuti Regis, & Martyris diem 6. Februarii, & Sancti Wenceslai Martyris diem 7. Octobris aſſignari, quoad reliqua officia vero Rubricas de Tranſlatione Feſtorum ſervandas eſſe mandavit die 22. Auguſti 1722. *in Januenſi*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 264. 176

91. Cum plures occurrant quotannis eodem die duo Feſta Sanctorum, quorum unum juxta Rubricas eſt transferendum, petitum fuit ex parte Archiepiſcopi, & Capituli Hiſpalenſis, ut quoties perpetua eſt talis occurrentia, aſſignetur ei, quod transferendum eſt, dies propria, & fixa, prima nempe dies non impedita. Et S. C. reſpondit, quod Sanctis, qui perpetuo ſunt transferendi, ſit aſſignanda dies fixa, & commiſit eidem Reverendiſſimo Archiepiſcopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc aſſignationem dierum. S. R. C. 26. Novembr. 1735. *in Hiſpalen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 280. 177

92. Si die 21. Januarii occurrat in aliquibus locis Feſtum alicujus Sancti particulare ſub ritu duplici v. g. S. Meinradi apud Benedictinos, faciendum eſt officium de tali Sancto, & transferendum eſt officium S. Agnetis, quod occurrit eodem die, cui aſſignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non ſit

dies

die 28. Januarii; ne Feſtum SS. Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica 2. poſt Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem Dominica, quæ eſt Septuageſimæ, ideoque ne illud feſtum celebretur intra Quadrageſimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii, in qua id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Feſtum S. Agnetis ſecundo, fiet de eo commemoratio tamquam de ſimplici, nullo habito reſpectu, quod feſtum ejuſdem ſolemne prius non fuerit celebratum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretorum Breviarii nu. 286. *ibid.*

93. Ubi celebratur feſtum S. Barbaræ ſub ritu duplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate, fiet de illa officium; aſſignando aliam fixam, & perpetuam diem S. Petro Chryſologo. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 288. 180

94. Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, eſt transferendum in Anno Biſſextili ad primam diem non impeditam officio novem lectionum (niſi eſſet Feſtum Tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ) ut fiat officium S. Matthiæ Apoſtoli. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canon. Regul.* ex Merato in Indice Decret. Brev. nu. 112. 184

95. Quæſitum fuit, an cum ex Decreto S. R. C. emanato 2. Julii 1681. dicenda ſit Antiphona Beatiſſimæ Verginis: *Ave Regina Cælorum*, cum verſ. *Dignare me* &c. in fine Completorii ſecundæ diei Februarii, licet transferatur officium Purificationis; dici debeat in ſuffragiis (quando ſit de officio ſemiduplici, vel ſimplici &c.) verſ. *Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix* cum Oratione *Concede nos famulos* &c.? Et in Miſſa ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum? Et S. R. C. affirmative reſpondit 14. Februarii 1709. *in una Ord. Cappuccin. Galliæ ad 1. dub.* ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 228. 185

96. Feſtum Inventionis S. Crucis cadens in Dominicam, in qua celebratur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, non poteſt transferri in diem immediate ſequentem, ſi hæc ſit feſto duplici, vel ſemiduplici impedita, ſed debet reponi prima die non impedita. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 326. 187

97. Dies natalitii, ii omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt feſtivitati alicujus Sancti veluti fixi, & veluti propria eorum ſedes. S. R. C. 28. Novembris 1682. *in Neapolitana*; ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 130. 188

98. Cum SS. D. N. Innocentius Papa XI. per univerſam Eccleſiam celebrari præceperit Feſtum SS. Nominis Beatiſſimæ Mariæ Virginis Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem Virginis Mariæ cum Officio, & Miſſa propria, ſub ritu duplici majoris: Quod feſtum jam ante ex Indulto Apoſtolico nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Chriſtifidelibus Miſſæ ſolemni intereſſentibus die 17. Septemb. celebrabatur cum Officio, & Miſſa propriis: Inſtitum fuit a Sacra Rituum Congregatione declarari: Primo: *An ceſſare debeat in dictis locis tam officium proprium, quam feſtum SS. Nominis Mariæ jam antea a Sede Apoſtolica approbatum, ita ut idem feſtum dicta die 17. Septembris cum dicto Officio, & Miſſa propriis non poſſit amplius celebrari*: Secundo: *An dictæ Indulgentiæ etiam cenſeantur ceſſare, an vero intelligantur tranſlatæ ad dictam Dominicam infra octavam B. Mariæ Virginis?* Tertio: *An dictum Officium, & Miſſa pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus poſſint amplius reimprimi, ac illo poſthac poſſint iidem uti?* Sacra Congregatio reſpondit ad dicta dubia, ut infra: Ad primum: *Ceſſare debere*. Ad ſecundum: *Indulgentias pariter ceſſare pro illa die; & pro tranſlatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo*. Ad tertium. *Non licere*; & ita decrevit, & ſervari mandavit die 17. Junii 1684. *Ita habetur in Bullario Romano noviſſimæ Edit. tom. 7. poſt Conſtit. 16. Innoc. XI.* 190

99. Omnes, nempe quicumque etiam Regulares tenentur de præcepto celebrare feſtum B. M. V. de Monte Carmelo die fixo 16. Julii, & ſervare Decretum emanatum 24. Septembris 1726. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 267. & 330. *ibid.*

100. Monialibus SS. Corporis Chriſti Civitatis Bononiæ Sacræ Rituum Congregationi humillime ſupplicantibus, ut benigne declarare dignaretur, *An ipſis liceat in poſterum die 14. Januarii officium SS. Nominis Jeſu, ſicut antea, juxta conceſſionem Fratribus Ordinis Minorum alias factam recitare, an vero teneantur illud Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, uti noviter pro Eccleſia univerſali indultum fuit, celebrare?* Sacra eadem Congregatio reſpondit: *Nec Monialibus prædictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum non licere amplius memoratum officium SS. Nominis Jeſu die 14. Januarii, ſed Dominica ii. poſt Epiphaniam recitare; omneſque teneri ſub pœnis de non ſatisfaciendo officio divino, aliiſque in Bulla S. Pii V. contentis, noviſſimo Decreto die 29. Novembris 1721. pro univerſali Eccleſia edito ſe conformare; & ita decrevit, & ſervari mandavit die 28. Novembris 1722.* ex Merato *ſect. ſexta cap.* 8. *n.* 1. §. *Tertio*. 191

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di reviſione, ed approvazione del *P. F. Gio. Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *R. P. Joannis Michaelis Cavalieri Bergomatis &c. Opera Omnia Liturgica, ſeu Commentaria Tom.* 5. ſtamp. non vi eſſer coſa alcuna contro la ſanta Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Giuſeppe Remondini* ſtampator *di Venezia* che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 7. Novembre 1777.

(*Piero Barbarigo Riſ.*
(*Franceſco Moroſini* 2°. *Cav. Proc. Riſ.*
(*Girolamo Grimani Riſ.*

Regiſtrato in Libro a carte 361. al num. 1121.

Davidde Marcheſini Segretario.

Addi 18. Novembre 1777.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Gio. Pietro Dolfin Segretario.

CAPUT PRIMUM.

De Dedicatione Eccleſiæ.

A *Dedicatione Eccleſiæ Commentaria hæc noſtra exordium ſumere Choronologicus expoſtulat ordo; inter Decreta enim, quæ modo examinanda ſuſcepimus, antiquius ad Eccleſiæ Dedicationem attinet, adeoque & potius jus habet ad noſtram ſui priorem conſiderationem juxta Regulam* 54. *in* 6. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure. *Inter Feſta itidem propria Dedicationem Eccleſiæ primum, atque præcipuum tenere locum, opinio eſt Gavanti, viri, ſi quis umquam fuit alius, Rituum Eccleſiæ ſcientiſſimi, & optimi Rubricarum interpretis*, Comment. in Rubr. Brev. ſect. 8. cap. 5. num. 2. *quam nos ipſi, cæteris paribus, inferius opportuniori loco ratam habebimus. Quæ ſi adhuc deſiderarentur, id utique exigeret ipſius ſola Feſti antiquitas, quod e veteri Teſtamento ad novum, ab Apoſtolis ad ſucceſſores tranſiit, quodque ſemper adeo ſolemne extitit, & celebre, ut Salvator ipſe noſter, dum in Terris ageret, præſentia ſua illud decorare voluerit, uti legitur* Joan. 10. 22. *Verum de his inferius ſermo redibit, unde non eſt, cur in iiſdem ulterius immoremur. Sit itaque*

DECRETUM PRIMUM.

Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu conſecrationis ſtatuere aliam diem pro Anniverſario ejuſdem Conſecrationis, S. R. C. 19. Februarii 1587. *En Merato in Indice Decretorum ſpectantium ad Breviarium Romanum num.* 1.; *qui habetur verſus finem primæ partis ſecundi Tomi Obſervationum, ac Annotationum ejuſdem in Gavanti Commentaria.*

1. QUamvis Deus ubique ſit, & omni loco ad eum liceat puras, & innocuas levare manus, ut Apoſtolus docet 1. *Tim.* 2. 8., ab Apoſtolicis tamen uſque temporibus loca quædam fuiſſe Deo dicata, in quibus populus orare, verbum Dei audire, ſynaxim agere, & corpus Chriſti ſumere conſueverat, Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens *Ep.* 1. *cap.* 11. teſtis locupletiſſimus eſt. *Convenientibus*, inquit, *vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Et paucis interjectis: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?*

II. Sunt, qui nomen *Eccleſia* non pro domo materiali, ſed pro Fidelium congregatione hic ſumi contendunt; cum enim Corinthii ad exemplum Chriſti, qui poſt cœnam inſtituit, & ſacram Apoſtolis tribuit Euchariſtiam, corpus Dominicum cœnati ſumerent, *unuſquiſque enim cœnam præſumit*, ideſt ante Dominicam Cœnam ſumit, Divites crapulabantur, & pauperes, divitibus *ad manducandum* ſuam cœnam dumtaxat portantibus, & non ad erogandum non habentibus, aut nihil, aut parum, quod ederent, habebant, *& alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*; hinc perturbationes quamplurimæ, mala, ac ſcandala in dedecus, ac contemptum Eccleſiæ Dei, videlicet Chriſtianorum cœtus, *aut Eccleſiam Dei contemnitis*, non raro eveniebant, quæ propterea ut tolleret, ſevere eoſdem Corinthios Apoſtolus ibidem redarguit. Celebriorum eſt hic diſcurſus Interpretum, qui videri poteſt apud Eſtium *Comment. cap.* 11. *Epiſt.* 2. *ad Corinth.*

III. Verum etſi nomen *Eccleſia* pro Fidelium Congregatione frequenter ſumatur, hic tamen ab Apoſtolo pro ipſo loco, in quem conveniebant, uſurpari ſatis evidens eſt; reprehendit enim indevotionem eorum ex irreverentia loci, ſcilicet, quia tales inordinationes faciebant, primo in loco non privato, *numquid domos non habetis*, 2. quia in loco ſacro, *aut Eccleſiam Dei contemnitis*, 3. quia in loco publico, *& confunditis eos, qui non habent.* Et revera præfatum Apoſtoli locum de Eccleſia materiali, & non de Fidelium cœtu Gloſſa, Sacri Interpretes, Sanctique Patres communiter exponunt; quorum unus pro omnibus in medium prodat D. P. Auguſtinus, qui *q.* 17. *in Leviticum* habet: *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur.* Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. *Hanc tamen vocari etiam ipſam domum orationum, idem Apoſtolus teſtis eſt, ubi ait*: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut ad Eccleſiam prodire, aut ad Eccleſiam confugere non dicatur, niſi qui ad locum ipſum, parieteſque prodierit, vel confugerit, quibus Eccleſiæ congregatio continetur.*

IV. Romæ item, & alibi in naſcentis Eccleſiæ primordiis, & poſtmodum validis Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum Pii I., & Evariſti, Euſebii, Optati, & Gentilium ipſorum teſtimoniis Baronius *anno Chriſti* 57. *n.* 98., *& aliis in locis*, Eccleſias Deo dicatas extitiſſe invicte demonſtrat; & quando de erectis olim Eccleſiis nullum aliud ſuppeteret argumentum, aut ratio, ipſa ſaltem Imperatorum edicta de demoliendis Chriſtianorum Eccleſiis, quorum meminit Euſebius *hiſt. lib.* 8. plane eas jam ante erectas fuiſſe, certiſſimam fidem facerent.

V. Quod ſi Eccleſiæ extitere, a nemine crederem dubitatum iri, quod in eiſdem ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebraretur, quinimmo conſtans, ac uniformis fuit Eccleſiæ diſciplina, nonniſi in Eccleſiis ſacrificium præfatum offerendi, niſi neceſſitas, cui parent omnes leges, diſpenſationi in aliquo caſu, uti ſæviente perſecutione, quo tempore in quocumque loco Chriſtiani poterant, ad peragendam Synaxim, & Miſſam celebrandam conveniſſe referunt Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium *hiſt. lib.* 7. *cap.* 11. Martyrologium Romanum *die* 2. *Aug.*, Cyprianus *Epiſt.* 5. *ad Presb.* aliique, locum eſſe ſuaderet. Hinc Cyrillus Alexandrinus *lib. adverſus Antropomorphitas cap.* 12. ait: *Donum, ſive oblatio, quam myſtice celebramus, in ſolis Orthodoxorum Sanctis Eccleſiis offerri debet, neque alibi omnino. Qui ſecus faciunt, aperte legem violant.* Et Baſilius *lib. de Baptiſmo cap.* 8. in eamdem ſententiam habet: *Nobis periculum eſt male obliti mandati, loci rationem neglexerimus, maxime ſi Sacerdotii myſteria in locis prophanis celebraverimus, propterea quod ea res indicium præberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret.*

VI. Conſtans autem, & uniformis, quam modo adduximus, Eccleſiæ diſciplina extra neceſſitatis caſum nedum in ſolis Eccleſiis, ſed adhuc nonniſi in Eccleſiis *conſecratis* celebrandum eſſe ita ferebat, ut impius, ac pene ſacrilegus haberetur, ſi quis in Eccleſia nondum conſecrata Synaxim feciſſet: Nihil clarius ad hoc probandum, quam Sancti Athanaſii Apologia ad Conſtantium, cujus potiſſima pars in eo verſatur, ut ſe purget apud Imperatorem, quod in Eccleſia nondum abſoluta, & conſecrata ſacrificium celebraſſet. Poſtea vero, quoniam Eccleſiarum conſecratio rara, & difficilis facta eſt, ceſſavit hujuſmodi præceptum, ita ut licitum ſit jure ordinario celebrare in quolibet loco ſacro, etiam per ſimplicem benedictionem, vel alias ab habente poteſtatem ad cultum Dei deſtinato. Abs re tamen non erit, ſi hic recenſeamus, quæ habet Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit.* 25. *cap.* 1. ſuper ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium nonniſi in Eccleſiis conſecratis celebrandum: *Antiqua mandant Sanctorum Patrum Decreta, ut, ſicut non alii poſſunt, quam ſacrati Domino Sacerdotes, ſacra peragere, & hoſtias offerre ſuper Altare, ita non alibi, neceſſitas niſi ſumma coegerit, quam in Deo dedicatis locis, ideſt in Taber-*

naculis, divinis ab Epiſcopo precibus delibutis, divina debent ſacrificia celebrari. Incumbant quocirca Epiſcopi, ut Eccleſiæ ſaltem Cathedrales, & Parochiales, & majora ipſarum Altaria, quæ adhuc perfecta non ſunt, nec dedicata intra annum, ſi fieri poterit, in Civitatibus, per Diœceſes vero intra biennium, omnino perficiantur, & ſolemniter conſecrentur. Ad hanc rem videantur pariter Can. *Sicut non alii* de conſ. diſt. 1., & Concil. Londin. anni 1237. cap. 1.

VII. Templorum vero Conſecratio e veteri Teſtamento ad novum, ab Apoſtolis ad ſucceſſores emanavit, atque hunc ritum ſtatim ſuſcepit, atque ſervavit Eccleſia totius Orientis, & Occidentis. Moyſes *Exod.* 40., & *Levit.* 7. 1. completo, & erecto tabernaculo illud *unxit, & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter, & omnia vaſa ejus.* Salomon 3. *Reg.* 8., & 2. *Paralip.* 7., quando Templum fuit primo ædificatum, *Dedicavit Domum Dei Rex, & univerſus Populus;* & quando deſtructum a Babyloniis, poſt captivitatem fuit reædificatum, ſolemniter item dedicatur 1. *Eſdr.* 6., & Judas Machabæus purgato Jeroſolymæ templo, novo erecto Altari magna lætitia celebrat illius dedicationem diebus octo, & quotannis celebrandam ordinat 1. *Mac.* 4., & 2. *Mac.* 10. quæ Dedicationis feſtivitas tempore adhuc Chriſti celebrabatur, eique ipſemet interfuit, unde Joan. 10. 22. *Facta ſunt encænia in Jeroſolymis*, inquit Iſidorus lib. 1. de Eccl. officiis cap. 35. *Encænia feſtivitas erat Dedicationis Templi.* Temporibus etiam Apoſtolicis Eccleſias conſecratas fuiſſe Codex quidam antiquiſſimus extans in Bibliotheca Reginæ Sveciæ, ut refert Card Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 1., indubitanter oſtendit; habentur enim in eo aliquot fragmenta ex diverſis Martyrologiis in unum compacta, & in uno eorum hæc leguntur Kalendis Auguſti. *Romæ Dedicatio primæ Eccleſiæ a Beato Petro conſtructæ, & conſecratæ.* Eadem verba reperiuntur in vetuſtiſſimo Martyrologio S. Hieronymi nomine inſignito, & a Luca Dacherio *to.* 4. *ſui Spicilegii* edito, itemque in alio Lucæ evulgato a Viro eruditiſſimo Franciſco Maria Florentino.

VIII. Conſecrationis igitur Eccleſiarum originem perperam quidam adſcribunt S. Evariſto Papæ, qui tantum eam, quam ſola traditione ab Anteceſſoribus acceperat, ſcripto promulgavit, aliquaſque ad veteres cæremonias addidit, ut innuunt citatus Card. Bona *cap.* 20. *num.* 3. & Pagius Junior *in Vita S. Evariſti num.* 3. Turpius adhuc errant, qui ex adverſo ſcripſere ante imperium Conſtantini Magni nullas fuiſſe Eccleſiarum Dedicationes propter metum perſecutionis; ſi de privatis, & clam peractis ſermo ſit, ſecus forſitan vero ſi de publicis, & ſolemnibus agant; hinc Euſebius Cæſarienſis *hiſt. lib.* 10. *cap.* 3., deſcribens lætitiam Chriſtianorum, quando Conſtantinus Chriſtianæ Religioni adſcriptus fuit, nobis annunciat Eccleſiarum recens ſtructarum Conſecrationes, unaque earumdem ritum, qui cum jam in Eccleſiam introductus foret, & ſæviente perſecutione vel omiſſus, aut ſolummodo occulte habitus, jam publice ſpectantium cum maxima majeſtate, & ſolemnitate peragebatur. *Votivum nobis, ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, Dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas urbes, & Oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes;* & poſt pauca: *Jam vero Antiſtitum abſolutiſſima ceremonia, & accurata Sacrificia Sacerdotum, & Divini quidem, auguſtique Ritus hinc Pſalmos canentium, & reliquas nobis Divinitus traditas voces auſcultantium, illinc divina, & arcana obeuntium miniſteria.*

IX. Ex his ſatis liquido conſtat, quam perinjuſta non minus ac impia ſit irriſio, quam hujuſmodi Ritus habet Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20., eo quod Eccleſia, parietes, & alia hujuſmodi inanimata, uti non gratiæ, ita nec conſecrationis ſunt ſuſceptiva; Eccleſia enim materialis, & alia inanimata conſecrantur, non quia gratiæ ſint ſuſceptiva, ſed tum ad repræſentandam ſanctificationem, quam Eccleſia formalis, ſeu cœtus Fidelium, conſecuta eſt per Paſſionem Chriſti, tum etiam ad ſignificandam ſancticatem, quæ requiritur in his, qui ſanctiſſimum Altaris Sacramentum ſuſcipere debent; ac inſimul virtutem quamdam ſpiritualem, quæ Eccleſiæ ipſi materiali, ac aliis hujuſmodi inanimatis ex conſecratione obvenit, per quam apta redduntur divino cultui, ut ſcilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ac ſint paratiores ad divina, niſi hoc propter irreverentiam impediatur: unde & 2. *Machab.* 3. 38. dicitur: *Vere Dei virtus quædam eſt in loco: nam ipſe, qui habet in Cælis habitationem, viſitator, & adjutor eſt loci illius.* Et inde eſt, quod hujuſmodi ante conſecrationem emundantur, & exorcizantur, ut inde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione Eccleſiæ, quæ Sanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint, reconciliantur, quia per peccatum ibi commiſſum, apparet ibi aliqua operatio inimici. Ita D. Thomas 3. *par. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 2., & 3.

X. Finis non erit, ſi in his immorari, & calamo indulgere voluero. Siſto igitur, & ad Decreti explanationem, uti ſuſceptum exigit inſtitutum, tranſeo.

XI. Dormitarint profecto, fas eſt, alioquin celeberrimi, & de Sacris Ritibus optime meriti, Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 5. *a.* 4., & *in Manuale Epiſc. verb. Eccleſiæ Conſecratio n.* 9., Guyetus *Heort. lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Pittonus *Conſt. ad Sacros Ritus n.* 37., Arnaud. *in Epitom. Theſauri Sacror. Rit. par.* 4. *tit.* 39. *ſub n.* 1. *pag.* 402., Biſſus *in Hierug. to.* 1. *verb. Dedicatio Eccleſiæ ſub n.* 51. §. 8. Paſqualigus *de Sacrific. nov. leg. to.* 1. *tract.* 1. *quæſt.* 532. *num.* 2., aliique permulti, dum præſens Decretum ſub die 19. Februarii anno 1585. a Sacra Rituum Congregatione emanatum referunt. Quis enim, niſi dormiens, hocce Decretum tunc temporis, quo nondum erat inſtituta, a Sacra Rituum Congregatione emanaſſe ſcribere valet, aut ſomniare? Hæc autem Congregatio a Sixto V. erecta fuit *ſua Conſtit.* Immenſa *data ſub die* 22. *Januarii* 1587. quæ eſt 74. ejuſdem Pontificis.

XII. Hic credere lubet, quod manifeſtam hanc hallucinationem oculatior videns Meratus, dum vice *Anni* 1585. in ſuo Indice Decretorum ad Romanum Breviarium ſpectantium *Annum* 1587. exaravit, eamdem emendare voluerit. Verum cum ipſomet teſte memoratum decretum in Regeſtis Sacræ Rituum Congregationis minime reperiatur, & in ſuo Indice, unice, quia a Gavanto in ſuo aſſertur, exhibere profiteatur, ſi majorem non fecit, veterem ſane plagam nequaquam obduxit; arbitratu enim tantummodo ſuo id attentaſſe, & loco anni emanationis Decreti a Gavanto recenſiti annum 1587., quo vix inſtituta erat laudata Rituum Congregatio, aſſignaſſe veroſimile apparet, dum quanam auctoritate, aut quonam innixus fundamento id egerit, uti tenebatur, minime prodit. Si divinationi locus datur, arbitrarer ego, nec falli exiſtimarem, quod Meratus manifeſti erroris pondere preſſus, ut eum corrigeret, Decreti datam quoad diem, quæ cuicumque utpote æque adaptabilis anno, minime officiebat, retinuit, quoad annum vero, qui memoratæ Congregationis inſtitutioni nequaquam concors erat, deſeruit, viceque anni 1585. annum inſtitutionis ejuſdem Congregationis, videlicet 1587. appoſuit, ne Data Decreti cum exiſtentia laudatæ Congregationis manifeſte pugnaret. Utinam ſaltem ſibi diſcors non foret, & quemadmodum in Indice Decreti datam quoad annum correxit, ita Gavanti textum *Sect.* 8. *cap.* 5. *n.* 4., ubi ſub eodem anno emanatum dictum profert Decretum, ſimiliter emendaſſet, aut ſi Textum voluit immutatum, in ſuis obſervationibus mendam adnotaſſet!

XIII. Hæc cum ita ſint, indignum utique præſens apparet Decretum, quod hiſce in Commentariis, quorum titulus ipſe nonniſi *authentica* effert Decreta, locum habeat. Ita ſane; & egomet diu hæſi, quinimo deliberaveram jam illud miſſum facere, ne ejuſdem recenſio me promiſſi fractorem in ipſa libri fronte incuſaret. Et revera hanc nonniſi notam, quis non videt, mihi inurere poterat Decretum illud, quod nedum in Sacræ Rituum Congregationis non reperitur Regeſtis, ſed adhuc ante inſtitutionem ejuſdem Congregationis ab Auctoribus aſſeritur emanatum? Doctorum tamen, qui unanimiter illud nobis ut authenticum exhibent, ac præſertim Merati, cujus indicem in his Commentariis ſequi mens eſt, prævaluit auctoritas, non injuſte arbitratus, quod ab aſſerta nota præmonitio Lectoris me immunem redderet.

XIV. Nec memorati Decreti authenticiæ deſiderantur argumenta; nullus enim ex Rubriciſtis ſuper ejuſdem exiſtentiam ullum protulit dubium, quinimmo unanimi recenſione, atque conſenſu pronunciant authenticum: nullus ex Conſecratoribus Eccleſiarum ab ejuſdem uſu abſtinendum cenſuit, ſed data opportunitate ſemper ita ſervavit, ut quando etiam apocryphum foret, inviolata, ſemperque cuſtodita conſuetudo illud legitimum faceret. Summi Pontifices ipſi, atque Concilia Epiſcopos facultate, quam ipſis præſens præbet Decretum, in actu ſcilicet Conſecrationis ſtatuendi aliam diem pro Anniverſario ejuſdem Conſecrationis, gaudere ſupponunt; Unde Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. anno 1725. celebratum, tit. 25. *cap.* 2. jubens Encænia, ſeu ſolemnes Eccleſiarum dedicationes in perpetuum anniverſaria ſolemnitate celebrandas ipſis, quibus initiantur, diebus recurrentibus, ſubditis *vel aliis, quos Epiſcopi in Conſecrationis actu pro libito deſignariat.* Decretum quoque ſecundum hujus Capitis a Sacra Rituum Congregatione die 16. Octobris 1604. editum, dum *Dedicationis feſtum extra actum Conſecrationis non poſſe amplias mutari ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica*, ſtabilit, in actu Conſecrationis ab eodem mutari poſſe aperte ſupponit, ac conſequenter præſentis Decreti exiſtentiam oſtendit, ejuſdemque legitimitatis fidem facit. Idipſum plane demonſtrat Decretum hujus capitis tertium; habet enim *Dum Epiſcopus in Conſecratione Eccleſiæ non elegerit diem, Anniverſarium Dedicationis &c.*: Supponit itaque indubie, quod Epiſcopus poſſit eligere diem pro anniverſario.

XV. Hæc vix in meam venere conſiderationem, quod ſuper præſentis authenticiam Decreti ſtatim omnem a mente abolevere dubitationem, ac ad ejuſdem tamquam indubii examen vocabant, ad quod ultimo me pepulit; quæ ſe mihi opportune obtulit, ejuſdem Decreti congruitatis ratio; cum enim Eccleſiarum conſecrationes in diebus Dominicis, aut in ſolemnioribus anni feſtivitatibus, quæ pro recolenda die anniverſaria vel impeditæ ſunt, ſeu minime percommodæ, congruentius fieri actionis exigat majeſtas, ſolemnitatis expoſcat excellentia, populi, qui aliis diebus impeditus intereſſe non poteſt, major petat concurſus, ac devotio, & Pontificale ipſum Romanum præſcribat, conveniens profecto erat, ut Conſecrator in actu conſecrationis inimpeditam, ac commodiorem diem pro anniverſaria ſtatuendi facultate gauderet, unaque in tantæ ſolemnitatis lætitia votis populi, qui ad eam quotannis recolendam debet intervenire, poſſet indulgere.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Crederem igitur, quod quantum ad annum editionis Decreti Gavantus allucinatus fuerit, & eo duce poſtmodum, quotquot de Sacris Ritibus ſcripſere, Decretumque ſub anno 1585. emanatum retulere; ea enim infelix hominum conditio eſt, ut ſi quis, præſertim ex Anteſignanis, in quavis re in eorumdem opinione celeberrimus, aut peritus evadat, tantum reverentiæ, ac honoris adipiſcatur, ut cæteri cuncti nimis cæce, ac inconſideranter, aut more pecudum eum ſequantur. Hujuſmodi aut errorem ebibit Gavantus ex Paulo Piaſecio, ut ipſemet fatetur *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 4., ubi idem refert etiam fuiſſe deciſum a Congregatione Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum reſpondens Epiſcopo Biſſinen. In aliquo igitur ex Annis a 1587., in quo inſtituta fuit Rituum Congregatio, ad 1602. emanatum fuiſſe videtur dictum Decretum, de cujus exiſtentia, valoreque dubitari non licet, propterea quod in Regeſtis ejuſdem Congregationis non reperiatur, quoniam in his Decreta non cœperunt deſcribi niſi anno 1602. ut advertit Meratus ibidem. Supereſt modo, quod expendamus verba Decreti.

XVII. *Conſecrator Eccleſiæ*. Contingit dupliciter Eccleſias Deo dicari, videlicet per Benedictionem, & per conſecrationem. Benedictio ſimplex, & Conſecratio Eccleſiarum differunt in hoc, quod prima minori ſolemnitate fit, quam ſecunda; ſimplex enim Benedictio, quæ verbalis dicitur, fit ſolis verbis, & ſimplicioribus ritibus, Conſecratio vero eſt benedictio realis, quæ fit unctione ex Sacro oleo, & Chriſmate, a quibus nobilius ſignificatur excellentia Divinæ Majeſtatis, cui templum dedicatur. Prima a quolibet Sacerdote miniſtrari poteſt, habita tamen facultate ab Epiſcopo, ſecunda ad Miniſtrum majoris dignitatis pertinet, nempe ad ſolum Epiſcopum. In Decreto ſermo tantummodo procedit de *Conſecratore* Eccleſiæ, nec ad Benedicentem eſt extendendus; de benedictione enim Eccleſiæ nec anniverſarium, ſaltem cum officio, inſtitui poſſe, nec celebrari infra dicetur in Decreto quinto hujus Capitis.

XVIII. *Poteſt*. An vero ex mero libito, vel juſta dumtaxat interveniente cauſa? Quæſtio hæc eſt, qui *pro libito* aliam diem pro anniverſaria deſignari poſſe ab Epiſcopo reſpondet Concilium Romanum in ſupra laudatis verbis. Dum tamen *libitum* audis, nolo hoc intelligas per excluſionem cujuſcumque cauſæ, & ad merum libertatis exercitium, aut propriæ auctoritatis oſtenſionem; nimis enim viles ſunt hujuſmodi fines, ut eorumdem præciſe gratia diei, quæ ſe habet ut natalitia, in qua contigit Eccleſiæ conſecratio, in alteram pro anniverſario recolendo immutatio licita cenſenda ſit. *Libitum* autem illud, de quo Concilium Romanum, in veriori Textus expoſitione non ſe tenet *ex parte termini a quo*, ita ut ulla abſque cauſa, ſed pro mero libito licitum ſit Eccleſiæ dedicationem a die, qua contigit, amovere, ſed ſe tenet *ex parte termini ad quem*, redditque ſenſum, quod ſuppoſita juſta cauſa a propria die amovendi Dedicationis feſtum, *in libito*, ſeu arbitrio Conſecratoris poſtea eſt unam diem præ altera ſeligere, in quam figatur, immutetur, & quotannis celebretur, licet & in hac diei electione ratio utique poſtulet, ut eam deligat, quam melius expedire judicaverit. Requiritur igitur juſta cauſa præfatam faciendi amotionem, & diei mutationem, quam non gravem eſſe debere, ſed adhuc levem, & congruentialem ſufficere ex mox dicendis patebit.

XIX. Juſtam amotionis, ac mutationis hujuſmodi tunc adeſſe cauſam exiſtimat Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 5. *n.* 4., quando contingit dedicari Eccleſiam in aliquo feſto ex ſolemnioribus, ne tunc quotannis occurrentia duo feſta ſe invicem impediant. Per ſolemniora autem feſta profecto veniunt hi dies, quibus interdicitur a Rubricis cujuſcumque feſti celebratio. Sunt vero hi dies *Ex Rubr. de Transl. Feſt. num.* 1. Dominica 1. Adventus, Vigilia, & dies ipſa Nativitatis Domini, Circumciſio, Epiphania, & dies ejus octava, Feria 4. Cinerum, Dominica 1. Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, & deinceps uſque ad Dominicam in Albis incluſive, Aſcenſio Domini, Vigilia Pentecoſtes, & deinceps uſque ad Dominicam Trinitatis incluſive, Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio Beatæ Mariæ, & Feſtum Omnium Sanctorum. Cum enim hi dies repellant quodcumque feſtum, amotio feſti Dedicationis in aliquo eorumdem incidentis non tam congrua, quam neceſſaria redditur, certe quoad officium, & forſitan in aliquibus ex illis diebus etiam quoad externam ſolemnitatem, ut conſideranti facile patebit? Ne igitur officium Dedicationis ſemper vage, & ſejunctim, quod ſane minus convenit, ab ejuſdem Dedicationis celebritate recolatur, & ne mutuo duo occurrentia feſta in ſolemnitate ſe impediant, ſatius erit Dedicationis feſtum in alteram mutare diem, in qua & ſolemnitas, & officium ullo abſque incommodo alterius ſolemnitatis celebrari queant.

XX. Præfatis diebus addi utique debet Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quod ex Decreto (erit 16. hujuſce Cap.) S. R. C. 21. Aug. 1688. præcedit Dedicationis Feſtum, imo ex Guyeto *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Feſtum quoque SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod ſimiliter officium Dedicationis expellit, ut dicitur in eodem Decreto, & alibi. An vero etiam feſta primæ claſſis Patroni loci, aut Titularis Eccleſiæ, ſi in eorumdem diebus Dedicationem fieri contingat? Id putat Guyetus loco citato, in cujus ſententiam ego quoque libenter deſcendo; etſi enim memorato in occurſu Feſtum Dedicationis præferentiam forſitan habeat, in propria tamen die non fit ſine maximo incommodo alterius principalis ſolemnitatis, ejuſdemque totali diſpendio octavæ, & ideo ſatius, ac congruentius eſt, quod in hujuſmodi occurſu Conſecrator Eccleſiæ facultatem ſibi a præſenti Decreto præſtitam in uſum deducat, aſſignando alteram diem pro Anniverſario Conſecrationis, quod hujus ullo abſque incommodo, & forſan cum commodo contingit, relicto in propria die Feſto Patroni, aut Titularis, quod immutari non licet, & quando etiam ratione perpetuæ tranſlationis immutari liceret, abſque aliquo diſpendio ſaltem octavæ minime vix eveniret, ut dicitur in Cap. de Immut. Feſt.; ſic autem memorata feſta in celebritate ſe minime impediunt, in utroque die officium correſpondet ſolemnitati, & utrumque feſtum cum ſua integra celebratur octava.

XXI. Subdit idem Guyetus, quod ſi lubet, addi poſſunt tria quoque feſta 2. claſſis B. Mariæ, Purificatio, Annuntiatio, & Nativitas (nunc & Conceptio) quod ea ſolemniter ubique conſueſcant celebrari. Item dies 2. Novembris, forte etiam 3. ob Commemorationem Defunctorum in alterutro illorum fieri ſolitam. Non ſic cenſet de aliis duplicibus 2. claſſis, qualia ſunt Natalitia Apoſtolorum, quæ utpote minoris ſolemnitatis, loco moveri magis decet, quam ipſam Dedicationem, licet ſi quibus contrarium commodius videatur, haud repugnet motus exemplo Eccleſiæ Bituricenſis, quæ anniverſarium Dedicationis ſuæ feſtum non die 6. Maii, quo facta fuit, ſed præcedenti, nimirum die 5. celebrat per anticipationem, relicto in loco ſuo S. Joanne ante Portam Latinam. Ego autem propter ſuperius dicta melius adjudico in omnibus adductis, & ſimilibus pro Conſecrationis anniverſatio alium ſtatuere diem, quam Sanctos, quos peculiari tituſ, & feriatione univerſa colit Eccleſia, ſuo cultu defraudare. Quod eadem de cauſa extendendum hoc venit ad Sanctos illos quibus peculiari devotione afficitur multitudo fidelium, vel Eccleſiæ univerſalis, vel illius loci, in quo fit Dedicatio.

XXII. Altera, quam affert idem Auctor, prædictæ mutationis cauſa eſt occurſus temporum Adventus, & Quadrageſimæ, ac conſequentium Feſtorum Natalis Domini, & Paſchæ, videlicet a die 10., vel 11. Menſis Decembris uſque ad octavam Epiphaniæ incluſive; & a medio circiter Februario uſque ad finem Aprilis, quia ex dicto occurſu Dedicationis Octava grave diſpendium pati poſſet; nam aliquando non poſſet ullo modo celebrari, & aliquando ſaltem abrumpi deberet. Hanc mutationis faciendæ cauſam videtur approbatam iri per Sanctionem quamdam Sacræ Congregationi 7. Auguſti 1655., quam refert Lantuſca in Theatro Regularium verbo *Conſecratio Eccleſiæ*; cum enim ex parte Fratrum Minorum ſtrictioris Obſervantiæ S. Mariæ de Puteo Nolanæ Diœceſis eidem Sacræ Congregationi expoſitum fuerit, quod Dedicatio ſuæ Eccleſiæ, quæ contigit in die Annuntiationis B. V. Mariæ, celebrari non poterat cum octava, & ideo idem ſimul ſupplicatum, ut ad alium Menſem transferri poſſet, in quo cum octava recoleretur, eadem Congregatio benigne indulſit, quod ab Ordinario loci transferri poſſet ad Menſem Septembris.

XXIII. Eiſdem addi etiam poſſet occurſus octavarum Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, quæ menſes totos Majum, & Junium ferme implicant. Verum cum trium horum feſtorum varia ſit collocatio, adeo ut qui menſis uno anno iis totus implicatur, altero vacuus, ac liber ſatis exiſtat, facit hæc viciſſitudo, ut non adeo neceſſe ſit diem Dedicationis mutare: hinc plurium Eccleſiarum Dedicationes iis diebus occurrentes minime mutatas obſervavi. Idem judicandum venit de menſe Aprili ſaltem quoad poſtremos a medio dies, & de Menſe Februario uſque ad Feſtum S. Matthiæ, quia non raro a Paſchatis, & Quadrageſimæ occurſu immunes evadunt.

XXIV. Inter ſufficientes præfatæ mutationis cauſas annumerandum quoque cenſeo votum populi, aut cleri ejuſdem loci, vel Eccleſiæ, ob juſtas, ac laudabiles rationes petentis aliam ſtatui diem pro anniveſaria Dedicationis, puta ut cum majori concurſu feſtum coli poſſit, aut ne impedimento ſit alteri Solemnitati, ſeu Sacræ Functioni ibidem fieri conſuetæ &c. Quænam autem ſint, necne juſtæ, ac laudabiles rationes iſtæ, in caſu erit Epiſcopi judicare.

XXV. *Statuere aliam diem*. Hucuſque de termino a quo, ſeu de die, a qua feſtum Conſecrationis amovetur; nunc de termino ad quem, ſeu de die, in quam rejici debet. Duplex eſt modus diem ſtatuendi pro annua Conſecrationis feſtivitate recolenda, quorum utrumque approbat Guyetus loco citato. Primus eſt, cum Dedicatio ſuo loco mota certo, ac ſtato Kalendarii die affigitur, puta eo, qui diem proprium, vel tempus impediens liberior, ac commodior proxime ſequitur, aut determinate quilibet alter qui melius expedire judicatur.

XXVI. Alter eſt uſus illarum Eccleſiarum, quæ annuam ſuæ Dedicationis feſtivitatem recolunt tamquam feſtum mobile in illa Dominica, vel feria, in qua primo fuit peracta, uti Eccleſia Denomanenſis, quæ dedicata fuit feria 2. poſt Dominicam in Albis (quæ dies eo anno fuit 26. Aprilis) anniverſarium ſuæ Dedicationis peragit, non dicta die 26. Aprilis, ſed ipſa feria 2. poſt Dominicam in Albis inſtar feſti mobilis. Idem puto pluribus evenire iis in Eccleſiis, quæ ſuam Dedicationem recolunt in diebus Dominicis,

aut aliis diebus mobilibus, ut in Eccleſia Mediolanenſi Dominica 3. Octobris, in Cremonenſi Dominica 4. poſt Paſcha, in Ambianenſi Dominica 2. Julii, & ſic de pluribus aliis; in quibus Dominicis, aut diebus mobilibus nobis credere placet, quod dictarum Eccleſiarum, ſi non omnium, ſaltem multarum dedicatio celebretur, non quia in eas ab altera die, in qua contigit, ſit rejecta, ſed quia in eadem reſpective Dominica, vel die mobili revera tunc temporis peracta fuit, ac a Conſecratore poſtea ſtatuta pro ejuſdem anniverſarii celebratione. Hic obſervatu indubie dignum apparet, quod etſi iſta anniverſarium Dedicationis recolendi modus a Conſecratore ſtatui debeat, ne potius celebretur ſtato, ac certo Kalendarii die, quo Dominica illa, ſeu feria, in qua Dedicatio fuit peracta, eo anno accidit, attamen rigoroſe dici non poteſt, quod ſtatuatur *alia dies* pro anniverſario, quandoquidem ſtatuta venit illa vere dies, licet mobilis, in qua de facto contigit ipſamet Conſecratio.

XXVII. Iſte igitur vere non eſt modus ſtatuendi *alteram diem*, ſed eamdem diem, in quam incidit Conſecratio, eſtque uſu multarum Eccleſiarum receptus, a Guyeto, & a Gavanto approbatur, nec eſt reperire, unde rejici poſſit; quapropter a quocumque Conſecratore uſurpari poſſe nec ambigo. Super autem hujuſmodi modum videantur nonnulla, quæ infra in Decreto tertio dabuntur.

XXVIII. Non ſic tamen evenit in altero modo, quem loco citato affert Gavantus, laudat Guyetus pro locis, ubi eſt receptus, & multarum uſu Eccleſiarum aſſerit eſſe firmatum. Eſt autem hujuſmodi modus decernendi Dominicam proximiorem, vel quamcumque alteram, in eaque per modum feſti mobilis celebrandi anniverſarium Dedicationis; & in eo ſolum differt a præcedenti, quod in hoc anniverſarium celebratur quidem ad modum feſtorum mobilium, ſed in Dominica, in quam vere incidit Conſecratio, ubi in præſenti recolitur ad modum feſti mobilis, ſed in Dominica, in qua non eſt peracta Conſecratio. Nec deſunt multa in probationem hujuſce agendi modi argumenta. 1. Auctoritas celebriorum virorum Gavanti, & Guyeti, & uſus quamplurimarum Eccleſiarum, quæ in Dominicis ad modum feſti mobilis ſuarum celebrant feſta Dedicationum. 2. quia præſens Decretum tribues facultatem ſtatuendi aliam diem, loquitur abſolute, & indefinite, & ſine ulla reſtrictione, & ideo etiam abſolute eſt intelligendum, & ſine excluſione ullius diei. 3. quia quamplurima in Kalendario Romano habentur exempla, ut SS. Nominis Jeſu, Roſarii B. Mariæ &c., in quibus videre eſt in Dominicis celebrari ad modum feſti mobilis plura feſta Sanctorum. 4. quia præcedens modus ſtatuendi diem Dominicam pro anniverſario fuit ſuperius approbatus, & tamen non minus ac iſte non contingit ſine incommodo officii Dominicalis. 5. quia dies Dominica commodior videtur ad hoc ut populus præſertim ruſticus, & laboribus intentus cum majori frequentia colere feſtum poſſit.

XXIX. Hæc ſane non levis momenti argumenta ſunt, reduntque hunc agendi modum probabilem, & tutum, donec aliud a Sacra Congregatione in oppoſitum decernatur. Etſi vero valida quidem ſint, non adeo tamen, ut in eamdem me ſententiam trahant, quinimmo iiſdem minime obſtantibus pro anniverſario Conſecrationis ſtatui non poſſe diem Dominicam, in qua non fuit revera peracta Conſecratio, ſentiendum eſſe pronuntio; & in hanc mentem adducor, I. quia Sacra Congregatio faciens poteſtatem Archiepiſcopo Hiſpalenſi certam aliquam diem aſſignandi pro celebratione officii Patrocinii S. Joſeph, ubi in perpetuum contingit transferri, expreſſe his verbis *Quæ non ſit dies Dominica fixa*, diem Dominicam excipiendam eſſe duxit, ut videre eſt in Indice Decretorum num. 279. Statuit quoque eadem Congregatio in Decreto 7. hujus Capitis Epiſcopum non poſſe ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti, de quo aſſervatur Reliquia inſignis, etſi poſtea ille id poſſit de quacumque altera die in caſu ignorantiæ diei natalitiæ ejuſdem Sancti, ut dicitur in expoſitione præfati Decreti. Et quidem congruum minime videtur, quod per Epiſcoporum auctoritatem impediri in perpetuum poſſit officium Dominicæ, quod officium Domini eſt, quodque impedire multum ſemper cavere Summi Pontifices ipſi, ut claret ex Bulla Clem. VIII. 19. Junii 1601., in qua concedens Ordini Eremitarum S. P. Auguſtini officium ſolum ſemiduplex de tunc Beato, nunc in Sanctorum Catalogo adſcripto Joanne a S. Facundo, notat id agere, *ne officium Dominicæ impediatur*. Accedit, quod dies Dominica habet officium ſemiduplex, inter feſta novem lectionum per Decretum S. R. C. 12. Martii 1618. recenſetur, nullum feſtum cujuſcumque ritus translatum admittit, & quodcumque ſemiduplex ſimul occurrens transferri facit, eſtque ex officiis intransferibilibus, quod in caſu impedimenti deperditur, & cum ſola nona lectione & commemoratione expletur. Non eſt igitur apta nata cum dicto ſui detrimento ſtatui pro anniverſario Conſecrationis, & per feſtum in ea non occurrens impediri, cenſerique debet ex diebus exceptis, & non comprehenſis in facultate abſolute, & ſimpliciter data diem alteram ſtatuendi. Nec par eſt ratio de die, in qua occurrit feſtum aliquod novem lectionum, quæ nihilominus forſitan ſtatui poteſt pro anniverſario Conſecrationis, quoniam Feſtum in ea occurrens nullum ſubit detrimentum, ſed transfertur, & in altera die æque ac in propria integre ejus officium reſumitur; non ſic autem evenit, ut dictum eſt, in die Dominica.

XXX. Ad primum in oppoſitum ſuperius adductum R. quod in conſpectu Decretorum Sacræ Congregationis, quæ ſuperius adducta ſunt, nihili facienda eſt auctoritas Doctorum, imo nec uſus, ſi quis in oppoſitum habeatur, Eccleſiarum particularium, licet ego in ea verſer ſententia, ut uſus adductus minime ſuffragetur opinioni contrariæ, eo quod ſaltem ut plurimum Eccleſiæ, quæ in die Dominica inſtar feſti mobilis ſuarum recolunt anniverſaria Conſecrationis Eccleſiarum, non celebrant ea tanquam in eamdem ab altera die, in qua contigere, immutata, ſed quia revera in reſpectiva Dominica fuit earumdem Conſecratio peracta.

XXXI. Ad 2. dico, quod in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet conceſſurus, & ſic ſuperius dicta diem Dominicam fuiſſe minime comprehenſam, ſed exceptam, ſatis, ſuperque oſtendunt.

XXXII. Ad 3. quod adducta exempla nequaquam officiunt, eo quod cuncta ſunt officia duplicia occurrentia, in prima ſui conceſſione in reſpectivis Dominicis celebrari indulta, vel ſi in diem Dominicam fuere poſtmodum translata, uti Feſtum S. Joachim, quod in Dominicam infra octavam Aſſumptionis B. Mariæ a die 20. Martii rejectum fuit, ab habente facultatem fuit id præſtitum, & in prædicta Dominica redditum, & poſtmodum conſiderandum tamquam occurrens. Feſto autem duplici occurrenti cedit officium Dominicæ juxta præſcriptum Rubricarum *X. de Transl. num. 4. & IX. de Commem. num. 3.* A non habente autem facultatem in caſu Feſtum Dedicationis in diem Dominicam figeretur, quoniam in veroſimile apparet, quod in præfata facultate Conſecratori conceſſa, dies quoque Dominica comprehenſa extiterit.

XXXIII. Ad 4. Nam præcedens modus ſuperius approbatus nullum infert incommodum officio Dominicali, non enim ab altera die in diem Dominicam immutat anniverſarium Dedicationis, ſed illud ſupponit in ea occurrens; non minus quippe profecto cenſeri debet occurrens relate ad Dominicam, in qua Conſecratio fuit peracta, quam relate ad diem ſtatam menſis, in qua tunc incidit dicta Dominica, quinimmo potius in dicta Dominica, quæ pro Conſecratione fuit in ſpecie delecta, quam in die ſtata menſis, in qua non niſi per accidens, & ratione Dominicæ tunc in eam incidentis peracta fuit Conſecratio, anniverſarium Conſecrationis tamquam occurrens videtur exiſtimandum. Potius igitur per hunc modum ſtatuitur id, quod de jure erat faciendum, nullumque officio Dominicali, quod cuicumque duplici occurrenti cedit, præjudicium infertur, ſed dumtaxat per illum fit, ne potius præfatum anniverſarium in ſtata menſis die, in qua ratione Dominicæ tunc occurrentis peracta fuit Conſecratio, & in qua minus proprie etiam ut occurrens valet conſiderari, recolatur. Non eſt itaque par ratio, nam alter pro anniverſario diem Dominicam ſtatuendi modus læthalem officio Dominicali ex ſe ictum præbet.

XXXIV. Ad 5. quod alicujus commodo non eſt conſulendum cum alterius incommodo; ſequitur autem ſuppreſſio officii Dominicalis, quod cum officium Domini ſit, ob aliquale ſervorum majus commodum obrui non convenire videtur.

XXXV. Præter igitor diem Dominicam, in qua non ſit peracta Conſecratio, integrum erit Conſecratori quamcumque aliam diem ſeligere pro anniverſario Conſecrationis. In hac autem electione facienda, opus eſt, ob oculos habeat cauſas, quæ ut ſufficientes, vel neceſſariæ ad amotionem Feſti Conſecrationis a die, in qua contigit, ſuperius datæ ſunt; multo enim magis in electione præfata habenda ſervandas eas eſſe quis ambiget?

XXXVI. *In actu Conſecrationis*. Innuunt nobis hæc verba Decreti, quod Conſecrator ſolummodo in actu Conſecrationis gaudet poteſtate ſtatuendi alteram diem pro anniverſario ejuſdem Conſecrationis. Aſt quoniam ſuper his ſermo fuſior in expoſitione ſequentis Decreti inſtituendus eſt, ad videnda, quæ ibi dicentur, Lector remittitur.

XXXVII. *Pro anniverſario ejuſdem Conſecrationis*. Encænia enim, ſeu ſolemnes Eccleſiarum dedicationes in perpetuum anniverſaria Solemnitate celebrari debere ſancitum eſt *Can. Solemnitates 1. & 2. de Conſecr. diſt. 1.* a Rubricis Breviarii, a variis Conciliis, hujuſque plura exempla habentur in Lege uſque veteri, a qua in novam tranſiit, Chriſtuſque ipſe, dum Templi Hieroſolymitani Feſtivitatem cum reliquis populis celebraturus ivit, ſua operatione, quæ noſtra lectio eſt, id faciendum eſſe nos docuit. Encænia autem *octo diebus* celebranda indicuntur, ſeu Anniverſarium Conſecrationis cum octava recoli debet, uti ſupra præſcribitur, & infra in Decretis plurimis hujus capitis ſtabilitum manet; & ideo a die, quam Epiſcopus ſtatuet pro anniverſario Conſecrationis, per octo dies continuos officium Dedicationis peragi debebit, ſeu, quod in idem redit, dictum Anniverſarium prout ſupra ſtatutum cum octava debebit celebrari.

XXXVIII. Dices, quod ex Rubrica *X. de Transl. Feſt. num. 1.* Octava numquam transfertur, imo ſi feſtum habens octavam, poſt totam ſuam octavam quandoque transferri contingit, tunc in illo anno celebratur ſine octava. Si igitur

tut Anniverſarium immutetur in diem aliquam ultra octavam ab ea, in qua contigit Conſecratio, recolendum non videtur com octava.

XXXIX. ℟. Ibi ſermonem procedere de feſto, quod transfertur, non autem de eo, quod cum debita facultate æque principaliter immutatur; unde Rubrica dicit *illo anno celebretur ſine octava*, ut nobis innuat ſe minime loqui iis de feſtis, quæ in alteram diem perpetuo immutantur, & immutantur cum totali ſolemnitate, & cum debita facultate; hæc enim non *illo anno*, ſed ſemper ſpoliata manerent propria octava. Uti igitur Feſtum Sancti Jacobi Apoſtoli, qui Kalendis Aprilis decollatus fuit, quia in diem 25. Julii fuit perpetuo rejectum, ſuam octavam habet in Octavario Romano pro iis locis, in quibus eſt Patronus, vel Titularis, & ſic loquendo de ceteris Feſtis Breviarii Romani in ſua prima Conceſſione alteri diei a natalitia conſignatis, ut Sancti Ambroſii, qui obiit die 4. Aprilis, vel poſtmodum ob occurrentiam alterius officii majoris ritus, vel dignitatis noviſſimo indulti in alteram diem immutatis, ut Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, cujus feſtum a die 25. Maii ob modernam Conceſſionem officii duplicis Sancti Gregorii VII. diei 27. ejuſdem Menſis fuit perpetuo aſſignatum. Cum igitur iſta omnia, & ſimilia, etſi ultra totam ſuam octavam concedi, vel immutari contingant, ſuam octavam minime deperdant, ſed cum integra ſua octava perinde celebrentur, ac ſi in propria, & natalitia die recolerentur, ita Anniverſarium Conſecrationis ſtatutum ut ſupra ab Epiſcopo in alia die in perpetuum celebrari, ſua integra octava defraudari non poterit. Horum autem omnium ratio eſt, quia ut decrevit Sacra Rituum Congregatio 28. Novembris 1682., cujus Decretum exponetur ſuo loco, *Dies natalitii ii omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt feſtivitati alicujus ſancti veluti fixi, & velut propria eorum ſedes*; quapropter in eiſdem Sancti immutati celebrandi ſunt, perinde ac celebrarentur in propria die natalitia, adeoque cum octava, cum qua in die natalitia recolerentur. Cum itaque ab Epiſcopo in actu Conſecrationis ſtatuitur altera dies pro anniverſario ejuſdem, dictum anniverſarium recolendum eſt cum octava, cum qua celebraretur, ſi recoleretur in ipſa die Conſecrationis.

XL. Oppones, quod dies ſtatuta ab Epiſcopo non eſt dies aſſignata *ex Decreto Apoſtolico*, adeoque cum non verificetur conditio mox adducti Decreti, non eſt cenſenda veluti dies natalitia.

XLI. ℟. Quod Epiſcopus procedit ad decernendam hujuſmodi diem in vi facultatis ſibi factæ per Decreta Sacræ Congregationis; inde cum hæc ſua Decreta non promat, niſi vigore auctoritatis Apoſtolicæ ſibi ad hoc præſtitæ, ideo Decretum, quo Epiſcopus ſtatuit alteram diem pro anniverſario Conſecrationis, non incongrue cenſeri poteſt Decretum Apoſtolicum.

XLII. Singularis huc ſpectat quæſtio, quam ex Halden *par.* 3. §. *quæritur* 7. proponit Meratus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 18., videlicet quodnam officium recitare debeat Clerus illius Eccleſiæ, quæ dedicatur, in ipſa die Conſecrationis; an pridie Conſecrationis poſſit primas veſperas, & poſtridie Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis dicere de die Dedicationis?

XLIII. Ad quod dicendum videtur, quod non; cum enim Eccleſia regulariter loquendo non remaneat conſecrata, niſi paulo ante meridiem, videtur pridie Conſecrationis non poſſe recitari primas veſperas, & poſtridie pariter non poſſe dici Matutinum, ac Laudes cum reliquis Horis de Dedicatione, cum Eccleſia tunc adhuc non ſit conſecrata; hinc Guyetus *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 1. adducit ex Breviario proprio Ordinis Prædicatorum Rubricam quamdam ad rem præſentem valde notabilem: *In primo anno Dedicationis Eccleſiæ officium inchoatur in Miſſa; in hora vero, quæ ſequitur Miſſam, & deinceps in omnibus horis uſque ad Completorium ſequentis diei excluſive, fiat officium totum duplex, & die ſequenti in Matutino fiant novem lectiones &c.*, ex qua argui poſſet ſequentem diem eſſe proprium diem Dedicationis. Verum quia ſtatim ſubditur hæc clauſula; *Octava vero celebrabitur revoluta hebdomada eo die, quo Dedicatio facta fuerit*, ex eadem utique Rubrica infertur diem Dedicationis non eſſe ipſum ſequentem diem, ſed illum, in quo revera fit Dedicatio; quod & eruitur ex verbis illis *in primo anno Dedicationis &c.*, ubi cum ex conſequenti doceatur in reliquis annis anniverſarium non eſſe recolendum in ſequenti præſcripta die, ſed in die, in qua Conſecratio revera fuit peracta, proculdubio ſequitur hanc eſſe propriam, & non ſequentem Dedicationis diem.

XLIV. Attamen haudquaquam placet admodum iſtemet agendi modus, tum quia extra proprium diem, per ſolos dies ſeptem octavæ, & difformiter a die Aniverſarii recolit Conſecrationis feſtum; tum etiam quia inconſonanter nimis ad Rubricas Breviarii Romani procedit, dum de uno recitat Matutinum, Laudes, Primam, ac Tertiam, & de altero Sextam, ac Nonam; Miſſa enim juxta eorumdem Rubricarum præſcripta canitur poſt Tertiam, unde ſi abſoluta Miſſa reliquum officii dici debet de Dedicatione, de hac proculdubio erunt etiam Horæ Sexta, & Nona, & non de eo Feſto, de quo recitatum eſt Matutinum uſque ad ſextam.

XLV. Dicendum itaque venit cum laudatis perinſignibus Auctoribus Halden, Guyeto, atque Merato, in die Conſecrationis Eccleſiæ recitandum eſſe officium a Clero Eccleſiæ dedicatæ de Dedicatione a primis Veſperis uſque ad Completorium ſequentis diei incluſive. Colligitur aperte præſens aſſertio ex Rubrica, quæ extat in Breviario Romano *in Communi Dedicationis Eccleſiæ*, in qua tam in primis Veſperis, quam in Laudibus *pro ipſo die Dedicationis Eccleſiæ, & per ejus octavam* expreſſe præſcribitur, atque aſſignatur oratio in officia recitanda, diverſa ab ea, quæ in officio dicenda eſt *in die anniverſario, & per iſtius octavam*: ſupponitur ergo maniſeſte dari caſum, in quo officium dicendum ſit ad primas Veſperas, ad Matutinum, & Laudes *de ipſo, & in ipſo die Dedicationis*.

XLVI. Neque dicas: quod primæ Veſperæ, de quibus eſt præfata Rubrica, dicendæ quidem ſunt *de ipſo die Dedicationis*, ſed poſt peractam Conſecrationem? etſi enim eo in caſu primæ Veſperæ forſitan eſſent *de die, & in die Dedicationis*, non tamen Matutinum, & Laudes, quæ dicerentur non in eo die, ſed in ſequenti, cum tamen illa Rubrica etiam ad Laudes præcedenter ad prædictam orationem ſignet, ut ſequitur: *In ipſo die Dedicationis Eccleſiæ, & per octavam, oratio, Deus, qui inviſibiliter &c.* Rubricarum igitur Auctor ſupponit, & loquitur de Matutino, & Laudibus dicendis, non in die ſequenti ad diem Conſecrationis, ſed in ipſomet die Conſecrationis, adeoque ante peractam, ac abſolutam Eccleſiæ Conſecrationem.

XLVII. Neque officit, quod pridie, & mane ſequenti ante abſolutam Conſecrationem nondum ſit conſecrata Eccleſia; quemadmodum enim in primis Veſperis Nativitatis Domini poſt Antiphonam *Alma Redemptoris* dicitur ℣. *Poſt partum*, & in hymnis ℣. *Qui natus es de Virgine*, ut bene advertit Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 22. *num.* 6., etſi tunc nec Virgo pepererit, nec Chriſtus natus ſit, cum hæc in ſequenti evenerint nocte; & pridie diei Feſti, ait Halden, quo aliquis Sanctus Confeſſor obiit, uti per ſubſequentem octavam citra inconvenientiam, ac falſitatem dicitur *Hac die lætus meruit beatas ſcandere ſedes* (quia nimirum hujuſmodi verba dicuntur relate ad tempus, quo reipſa verificantur, & fictione juris Eccleſiaſtici tam Veſper præcedens, quam octava ſubſequens habentur pro uno, eodemque moraliter tempore, ſive die, licet non pro ſingulis ejus partibus verificentur) ita & hic ſuo modo contingit.

XLVIII. Addit Meratus, quod in primis Veſperis incipit aliquo modo Eccleſiæ Dedicatio per cæremonias prævias, & ritus, qui tunc exercentur. Deferuntur etenim tunc ſolemniter Sanctorum martyrum Reliquiæ ad Eccleſiam ſequenti die conſecrandam, & interea collocantur in aliquo Sacello, ſeu Altari prope illam exiſtente, pulſantur ſolemniter Campanæ more feſtivo, ita ut Eccleſiæ Dedicatio ſit tunc veluti in fieri, & in via, licet adhuc non ſit in facto eſſe; quapropter cum incipiat ex illa hora Dedicationis actualis ſolemnitas, & Feſtum, poteſt etiam ejuſdem Feſti officium incipi, & recitari, præſertim cum in oratione dicenda pro ipſo die Dedicationis nullum contineatur verbum, quod ſupponat, & aſſerat Eccleſiam antecedenter jam Conſecratam.

XLIX. Ita loquitur Meratus, qui ſubdit, quod cum Miſſa ſolemniter celebranda debeat correſpondere officio, & ex præſcripto Pontificalis Romani Miſſa dicenda ſit a Conſecratore de ipſa Conſecratione, conſequens fit, quod etiam officium illa die dicendum a Clero eidem Eccleſiæ addicto, debet profecto eſſe de Dedicatione.

L. Quantum autem attinet ad Miſſas privatas dicendas ea die a Sacerdotibus ſervitio illius Eccleſiæ addictis, ſuſtinet Idem Halden, dicendas eſſe de die Dedicationis in loco idoneo, horis licet, & tempore præcedentibus ejuſdem Eccleſiæ Conſecrationem. Hæc Halden opinio diſplicet Merato, quia in Poſtcommunione Miſſæ dicendæ in die Dedicationis habentur hæc verba: *Ut in hoc loco, quem nomini tuo indigni dedicavimus*: quæ verba convenire non poſſunt, niſi Epiſcopo Conſecratori celebranti poſt completam, & peractam Templi Conſecrationem: & quamvis admitteretur, addit ipſe, prædicta verba congruere poſſe etiam aliis Sacerdotibus, qui ad Templi Dedicationem aliquo modo cooperati ſunt, vel ſua opera, vel intentione, aut votis, quibus Templum illud divino cultui deſtinaverunt, ac dedicaverunt, ſi non explicite, ſaltem implicite; nihilominus ſane quoad temporis circumſtantiam iiſdem accommodari non poſſent illa verba *Dedicavimus*, quia nondum completa eſſet Dedicatio, & ad ſummum Sacerdotibus celebrantibus poſt completam Eccleſiæ Conſecrationem poſſent convenire.

LI. Ponderat præterea idem Auctor, quod Eccleſia conſecranda ante Conſecrationem eſt omni ſupellectili denudata, nullum habet Altare præparatum, & ſi aliquod habet conſecratum, eſſet omnino expoliatum, & denudatum, & per conſequens quod in præfata Eccleſia permitti nullo modo poteſt Sacrificii celebratio ante completam Conſecrationem. Itaque ſi Sacerdotes eidem Eccleſiæ addicti, celebrarent in aliena Eccleſia illo die Conſecrationis, ſe accommodare deberent ejuſdem alienæ Eccleſiæ ritibus, in qua Sacrificium peragunt. Si autem celebrarent in aliquo Sacello eidem Eccleſiæ aliquo modo adnexo, & ab eadem ſeparato, ut perſæpe contingit hæc Sacella

haberi a Regularibus in Clauſtris, adhuc non poſſunt celebrare Miſſam de die Dedicationis ante peractam Conſecrationem ob rationem ſupradictam, & in tali Sacello deberent celebrare Miſſam correſpondentem officio, quod habetur in Kalendario; vel ad ſummum poſſet forſan permitti celebratio etiam Miſſæ de die Dedicationis, dicendo tamen illam orationem Poſtcommunionem, quæ dicitur in anniverſaria die Dedicationis, quia omnia illius verba proferri poſſent ſine ullo mendacio, & optime etiam illi diei, & horæ congruere.

LII. Hæc tamen Merati Doctrina non modicam patitur difficultatem, & ideo eamdem univerſim approbare haud poſſum. Fateor quidem in Eccleſia conſecranda permittendas non eſſe Miſſas ante completam Conſecrationem, quantumvis in ea adeſſet Altare aliquod conſecratum, propter rationes adductas; aſt ſi dicta Eccleſia teneat Sacellum aliquod ſejunctum, ſibique adnexum, non video, cur Sacerdotes illius Eccleſiæ non poſſint Miſſam celebrare de die Dedicationis, quinimmo nec dubitanter aſſero ad id profecto teneri. Miſſa juxta Rubricas, quantum fieri poteſt, officio debet eſſe conformis, & quoties officium duplex eſt, Sacerdotes a Miſſa correſpondenti officio nullatenus ſe queunt eximere. Unicum habent effugium, videlicet quando celebrant in Eccleſia, in qua aliud a proprio celebratur officium; quo in caſu officio Eccleſiæ quoad Miſſæ celebrationem ſeſe accomodare poſſe per Decreta Sacræ Congregationis permittitur. Aſt non ſumus in caſu, quoniam ſupponitur eoſdem Miſſam peragere in Sacello Eccleſiæ dedicandæ adnexo, quod ſequitur naturam, ſeu officium ſuæ Eccleſiæ principalis. Quemadmodum igitur ſi celebrarent in Eccleſia conſecranda Sacerdotes eidem Eccleſiæ addicti, & de die Dedicationis officium facientes, proculdubio tenerentur Sacrificium facere de die Dedicationis, ut proprio, & Eccleſiæ officio duplici ſe ſe conformarent, quidni & in Sacello eidem Eccleſiæ adnexo? Si occurreret officium quodcumque aliud, Meratus ipſe hoc ipſum concedit, cur igitur id denegat, ſi occurrat, & fiat officium Dedicationis?

LIII. Nec ratio, quam in oppoſitum relevat ratione diſſonantiæ, quam verba Poſtcommunionis habent relate ad tempus, in quo celebratur, alicujus eſt momenti; ſi enim ipſe concedit, & ſuſtinet pridie in officio diei, quo Confeſſor aliquis obiit, ulla abſque incongruitate in primis Veſperis diei. *Hac die lætus meruit beatas ſcandere ſedes*, quare ſimiliter in Miſſa dici non poterit ly *Dedicavimus*, eſto Dedicatio nondum ſit peracta, ſed adhuc fienda? Si primum haudquaquam inconvenit ratione temporis, ad quod refertur, & in quo veritatem habet, cur eadem de cauſa nec inconveniet ſecundum? Primum dici contingit in die præcedenti, ſecundum in eadem die, & paulo ante Conſecrationem ipſam; quare igitur in priori caſu dictum moraliter reputatur in propria die, & relate ad tempus, in quo verificatur, & non in ſecundo? Sicut enim in primis veſperis jam inchoata eſt dies in qua Confeſſor obiit, & lætus meruit ſcandere ſedes; ſic in die conſecrationis inchoata eſt ſolemnitas dedicationis; ratione cujus dicitur, ut in hoc loco &c. Quandoquidem itaque ultro concedit, verbum illud *Dedicavimus* nedum de Epiſcopo Conſecrante, ſed etiam de aliis ut ſupra ad Conſecrationem cooperantibus poſſe verificari, non adeo ſe difficilem, quæſo, reddat in admittendo, quod verificari valeat etiam de Sacerdotibus ante nondum completam Conſecrationem ſacrificantibus.

LIV. Deinde peto a Merato: ſi Miſſam celebrare haud valent de die Dedicationis, de quo recitant officium, de quo illam celebrabunt? Reſpondet, de officio, quod habetur in Kalendario. At proprione, vel alieno? Si *Alieno*, quæ quæſo, participatio eum iis, qui foris ſunt? Quæ pars cum Kalendario alienæ Eccleſiæ? Nonne repetita Sacræ Congregationis Decreta danda, & exponenda infra ſuo loco, quemlibet ad officia propriæ Eccleſiæ, ejuſdemque Kalendarium teneri diſponunt? Si autem ad officium, cur non etiam ad Miſſam? Quod ſi dicatur debere celebrare Miſſam de officio, quod habetur in *proprio* Kalendario; arguo ego: ergo de die Dedicationis Eccleſiæ, quia in proprio Kalendario, quod una eſt etiam Kalendarium Eccleſiæ dedicandæ, & conſequenter etiam illius Sacelli, in quo celebratur, ea die recurrit, ut Meratus ipſe fatetur, officium Dedicationis Eccleſiæ.

LV. Meratus itaque benigniorem utique, fas eſt, ſe oſtendat, & quod ultimo loco dubitanter his verbis admittit, *vel ad ſummum forſan permitti poſſet celebratio etiam Miſſæ de die dedicationis, dicendo tamen illam orationem &c.*, abſolute, & abſque ulla hæſitatione pronunciet, & nedum dictam aſſerat *permitti poſſe* Miſſæ celebrationem, ſed adhuc aliter fieri haudquaquam licere. A me benignitatem ediſcat, dum mutationem Poſtcommunionis in eam de Anniverſario fieri poſſe, eidem haudquaquam inficior, non quidem poſtea, quia illius verba abſque ullo mendacio proferri non poſſint, & optime etiam diei, & horæ, in qua celebratur, ut ſuperius oſtenſum eſt, congruere, ſed unice ad ejuſdem opinioni indulgendum, ejuſdemque inanes tollendos ſcrupulos, quippe quod hujuſmodi indulgentiæ nec multum Rubrica reſiſtit, dum cauſa inducendæ varietatis in Orationibus, quarum identitas ratione Anniverſarii, vel octavæ Dedicationis alterius Eccleſiæ, quinimmo vel ipſius diei, vel octavæ Dedicationis alterius Sacelli, vel Eccleſiæ adnexæ occurrere poſſet, collectas diei Conſecrationis pro Anniverſario, & e contra, prout ferret caſus, uſurpari non refugit, ſed aperte concedit, quinimmo fieri debere dicemus in expoſitione Decreti XIX. præſentis Capitis. Quod autem Rubrica ad invehendam varietatem præfatam faciendum permittit, atque diſponit, ego ad inanes Celebrantium auferendos ſcrupulos, & in eorumdem conſcientiæ quietem indulgeo; ac ad eoſdem inducendos ad celebrandum de officio, de quo Rubricæ præſcribunt. Rectene autem, aut inaniter meum non eſt judicare; non crederem tamen comem Lectorem in hoc reperire valde refragatorem. Cæterum haud abnuo, quod melius foret deponere ſcrupulos, & illam Poſtcommunionem dicere, quam pro die Dedicationis Miſſale conſtituit.

LVI. *Si vero præfati Sacerdotes*, ait Meratus, *celebrarent in aliena Eccleſia illo die Conſecrationis, ſe accomodare deberent ejuſdem Eccleſiæ alienæ ritibus, in qua celebrant.* Si ly *Deberent* uſurpet pro debito congruitatis, aut decentiæ, haudquaquam inficias eo; ſi pro debito rigoroſo, ac obligatione, id utique quoque concedo, ſi in ea Eccleſia peragatur Feſtum aliquod cum ſolemnitate, & concurſo populi, ſecus autem ſi aliquod hujuſmodi Feſtum inibi non celebretur. Nec mea eſt ejuſmodi reſponſio. Audi Decretum S. R. C. 11. Junii 1701. *Sacerdotes etiam Regulares, qui propria officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſolemnitate, & concurſu Populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe Ritui, & colori earumdem Eccleſiarum. In aliis vero diebus poſſunt, ſed quando prohibentur Miſſæ votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem.*

LVII. Quæ autem hactenus dicta ſunt, limitanda veniunt, ut non liceat officium, & Miſſas privatas dicere de die Dedicationis, ſi hanc fieri contingat in diebus, in quibus per Rubricam *de Transl. Feſt. num.* 1. interdicitur cujuſcumque Feſti, etiam Dedicationis, Titularis &c., celebratio. Ii autem dies ſunt Dominica prima Adventus, Vigilia, & dies Nativitatis Domini, Circumciſio, Epiphania, & dies ejus octava, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Paſſionis, Dominica Palmarum, & deinceps uſque ad Dominicam in Albis incluſive, Aſcenſio Domini, Vigilia Pentecoſtes, & deinceps uſque ad Dominicam Trinitatis incluſive, Feſtum Corporis Chriſti, Aſſumptio B. M. V., & Feſtum omnium Sanctorum. His enim diebus, cum quodlibet aliud officium, licet primæ claſſis, & ſolemniter celebratum, fieri, & Miſſam celebrari vetitum ſit, proculdubio nec officium, nec Miſſas privatas de die Dedicationis, etſi tunc conſecretur Eccleſia, recitare licitum erit, ſed officium, & Miſſæ privatæ dici debebunt de die, ſeu officio currenti.

LVIII. Pro Miſſa vero ſolemni a Conſecratore eo die poſt peractam Conſecrationem cantanda, etiam præfati veniunt diſtinguendi dies. Alii enim ſunt, in quibus a Rubricis Miſſalis *de Transl. Feſtor. num. 6.* permittitur cantari Miſſam de Feſto, quod transferri debet, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum dictum Feſtum, & ex ſuperius recenſitis ſunt Vigilia Nativitatis, Circumciſio, Octava Epiphaniæ, Dominica Paſſionis, dies quatuor octavæ Paſchæ uſque ad Dominicam in Albis incluſive, Vigilia Pentecoſtes, & poſtremi dies quatuor octavæ Pentecoſtes uſque ad Dominicam SS. Trinitatis pariter incluſive, Aſſumptio B. Mariæ, & Feſtum omnium Sanctorum. Alii vero ſunt, in quibus interdicitur dicta Miſſa ſolemnis, & ſunt reliqui, videlicet Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima ſacratiſſimæ Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, dies Nativitatis Domini, Epiphania, Aſcenſio, & Feſtum Corporis Chriſti. Diebus igitur, quibus permittitur præfata Miſſa ſolemnis de feſto, quod transferri debet, cantanda erit a Conſecratore Miſſa de die Dedicationis, & diebus, quibus inhibetur, dicenda erit Miſſa diei currentis.

LIX. Scio Meratum (*Sect.* VIII. c. 5. de comm. Dedicationis Eccleſiæ) de omnibus indiſtincte præfatis diebus, in quibus juxta Rubricas Breviarii de nullo fieri poteſt feſto, abſolute pronunciare, quod in iiſdem Conſecrator non valet Miſſam ſolemnem facere de die Dedicationis, ſed eamdem teneri celebrare de die, ſeu officio currenti. Aſt aperte fallitur, nec habet, unde ſe in hujuſmodi aſſertione tueatur; ſi enim Rubricæ Miſſalis illos dies diſtinguunt, & in eorumdem aliquibus, nempe in ſuperius recenſitis, Miſſam ſolemnem de Feſto, quod ut ſupra transfertur, dici permittunt, non videtur, cur in iiſdem a Conſecratore cani non poſſit Miſſa ſolemnis de die Dedicationis. Nonne hic quoque intervenit concurſus Populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet? Quod ſi non eſt Feſtum Tituli Eccleſiæ, in cujus translationis caſu memorata Rubrica Miſſalis Miſſam ſolemnem de eodem permittit, eſt ejuſdem Dedicatio, quæ ſupra Titulum ex inferius dicendis in hocce capite, & alibi, ac ex Gavanto *ſec. 3. cap.* 8. *num.* 7. habet præferentiam, vel ſaltem eſt æque ſolemnis, quinimmo proculdubio Titulum in ſolemnitate ſuperat, ſaltem loquendo de die Dedicationis, de quo in præſentiarum ſermo procedit. Demum allegata Rubrica nedum permittit Miſſam ſolemnem in præfatis diebus in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, ſed inſuper

per per particulam diſjunctivam *Vel*, ubi eſt concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet; habet enim: *In Eccleſiis autem, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto*. In die autem Dedicationis adeſſe concurſum Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, quis valet inficiari?

LX. Oppones primo memoratam Miſſalis Rubricam nec nullum verbum facere de præfatis diebus; unde igitur in iiſdem diebus licita aſſeritur, atque deducitur Miſſa ſolemnis de die Dedicationis?

LXI. ℞. Quod quidem prædicta Rubrica expreſſe haud meminit aſſertorum dierum, bene tamen implicite; ibi enim præſcribit, quod *in dicendis Miſſis ſervetur ordo Breviarii de Translatione Feſtorum Duplicium, & ſemiduplicium, quando majori aliquo Feſto, ſeu Dominica impediuntur*, ita ut non dicatur Miſſa de Feſto, quod juxta Rubricas Breviarii in ſua die a majori Feſto, ſeu Dominica impeditur, & transferri debet, ſed de die, ſeu Feſto, de quo ea die juxta eaſdem Rubricas peragitur officium. Deinde per ſuperius recenſita verba *In Eccleſiis autem, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto*, Miſſam ſolemnem cantari permittit in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, & conſequenter de quo ea die juxta Rubricas Breviarii officium fieri non valet. Denique per ſequentia verba *Excepta Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Feſto Corporis Chriſti*, excipit dies, in quibus dicta Miſſa ſolemnis de Feſto, quod transfertur, celebrari non poteſt, & conſequenter implicite denotat in omnibus aliis diebus eamdem celebrari utique poſſe; exceptio ſiquidem firmat regulam in contrarium, *l. quæſitum §. denique, ff. de fundo inſtr. gl. in rub. de regulis juris in 6.*, & Auctores communiter, moduſque ipſe dicendi, ac ſenſus proculdubio Rubricæ, Cum itaque dies ſuperius recenſiti non ſint ex exceptis, in iiſdem dicta Miſſa ſolemnis de die Dedicationis licita erit.

LXII. Oppones 2. Pontificale Romanum, quod de Eccleſiæ Dedicatione ſuadet Eccleſiarum Conſecrationem fieri in Dominicis diebus, vel Sanctorum Solemnitatibus abſque ulla diſtinctione, & deinceps loquens de Miſſa eo die dicenda a Conſecratore habet; *Miſſa dicitur prout in Miſſali, in ipſa die Dedicationis Eccleſiæ*; Omni igitur die, in quo fit Eccleſiæ Conſecratio, a Conſecratore dici poteſt, & debet Miſſa de ipſa die Dedicationis, & non tantum in diebus ſuperius recenſitis.

LXIII. ℞. Quod hæc nimis levia ſunt, ut me cogant a ſupra ſtatutis recedere; verba enim Pontificalis ſunt ita intelligenda, ut non contrarientur Rubricis Miſſalis, ut Leges non adverſentur legibus; hinc cum dies Conſecrationis non poſſit cenſeri pluſquam feſtum primæ claſſis, maximæ ſolemnitatis, celebratumque cum concurſu Populi, iis diebus, quibus Miſſa feſti talis, & tantæ ſolemnitatis a Rubricis Miſſalis minime permittitur, nec a Rubricis Pontificalis Miſſa de die Dedicationis ſane poterit permiſſa cenſeri.

LXIV. Supereſt, modo videamus, an Conſecrator Eccleſiæ iis diebus, quibus Miſſam ſolemnem de die Dedicationis celebrare non poteſt, in Miſſa de die poſſit, aut debeat facere commemorationem de Dedicatione?

LXV. Affirmat Meratus, (Sect. VIII. c. 5. ut ſupra pagina 580.) qui loquens de diebus, in quibus non licet præfata Miſſa ſolemnis de die Dedicationis, ſubdit: *Tunc profecto officium, & Miſſa deberet dici diei currentis, & a ſolo Conſecratore poſt orationem diei poſſet addi Oratio de Dedicatione ſub unica Concluſione*. His tria nos edocet verbis. 1. A Conſecratore addi poſſe Orationem de die Dedicationis, ſed ad id nequaquam adſtringi. 2. A ſolo Conſecratore, & conſequenter non ab aliis Sacerdotibus eidem Eccleſiæ addictis, Miſſas privatas celebrantibus. 3. A dicto Conſecratore addi debere Orationi diei, & dici ſub unica Concluſione. Nullam tamen hujus dicti ſui profert rationem, quapropter æquum haud eſt, quod meam effugiat hic conſiderationem.

LXVI. Primum igitur, videlicet quod *a Conſecratore addi poſſit Oratio de die Dedicationis, ſed ad id nequaquam teneatur*, deſignari videtur a memorata Rubrica Miſſalis, quæ poſt adducta ſuperius verba ſubdit: *Aut ſaltem commemoratio fieri de feſto, ſi de eo non debeat celebrari officium illa die*. Ubi cum ſupponatur verbum *Poteſt*, quod præcedenter habet dicta Rubrica, ad illudque referatur, utique præfatæ additionis facultas, & non præceptum fieret; & cum in ea ſermo ſit de Miſſa ſolemni, ſecundum quoque deduceretur, videlicet, quod *a ſolo Conſecratore*, qui Miſſam ſolemnem agit, *dicta additio fieri valeat*. Verum cum Rubrica ibidem excipiat plures dies, ſcilicet Dominicam primam Adventus, & reliquos, de quibus ſupra, in quibus Miſſa ſolemnis de Feſto, quod transfertur, celebrari non poteſt, & poſteriora adducta verba ad præcedentia videantur referri, & loco Miſſæ commemorationem præfatam ſubrogare, prædicta Rubrica ſatis ad intentum ſuffragari non valet, ſed ad ſummum inde

ſequitur in iis diebus, in quibus permittitur dicta celebratio Miſſæ ſolemnis, permitti etiam commemorationem prædictam, non tamen in illis diebus, in quibus Miſſa ſolemnis manet interdicta.

LXVII. Magis itaque crederem id probatum iri ex Decreto S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien.* editum, in quo ſtabilitum manet; *Quando dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ claſſis, infra hebdomadam majorem, id die Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alio ſolemniori, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die fieri debet collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione, ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum*; ſi enim in memoratis diebus, qui ſunt ex exceptis a prædicta Rubrica, & in quibus juxta eamdem Miſſa ſolemnis haud permittitur de feſto, quod transfertur, in Miſſa de die debet fieri collecta de anniverſario Conſecrationis Epiſcopi; multo magis fieri debebit de die Conſecrationis Eccleſiæ, quæ incomparabiliter ſolemnior eſt, elevatioris ritus, & claſſis.

LXVIII. Quo ex Decreto dirempta veniunt omnia illa tria, quæ a Merato vidimus edoceri. Primum quidem, videlicet *A Conſecratore addi poſſe orationem de die Dedicationis*, licet poſtea nedum addi poſſit, ſed inſuper *debeat* præfata collecta, cum adductum Decretum jubeat in Miſſa de die fieri *debere* collectam pro Epiſcopo. Quia vero dicta collecta pro Epiſcopo fieri debet *ſub unica concluſione* cum oratione diei, proculdubio tertium remanet approbatum, nimirum *collectam*, quæ additur in Miſſa orationi diei pro commemoratione Dedicationis, *dici debere ſub unica concluſione*. Circa ſecundum, in quo aſſerebatur *A ſolo Conſecratore in Miſſa ſolemni, non vero a reliquis Sacerdotibus præfatam addi poſſe orationem*, quid certi ſtatuere difficilius evadit. Si attendatur Decretum, & in privatis Miſſis licita, ac debita videtur additio, dum in Miſſa de die fieri debere collectam pro Epiſcopo abſolute, & indiſtincte pronunciat. Idipſum docet Turrinus *par. 2. ſect. 1. cap. 2.*, qui in Anniverſario Coronationis, & Creationis Papæ, & Conſecrationis Epiſcopi nedum Miſſam ſolemnem, ſed etiam privatas de Anniverſario dici debere aſſeverat, ac conſequenter in utriuſque fieri commemorationem, quando Miſſa celebrari non poteſt, probatque tum ex Rubrica Miſſalis, in qua ſic habetur. *In die &c. dicitur Miſſa &c.*, ergo cum Rubrica; ſubdit ipſe, non limitet, nec nos limitare debemus. Tum quia ex præſcripto Rubricæ ejuſdem Miſſalis in eadem Miſſa dicitur *Credo*; loquendo autem de Miſſa ſolemni hoc videtur ſuperfluum, ergo de privatis id intelligendum eſt, dicit Turrinus. Producit quoque nonnulla alia argumenta, quæ brevitatis gratia prætereo, contentus aſſerre communem Eccleſiarum uſum, quæ de Anniverſario Epiſcopi ſaltem commemorationem etiam in Miſſis privatis adjungunt, atque in Kalendariis notant eſſe faciendam.

LXIX. In contrarium tamen verſetur Meratus *part. 1. tit. 4. num. 9.*, eſtque praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum Urbis, in quibus in anniverſaria die tam Creationis, quam Coronationis Summi Pontificis cantatur Miſſa Solemnis de Creatione, vel Coronatione, & ab aliis Sacerdotibus, etiam earumdem Baſilicarum, nulla dicitur Miſſa privata, neque ulla fit commemoratio de tali Anniverſario Creationis, & Coronationis Papæ.

LXX. Quod attinet ad Anniverſarium Creationis, & Coronationis Papæ, nec non Conſecrationis Epiſcopi, ſuo loco digeretur in Commentariis ad Decreta Miſſalis, dum productum expendetur Decretum, quantum vero ad diem Dedicationis diſpar videtur eſſe ratio, nedum propter ſuperius adducta rationum momenta, ſed ea potiſſimum ex ratione, quod ex ſupra probatis etiam Miſſæ privatæ dici debent de die Dedicationis; quidni igitur de eadem fieri debebit commemoratio, quæ pro Miſſa deſervit, quando hæc dici non poteſt? Non enim par eſt ratio de aſſertis Anniverſariis Papæ, & Epiſcopi, quia in his juxta ſecundam ſententiam dicendæ non ſunt de iiſdem Miſſæ privatæ, & ideo nec commemoratio in iiſdem fieri debet, quoties impediuntur juxta eamdem ſententiam; in præſenti autem caſu, uti dicebamus, etiam Miſſæ privatæ eſſe deberent de die Dedicationis, & ideo loco Miſſæ de eadem Dedicatione in Miſſa diei addi debebit commemoratio, quæ una in augmentum lætiſſimæ illius celebritatis, & ad majorem ſolemnitatem deſervit.

LXXI. Hæc quidem, quatenus firmant additionem collectæ de die Dedicationis recitandæ in Miſſis privatis, ſpecimen quoddam veritatis videntur habere. Diximus *Specimen quoddam*; quia eadem reipſa nutare, & a vero abeſſe putamus; quoties enim officium aliquod, quod ſolemniter, & cum concurſu Populi celebratur, ab altero officio amoveri contingit, non propterea continuo de eodem in Miſſis privatis collecta addi debet, tametſi ſi minime impediretur, de eodem etiam forent Miſſæ privatæ, nec id ferunt Rubricæ ipſæ Miſſalis, quæ, uti dicebamus, tantummodo loquuntur de Miſſa ſolemni; & pro hac etiam ſolum poteſtatem faciunt, nec ullum important præceptum, quapropter ex hoc capite certum redditur, nullam adeſſe obligationem addendi in Miſſis votivis præfatam collectam, ac conſequenter de præfata additione perinde loquendum eſſe, ac dici ſolet de quacumque alia addenda collecta,

quæ juxta ſuo loco dicenda locum tantummodo habere poſſe videtur in Miſſis, quæ non ſunt de duplici primæ, vel ſecundæ claſſis.

LXXII. Nonniſi itaque, prout ſic, eruitur ex parte officii, quod transfertur, & ex parte Miſſarum privatarum, quæ alioquin etiam de die Dedicationis dicerentur; quinimmo, uti optime ſuperius relevabamus, & perpendenti vel leviter memoratam Rubricam facile conſtabit, hujuſmodi Rubrica nec ſuffragatur pro diebus, quibus Miſſa ſolemnis de officio, quod transfertur, interdicitur, ſed ſolum pro iis, quibus eadem permittitur. Supereſt ſolum igitur ut dirimatur quæſtio de additione collectæ in Miſſis privatis, & etiam in Miſſa ſolemni pro diebus ut ſupra exceptis ex Decreto ſuperius adducto commemorationem de Anniverſario Papæ, vel Epiſcopi præſcribente; quapropter cum certum ſit, quod hæc collecta in Miſſa ſolemni etiam prædictarum dierum exceptarum locum habet, certum itidem erit, quod in miſſa ſolemni dictarum dierum locum habebit commemoratio de die Dedicationis ſub unica concluſione. An autem hæc etiam addi queat in Miſſis privatis, ex dicendis in Commentariis ad Decreta Miſſalis in caſu, & pro caſu Collectæ de Papa, vel Epiſcopo apertum fiet; pro nunc enim a praxi Baſilicarum Urbis recedendum non eſſe putamus, quæ de Anniverſario Papæ ſolam canunt Miſſam ſolemnem, cujus loco in dictis diebus ſubrogatur commemoratio, & nihil de eodem agunt in Miſſis privatis; videtur enim quod earumdem praxis in exemplum pro cæteris Eccleſiis debeat ſervire, ſi contrarium ex Rubricis, vel Decretis aperte non eruatur, quod vix credibile eſt evenire poſſe. Triduum autem Mortis Chriſti adhuc ab additione dictæ collectæ in Miſſa ſolemni abſolvendum eſſe ducimus, uti in ſuo opportuniori loco dicemus.

LXXIII. Alia foret hic quæſtio agitanda, quam ſuggerit ſupracitata Rubrica Miſſalis *de Tranſl. num. 6.* ubi dum permittit cantari Miſſam ſolemnem de Feſto ſolemniter celebrato, quod transferri debet, ſequentibus ſe exprimit verbis: *Poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto*. Quæſtio autem eſt, num diebus, quibus officium de Dedicatione locum non habet, ſed ſolum Miſſa ſolemnis, ut hanc cantari liceat, neceſſe ſit alteram quoque Miſſam cantari conformem officio diei, an vero ſufficienter ſuppleat ſola Miſſa ſolemnis de die Dedicationis?

LXXIV. Verum quoniam quæſtio hæc ad Miſſale pertinet, ac per conſequens a ſuſcepto ſcopo deflectit, breviter eſt expedienda; hinc dicendum venit, neceſſe non eſſe, quod cantetur altera Miſſa conformis officio diei in his Eccleſiis, in quibus quotidie non cantatur Miſſa juxta diſpoſitionem S. R. C. 23. Auguſti 1704. ſeu uti clarius loquuntur quamplurima alia ejuſdem Congregationis Decreta, Miſſa altera concors officio cantari debet dumtaxat, *quatenus adſit obligatio illam cantandi;* hujuſmodi autem obligatio Collegiatas, ac Cathedrales ſolummodo afficit Eccleſias, & ideo quæcumque aliæ haudquaquam manent obſtrictæ.

LXXV. Ab hac adhuc lege Eccleſias Collegiatas, ac Cathedrales in præſenti caſu eximendas eſſe putamus, quoniam cum præcedenter ad Conſecrationem omni ſupellectili debeant eſſe expoliatæ, aptæ haud ſunt, ut in iiſdem Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium decantetur; ſubſequenter vero aut Miſſa caneretur extra præſcriptum a Rubricis tempus, ac debitas Horas, vel nimis differretur ratione longioris functionis peractæ, ſeu ad minus cederet in graviſſimum Cleri incommodum, qui in præfata functione ſatis manſit occupatus, ac valde defatigatus; quapropter locum non dubitamus deberi Epikeiæ, & per eam a memorato onere Clerum eſſe liberandum; & quidem tametſi Sacellum aliquod Eccleſia adnexum haberet, in quo debito tempore, & ſine perturbatione functionis Miſſa decantari valeret; eſt ſiquidem Clerus tunc temporis legitime impeditus, nec cogendus eſt alio divertere cum maximo gravamine, ut dictæ ſatisfaciat Rubricæ, quæ hac in parte, & caſu benigniorem proculdubio ſuſcipit interpretationem.

LXXVI. Inferes ex dictis, quod ſi Eccleſiæ Conſecratio agatur in die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, aut in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Miſſa ſolemnis cani quidem poterit de die Dedicationis, ſed Miſſæ privatæ, & officium erunt reſpective aut de Feſto S. Joannis, aut SS. Apoſtolorum. Miſſa quidem ſolemnis erit de die Dedicationis, quia præfata duo Feſta non ſunt ex diebus, in quibus inhibetur Miſſam ſolemnem cantari de feſto, quod ut ſupra transfertur; Miſſæ vero privatæ, & officium fient de Sanctis, quia horum feſta, utpote ejuſdem ritus, & majoris dignitatis, ut ſupra dicebamus, & inferius magis conſtabit, non cedunt Feſto Dedicationis, ſed in occurſu & concurſu præferentiam habent. Idem dicito, ſi Conſecrationem fieri eveniat in Feſtum aliquod particularium Eccleſiarum, quod in ritu exæquet, & in dignitate ſuperet Conſecrationis feſtum. In paritate autem ritus, & dignitatis Feſtum Dedicationis ſortietur officium, & Miſſas ſolemnem, atque privatas, & ſimul occurrens feſtum ad alteram diem transferetur. Quænam vero ex Feſtis habeant, vel non habeant præferentiam relate ad dedicationis feſtum, dicenda in Decreto XVI. hujus Capitis in apertum ponent, hoc ſolum dato diſcrimine, quod Dedicatio in die Conſecrationis ratione maximæ ſolemnitatis, cum qua peragitur, præſtat cæteris cunctis feſtis, quæ privilegiata non ſunt, nec majoris dignitatis.

DECRETUM SECUNDUM.

Dedicationis Feſtum extra actum Conſecrationis non poteſt amplius mutari ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica. S. R. C. 16. Octobris. 1604. *in Ariminen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 16.

I. QUÆ in præcedenti Decreto Conſecratori Eccleſiæ *in actu Conſecrationis* conceditur, in præſenti *extra actum Conſecrationis* denegatur facultas ſtatuendi *aliam diem* pro anniverſario Dedicationis. In priori quidem congrue conceditur ad ſatisfaciendum populi, clerique votis inimpeditam, aut commodiorem diem pro anniverſario perſæpe petentis, ne præfatæ facultatis defectu tam lætiſſimæ Feſtivitatis ſplendor hebeſcat. Aſt non minus convenienter in poſteriori denegatur, extra enim actum præfatæ Solemnitatis, cum officium divinum, quod adhuc per particulares Eccleſias recitatur, ſit oratio publica communi totius Eccleſiæ nomine ad Deum fuſa, non indecorum eſt, quæ ad illud pertinent, ab eo, qui totius, ac univerſalis Eccleſiæ regimen habet, unice regi; hinc inferius non ſemel dicetur per Bullam Pii V. de Breviario Romano Epiſcopis, quorum Eccleſiæ Breviarium Romanum ſuſceperunt, ademptas fuiſſe quaſcunque antiquas facultate circa feſtorum officia, quas eiſdem tribuebant antiqui Canones, nihilque modo poſſe, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.

II. Si verborum utriuſque Decreti, in quorum primo facultas Epiſcopo conceditur ſtatuendi aliam diem pro Anniverſario *in actu Conſecrationis*, & in ſecundo eadem *extra actum Conſecrationis* denegatur, rigor attendatur, indubium redditur, quod cum peracta, & abſoluta ſit Eccleſiæ Conſecratio, antequam Miſſa incipiat ſolemniter ab Epiſcopo cantari, ideo cum hoc ipſo non ſit amplius Epiſcopo *in actu*, ſed *extra actum Conſecrationis*, cenſetur etiam in eo expirata, & extincta memorata facultas. Eadem de cauſa cum revera dici non poſſit incœpta Eccleſiæ conſecratio, niſi cum Pontifex mane diei Conſecrationis acceſſit ad Eccleſiam, & indutus paramentis inchoat antiphonam *Adeſto &c.*, ideo dicendum videtur, quod præcedenter Epiſcopus non ſit *in actu Conſecrationis*, & conſequenter quod non poſſit diem pro anniverſario ejuſdem Conſecrationis aſſignare. Quinimmo cum quoque Benedictio Tobaleatum, Vaſorum &c., quam in fine facit Epiſcopus, extranea ſit Eccleſiæ Conſecrationi, eamque ſupponat jam conſecratam, rigoroſus loquendi modus Epiſcopum tunc temporis extra actum Conſecrationis eſſe demonſtrat. Cum igitur Epiſcopus *in actu Conſecrationis* ſolummodo ſit a prædicta Antiphona ad Benedictionem Tobaleatum &c. excluſive, ideo ſervata rigoroſe proprietare verborum, toto eo omni tempore gaudet facultare ſtatuendi aliam diem pro anniverſario Conſecrationis & extra tale tempus eadem minime pollet.

III. Quod ſi quæras, quonam in loco præfatæ Conſecrationis, ſeu quonam ex illo tempore ſit id agere conſultius? Crederem id præſtandum eſſe, poſtquam Pontifex Fundatorem per ea verba *Scias Frater &c.* allocutus eſt; ibi enim eidem proteſtatur, quod gratitudinem, & honorem Fundatoribus exhibet Eccleſia, in diei Dedicationis anniverſario in Proceſſione ſupra cunctos præcedentiam, & in caſu quod ad egeſtatem pervenerint, ſuæ liberalitatis gratam recordationem, pro eiſdem jubet deprecari, & concedit illis partem in omnibus bonis, quæ ibi fieri contingent. Hoc igitur tantæ gratitudinis, & liberalitatis tempus non incongruum ſane erit ad indulgendum votis Fundatoris, Plebis, aut Cleri aliam diem pro anniverſario Conſecrationis petentium.

IV. Verum quia privilegia, maxime inquantum tangunt jus concedentis, latiſſime ſunt interpretanda, nam quoad concedentem cenſentur eſſe beneficia, in quibus fit latiſſima interpretatio, quando agitur de præjudicio ſolius concedentis, *ex cap. Olim num. I. de verb. ſignif.*, ideo etſi arbitrer in loco, & tempore mox adductis diem pro celebratione anniverſarii Conſecrationis ab Epiſcopo appoſite ſtatutam iri, adhuc noſtra Decreta non ita ſtricte puto eſſe accipienda, ut totum Miſſæ ſolemnis tempus fructuoſum, & utile eſſe non poſſit pro memoratæ uſu facultatis; uſque enim ad id temporis videtur eſſe una, & eadem actio continuata, & Miſſa ſolemnis non eſt niſi complementum peractæ Conſecrationis. Poſt Evangelium igitur Miſſæ ſolemnis, aut in fine ejuſdem Miſſæ poſt datam ſolemnem benedictionem publicatis indulgentiis, Pontifex item publicari Decretum jubere poterit, in quo ſtatuitur dies anniverſaria ejuſdem Conſecrationis. Abſoluta autem Miſſa integrum, ac liberum Epiſcopo amplius non erit ad memoratæ diei anniverſariæ ſanctionem devenire; Conceſſio enim eſt *pro actu*, non *pro die Conſecrationis*, & abſoluta Miſſa, factoque reditu in Sacriſtiam Pontifex nullo modo dici poteſt, quod ſit *in actu*, ſed ſolum *in die Conſecrationis*. Neque opponas latiſſimam, uti modo dicebatur, privilegiorum hujuſmodi faciendam eſſe interpretationem; quandoquidem ita quidem, ſed nunquam ultra propriam verborum privilegii ſignificationem *per text. in l. quod Conſtitutum ff. de Teſtam. milit.*

V. Stante latiſſima hujuſmodi interpretatione, non adeo me

refra-

refragatorem haberet, qui aſſereret a ſero ante diem Conſecrationis tempus utile incipere pro præfatæ uſu facultatis; tunc enim temporis quodammodo Pontifex inchoat Eccleſiæ Conſecrationem; dum ex præſcripto Rubricæ parat Reliquias, ponit eas in vaſculo una cum Chartula, cantante: *Ego N. Epiſcopus conſecravi Eccleſiam &c.* & vaſculo ſigillato illud in honeſto, & mundo loco, vel ſub tentorio ante fores Eccleſiæ conſecrandæ parato ponit, & ſuper ornatum feretrum decenter collocat, cum duobus candelabris, & luminaribus ardentibus. Hoc autem in caſu memorata chartula ſcribi poſſet cum ſequenti additione, vel ſimili.

MDCCXLIII. die N. Menſis N. ego N. Epiſcopus N. conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc, in honorem Sancti N., & Reliquias Sanctorum Martyrum N. & N. in eo incluſi, & ſingulis Chriſtifidelibus, hodie unum annum, & in die anniverſario Conſecrationis hujuſmodi (qui erit dies N.) *en verba formula communi addenda* (Menſis N.) *ipſam viſitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta, conceſſi.*

VI. Extra igitur id tempus Epiſcopus, ut pote indubie extra actum conſecrationis, non poteſt amplius mutare anniverſarium Dedicationis, ſed ſi dies, qua recolitur, vel in quam incidit annua dedicatio, minus commoda videtur, debet *Conſuli Sedes Apoſtolica*, vel Sacra Rituum Congregatio ad hujuſmodi ab ipſa Apoſtolica Sede ſpecialiter inſtituta, quæ perpenſis momentis in ſupplici libello expoſitis, aut per ſeipſam immediate aliam diem aſſignabit, aut arbitrio Epiſcopi committat eamdem aſſignare.

VII. Cauſæ autem, quas in expoſitione præcedentis Decreti tamquam ſufficientes adduximus, ut Epiſcopi ſtatuant aliam diem pro anniverſaria Dedicationis, inſervire & poſſunt (aut aliæ, prout circumſtantiæ ferent) apud Sedem Apoſtolicam, aut Sacram Rituum Congregationem; hic noviſſime eadem Congregatio ſupplicantibus Fratribus Eremitanis S. P. Auguſtini de Parma benigne indulſit ſtatuendo aliam diem pro anniverſario Conſecrationis eorumdem Eccleſiæ, quæ quotannis recurrebat in die 2. Novembris, eiſque impediebat cum aliis Eccleſiis uniformari in celebratione Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; uti etiam, inſtantibus Fratribus Minoribus S. Mariæ de Puteo Nolanæ Diœceſis, ſub die 7. Auguſti 1655. Ordinarii arbitrio remiſit poſſe transferre ad Menſem Septembris feſtum Conſecrationis eorum Eccleſiæ, eo quod occurrebat in Feſto Annunciationis B. Mariæ, & celebrari non poterat cum octava.

VIII. Unam ſolummodo ſupereſt annotare limitationem, quam præſens paritur Decretum, videlicet, ut locum non habeat, quoties Dedicationis Feſtum perpetuo incideret in aliquam ex diebus memoratis a Rubrica *de Transl. Feſt. num.* 1., quibus interdicitur cujuſcumque feſti celebratio, ut in Vigiliam, & Nativitatem Domini, Circumciſionem, Epiphaniam &c., aut in feſtum aliquod ejuſdem ritus, ſed majoris dignitatis, quemadmodum in Eccleſia univerſali ſunt Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ, & Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in Eccleſiis particularibus Feſta Domini, Beatæ Mariæ, Angelorum &c., ſi quæ ibi ſunt, quæ ſub ritu duplici primæ claſſis, aut ob ſpeciale indultum, aut quia ſint Patroni, vel Titulares, recolantur; cum enim tunc Feſtum Dedicationis ſit ex feſtis perpetuo translatis, non eſt, cur etiam extra actum Conſecrationis in aliam diem ab Epiſcopo immutari non poſſit, quemadmodum id univerſim poteſt de omnibus aliis feſtis, quæ alicubi contingunt eſſe perpetuo translata, poteſtate eidem facta per plura Decreta, quæ examinantur in cap. de Immutatione Feſtorum. An hujuſmodi in caſu liberum ſit Epiſcopo in diem, quam maluerit, dictum feſtum immutare, vel primam diem non impeditam pro ejuſdem celebratione aſſignare teneatur, ex dicendis in memorato Capite abunde patebit.

IX. In actu Conſecrationis formabat quidam Epiſcopus intentionem ad aliam diem in genere transferendi anniverſarium ejuſdem Conſecrationis, quam diem extra actum, & quandoque etiam extra diem Conſecrationis, deinde in ſpecie ſtatuebat; Quæritur, an rite, & valide?

X. ℟. Nequaquam; facultas enim, quam habet Epiſcopus ſtatuendi aliam diem pro anniverſario Conſecrationis duo involvit, terminum ſcilicet a quo removetur feſtum Dedicationis, & terminum ad quem, nimirum diem in quem rejicitur, ſeu immutatur; etſi autem propoſito in caſu memorata facultas intra tempus præſcriptum forſitan in uſum deducatur quoad terminum a quo; inquantum ſcilicet in actu Conſecrationis efformatur intentio, ſeu etiam ſanctio illud transferendi, non tamen in uſum deducitur quoad terminum ad quem, quia non determinatur dies, in quam, ſeu in qua quotannis recoli debeat, ſed hæc determinatio contingit extra actum, immo forſan & extra diem Conſecrationis, & ſic eo tempore, in quo jam extincta, & expirata eſt præfata facultas.

XI. Dices, quod intra tempus præſcriptum ſtatuitur etiam terminus ad quem in genere, licet non in ſpecie, *alia* videlicet *dies*, licet non hæc, vel illa poſtea in ſpecie, ſeu in individuo.

XII. ℟. Quod dicta facultas non eſt facultas ſanciendi aliam diem in genere, ſed in ſpecie, ſeu in individuo; eſt enim facultas ſtatuendi aliam diem pro anniverſario conſecrationis, ſeu in qua quotannis recolatur memoria peractæ conſecrationis; feſta autem quæcumque non incertam, ſed ſtatam diem habere debent, in qua celebrentur, adeoque haudquaquam verificari valet, quod alia dies pro dicto anniverſario ſtatuta ſit, ſi ea in individuo non fuerit determinata.

XIII. Quæres, quanam die ſit in eo caſu recenſenda memoria peractæ conſecrationis?

XIV. ℟. Non quidem in die aſſignata, cum illa aſſignatio nulla ſit, & habita ultra limites facultatis, nimirum extra actum conſecrationis. Vel igitur illa conſecratio eſt prima conſecratio illius Eccleſiæ, & tunc cum anniverſarium non ſit, niſi annua recenſio peractæ conſecrationis, utique recurrit in ea die, in qua illa perfecta fuit, & in ea eſt celebrandum; vel eſt ſecunda conſecratio & tunc locum habet ſequens Decretum, quod in caſu defectus electionis diei per Epiſcopum habitæ, diſponit anniverſarium eſſe celebrandum ea die, qua recolebatur anniverſarium antiquæ conſecrationis; Non eligere enim diem, in qua celebretur, & illam nulliter eligere paria ſunt.

DECRETUM TERTIUM.

Dum Epiſcopus in Conſecratione Eccleſiæ non elegerit diem, ſed conſecravit eam die &c. Menſis &c. Anniverſarium Dedicationis debet celebrari in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari. S. R. C. 20. Nov. 1662. *in Albigianen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 83.

I. CONſecrat Epiſcopus Eccleſiam die, puta, prima Menſis Auguſti, nec in actu Conſecrationis eligit diem pro celebratione Anniverſarii: petitur a Sacra Rituum Congregatione declarari, quonam id die recoli debeat? Quæ reſpondet *Debere celebrari in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari.*

II. Nonnulla, opus eſt, hic adnotet Lector, ut germanum hujuſce reſponſionis teneat ſenſum. Certum eſt itaque primo, quod impræſentiarum ſermo non eſt de Eccleſia, quæ primo conſecratur, cujuſque anniverſarium primo eſt inducendum, ac recolendum; dum enim firmat eſſe celebrandum *die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari*, proculdubio ſupponit, quod ejuſdem anniverſarium præcedenter fuerit celebratum, ac conſequenter non loquitur Decretum de Eccleſia, quæ cum primo dedicata fuerit, ejuſdem anniverſarium nondum celebratum extitit, ſed eſt primo inducendum, & celebrandum. Eccleſia autem cum primo dedicatur, & Epiſcopus in Conſecratione non eligit diem, in quo ejuſdem anniverſarium recoli debeat, patens eſt, quod hoc debet inſtitui in die, qua conſecratio fuit peracta, non eſt ſiquidem Anniverſarium niſi annua memoria factæ Conſecrationis, adeoque in defectu Electionis diei per Epiſcopum habitæ, utique recurrente anno, debet celebrari in ea ipſa die, in qua contigit Conſecratio. Ad rem noſtram optime facit primum Decretum hujus capitis, dum Epiſcopo facultatem tribuit ſtatuendi *aliam diem* pro Anniverſario; hoc ipſo enim ſane denotat, quod propria dies recolendi anniverſarium eſt dies, in qua fit Conſecratio.

III. Certum eſt 2., quod Decretum locum non habet, niſi Anniverſarium antecedenter conſuetum fuerit celebrari *Quo hactenus conſuetum eſt celebrari*; conſuetudo autem cum talis non ſit, niſi ex uſu ipſo, & praxi actuum, talis uſus, & praxis actuum Decretum præcedere debuit, ut ex iiſdem cenſeri poſſit efformata; ad id autem non ſufficiunt unus, vel duo actus, ſed tres ut minimum requiruntur, qui licet ad præſcribendam conſuetudinem non ſufficiant, valent tamen ad inducendam, ut docent Sylveſter *verbo conſuetudo, num.* 9. Azorius *lib.* 3. *c.* 18. *quæſt.* 8., colligitur ex *cap. cum Eccleſia, De cauſa poſſeſ., & prop.*, & nos inferius dicemus in Decreto 2. cap. tertii, necnon de eodem multoties redibit ſermo in cap. de Feſtis ex conſuetudine.

IV. Certum eſt 3., neceſſe eſſe, quod nedum Anniverſarium antecedenter conſuetum fuerit celebrari, ſed etiam quod uſque ad tempus ſecundæ Conſecrationis fuerit celebratum; id enim indicat dictio illa *Hactenus*, quæ ut notat Barboſa *de dictionib. uſufreq. dict.* 131. deſignat tempus præteritum uſque ad illum diem. Quid autem præſtandum ſit in caſu intermiſſionis, aut omiſſionis, vel in caſu præcedentiæ unius, vel alterius dumtaxat actus, dicetur inferius in hoc Decreto.

V. Conſuetudo itaque, quæ præcedere potuit, vel eſt longæva, aut immemorabilis, vel præſcripta, & ſine ſcandalo tolli non poteſt; vel eſt recens introducta, & nondum præſcripta, & abſque ſcandalo recte tolli poteſt. 2. Vel dicta conſuetudo fert celebrandi anniverſarium in die ſtato menſis, vel mobili, in quo revera contingit Conſecratio, vel illud celebrandi in die altero fixo, vel mobili, in quo Conſecratio peracta non fuit.

VI. Primo, intelligi poteſt Decretum procedere in caſu quidem Eccleſiæ, quæ primo dedicata fuit, & Epiſcopus in Conſecratione non elegit diem pro celebratione Anniverſarii, ſed ex conſuetudine factum eſt, ut illud ad aliquam diem determinatum extiterit, ſemperque in ea celebratum; ac conſequenter quod per Decretum ſtabilitum maneat, quod tale Anniverſarium continuari debeat in die, quam ex conſuetudine acquiſivit.

VII. In hacce ſuppoſitione extra dubium utique manet, quod ſi uſus invaluit recolendi anniverſarium in die ſtata menſis,

ſis, puta die prima Auguſti, in qua revera contigit Conſecratio, in futurum celebrari debet die, qua conſuetum eſt celebrari, ſive hujuſmodi conſuetudo ſit longæva, vel recens inducta, quia tunc revera anniverſarium celebratur in ſua propria die, in qua peracta eſt Conſecratio, cujus eſt annua recenſio, & in qua adhuc celebrari deberet, quantumvis conſuetudinis ſuffragium non intercederet.

VIII. Idem dicendum videtur, ſi conſuetudo ſit illud recolendi in die mobili, in qua revera contigit conſecratio, ut in caſu propoſito in Dominica prime Auguſti, ſi tunc hæc incidit in diem primam ejuſdem Menſis; ut enim dicebamus in primo Decreto hujuſce Capitis, tunc non celebratur extra ſuum diem, ſed in ſuo die, & licet ad id præſtandum requiratur Sanctio Epiſcopi, non tamen exigitur, quia talis dies ſit alia dies a propria, ſed ne dumtaxat celebretur potius in die ſtata Menſis (ut communis fert uſus) in quam tunc incidit ea Dominica, ſeu dies mobilis, in qua Conſecratio fuit peracta. In hujuſmodi itaque caſu cum celebretur in ſuo proprio die, & determinatio unius præ alio diei æque bene habeatur per conſuetudinem, ac haberetur per Epiſcopi ſtatutum, ideo talis conſuetudo ſequenda utique foret, eſto præſcripta, aut longæva non eſſet; quinimmo cum in hoc, & priori caſu non fiat, niſi id, quod de jure faciendum eſt, aut fieri poteſt, nec dubitamus, quod continuari poſſit, tametſi unus, vel alter actus dumtaxat præceſſiſſet, nec præcedenter efformata fuiſſet conſuetudo, & ulterius quantumvis nulli præceſſiſſent actus, ſed primo præfatum deberet induci anniverſarium.

IX. Dices: Dedicatio eſt inſtar Natalis cujuslibet Eccleſiæ, unde S. Leo in ſermone habito in Natali die SS. Machabæorum Martyrum, qui idem erat Dedicationis Eccleſiæ eorumdem, *Duplex*, inquit, *cauſa lætitiæ eſt, in qua & Natalem Eccleſiæ colimus, & Martyrum paſſione gaudemus*, ſed Natale in Sanctis non petitur a die mobili, quæ incidit in diem obitus eorumdem, ſed a die ſtata, ac determinata menſis, in qua a præſenti ad æternam tranſiere vitam, ergo & Natale Eccleſiæ, ſeu ejuſdem Anniverſarium peti non poteſt a die mobili, in quam incidit Dedicatio, ſed a ſtata die menſis, in qua eadem fuit peracta.

X. ℟. Diſparem eſſe rationem, quoniam cum mors ſita haud ſit in noſtri poteſtate arbitrii, ejuſdem hora, ac dies accidit, prout corporum exigit conſtitutio, vel magis prout divina fert diſpoſitio, & ideo cum nec a nobis dies obitus ſit intenta, nec nobis conſtet, an potius dies ſtata menſis, vel mobilis, quæ in illam incidit, a Deo volita fuerit, pro die natalitia Sanctorum colimus ſtatam diem menſis, quæ per ſe ſemper recurrit, non autem diem mobilem, quæ in illam diem per accidens ſolum evenit. Non ſic autem accidit in caſu Dedicationis, quoniam dies mobilis ut plurimum per ſe intenditur, & dies ſtata Menſis non niſi per accidens, in quantum ſcilicet in ea die illo anno incidit feſtum mobile: ex Pontificali enim Romano Eccleſiarum Dedicationes potiſſimum fieri debent in diebus Dominicis, & feſtivis, ac ſolemnioribus anni diebus, quo Populi major habeatur concurſus, & diei magis congruat actionis majeſtas, & ſolemnitatis excellentia. Patet itaque, quod in Dedicatione potius per ſe intenditur feſtum mobile, quod recurrit, & non niſi per accidens dies ſtata menſis; adeoque ejuſdem dies natalitia magis conſtitui debet in feſto mobili, & non in die menſis, ac conſequenter in illo etiam ejuſdem anniverſarium recenſeri, ſi occurrens feſtum mobile aliter fieri non expoſcat. Hoc tamen limita, ſi feſtum mobile haudquaquam fuerit intentum.

XI. Si autem Dedicationis feſtum in alium diem perperam ſit mutatum, vult Guyetus *lib. 2. cap. 1. quæſt. 6.*, quod proprio diei reſtitui debeat, applicata ad id juris civilis pari ratione de reſtitutione in integrum poſtulata *lib. 2. codicis Tit. 50.* Id tamen limitat, ſi talis uſus invaluit, qui abſque ſcandalo tolli non poſſit. Nos tamen ſentimus, quod conſuetudo hujuſmodi inducta celebrandi extra diem ſtatum menſis, vel mobilem, in quo contigit anniverſarium Dedicationis, debeat obſervari, etſi abſque ſcandalo tolli poſſit, dummodo ſit longæva, atque præſcripta; etſi enim conſuetudines officiorum inductæ reprobatæ maneant, niſi ante Bullam Pii V. fuerint inductæ, conſuetudines tamen, quæ officia a Rubricis non permiſſa non inducunt, ſed ſolum ad aliam illa transferunt diem, haudquaquam reprobantur, ut videre eſt in caſu particulari S. Bartholomæi Apoſtoli, qui non contradicente ipſo Breviario Romano aliquibus in locis celebratur vi receptæ conſuetudinis die 25. Auguſti, in aliis die 24. ejuſdem menſis, & S. Margaritæ Virginis Martyris, quæ univerſaliter cum recolatur die 20. Julii, Veronæ tamen, & alibi celebratur die 13. ejuſdem menſis, nec non in pluribus aliis exemplis, quæ inferius non ſemel adducentur, cum de hujuſmodi conſuetudinibus redibit ſermo. Secus vero dicendum venit, ſi uſus ſit recens receptus, non præſcriptus, & ſine ſcandalo tolli poſſit; cum enim plures adſint leges, inter quas non infimum tenet locum Decretum Sacræ Rituum Congregationis 14. Novembris 1620. quod pluties fuit repetitum, ac exponetur in ſuo loco, præſcribentes, feſta celebranda eſſe eo die, quo cadunt, conſuetudo utique debet eſſe præſcripta, ad hoc ut contra eaſdem valeat prævalere, illaſque abrogare, ut paſſim docent Auctores, & nos ipſi inferius non ſemel dicemus.

XII. Oppones præſens Decretum, quod laudat conſuetudinem, & nihil habet de ejus præſcriptione: *Celebrari debet in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari.*

XIII. ℟. Dictum Decretum procedere pro caſu Eccleſiæ, quæ ſecundo conſecratur, de quo ſtatim dicemus; quatenus autem illud extenderetur etiam ad caſum primæ Conſecrationis ſupra expoſitum, ſupponere, ac loqui de conſuetudine longæva, atque præſcripta, quemadmodum non obſcure indicant verba illa *Hactenus conſuetum eſt celebrare*, quæ præceſſiſſe ſupponunt conſuetudinem longævam, adeoque præſcriptam.

XIV. Secundo intelligi poteſt Decretum de caſu ſecundæ Conſecrationis, in cujus actu Epiſcopus pro celebratione anniverſarii minime elegit diem, ita quod in tali caſu anniverſarium novæ Conſecrationis adhuc recoli debeat in die, quo recolebatur antiqua, non autem in die, in quo nova fuit peracta. In caſu habendæ novæ Conſecrationis conſultius reputat Guyetus *lib. 1. cap. 3. quæſt. 9.* ſecundam Dedicationem eodem ipſo die fieri, quo olim prior altera facta fuerat, uti obſervatum fuit in Baſilica Romana S. Petri, quam vetuſtate jampridem collabentem, & propterea multorum Pontificum pietate latius, ac magnificentius a fundamentis erectam Urbanus VIII. ſolemni ritu conſecravit anno 1626. eodem ipſo die recurrente, quo olim primum a S. Silveſtro dedicata fuit; vel ſi eodem die ſecundam Dedicationem fieri commodum non ferat, in Conſecrationis actu ſatius proculdubio foret, a Conſecratore ſtatui eumdem diem recolendi anniverſarium, quo recenſebatur illud antiquæ, quemadmodum noviſſime præſtitit Benedictus XIII., qui anno 1726. die 28. Aprilis Baſilicam Salvatoris ritu ſolemni conſecravit, & ejus celebritatis memoriam die 9. Novemb., quo prior Dedicatio recenſebatur, recolendam eſſe ſtatuit.

XV. Id quod conſultius eſſe arbitratur Guyetus, ne Dedicationis anniverſarium in alterum mutetur diem; & eadem de cauſa præſtitit Benedictus XIII. dum ſecundæ Conſecrationis, licet altero die habitæ, voluit memoriam recenſeri in die, quo recolebatur antiqua, hocce Decreto faciendum eſſe ſtatuit Sacra Congregatio in caſu, quo Epiſcopus ſecundo conſecrans Eccleſiam aliquam, non elegit diem pro celebratione ejuſdem anniverſarii. Noluit quidem Conſecratorem conceſſo ſibi jure ſpoliare indulgendi in tanta ſolemnitate votis Cleri, aut Populi, nec abſolute ſtatuere, quod pro recolendo anniverſario novæ Conſecrationis deſerviat dies antiquæ, quia hæc poteſt eſſe forſitan minus commoda, ſed tantummodo determinavit, quod in defectu electionis habitæ a Conſecratore retineri debeat dies antiquæ Conſecrationis pro nova anniverſaria celebratione; hoc ipſo enim, quod Conſecratur ſciens in defectu novæ electionis pro nova anniverſario conſecrationis debere ſervari diem antiquæ, uſus non eſt facultate, qua pollet, ſtatuendi diem aliquam Clero, aut Populo, vel ſibi bene viſam, utique conſtans eſt, quod dies antiquæ nulla ſecum affert incommoda; hinc cum aliunde plurima gignat commoda, ſic enim fidelium frequentia ad feſtivitatem in die antiquæ accurrere conſueta, in ſua expectatione non defraudatur, eorumque concurſus frequentior redditur, dum in eadem die plures feſtivitates una congeruntur, & celebrantur, anniverſarium ſcilicet novæ, & antiquæ conſecrationis; ubi ex diei mutatione Populus ad Eccleſiam accedens, in ſua expectatione non ſemel deciperetur, ejuſdem concurſus infrequens potius fieret, & cultus, ac memoria antiquæ conſecrationis penitus evaneſcerent.

XVI. Quæ rationes cum locum non habeant, quoties præcedenter ad ſecundam conſecrationem jam omiſſum fuit Anniverſarium antiquæ; tunc etenim una cum Anniverſario ceſſat concurſus Populi, & devotio, & cultus ejuſdem Conſecrationis, idcirco in eo caſu non amplius procedit Decretum, quod ut in die conſecrationis antiquæ colatur Anniverſarium novæ, conſulto exegit, quod *hactenus*, ideſt uſque ad novam conſecrationem, anniverſarium antiquæ conſuetum fuerit celebrari. In caſu itaque præcedentis omiſſionis Anniverſarii antiquæ conſecrationis, & in defectu electionis a Conſecratore habitæ, anniverſarium novæ celebrandum erit, perinde ac ſi anniverſarium antiquæ numquam fuiſſet celebratum, ac ſi Eccleſia ipſa præcedenter numquam conſecrata extitiſſet, & conſequenter non in die antiquæ, ſed in die, qua ipſa nova Conſecratio peracta fuit, cum hujus ſit annua recenſio, celebrari debebit.

XVII. Reipſa autem Decretum procedit in caſu modo expoſito ſecundæ conſecrationis, non autem in primo ſenſu, in quo ſuperius dicebamus intelligi itidem poſſe; nam Decretum procedit pro caſu, in quo ſi adſit electio diei facta ab Epiſcopo, hæc teneri debet, non obſtante conſuetudine anniverſarium altera die recolendi, quoniam Decretum vult ſolummodo ſequendam eſſe conſuetudinem in caſu defectus electionis per Epiſcopum factæ, ſed in caſu prioris intelligentiæ Decreti etiam in caſu electionis diei per Epiſcopum factæ, anniverſarium, non in die electa, ſed in die conſueta celebrari deberet, id exigente aſſerta conſuetudine, quæ ſicuti anniverſarii celebrationem licitam reddit extra diem, in qua fuit revera peracta, & conſequenter celebrari deberet; ita eamdem licitam facit extra diem ab Epiſcopo in actu conſecrationis electam, cum hujuſmodi electio non reddat eam diem, niſi veluti natalitiam, & propriam, ac conſequenter non plus roboris habentem, ac ſi foret dies, in qua conſecratio ipſa incidiſſet: non igitur rite intelligi valet pro priori caſu procedere, ſed pro caſu aſſerto ſecundæ conſecrationis, in cujus actu ſi electio diei pro celebratione anniverſarii ab Epiſcopo fiat,

hæc

hæc obſervari debet, nulla habita ratione conſuetudinis uſque ad id tempus cuſtoditæ celebrandi altera die feſtum dedicationis antiquæ; quæ conſuetudo tantum abeſt, ut contra electionem diei ab Epiſcopo factam poſſit prævalere, ut adhuc ea non obſtante anniverſarium novæ Conſecrationis, quod eſt inducendum, peragi non deberet in die antiquæ, ſed in die, in qua nova contigit conſecratio, cum hujus, & non illius, quæ per novam intelligitur ceſſare, vere, & rigoroſe annua recenſio ſit, atque memoria. Quod ſi in die antiquæ, & non novæ conſecrationis inſtitui debet, hoc utique ſolummodo faciendum eſt vigore præſentis Decreti plurimas ob rationes id, quod conſultius eſt, fieri demandantis, ut ſuperius dictum manet.

XVIII. Quid vero ſentiendum foret, ſi anniverſarium Conſecrationis antiquæ intermiſſum dumtaxat extitiſſet, & denuo reaſſumptum, ac uſque ad ſecundam Conſecrationem continuatum? tunc enim in defectu electionis ſecunda conſecratio recoli deberet in die antiquæ, vel in die, in quo nova contingit Conſecratio?

XIX. ℟. In die antiquæ, ſi hujus celebratio per tres ſaltem actus præceſſerit; non enim exigit Decretum, niſi quod antea *conſuetum* fuerit celebrari, quod per tres actus verificatur, quoties conſuetudo non eſt contra legem aliquam. Si autem a die reaſſumptionis tres ſaltem non præceſſerint actus, jam locum non habet Decretum, & ideo anniverſarium in die novæ celebrari deberet, in quo etiam celebrandum foret, quoties a die reaſſumptionis non præceſſiſſet præſcripta conſuetudo, ſi anniverſarium antiquæ in alteram diem perperam mutatum extitiſſet; actus enim, qui intermiſſionem præceſſerunt, nullatenus ad effectum ſuffragari valent, ſi ſubſequentes actus intermiſſi tales, & tanti fuerint, ut præcedentem conſuetudinem ſua vi expoliare potuerint, eamque ceſſare fecerint.

DECRETUM QUARTUM.

Eccleſia Cathedralis Ferentina cum fuiſſet pluribus in locis reſtaurata, & magna in parte renovata, & de illius conſecratione ſigna nullibi apparerent, neque aliæ probationes exiſterent, adhuc quia in præteritum Feſtum Dedicationis fuerat celebratum, cenſuit S. Rituum Congregatio non indigere nova conſecratione, & ſtatuit Dedicationis feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam. S. R. C. 27. Nov. 1706. *in Ferentina*. Ex Merato in Indice Decr. Brev, num. 243.

I. FErentinum antiquiſſima parva Civitas eſt in veteri Latio, quo ſpectat ad Hernicos, in ſupino colle ſubſtructa, prope Latinam viam, quinto ab Anagnina Civitate milliario diſtans. Adfuit & Civitas alia ab aliquibus Ferentia, Ferentium vel Ferentum dicta, ab aliis vero Ferentonum, & Ferentinum, urbs Hetruriæ olim Epiſcopalis, exciſa, cui Viterbium ad quinque millia paſſus diſtans ſucceſſit in Epiſcopali Cathedra, a Viterbienſibus an. ſalutis 1074. ob hæreſim everſa.

II. Non hæc, ſed prior illa Civitas Eccleſiam Cathedralem habuit, quæ pluribus in locis reſtaurata fuit, & magna in parte renovata, nullibi de illius conſecratione ſigna, puta Cruces, apparebant, neque aliæ probationes, ut Scripturæ, vel teſtium, extabant, feſtum tamen Dedicationis ſemper fuerat celebratum: hinc ex parte ipſius Ferentinæ Eccleſiæ in Sacra Rituum Congregatione propoſitum fuit declarari, num memorata Cathedralis indigeret Conſecratione, & quatenus hac opus non eſſet, ſupplicavit pro facultate transferendi ad aliam diem fixam, & commodiorem feſtum Dedicationis?

III. Et eadem Sacra Congregatio, *quia in præteritum feſtum Dedicationis præfata Cathedralis fuerat celebratum, cenſuit non indigere nova conſecratione, & ſtatuit Dedicationis feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam.*

IV. Quandonam perire cenſenda ſit Eccleſiæ Conſecratio, diſputant Doctores, & ex eorumdem placitis ſic ſtatuendum venit. Si parietes interiores ſint combuſti, devaſtati, abraſi, vel decruſtati ex toto, vel ex majori parte, perit conſecratio, quia hæc conſiſtit in externa parte, ſeu ſuperficie parietum, qui Chriſmate liniuntur, & in quibus Crucis ſignum apponitur, ut *c. Eccleſiis 20. dict. 1. de Conſecr.*, *& ex Gloſ. ibi ver. Altare* firmat Pirhing. *in jus can. lib. 3. tit. 40. num. 8.* Eadem vero de cauſa, quia ſcilicet Conſecratio fit in parietibus, hæc minime perit etiamſi totum Eccleſiæ tectum corrueret, parietibus illæſis remanentibus; periret vero ſi parietes ſimul omnes, vel majori ex parte corruerent, vel alio modo ſimul cruſtam amitterent. An vero, ſi parietes paulatim decidant, aut cruſta ſpolientur, nudenturve, ita tamen ut paulatim quoque reficiantur Eccleſia conſecrationis formam amittat? Duæ ſunt opiniones, quarum probabilior negat, & eſt Hoſtienſis, Paludani, Antonini, Silveſtri, & aliorum communiter contra Panormitanum, de quo vide Azorium *par. 1. lib. 10. c. 26. num. 12.*, qui ibidem eam approbat, & ſequitur, eaque aſſerit inniti ratione, quod eadem Eccleſia permanet, quemadmodum eſt eadem Navis, cum paulatim reficitur, eadem civitas, idem populus, idem fluvius, alita, & aliis hominibus ſibi continuo ſuccedentibus, ut conſtat *ex l. Quod in rerum ff. de legibus, & l. Proponebatur, ff. de Judic.*

V. Cum igitur memorata Eccleſia Ferentina pluribus quidem in locis, & magna in parte renovata fuiſſet, ſed nec majori in parte, nec omnino ſimul, ſed paulatim, & minori in parte; ideo certum fiebat ex hoc capite Conſecrationem, ſi adhibita eidem ea fuit, nequaquam fuiſſe deperditam.

VI. Conſecrationis neceſſitas magis argui poterat ex carentia ſignorum, maxime crucum, quæ ſi in parietibus aliquando exaratæ fuiſſent, vix contingit unquam eas eradi, aut vetuſtate ſic exedi, ut non exiguum aliquod veſtigium ſuperſit. Id itidem evinci poſſe videbatur ex defectu aliarum probationum, puta ſcripturæ, aut teſtium, qui de Conſecratione teſtentur; Quod autem non apparet, dicitur non eſſe. *D. de contrahenda Empt.*

VII. Verum etſi hujuſmodi probationes deeſſent, validum tamen minime deſiderabatur argumentum jam peractæ Conſecrationis, uſus videlicet ab omni hominum memoria ejuſdem Eccleſiæ celebrandi quotannis ſolemne feſtum Conſecrationis. Anniverſarium itaque, cum non ſit niſi annua recenſio, ſeu memoria Conſecrationis primitus factæ, indubie probat abunde Eccleſiam, de qua anniverſarium prædictum celebratur, conſecratam extitiſſe, *in dubio* enim, ut vult commune proloquium, *melior eſt conditio poſſidentis*, unde & poſſeſſio, & præſumptio ſtant pro Dedicatione, cujus anniverſarium ſolidis rationibus introductum, & ab omni hominum memoria celebratum fuiſſe credendum eſt.

VIII. Hujuſmodi rationis pondus ſenſit Sacra Rituum Congregatio; & ideo unice *quia in præteritum Feſtum Dedicationis fuerat celebratum*, in eam ivit ſententiam, *ut non indigere nova Conſecratione* pronunciarit. Ceterum nec aliud deerat non leve argumentum ex eo petitum, quod Eccleſia illa eſt vetuſtiſſima, & jam inde ab iis temporibus, quorum diſciplina, uti in primo Decreto dictum eſt, uniformis erat, non niſi in Eccleſiis conſecratis, celebrandi, condita, unde haud facile credere erat omiſſam fuiſſe ejus, maxime cum fuerit in ſortem Cathedralis aſſumpta, dedicationem.

IX. Oppones Can. *Solemnitates*, & Can. *Eccleſiæ de Conſecr. diſt. 1.*, in quibus ſtatuitur, *De Eccleſiarum Dedicatione quoties dubitatur, & nec certa ſcriptura, nec certi teſtes exiſtunt, a quibus Conſecratio ſciatur, abſque ulla dubitatione ſcitote eas eſſe conſecrandas.* Idipſum docet Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. celebratum *tit. 25. cap. 3.*

X. ℟. Dictis in Canonibus non præcipi tales ut ſupra Eccleſias eſſe conſecrandas, nec declarari eas Conſecratione indigere, ſed ſolum eas abſolute, & ulla abſque dubitatione poſſe conſecrari, cum enim Eccleſiis ſemel Deo conſecratis *can. Eccleſiis 20. de Conſecr. diſt. 1.* vetitum ſit Conſecrationem adhiberi, ſicut infans a qualicumque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſemel baptizatus, non debet iterum baptizari, ideo ibi decernitur, quod Eccleſiæ, de quarum Dedicatione dubitatur, & nec certa ſcriptura, nec certi teſtes exiſtunt, a quibus Conſecratio ſciatur, abſque ulla dubitatione, & præfati Canonis fractione conſecrari poſſint, unde hanc ſubdunt rationem, *quia trepidatio iterationem non facit, quoniam non monſtratur eſſe iteratum, quod neſcitur factum.* Præfatorum Canonum eam eſſe intelligentiam nobis aperte profert laudatum Concilium Romanum, quod ubi ſupra eiſdem Canonibus innixum, dictas Eccleſias *conſecrari poſſe* declaravit. Præſens autem Decretum has Eccleſias abſolute, & abſque ulla hæſitatione conſecrari *poſſe* non inficiatur, ſed ſolummodo pronunciat *nova Conſecratione non indigere*, quæ valde diverſa ſunt.

XI. Oppones 2. Carentiam ſignorum, & maxime crucum, quæ, ut ſuperius dicebatur, ſi aliquando in parietibus exarantur, vix contingit unquam eas eradi, aut a vetuſtate ſic exedi, ut non veſtigium aliquod ſaltem exiguum ſuperſit. Oppones itidem defectum ſcripturæ, aut teſtium, aliarumque probationum. Objicies inſuper Decretum V. hujus capitis, in quo ſtabilitur feſtum Conſecrationis non eſſe celebrandum, ubi dubium eſt.

XII. ℟. Carentias ſignorum, & præcipue crucum nihil ad rem facere; ſi enim ex carentia crucum evinceretur carentia Conſecrationis, fere omnes Eccleſiæ, adhuc non pridem conſtructæ, & de quarum conſecratione certo conſtat, conſecrari deberent, cum ferme in nullis prædictæ cruces appareant, & per Eccleſiæ dealbationem, aut alia de cauſa communiter conſumptæ reperiantur. Defectus itidem ſcripturæ, aut teſtium minime probat in conſpectu anniverſarii Conſecrationis quotannis indeficienter celebrati; & maxime ubi agitur de Eccleſiis vetuſtiſſimis, Cathedralibus, & a primis uſque Eccleſiæ temporibus conſtructis. Ad Decretum V. reſponſio patebit abunde in ejuſdem expoſitione.

XIII. Uti autem ex eo, quod in præteritum Eccleſiæ alicujus anniverſarium fuerit ſemper celebratum, Eccleſia præſumi debet, ac cenſeri conſecrata, ita ex eo, quod tali ſemper die ſit dictum recenſitum anniverſarium, eo die credi debet, ac reputari conſecratam extitiſſe, aut ſaltem ad eundem diem a Conſecratore in actu Conſecrationis fuiſſe perpetuo translatam annuam memoriam, ſeu feſtivitatem tunc peractæ Conſecrationis; hinc extra dubium reddebatur, quod hoc ipſo, quod feſtum Dedicationis retineri debebat, utique quoque fas erat retineri diem illud annue recolendi, quæ cum minus commoda foret, ut ſuperius dicebatur, pro ejuſdem translatione in caſu fuit apud Sacram Congregationem ſupplicatum, quæ *ſtatuit Dedicationis Feſtum poſſe transferri ab Epiſcopo ad aliam diem fixam amplius non immutandam.*

XIV. Col-

XIV. Colligat hic Lector, quod licet Eccleſiæ, quarum Conſecrationis nullibi ſigna apparent, neque aliæ probationes exiſtunt, ex eo ſolum quod in prætetitum feſtum Dedicationis celebrarint, poſſint ſe teneri ut conſecratæ, & in uſu anniverſarii perſeverare, adhuc tamen hoc debent celebrare in die, quo in prætetitum celebrabatur, nec eiſdem, aut earumdem Epiſcopis arbitrium conceſſum eſt illud ad aliam diem transferendi, vel in eam fixe immutandi; illud enim eſt particulare indultum ſpecialem ob rationem, & ad particularem caſum præfato Epiſcopo conceſſum, adeoque ad ceteros etiam eadem exiſtente cauſa minime extendendum, ut bene advertunt Pittonus ſuper hoc Decretum, & Meratus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 9., extra enim actum Conſecrationis non poteſt amplius ab Epiſcopo mutari feſtum Conſecrationis inconſulta Sede Apoſtolica, ut expreſſe conſtat ex Decreto hujus Capitis ſecundo. Idem dicito de aliis hujuſmodi particularibus indultis, ut ſunt ea, de quibus in eodem Decreto ſecundo.

XV. Quæres primo, quid ſi pridem omiſſum fuiſſet Feſtum etiam Dedicationis?

XVI. ℞. Eccleſiam nova Conſecratione indigere, feſtumque Conſecrationis de novo induci non poſſe; cum enim tunc poſſeſſio ſtet pro non uſu, jam intermiſſum, aut omiſſum Dedicationis feſtum reſtitui non debet, nec Eccleſia conſequenter præſumenda eſt conſecrata. Nec obeſt, quod antiquitus celebraretur dictum anniverſarium, quandoquidem præſumptio ſtat eos, qui illud omittere incœperunt, congruis rationibus, & ſolido fundamento id feciſſe ſubnixos. Quod ſi ſatis conſtaret hujuſmodi omiſſionis auctores nulla ratione, ſed ſolum ſcrupolis inductos id attentaſſe, non dubitarem aſſerere Eccleſiam cenſendam eſſe conſecratam, & Dedicationis feſtum, quo injuſte ſpoliata fuit, eſſe de novo inducendum.

XVII. Quæres 2. quid ſi feſtum Dedicationis fuerit dumtaxat intermiſſum, & poſtea reſtitutum?

XVIII. ℞. In Dedicationis anniverſario perdurandum utique eſſe, Eccleſiamque cenſendam conſecratam, eo enim in caſu poſſeſſio, & præſumptio ſtant pro Conſecratione, ejuſque anniverſario. Nec refert, quod intermiſſum fuerit, quoniam & poſtea fuit reſtitutum; unde potius præſumendum venit eos, qui primitus dictum anniverſarium induxerunt, & poſtea omiſſum iterum reſtituendum curarunt, juſtis rationibus ductos id præſtitiſſe, quam eos, qui ab ejuſdem celebratione per illud tempus ceſſandum exiſtimaverunt.

XIX. A fortiori hinc colligat Lector inſtaurari debere Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quam certe conſtat fuiſſe conſecratam, licet intermiſſum pridem, aut omiſſum penitus fuerit ejuſdem anniverſarium; facultas enim aliquid faciendi abſque aliorum gravamine non amittitur per non uſum, ut communius docent Auctores.

XX. Colligat 2. ceſſandum eſſe a celebratione Anniverſarii Dedicationis hoc ipſo, quod ex parietum abraſione, vel alias Eccleſiæ deperit Conſecratio; Conſecrationis enim, quæ perit, æquum non eſt annuam memoriam recenſeri, ac ejuſdem habenda eſt ratio, ac ſi numquam extitiſſet; quia autem per violationem, ſeu pollutionem non perit Conſecratio, ideo adhibita Eccleſiæ violatæ ſimplici reconciliatione, Conſecrationis anniverſarium ut antea celebrari poterit, etſi tempore pollutionis dictæ Eccleſiæ, uti in ea celebrari Miſſam, & Divina fieri minime licebat, ita nec de ejuſdem Dedicatione, ſi tunc incidiſſet, anniverſarium fieri non debuiſſe putemus.

DECRETUM QUINTUM.

Non poteſt celebrari Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ quam certum eſt non fuiſſe conſecratam, vel dubium eſt; ſi autem conſtet de Conſecratione, & ignoretur dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro feſti prædicti celebratione. S. R. C. 18. Aug. 1629. *in Alexandrina*; ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 69.

I. AD Materiei confuſionem vitandam, rectamque in Doctrinæ traditionem Methodum ſervandam in duo Decretum, quod examinandum modo ſuſcepimus, findendum eſſe judicavimus, cujus poſterior pars præſens efformat Decretum, prior vero efficiet Decretum decimum quintum.

II. Prima autem hujuſce Decreti pars, videlicet quod *non poſſit celebrari feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam*, adeo ex ſe patens eſt, ut ſuper eam, quid addamus, profecto nobis non ſuppetat; cum enim feſtum Conſecrationis alicujus Eccleſiæ non ſit, niſi annua memoria, ſeu recenſio Conſecrationis ejuſdem Eccleſiæ jam olim peractæ, quis umquam valet dubitare, quod feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ celebrari poſſit, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam?

III. Verum etſi hæc ita ſint, viam tamen nobis aperiunt cuidam indagini, videlicet num Eccleſiæ, quæ non eſt conſecrata, ſed tantummodo benedicta, feſtum, non quidem Conſecrationis illius, ſed Dedicationis peragi poſſit?

IV. Ex Eccleſiis, in quibus Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium peragitur, aliæ ſunt ſolummodo benedictæ, aliæ ſolemni ritu ab Epiſcopo dedicatæ, & conſecratæ. De his anniverſariæ Dedicationis feſtum celebrandum eſſe conſtat ex utroque *can. Solemnitates*, *diſt.* 1. *de Conſecr.*, & ex Rubricis paſſim Breviarii, & Miſſalis Romani, ab omnibus ſuperius adductis, & infra in hoc capite dandis Decretis aperte ſupponitur, cunctique in hoc conveniunt Auctores. Non ſic autem de primis, de Eccleſiis enim tantummodo benedictis annuam faciendam eſſe Dedicationem adſtruit Peyrinus *in Regul. Minim. cap.* 4. §. 14. *quæſt. unic. num.* 11., quem ſequitur Lezana *tom.* 3. *in mar. magn. Carmelit.* §. 103. *num.* 518., & ducuntur, eo quod non eſt anniverſarium Conſecrationis Eccleſiæ, ſed tantum Dedicationis, ut ex titulo *Commune Dedicationis Eccleſiæ*, quo proprie ſignificatur locus prophanus cultui divino dedicatus, quod æque fit per Conſecrationem, ac per benedictionem.

V. Hoc tamen eſt minime admittendum, quia dum de Dedicationis feſto agitur, ſermo eſt de anniverſario Conſecrationis die, ut conſtat ex cap. *Præcepta Synod.* cap. *Baſilicas*, cap. *Certum eſt*, cap. *Arianorum de Conſecr. diſt.* 1., & ex Guliel. Durando *in Rational. Divin. offic. lib.* 1. *cap.* 6., & *lib.* 7. *cap.* 48., Stephan. Durant. *de ritib. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 24., Gav. *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 2., Guyeto *lib.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 1. 2. 4. & 7., Paſqualig. *de Sacrif. nov. leg. quæſt.* 271. *per tot.*, Gobat *Theol. experim. tract.* 3. *num.* 696. *append.* 3. *lit.* o., aliiſque, in quibus, & a quibus Dedicatio pro Conſecratione vel ſupponitur, vel exponitur. Idipſum patet ex Oratione in communi Anniverſarii Dedicationis Eccleſiæ, in qua dicitur: *Deus qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti Templi tui Conſecrationis reparas diem &c.* Quando igitur Rubricæ, aut Concilia, ſi quæ ſunt, de Dedicationis officio, aut feſto loquuntur, de anniverſario Conſecrationis feſto intelligi debent, unde licet Dedicatio haberi poſſit per Conſecrationem, vel per benedictionem, dum tamen anniverſarium Dedicationis feſtum permittit Eccleſia, Conſecrationis anniverſariam memoriam intendit.

VI. Et ulterius, quod res ita ſe habeat, etſi manifeſte eruatur ex omnibus uſque modo datis Decretis, in quibus Dedicationis feſtum pro *Conſecrationis* ſemper uſurpatur, luculentius tamen, & invecte id oſtenditur ex quarto hujus Capitis, in quo ex eo præciſe, quod Eccleſiæ Cathedralis Ferentinæ *Dedicationis* feſtum in præteritum fuerit celebratum, arguit S. C. eamdem Eccleſiam *nova Conſecratione non indigere*, & ex eo *Conſecratam* illam fuiſſe ſatis oſtendi; quod ſane in conſequentiam minime veniret, ſi *Dedicationis* feſtum etiam *pro Eccleſia ſolummodo benedicta* inſtitui poſſet. Aliud argumentum hujuſce veritatis oſtenſivum require in Decreto hujus capitis octavo; & ſi adhuc plura cupis, recole, quæ dicentur in Decreto III. cap. II., ubi habetur ratio valida, ob quam in memoriam Benedictionis non fuerit annua feſtivitas inſtituta, quia videlicet Benedictio Eccleſiarum fuit ſolum in ſubſidium, & per modum proviſionis invecta, inſimulque apparet ratio diſcriminis, ob quam Titulus Eccleſiæ tantummodo benedictæ annuatim excoli debet, non tamen Benedictio ipſa Eccleſiæ.

VII. *Vel dubium eſt*, proſequitur Decretum, quibus verbis datur nobis intelligi, *Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ celebrari non poſſe, quam dubium eſt fuiſſe conſecratam*; certa enim feſtivitas dubiæ Conſecrationi nequaquam reſpondet, aut congruit. Hoc tamen limitari debet indubie juxta dicta in præcedenti Decreto, ut locum minime habeat, quoties dubio junctus eſt uſus ab hominum memoria, ſemperque cuſtoditus recolendi feſtum dictæ Conſecrationis; tunc enim præſumptio ſtat pro Conſecratione, ac poſſeſſio pro anniverſario, qua ſtante manutentionem deberi, & jura clamant, & Auctores concorditer ſuſtinent.

VIII. *Si autem conſtet de Conſecratione, & ignoretur dies.* Evenit non ſemel ex certis indicibus, nempe ex crucibus in parietum ſuperficie deſcriptis, Altarique fixo, & immobili, aut ex authenticis ſcripturis, vel aliter conſtare Eccleſiam aliquam fuiſſe olim conſecratam, ſed cujus Dedicationis dies, vel ille, in quem a Conſecratore in actu Conſecrationis recolendus rejectus fuit, ex omni hominum memoria prorſus excidit, nec ex ſcripturis, aut alias dignoſci poſſit. Hujuſmodi in caſu juxta ſententiam Sanchez, & Perſici, de quibus in Decreto VIII. cap. IV. fuſior inſtituetur ſermo, officium fieri non poſſet, quia privilegium, ſeu conceſſio celebrandi ex cauſa Dedicationis eſt ſolum pro die, in quo fuit peracta, vel in quem a Conſecratore fuit immutata, unde ſi hujuſmodi diem non ſciatur umquam incidere, perinde eſt ac ſi numquam ſit conceſſio, vel privilegium.

IX. Ex adverſo Guyetus *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 4. cenſet in memorato caſu ad Epiſcopum pertinere, diem, quam ipſe opportuniorem judicaverit, Dedicationi huic annuatim celebrandæ decernere, & huic Guyeti ſententiæ conſentit pariter Biſſus *tom.* 1. *v. Dedicatio Eccleſiæ num.* 51. §. 11., iiſdemque addi poſſunt, qui, ut dicemus in memorato Decreto, in ea ſunt opinione, ut Epiſcopus valeat decernere diem pro celebratione officii de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ſed neſcitur ejuſdem dies natalitia.

X. Hanc ideo ut quæſtionem, quæ non infrequenter accidit, dirimeret, S. R. C. Ordinario poteſtatem faciendam cenſuit aſſignandi diem aliquam pro feſti prædicti Dedicationis celebratione; hinc in Decreto ſubdidit: *Poteſt Ordinarius aſſignare diem pro feſti prædicti celebratione.* Remanet igitur adoptata a Sacra Congregatione ſententia eorum, qui in memorato caſu Epiſcopo decernendi diem aliquam pro feſti Dedicationis celebratione poteſtatem faciebant. An autem hoc illi competat ex

jure

jure communi, ita ut per præſens Decretum nulla fiat, ſed ſolum, quæ alias illi competit, declaretur poteſtas, inutile reputamus inquirere. Certum igitur eſt, quod Epiſcopus in caſu, in quo conſtat de Conſecratione Eccleſiæ, & ignoratur dies, poteſt aſſignare diem pro feſti prædicti celebratione, ſive poſtea id poſſit ex jure communi, vel ſolum ex facultate ipſi per præſens Decretum attributa; & licet præſens Decretum ſolummodo ſermonem habeat de caſu Feſti Dedicationis, ad ſimiles alios quoſcumque propter rationis identitatem non dubitamus eſſe extendendum, quemadmodum id poſſet, ſi dicta facultas eidem ex jure communi competeret. Videantur, quæ in præfato Decreto VIII. Cap. IV. fuſe dicuntur, ne inaniter hic repetantur.

XI. Neque præſenti Decreto contrariatur ullo modo Decretum ſecundum hujus Capitis; in hoc enim negatur Epiſcopo extra actum Conſecrationis facultas mutandi Dedicationis feſtum, ideſt pro die vere anniverſaria, quæ ſciatur, ſtatuendi aliam diem; & in præſenti hujuſmodi facultas nequaquam conceditur, ſed ſolum, quod in caſu, in quo ignoretur dies Dedicationis, poſſit Ordinarius aſſignare diem pro talis feſti celebratione: hoc autem non eſt vere mutare Dedicationis feſtum, ut conſideranti ſatis patebit.

XII. Quænam dies poſſit, vel debeat in caſu aſſignari, hic remaneret inveſtigandum; aſt quoniam ſuper hujuſcemodi rem ſatis luculentus in primo hujus Capitis Decreto inſtitutus fuit ſermo, illuc putamus Lectorem eſſe remittendum, ſolummodo adnotantes, quod hæc Ordinariorum facultas adhuc cum minori ceterorum officiorum incommodo in uſum deduci debeat, quam in actu Conſecrationis fiat; facultas enim ad lætiſſimæ, quæ peragitur, feſtivitatis oſtenſionem, ac ad ſatisfaciendum in ea Fundatoris, populi, clerique votis indulta, latior quidem eſſe debet, quam ea, quæ extra præfatas convenit circumſtantias, & ideo crederemus nedum diem Dominicam in præſenti caſu aſſignari minime poſſe, ſed nec congruere diem illam aſſignari, quæ aliquo feſto novem lectionum eſt impedita, nolumus tamen tributam facultatem Epiſcoporum ad has anguſtias teneri, ſed iidem in facti contingentia quod melius expedire judicaverint, facere poterunt, etſi inde ſequi debeat alicujus feſti amotio, eo quod eorumdem facultatem vera, & rigida Decreti locutio non ita reſtringit.

XIII. Semel autem facta hujuſmodi diei aſſignatione non eſt amplius integrum, ac licitum Ordinario ad alterius diei aſſignationem devenire, ſed per primum actum hujuſmodi poteſtas expirat ad eum penitus modum, quo a Conſecratore in actu Conſecrationis ſemel facta immutatione diei pro anniverſario, non poteſt amplius extra talem actum eam diem mutare inconſulta Sede Apoſtolica, & in præcedenti Decreto dum Epiſcopo fit poteſtas transferendi feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis Ferentinæ ad aliam diem fixam, additur *amplius non immutandam*, ut detur intelligi, quod ſemel altera ſtatuta die pro dicto Dedicationis feſto non eſt ei amplius liberum illam diem in alteram immutare.

XIV. Quæres, an ſi proceſſu temporis innoteſcat dies vera anniverſaria, quæ a memoria exciderat, tunc ſuæ veræ reſcitæ diei reſtitui debeat Dedicationis feſtum, quod in alteram diem ab Epiſcopo fuerat immutatum? Id cenſet Guyetus *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 6., dummodo ex hac mutatione nullum timeatur ſcandalum, quia ceterum de conſenſu Epiſcopi, vel Superiorum, ad quos ſpectat, retineri poſſe aſſerit eamdem illam diem, in quam Dedicationis feſtum fuit immutatum. Tu autem dicito perſeverandum eſſe in die, in quam debita cum facultate eſt præfatum feſtum rejectum, dummodo longævus, & præſcriptus uſus jam ſit introductus, & adhuc perſeverari in eodem poſſe, etſi recens in talem diem fuiſſet immutatum, quia jam id præſtitum eſt cum debita facultate, & aliunde Feſtum Dedicationis non eſt ex feſtis adeo diei veluti natalitiæ addictis, ut extra eam non poſſit æque bene celebrari, & in alteram, adhuc in caſu ſcientiæ, in actu Conſecrationis videlicet ab Epiſcopo immutari.

XV. Dices in Decreto III. dictum eſt deſerendum eſſe uſum recens inductum, & non præſcriptum celebrandi extra propriam diem feſtum Dedicationis, & propriæ diei reſtitui debere, hoc ipſo quod innoteſcit dies natalitia; ergo etiam in præſenti caſu.

XVI. ℞. Eſſe diſparitatem, quia in priori caſu ſermo eſt de mutatione diei perperam factæ, & ſine debita poteſtate, & ideo cum ex ſe facta mutatio non ſubſiſtat, nec conſuetudo, utpote nec longæva, nec præſcripta, illam tueri poſſit, indubie venit deſerenda, & propriæ diei feſtum Dedicationis reſtituendum; in noſtro autem caſu etiam in defectu longævæ, & præſcriptæ conſuetudinis habet, unde ſe tueri poſſit, videlicet debitam poteſtatem, media qua eſt facta.

XVII. *Poteſt Ordinarius aſſignare &c.* Ordinariorum nomine veniunt, qui juriſdictionem ordinariam habent, ac jura Epiſcopalia, hinc Epiſcopus, Capitulum Sede vacante, Abbates, aliique indubie, qui jura Epiſcopalia in Sæculares habent, quique Ordinariorum locorum nuncupatione gaudent; cum enim Decretum privilegium concedat Ordinariis, non eſt cur ad ſolos Epiſcopos reſtringatur, & non extendatur ad eos omnes, qui Ordinariorum nuncupatione cum omni proprietate veniunt: omnes igitur iſti poterunt poteſtatem a præſenti Decreto ſibi factam aſſignandi diem pro celebratione feſti Dedicationis, cujus neſcitur dies, in uſum deducere pro Eccleſiis ſibi ſubjectis.

XVIII. An autem id etiam poſſint Prælati Regulares? Meratus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 5., aliique inficias eunt, dum Decretum exponunt de Ordinario *loci*, ſub cujus nomine, ut notat Rota *deciſ.* 798. *par.* 4., veniunt ſolum Epiſcopi, & habentes jura Epiſcopalia ſuper Sæculares. Aſt cum Decretum notet *Ordinarius*, nec addat *Loci*, non videmus, quomodo ad ſolos *locorum* Ordinarios reſtringi poſſit, & non extendi debeat ad eos omnes, qui cum omni rigore *Ordinarii* ſunt, licet non *Ordinarii locorum*, cujuſmodi ſunt Prælati Regulares, qui ſunt vere Ordinarii reſpectu ſuorum ſubditorum, habentes in illos juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem & eo vel maxime quod ſumus in favorabilibus, in quibus in omnium ſententia eſt ampliandum, non reſtringendum, nec agitur de tertii præjudicio, quoniam facultas hujuſmodi, quam Prælatis Regularibus concedimus, ipſis tantum competit relate ad ſibi ſubjectas Eccleſias.

XIX. Oppones Decretum S. R. C. 22. Januarii 1701., in quo decernitur *Regularium Superiores non venire ſub nomine Ordinariorum, & ideo non poſſe aſſignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de Patrocinio B. M. V. quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico præfati menſis a locorum Ordinariis eligendo.*

XX. ℞. Pro nunc Regularium Superiores non venire ſub nomine Ordinariorum *locorum*, bene autem ſub nomine *Ordinariorum præciſe*. Nec dicas a nobis gratis addi ly *locorum*, cum non habeatur in Decreto; additio enim illa, quam nos apponimus, manifeſte eruitur ex ipſomet Decreto, quoniam Patrocinium B. M. V., quod pluribus in locis permiſſum erat recitari, aſſignari debebat alicui ex Dominicis Novembris ab *Ordinariis*, non præciſe, & abſolute, ſed *Locorum* eligendæ, ut aperte dicit Decretum; quapropter dum in eodem Decreto habetur, quod ſub nomine *Ordinariorum* non veniunt Regularium Superiores, id intelligi debet de Ordinariis *Locorum*, quod ſat eſt ad intentum Decreti, & non etiam de *Ordinariis* abſolute, & ſimpliciter, quod impertinenter ſe habet, & negari non poteſt attentis Bullis Summorum Pontificum, ac Sacrarum Congregationum Decretis Ordinariam juriſdictionem eiſdem paſſim facientibus. In noſtro autem præſenti caſu diſpar eſt ratio, quia in Decreto habetur quidem *Ordinarius*, ſed non *loci*, & ideo in omni ſua latitudine accipiendum venit Decretum.

DECRETUM SEXTUM.

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Civitate celebratur cum octava, in Diœceſi vero ſine octava. S. R. C. 2. Maji 1619. *in Conchen.* ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 42.

I. BIfariam Eccleſia Cathedralis ſpectari poteſt, vel ut loci, & Diœceſis Caput eſt, ac reliquarum Eccleſiarum ſibi ſubditarum parens, vel ut ſingularis Eccleſia eſt. Feſta, quæ ad eam ſpectant primo modo inſpectam, ad univerſum juriſdictionis locum, atque adeo ad ſubditas omnes Eccleſias mox extenduntur; hujuſmodi enim feſta hoc ipſo locum ipſum, ſubditaſque Eccleſias attingunt, unde & ab omnibus loci, ſubditiſque Eccleſiis æquum eſt celebrari. Quæ autem attinent ad ipſam, ut particularis, ſeu ut hæc numero eſt Eccleſia, cum eidem competant titulo ſibi uni proprio, nec ad juriſdictionem ullatenus ſpectante, certe nec congruum, nec æquum eſt, extra illam ad alias Eccleſias deduci. Primi generis juxta Guyetum *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 9. ſunt Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, Feſtum Patroni, ſeu Titularis ejuſdem; Poſterioris vero Feſta Reliquiarum, & alia, ſi quæ habet ex particulari conceſſione, vel legitima conſuetudine.

II. Uti ergo quia Feſta Reliquiarum Eccleſiæ Cathedrali, ut particularis Eccleſia eſt, ac titulo ſibi uni proprio competunt, S. R. C. 12. Maji 1618. determinatum voluit non extendi ad cæteras Eccleſias, nec iſtas in hujuſmodi officiis debere ſe uniformare cum Cathedrali, ſeu Matrice, ut dicemus in Decr. 3. cap. quarti, ita ab oppoſito quia Feſtum Dedicationis convenit Eccleſiæ Cathedrali, qua loci, & Diœceſis Caput eſt, ac Reliquarum Eccleſiarum ſibi ſubditarum parens, ejuſdem Feſtum, ſeu officium per præſens Decretum congrue ad omnes Eccleſias illi ſubditas Civitatis, & Diœceſis fuit protenſum: Civitatis quidem, ubi tale feſtum cum pompa exteriori, populi, & Cleri concurſu colitur, cum majori ſolemnitate, & ſic cum octava, Diœceſis vero, ubi memoratum cultum minime ſortitur, cum minori, & ideo ſine octava.

III. Dices. S. R. C. 8. Aprilis 1628. vetuit celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim Feſtum cum officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia &c., ergo officium Dedicationis prædictæ non debet per totam Civitatem, & Diœceſim celebrari.

IV. ℞. Allatam inhibitionem procedere de Sancto Titulari, ut liquet ex iis verbis *cum officio de Sancto*, & ex aliis, quæ ſubjungit, *ſed tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis*, & ideo nihil obeſſe præſenti Decreto, in quo non de Titulari, ſed de Dedicatione Cathedralis ſermo eſt. Verum etſi hæc ſatis ſint pro defenſione præſentis Decreti, adhuc tamen ob majorem ejuſdem ſubſiſtentiam innuendam, uti & eorum, quæ diximus de Titulari, ſeu Patrono Eccleſiæ Cathedralis cujus feſtum ad totam Civitatem, & Diœceſim ſimiliter extendendum putamus.

V. ℟. 2. Quod quando S. R. C. in adducto Decreto inhibuit fieri feſtum cum officio per totam Civitatem, vel Diœceſim, eo quod in loco adſit Eccleſia, nullam mentionem habuit *de Cathedrali*, ſed ſolummodo *Parochialem Regularem*, *&* *Abbatialem* nominavit, & ſic ex hoc capite non eſt, quod obſtet, quo minus Feſta Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis ad Eccleſias ſibi ſubditas extendantur, quinimmo ſilentium illud ſuper Eccleſiam Cathedralem, quæ cum ſit loci præcipua, alias nominari debuiſſet, ſatis aperte demonſtrat, feſtum Dedicationis & Titularis Eccleſiæ Cathedralis ad ceteras loci Eccleſias extendi.

VI. Ex his intelliges ponderatum procedendi modum S. R. C. in ſuis Decretis condendis, & quia in mox allegato Decreto inhibitivo *de Eccleſia Cathedrali* ſermonem non habuit, ſed ſuper eam ſilentium obſervat, & quia in Decretis 13., & 14., quæ infra in hoc Capite exponentur, dum ſtatuit Dedicationis feſtum unius Eccleſiæ ad alias non extendi, in primo adjungit *aliarum Eccleſiarum a Cathedrali*, & in ſecundo *Parochialis Eccleſia, qua non eſt Cathedralis*, quibus dictionibus exceptivis ſatis datur intelligi, Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis extra eam etiam ab aliis ſubditis Eccleſiis debere celebrari.

VII. Intelliges quoque ex vi rationum, quas ponderavimus in præſenti Decreto expreſſe ſaltem & explicite Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ad univerſas Civitatis, & Diœceſis ſibi ſubditas Eccleſias tantum protendi, non vero ad immunes, & exemptas, de quibus loqui reſervamus in Decretis 9., & duobus ſequentibus.

VIII. Quæres 1. quid dicendum veniat de Eccleſiis Abbatialibus, Collegiatis inſignibus, aut Conventualibus, quæ ab Epiſcopi juriſdictione exemptæ, ſuam ipſæ juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certo Territorio, quo inſtar Diœceſis eſt, obtinent?

IX. ℟. Feſta Dedicationum, & Titularium, ſeu Patronorum Eccleſiarum hujuſmodi in totum ſuæ juriſdictionis locum ſimiliter extendi, in Oppido quidem *cum octava*, in Territorio vero, quod inſtar Diœceſis eſt, *ſine octava*, ad eum penitus modum, quo dicebamus de feſto Dedicationis Cathedralis. Patet ex eo, quod paris juris pares ſunt effectus: uſus quoque id confirmat omnium hujuſmodi Eccleſiarum.

X. Nec obſtat ſupra adductum S. R. C. Decretum, *Ne feſtum cum officio fiat, eo quod in loco adſit Eccleſia Abbatialis &c.* Id enim nequaquam intelligendum eſt de Abbatiali, Collegiata, aut Conventuali, quæ talem ſortiuntur juriſdictionem, inſtarque Cathedralium ſe habent.

XI. Quæres 2., num Feſta Dedicationum, aut Patronorum Eccleſiarum Patriarchalium, Primatialium, ac Metropolitanarum ad totius Provinciæ Eccleſias extendi debeant?

XII. ℟. Nequaquam; duplex enim diſtinguenda eſt auctoritas, ſeu juriſdictio: Politica una, quæ ad cauſas, appellationes, ceteraque fori contentioſi negotia pertinent; altera Hierarchica, cujus partes ſunt ſacrum cultum, & quæ univerſim ad Religionem ſpectant, curare, & ordinare: cum igitur auctoritas, ſeu juriſdictio illarum Eccleſiarum magis videatur eſſe politica, quam Hierarchica, non eſt namque jus Patriarchis, Primatibus, aut Archiepiſcopis in ſubditas Diœceſes quoad ſacra, niſi in Epiſcoporum ſuffraganeorum defectu, aut per appellationem ab ipſis, aut ad ſummum Archiepiſcopo, dum actu viſitat Provinciam, ideo earum feſta ad reliquas Provinciæ Eccleſias minime extenduntur; politica enim juriſdictio juxta Guyetum *lib. 1. cap. 1. quæſt.* 8. non ſufficit, ſed Hierarchica requiritur ad hoc, ut præfata feſta ad ſubditas Eccleſias exporrigantur, hæc ſiquidem unice ad Chorum attinere videtur, illa vero potius ad forum.

XIII. Accedit quod ex dictorum Feſtorum celebratione nimia fieret officii ferialis ſtrages; quam unice ob cauſam mihi credere lubet, principalium Baſilicarum Urbis Dedicationum feſta, quæ alias ob Sacram, & Hierarchicam, quam in totius orbis habent Eccleſias, juriſdictionem ubique ſolemniter celebrari deberent, extra Urbem non niſi officium duplex minus ſine octava ſortiuntur.

XIV. Dices: *Can. de Iis, diſt.* 12. præcipitur ex Concilio Toletano, ut uniuſcujuſque Provinciæ Cives, Rectoreſque Eccleſiarum, eumdem in pſallendo modum teneant, quem a Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum; ex quo plane ſequitur, ut & feſta illius propria debeant obſervare.

XV. ℟. Primo Canonem dictum non agere de Feſtis, ſed de forma divini officii, quam vult unam eſſe per totam Provinciam; unitas vero iſta non exigit, ut eadem omnia ubique feſta celebrentur.

XVI. ℟. 2. Quod habet Gloſſa in ſequentem Canonem *Placuit*, huic Capitulo derogatum eſſe per contrariam conſuetudinem. Et revera non videmus in ſuffraganeis Eccleſiis, ſaltem quarum Kalendaria quamplurima ego legi, ſervari Feſta propria Dedicationis, Titularis, aut Patroni Metropolitanæ, quinimmo ſi quæ alia celebrantur, id fit alio titulo, quam dependentiæ. Verum de his in Cap. de Qualitate officii.

XVII. Hæc tamen minime officiunt celebrationi Patroni Principalis alicujus Regni, aut Provinciæ, ubi hunc haberi contingit, ſiquidem hic non minus eſt Patronus Civitatis Metropolitanæ, quam ceterarum, nec ad has ratione alicujus dependentiæ a Metropolitana promanat, ſed a populo ſingularum Civitatum cum earum Epiſcoporum, Clerique conſenſu æque eligitur juxta formam præſcriptam ab Urbano VIII., de qua fuſe in Decreto primo Capitis tertii.

XVIII. De Dedicatione Eccleſiarum Matricum, Curatarum, Majorum, Parochialium, Regularium, & ceterarum remaneret hic inquirendum, verum de his ſermo inſtituetur in Decretis 13., & 14. hujus capitis, unde illuc remittimus Lectorem, qui ſuper his inſtrui cupit.

DECRETUM SEPTIMUM.

Cum Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem celebretur ſine octava, hæc annua Dedicatio per totam Diœceſim celebranda eſt juxta ſolitum quoad ritum, ſcilicet vel ſub ritu duplici primæ claſſis, vel ſub duplici minori. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Cupien.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 214.

I. IN præcedenti Decreto ſtatuit S. R. C. Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem, ſive in Diœceſi celebrandum eſſe ſine octava, nihilque determinavit circa Ritum, quo poſtea recoli debeat; hinc ſuboritur dubium, quonam ſub ritu debeat celebrari?

II. Hac in parte ſenſit Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 5. ſub ritu duplici primæ Claſſis adhuc eſſe celebrandum, inſtar illorum Feſtorum, quæ transferuntur ultra octavam, & ſine octava celebrantur. Gavantum ſecutæ ſunt pleræque Eccleſiæ, quæ in ſuis Directoriis Feſtum Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici primæ Claſſis, licet ſine octava, communiter etiam pro Diœceſi aſſignant. Alii vero animadvertentes, quod Feſtum præfatæ Dedicationis ad Diœceſim cum minori ſolemnitate, videlicet ſine octava extenditur, etiam de ritu detrahendum ſenſerunt, ſicque in Eccleſiarum particularium Kalendariis pro Diœceſibus ſub ritu dumtaxat duplici minori illud adnotarunt. Quinimmo in aliquibus Eccleſiis, in quibus ob perpetuum impedimentum cum octava celebrari non poteſt, etiam per Civitatem ſub ritu dumtaxat duplici minori illud vidi celebratum, ut in Civitate Florentina, cujus Eccleſiæ Cathedralis Dedicationis feſtum incidit in diem 25. Martii Annunciationi B. M. ſacram, adeoque ob perpetuum occurſum cum quadrageſimali tempore, aut cum octava Paſchatis numquam cum octava celebrari valet.

III. Si meam hac in quæſtione deberem mentem aperire, in eam adducerer, ut ſufficiat illud ritu duplici minori recolere, more Dedicationis Baſilicæ Salvatoris, quæ tamquam feſtum Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis a Clero Sæculari Romæ, ejuſque Diſtrictus ſub ritu duplici 1. claſſis cum octava ex Decreto 14. Sept. 1726. celebratur, & a ſibi ſubditis extra talem Diſtrictum, ac totius orbis Eccleſiis ſub ritu dumtaxat duplici minori.

IV. Et quidem ſi attendatur ratio Rubricarum, ejuſmodi opinio ſatis firmari videtur, quoniam Rubricæ IX. *de commem. n.* 5., & aliæ paſſim, nec non Tabella ipſa Duplicium primæ claſſis *Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis* nullibi recenſent, ſed ſolum Dedicationem *propriæ Eccleſiæ*, unde cum eæ diminutæ cenſendæ non ſint, dicendum venit, quod Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis non eſt ex genere ſuo, & ubicumque ritus duplicis primæ claſſis, ſed ejuſmodi eſt in propria Eccleſia, & in Civitate, ad quam extenditur cum octava, extra Civitatem vero, & apud Regulares non item.

V. Hæc igitur cum in ancipiti verſarentur, conſulta fuit S. R. C., quo ritu extra Civitatem celebrandum foret Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, quæ optime *juxta ſolitum* reſpondit, ſcilicet *vel ſub ritu duplici primæ claſſis*, ubi ſic conſuetum eſt celebrari, *vel ſub ritu duplici minori*, ubi hactenus talis uſus invaluit.

VI. Dedicatio itaque Eccleſiæ Cathedralis pro Diœceſi nec eſt determinate duplex primæ Claſſis, nec duplex minus, ſed quoad ritum *juxta ſolitum* celebranda eſt, & licet Decretum hujuſmodi ſolitum explicet, dum ſubjungit, *ſcilicet vel ſub ritu duplici primæ claſſis, vel ſub duplici minori*, adhuc tamen non ita limitative accipiendum eſt, ut ſi ſolitum ſit illud recolere ſub ritu duplici majori, aut ſecundæ claſſis, in hujuſmodi uſu perſiſti non poſſit. Intentio enim Decreti eſt, quod *cum Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem celebretur ſine octava*, non eſt neceſſe retinere ritum duplicem primæ claſſis, ſub quo celebratur, quando colitur cum octava, ſed adhuc inferiori ritu valet celebrari, quo conſuetum jam eſt recenſeri, unde ly *vel ſub ritu duplici minori* ponitur exemplificative, aſſignando ſcilicet exemplum illud ritus inferioris, ſub quo a proponente dubium aſſerebatur aliquibus in locis conſuetum eſſe illud celebrari.

VII. Inferes ex dictis feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis nedum in propria Eccleſia, ſed etiam per totam Civitatem, ubi colitur cum octava, ritu duplici primæ claſſis eſſe celebrandum; id enim innuunt verba illa Decreti *cum Feſtum Dedicationis Cathedralis extra Civitatem celebretur ſine octava, hæc annua Dedicatio &c.* per quæ ſignificatur extra Civitatem remitti de ritu in celebratione prædicti feſti Dedicationis, quia colitur ſine octava, quapropter in apertam conſequentiam utique venit, nihil remittendum eſſe de ritu in Civitate, ubi cum octava recenſetur, ſed ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandum eſſe, quemadmodum celebratur in propria Eccleſia.

VIII. Quoniam vero *Civitatis* appellatione venit etiam pars adjecta Civitati ex ampliatione facta, necnon Suburbia, quemadmo-

admodum pluribus citatis docet Barboſa *de Appellat. verb. appellat. 49.* idcirco qui in iſtis degunt, cenſentur de Civitate ad effectum agendi de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; qui autem in Territorio exiſtunt, ſunt extra Civitatem, cum appellatione *Civitatis* ſecundum naturam propriam, & ſignificationem non veniat *Territorium*; & licet in larga ſignificatione, & in favorabilibus forſitan venire queat, certe tamen non in noſtro caſu, in quo conſtat de contraria mente Legislatoris, qui, dum Diœceſim excipit, in exceptis quoque habet Territorium, quod regulariter Diœceſim conficit.

IX. Perpulchra inſtituenda hic foret quæſtio, cur ſcilicet cum de Titulari Eccleſiæ Cathedralis per Clerum Sæcularem indifferenter Civitatis, & Diœceſis officium agatur ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & a Clero Regulari ſub ritu duplici itidem primæ claſſis ſine octava, præſcriptum ſit de Dedicatione ejuſdem Eccleſiæ, quæ regulariter Titulum præſtat, a Clero Sæculari Diœceſis celebrandum eſſe ſine octava, & adhuc ſub ritu dumtaxat duplici minori, ſi ita ſolitum ſerat, a Regulari vero Civitatis ſub ritu ſolum duplici ſecundæ claſſis, & extra Civitatem ad tale feſtum nullatenus teneri, quemadmodum apparebit ex ſequentibus Decretis hujuſce Capitis. Verum quoniam de hujuſmodi re ſermo fieri debet in Capite tertio, idcirco ad hoc ſe ſinat Lector remitti.

DECRETUM OCTAVUM.

Cum præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem fieri debeat officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, in Urbe cum octava, extra Urbem ſine octava, quæſitum fuit, utrum extra Urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem, fieri debeat octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis? Et reſponſum fuit negative S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 176.

I. HAbet Hieronymus *lib. 4. in cap. 11. Iſaia* loquens de quadam prophetia, *Quam per partes volumus explanare, ne ſimul propoſita, atque diſcuſſa, Lectoris confundat memoriam*. Hac utique de cauſa, & nos præſens Decretum, quod duas habet partes, in quarum altera firmat *Regulares degentes in Civitate debere recitare officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici tantum ſine octava, & extra Civitatem non teneri, neque ad recitationem officii in die feſto*, ſeparandum eſſe adjudicavimus, in præſentiarum exhibentes primam ſolum ejuſdem partem, quæ ad præcedenter dicta quodammodo ſpectar, acturi de altera in Decreto X. hujuſce Capitis, cum ſermo habebitur de Regularibus relate ad Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis.

II. Docet Barboſa *de Appell. verb.* quod *Urbis* appellatione, ubi de ea ſimpliciter fit mentio, venit Civitas Romana, & in hac utique ſignificatione uſurpatur, cum Decreta pro univerſali Eccleſia edita cum hac expreſſione notantur *Urbis, & Orbis*, quinimmo incontroverſum eſt, quod quoties in Bullis Pontificiis *Urbs* ſimpliciter ponitur, prædicta Civitas Romana denotatur. Impræſentiarium tamen nomen *Urbs* non ita accipitur, ſed cohærenter ad ſancita in ſuperioribus Decretis, in quibus deciſum vidimus, quod Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in Civitate ubivis, etiam extra Romam, celebrari debet cum octava, extra Civitatem vero, ſeu Diœceſi ſine octava, quapropter evidens eſt, quod hic, tametſi *Urbs* ſimpliciter ponatur, adhuc non ſtat pro Civitate Romana, ſed pro qualibet Civitate. Nec abs re eſt dicti nominis uſurpatio, quoniam ut pluribus juribus allegatis advertit idem Barboſa, *Urbis* appellatione, licet ſimpliciter prolatæ, quando materia congruit, venit quælibet Urbs; materiam autem, ex qua hocce conſtat Decretum, non crederem a quopiam negatum iri, æque omnibus congruere Civitatibus.

III. Propriæ autem Eccleſiæ, ſi ab Epiſcopo ſolemni ritu fuerit conſecrata, Dedicationem fieri debere nulla eſt controverſia, id enim expreſſe jubetur ab utroque Can. *Solemnitates de conſecr. diſt.* 1. a Rubricis Breviarii paſſim præcipitur, ab omnibus uſque modo datis Decretis ſupponitur, & a cunctis Auctoribus concorditer admittitur, & utique cum octava, & ſub ritu duplici primæ claſſis, ut dict. Can. *Solemnitates* 2. Rubricæ, Decreta, & Auctores, quos in rei a nemine in dubium poſitæ confirmationem in medium adducere ſupervacaneum exiſtimamus.

IV. Quoniam vero non cunctæ Eccleſiæ, in quibus ſacroſanctum peragitur Miſſæ ſacrificium, & divina celebrantur officia, per Epiſcopos conſecratæ inveniuntur, ſed quamplurimæ ſunt, quæ divino cultui per ſimplicem benedictionem dicatæ, & deputatæ fuerunt, ferme non minus certum eſt, quod ſi propria Eccleſia conſecrata non eſt, ſed tantummodo benedicta, ejuſdem Dedicationis feſtum fieri haudquaquam poteſt, nec debet, quemadmodum in Decreto hujus Capitis quinto diſcuſſum, & ſtatutum fuit, quinimmo (liceat hoc nobis curſim dicere) ab eodem Decreto id etiam fuit expreſſe determinatum; dum enim ait, quod *non poteſt celebrari feſtum conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam*, intendit excludere quodcumque feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quæ non eſt conſecrata, & *conſecrationem* nominat, quia ſupponit officium Dedicationis, quod per Rubricas admittitur, eſſe unice inſtitutum in memoriam olim peractæ conſecrationis, nemini enim in dubium venire poterat, quod feſtum conſecrationis celebrari poſſet illius Eccleſiæ, quæ conſecrata non fuit. Cum itaque plures dentur Eccleſiæ, quæ quidem benedictæ, ſed conſecratæ minime fuerunt, earumdem Dedicationis feſtum celebrari nequit.

V. Ultra propriæ Eccleſiæ, quæ ſit conſecrata, dedicationis feſtum, fieri debere officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, in urbe cum octava, extra urbem ſine octava, jam expreſſe ſancitum eſt in Decreto ſexto hujus Capitis; unde ſubortum eſt dubium, utrum extra urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem, ſeu cujus Dedicationis feſtum, ex eo quod ſit ſolummodo benedicta, vel alia de cauſa minime celebratur, fieri debeat octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis?

VI. Qui dubium propoſuit, voluit defectui octavæ Dedicationis propriæ Eccleſiæ, octavam Dedicationis Cathedralis ſubrogari, ſic enim major non ſequitur ſtrages officii ferialis, quam fieret, ſi propriæ Eccleſiæ Feſtum cum octava, quæ alias fieri deberet, celebraretur. Verum qui novit obligationem celebrandi officium ultra Dedicationis propriæ Eccleſiæ etiam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ſcire & debebat, nec officium, nec octavam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis defectum feſti, & octavæ Dedicationis propriæ Eccleſiæ ſupplere, uti & non extenſionem octavæ Dedicationis Cathedralis ad Eccleſias Diœceſis, ſtragem, quæ inde ſequeretur, officii ferialis pro fine nequaquam habere, alias officium, & octava Dedicationis Cathedralis nec ad Eccleſias urbis, quæ propriam celebrant Dedicationem, protenſa indubie fuiſſent.

VII. Cum igitur non extenſio octavæ Dedicationis Cathedralis ad Eccleſias Diœceſis facta non fuerit ad impediendam ſtragem, quæ ex celebratione prædictæ octavæ ſequeretur, officii ferialis, ſed magis, ut dicebamus in Decreto VI. quia in Diœceſi, ſicuti in urbe celebre, & ſolemne non eſt, nec ulla pompa exteriori, nec populi, Clerique concurſu, quam utique quoque ob cauſam in Diœceſi juxta ſolitum de ritu in celebratione ejuſdem Feſti detrahi poſſe in Decreto VII. ſancitum vidimus, mirum non eſt, ſi qui dubium præfatum propoſuit, non veritatis, ſed potius brevitatis divino in officio ſtudioſus; feriarumque inimicus detectus, negativum a Sacra Congregatione ſortitus fuerit reſponſum. *Et reſponſum fuit negative*.

VIII. Fit itaque per hocce reſponſum prædicti Decreti VI. confirmatio, ejuſdemque panditur abſolutus, & illimitatus intellectus, nimirum quod Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis extra Urbem celebrari debet ſine octava in quacumque Eccleſia, ſive iſta propriam habeat, ſive propriam non habeat Dedicationem.

IX. Diximus in initio præſentis Decreti Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, *ſi ab Epiſcopo ſolemni ritu fuerit conſecrata*, fieri debere, hinc dubium emergit, num Eccleſiarum divino opere conſecratarum fieri debeat feſtum Dedicationis?

X. Multæ recenſentur Eccleſiæ, quæ divinitus conſecratæ fuiſſe dicuntur, quas inter Dionyſiana, & Aurelianenſis in Francia, Vercellenſis in Italia &c., prima quidem ab ipſo Chriſto Domino, relictis etiam patentibus divinæ ſuæ virtutis, & operationis veſtigiis, ſecunda a Sancto quidem Evurtio Epiſcopo, ſed apparente protinus nube candida ſuper caput ejus Sacra Myſteria peragentis, viſa eſt manus ex eadem nube prorumpens, porrectis tribus digitis, ter oblata benedicere, eoque ſigno mirabili, Dedicatio ipſa perfecta, ac conſummata jure, meritoque præſumitur. Vercellenſis demum Cathedralis etiam divinitus facta memoratur, nam cum Sanctus Albinus, ſextus ab Euſebio Vercellenſis Epiſcopus, Sanctum Germanum Altiſiodorenſem Præſulem, illac Ravennam verſus iter habentem, oraſſet, ut eam Eccleſiam conſecraret, atque ille poſtulata in reditu ſe facturum pollicitus, Ravennæ obiiſſet, factum eſt, ut ejuſdem Germani corpore, quod deferebatur in Gallias, Vercellas in Cathedrali deducto, certæ faces per Eccleſiæ parietes diſpoſitæ, quæ Albino poſt mortem Germani in expectatione fruſtrato eamdem Cathedralem conſecrare volente, pertinaciter contempſerunt concipere flammam, quamobrem miraculo territus a Dedicatione ceſſavit, ſua ſponte accenderentur, ſicque intellectum eſt, Sanctum virum polliciti memorem mortuum id præſtitiſſe; unde S. Albinus populo feſtum Conſecrationis diem indixit, qui fuit a partu Virginis anno 435. Cum ergo iſtæ Eccleſiæ, & ſi quæ ſunt aliæ ejuſmodi, non conſuetis ritibus fuerint conſecratæ, dubium eſſe poteſt, an earumdem fieri debeat anniverſarium Dedicationis feſtum?

XI. ℟. Affirmative, & talis eſt uſus earumdem Eccleſiarum, quarum quælibet, æquum eſt, ſuam dedicationem eo religioſius celebret, quo majori cum ſignorum, ac gratiarum munere completa fuiſſe creditur.

XII. Quæres uti Eccleſiæ, ita Altaris annua Dedicatio fieri debeat?

XIII. Aſſerit Gavantus *in Rubr. Miſſalis part. 4. tit. 16. num. 12.* antiquitus fieri ſolitam annuam Altaris Dedicationem, ex D. P. Aug. *ſerm. 252., & 255. de Tempore*. Verum teſte Guyeto *lib. 1. cap. 3. quæſt. 12.* id Auguſtini verba clare non indicant; ſubdit autem idem Auctor, ex præſenti uſu ipſa quidem die, qua Altare conſecratur, ſeu dedicatur, intra ambitum Eccleſiæ jam dedicatæ poſſe, & debere celebrari Miſſam, quæ poſita eſt pro Dedicatione Eccleſiæ, cum orationibus ſeorſim poſitis pro Dedicatione Altaris, ut in Miſſali habetur; deinceps vero recurrente quotannis eadem die nequaquam celebranda eſt, aut Miſſa, aut ulla alia Solemnitas annua illius

Dedi-

Dedicationis; tum quia nullibi præſcribitur, aut permittitur feſtum Dedicationis Altaris; tum quia comprehenditur in Dedicatione ipſiuſmet Eccleſiæ.

XIV. Etſi autem in ipſa die Conſecrationis Altaris Miſſam de dicta Conſecratione celebrari conceſſum ſit, non ob id tamen nec ipſa eadem die officium de eadem Conſecratione recitari permiſſum cenſeri debet, ſi enim illud recitari liceret, in Breviario utique Romano non deſideraretur officium de eadem Dedicatione Altaris, cum tamen in eodem ſolum officium pro Eccleſiæ Dedicatione habeatur. Nec dicas poſitum non eſſe, quia admodum raro contingit, & illud Dedicationis Eccleſiæ loco illius bene poſſe recitari, quemadmodum & Miſſa Dedicationis Eccleſiæ in ipſa Altaris Dedicatione celebratur. Verum etſi forſan officium Dedicationis Eccleſiæ non ita quadret, uti Miſſa, pro Dedicatione Altaris, adhuc tamen ſaltem Oratio propria, quæ dicitur in Miſſa, inſeri debuiſſet in Breviario, ut recitetur in ipſa die Dedicationis Altaris, quemadmodum Oratio *pro die Conſecrationis*, etſi & hæc admodum raro fiat, in Breviarium inducta eſt, ut recitetur in ipſa die Conſecrationis Eccleſiæ.

DECRETUM NONUM.

Regulares tenentur quidem celebrare feſtum de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & ſine octava: S. R. C. 1. Aprilis 1662. *approbante Alexandro VIII. die 8. ejuſdem menſis, & anni.* Ex Merato in Indice Decr. Brev. num. 81.

I. OBligatio annuatim recolendi Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, quæ ex ſupra expoſitis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quibuſcumque Eccleſiis eidem ſubditis incumbit, hic & ad immunes, & exemptas protrahitur, dum Regulares ad celebrandum dictum feſtum teneri decernitur.

II. Et quidem ad dicti Feſti celebrationem etiam exemptas Eccleſias obligari congruebat. Tum ut populus, qui in eo totius loci feſto ad Regularium Eccleſias accedit, Miſſas, & officia divina auditurus, ad lætiſſimæ feſtivitatis celebrationem non minus accendatur, quam ſi ad cæteras confluat Eccleſias. Tum quia cum feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis inter ſolemniora loci feſta reputetur, decet & ab omnibus, licet exemptis, loci Eccleſiis celebrari, atque ab omnibus loci incolis in hujuſmodi feſtis uniformitatem ſervari; quam & ob uniformitatem unice ſervandam decrevit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. quoſcumque Regulares, quantumvis exemptos, teneri ad obſervantiam feſtorum, quæ de præcepto in Diœceſi ſua ſervanda Epiſcopus præceperit. Tum denique quia minime præſumendum eſt Regularium privilegiis, receptam in locis, in quæ admittuntur, Sanctorum propriorum venerationem obliterari; & iniquum foret, ut hujuſmodi exemptione, quæ ad terrarum dumtaxat jura ſpectat, quidquam Sanctorum illorum cultui detraheretur, quos ut non a cæleſti gloria, ſic nec a priſtina protectione talis ſolvit exemptio.

III. Quæ exemptionis privilegia licet Regulares minime ſolvant a debito celebrandi loci feſta ſolemniora, eos tamen, qui ſatis propriis Religionis officiis ſunt occupati, ſubtrahunt ab obligatione illa colendi cum tanta ſolemnitate, quanta a Clero Sæculari illiuſmet loci ſervantur; hinc Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis Feſtum, quod a Clero Sæculari Civitatis ſub ritu duplici 1. claſſis, & cum octava celebratur, a Clero Regulari Civitatis, de quo dumtaxat procedit præſens Decretum, ſub ritu duplici 2. claſſis, & ſine octava colendum decernitur. An autem, & qua ſolemnitate, & ritu coli poſſit, vel debeat a Clero Regulari Diœceſis, dicendum reſervamus in Decreto ſequenti hujus Capitis.

IV. Non eſt igitur amplius attendendus Gavantus, qui *ſect.* 8. *num.* 5. ad feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ex quadam congruentia dumtaxat, ut ſcilicet Eccleſiæ Matrici ſe conforment, Regulares obligavit, ſed eos ex præcepto ad illud ſine octava, & ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, vere teneri indubitate eſt aſſerendum, uti eoſdem expreſſe adſtringit præſens Decretum, quod cum approbationem Pontificiam ut ſupra habuerit, ejuſdem rigoroſa obligatio a nemine in dubium rite valet advocari.

V. Huc uſque dicta quamvis de Eccleſiis Regularium exemptis dumtaxat revera procedant, ad Eccleſias tamen Sæcularium, ſi quæ ſunt ab Ordinariorum juriſdictione exemptæ, & Sanctæ Sedi immediate ſubjectæ, ſunt extendenda; de eiſdem enim ſi non fortior, ut conſideranti facile patebit, ſaltem par utique eſt ratio. Hæc tamen limitatio adhibeatur, ut ubi Sanctorum indigenarum, Advenarum, & aliorum copia, in quorum officiis nimis ſunt occupati, Regulares eximit a debito celebrandi Dedicationis Cathedralis feſtum cum ſolemnitate primæ claſſis, & octavæ, ab hujuſmodi debito minime cenſeantur excluſæ ſæculares Civitatis Eccleſiæ illæ, licet ut ſupra exemptæ, quæ tot Sanctorum officiis implicatæ haudquaquam reperiuntur.

VI. Cum autem ea, quæ de Regularibus jura diſponunt, & de Monialibus veniant intelligenda, ſi ſexui, & earum conditioni congruant, jam ſatis ex hoc Decreto liquet, quod Moniales in Civitate degentes, & ab Ordinariorum juriſdictione exemptæ, tenentur ad celebrationem Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis, & ſine octava. De Monialibus vero Diœceſis ſermo erit in ſequenti Decreto; & de iiſdem, quæ locorum Ordinariis reperiuntur ſubjectæ, in Decretis undecimo hujuſce Capitis, & aliis.

VII. Obligatio autem recitandi de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis, quæ Regularibus incumbit, evidenter etiam deducitur ex Decreto VI. hujus Capitis, & quamplurimis aliis. Videantur, quæ in eorumdem expoſitione dicuntur.

DECRETUM DECIMUM.

Regulares degentes in Civitate debent recitare officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici tantum ſine octava ex Decreto edito die 1. Aprilis 1662., extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem officii in die feſto, ut alias pluries, S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*, ex Merato in Indice Decr. Brev, num. 176.

I. QUemadmodum obligationem, quam S. C. fecit Eccleſiis ſæcularibus Civitatis celebrandi feſtum duplex primæ claſſis, & cum octava de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, pro Eccleſiis iiſdem ſæcularibus Diœceſis, ubi nec tam celebre, nec ſolemne eſt, reſtrinxit ad feſtum, & ab octava exemit, ritumque, ſi ſic fert conſuetudo, adhuc ad ritum duplicem dumtaxat minorem reduxit, ut dicebamus exponentes Decreta VI. & VII. hujus Capitis; ita congruum erat, ut de obligatione, quam in præcedenti Decreto pro Eccleſiis Regularibus Civitatis induxit, in præſenti aliquantiſper remitteret pro iiſdem Eccleſiis Regularibus Diœceſis.

II. In primis igitur confirmat una, ac explicat præcedens Decretum. Confirmat quidem, dum *Regulares debere recitare officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici ſine octava* ſtabilit, citatque *Decretum editum die* 1. *Aprilis* 1662. quod indubie aliud non eſt niſi illudmet ipſum, quod ad hoc præcedenter produximus. Explicat vero, dum addit Regulares *degentes in Civitate;* quibus utique verbis ſatis abunde oſtendit præcedens Decretum loqui dumtaxat de Regularibus in Civitate degentibus; hinc & pro iſtis extra Civitatem commorantibus ſuam adjicit proviſionem; *extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem officii in die feſto*, quod & alias pluries ſtatuiſſe affirmat, dum ſubjungit, *ut alias pluries*.

III. Indubium itaque redditur, obligationem, qua Regulares Civitatis tenentur ad celebrationem feſti Dedicationis Cathedralis, pro Regularibus extra Civitatem adhuc pro die feſto ejuſdem Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis eſſe ſolutam; id enim Sole clarius oſtendunt ea verba; *extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem officii in die feſto*.

IV. Nonnulla hic tamen diſcutienda dubia ſuperſunt, quorum primum eſt, quonam ritu modo debeat celebrari præfatum feſtum Dedicationis a Regularibus degentibus in Civitate, an ſub ritu duplici minori tantum, qualiter præſcribi videtur in hoc Decreto ſub illis verbis *ſub ritu duplici tantum*, an vero ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, uti ſtatuitur in præcedenti Decreto die 1. Aprilis 1662.

V. ℞. Recitandum eſſe ſub ritu duplici 2. claſſis, ſic enim expreſſe præcipit præcedens Decretum, cui præſens non derogat, quinimmo nonniſi obligationem, & ritum, quem illud inducit, exponit, & explicat, quapropter novum jus minime facit, ſed jus a præcedenti Decreto jam factum dumtaxat in medium adducit, & profert; hinc vide, quod *Regulares degentes in Civitate debere recitare officium Dedicationis Cathedralis, &c.* haudquaquam abſoluta pronunciat, ſed addit debere recitare dictum officium *ex Decreto edito die* 1. *Aprilis* 1662. Cum igitur hoc Decretum ad præfatum officium ſub ritu duplici 2. claſſis Regulares adſtringat, dicendum utique venit, quod adhuc modo ad illud ſub dicto ritu recolendum manent obſtricti.

VI. Dices: in præcedenti Decreto inſtituitur ſermo de Regularibus abſolute, & ſimpliciter ſumptis, & in præſenti additur limitatio quædam, videlicet Regulares *degentes in Civitate*, & tamen quæ hic diſponuntur, dicuntur eſſe *ex Decreto edito die* 1. *Aprilis* 1662. quod ut dicebamus, non eſt, niſi præcedens; quidni igitur etiam poterit eidem Decreto adhiberi limitatio quoad ritum, ut revera adhiberi videtur per ea verba *ſub ritu duplici tantum*, & adhuc dici hoc eſſe *ex dicto Decreto edito die* 1. *Aprilis* 1662.

VII. ℞. Valde diſparem eſſe rationem; nam Decretum quoad illam partem, in qua eſt abſolutum, abſque minima ſui læſione, & extorſione limitationes, ſeu potius interpretationes valet ſuſcipere, maxime ab eo, qui illud condidit, qui in tali facto nonniſi qualis, & quæ ſua mens, quæ forſan in Decreto non eſt ſatis expreſſa, in ejuſdem fuerit conditione Decreti, exponit, & pandit; hinc bene præcedenti Decreto, dum ſtabilit abſolute *Regulares teneri &c.* addi potuere verba illa *degentes in Civitate*, abſque eo quod læſio aliqua, aut extorſio eidem Decreto obveniret, quinimmo adhuc dici poſſet *illud eſſe ex vi dicti Decreti*, quia ea verba, ſeu limitatio revera non ſunt de novo addita, ſed ſolum in Decreto de novo expreſſa, utpote quia Decretum cum ea limitatione in ſui conditione uſque fuit conceptum, licet cum ea poſtea non fuerit expreſſe exaratum. Non ſic autem eveniret in ſecundo caſu, quia Decretum quoad ritum non eſt abſolutum, ſed determina-

tum;

tum; non enim cantat præciſe *ſub ritu duplici*, ſed *ſub ritu duplici ſecundæ claſſis*, unde in ſpecie determinat ritum, ſcilicet duplicem 2. claſſis; quo vult dictum Feſtum celebrari. Sine igitur aperta læſione, imo derogatione pręcedentis Decreti, in præſenti inſeri non poſſet, quod Regulares ad dicti feſti celebrationem teneantur *ſub ritu duplici minori tantum*. Aſt ſi hoc evenire non poteſt ſine aperta læſione, & derogatione dicti Decreti, quomodo, quæſo, umquam dici poterit *id eſſe ex vi memorati Decreti?* Cum igitur pręſens Decretum aſſerat dictos Regulares teneri ad memorati feſti celebrationem *ex Decreto edito die* 1662. utique dicendum venit, teneri ad illud celebrandum ſub ritu duplici 2. claſſis, ſub quo ritu a præfato Decreto indicitur.

VIII. Dices: ſed ſi hæc ita ſunt, quomodo igitur in præſenti Decreto dicitur, memoratos Regulares debere recitare prædictum officim *ſub ritu duplici tantum?* Etſi enim revera in eo non exprimatur ritus duplex *minus*, ſed duplex abſolute, adhuc tamen particula illa *Tantum* ad ritum duplicem inferioris ordinis, videlicet minorem videtur dictum ritum reſtringere, & limitare.

IX. ℞. Quod in dicto Decreto ritus nequaquam determinatur, ſed abſolute ritus *duplex* apponitur; ritus autem duplex ex ſe indifferens eſt, ut determinetur ad quaſcumque ſpecies, in quas dividitur, unde ex eo, quod ritus *duplex abſolute* ponatur, inconſequenter arguitur ad determinatam ejuſdem duplicis ſpeciem, rituſque duplex minus determinatus aſſeritur, quemadmodum ab ente determinare ad ſubſtantiam nonniſi inſubſiſtens, ac invalidum fieret argumentum. Et licet forſan quando in conceſſionibus ritus duplex apponitur abſque expreſſione majoris, vel minoris, ex Decreto 2. Octobris 1683. id intelligi debeat de duplici minori, numquam tamen id verum erit, quando jam ex præcedenti Decreto officium illud ſub altiori ritu reperitur conceſſum; & multo minus ſi Decretum, in quo duplex ritus abſolute pronunciatur, ad alterum ſeſe referat, in quo altior ritus conceditur; tunc enim per ejuſmodi relationem ad ritum illum altiorem ritus duplex abſolute prolatus ſatis determinatur, atque contrahitur. Cum igitur ſic eveniat in noſtro caſu, in quo aſſeritur dictos Regulares teneri ad dicti feſti celebrationem *ſub ritu duplici ex Decreto edito die* 1. *Aprilis* 1662., ideo ſatis luculenter ritus ille duplex per hujuſmodi dictionem ad ritum duplicem 2. claſſis, ſub quo a dicto Decreto reperitur præceptum, determinatur.

X. Remanet ſolum igitur reſpondeatur ad particulam illam *Tantum*, quæ nonnihil dubii ingerere videtur. Verum ſcito particulam illam non cadere ſuper pręcedentia verba, ſcilicet *ſub ritu duplici tantum*, ſed ſuper ſequentia, nempe *tantum ſine octava*, inferreque ſolum excluſionem octavæ, quam etiam excludit Decretum de die 1. Aprilis 1662., cui præſens diſpoſitio innititur, non vero excluſionem ritus duplicis 2. claſſis, quem dictum Decretum nedum admittit, ſed præcipit. Vide modo, quæſo, & judica, ſi ſtante hac noſtra explanatione ambo Decreta ſibi invicem conciliata remaneant, & omnia, quæ diximus optime quadrent, & ſi ita inveneris, rationem facito nobis.

XI. Secundum dubium eſt, an Regulares degentes extra Civitatem taliter non teneantur ad recitationem officii in die feſto Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ut ly *non teneantur* excludat etiam libitum, ita ut nec recitare illud valeant, ſi velint; ad eum prorſus modum, quo S. R. Congregatio exponit ly *non teneri* loquendo de octava Dedicationis reſpective ad Moniales Ordinariis ſubjectas, ut dicemus infra in Decreto ſequenti hujus Capitis, & dicturi ſumus loquendo de octava Patroni loci relate ad Regulares in Capite tertio.

XII. ℞. Non excludi libitum, & ideo officium in die feſto pręfatæ Dedicationis ab ipſis recitari poſſe, ſi velint; ut enim obſervat Guyetus *lib.* 2. *cap.* 26. *quæſt.* 5. ly *non teneri* de ſe non importat inhibitionem, & aliunde laudabile eſt, quod etiam Regulares uniformitatem in divino officio habeant cum reliquo loci Clero in feſtis loci celebrioribus, ut innuimus ſupra. Rationem autem diverſæ illius acceptionis verbi *non teneri* require in aſſerto Decreto ſequenti hujus Capitis; necnon in Decreto IX. Capitis tertii, ubi potiora dabuntur.

XIII. Tertium dubium eſt, quo ritu debeat a Regularibus extra Civitatem celebrari feſtum Dedicationis Cathedralis, ſi eiſdem placeat tale feſtum recenſere?

XIV. ℞. Ad normam Decreti VII. a nobis ſupra expoſiti, nimirum *juxta ſolitum*, ſcilicet vel ſub ritu duplici ſecondæ claſſis (non enim ſub altiori ritu, quo colitur a Regularibus Civitatis, ab illis celebrari licet) vel ſub ritu duplici minori, quod magis a nobis probatur, aut ſub ritu duplici majori, ſi talis invaluit conſuetudo, ut ibi dicebamus; ſub inferiori autem ritu, videlicet ſemiduplici, minus convenit feſtum loci celebre coli.

XV. Quæ hic dicta habes de Regularibus degentibus in Civitate, & extra Civitatem relate ad officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, prorſus & intellige eſſe dicta de Monialibus Prælatis Regularibus ſubjectis; imo & de eiſdem, quæ Ordinariorum juriſdictionem nequaquam effugiunt, ut dicetur in Decreto ſequenti, & alibi ſæpe.

XVI. Ad pleniorem dictorum veritatem lubet hic Lectorem monere, quod Sacra Congregatio die 5. Maii 1736. itidem ſanxit, Regulares Civitatis teneri celebrare Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis ſine octava, eoſdem vero, qui extra Civitatem degunt, non teneri ad dictæ Dedicationis officium; quapropter cum hocce Decretum ſit poſterius pręſenti, quod exponimus, profecto adimit omnem difficultatem, & circa ritum duplicem 2. claſſis a Regularibus Civitatis in recitatione officii de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis ex obligatione obſervandum, & circa non obligationem ad dictum officium, neque in die feſto, relate ad Regulares Diœceſis. Quinam autem de corpore Civitatis, aut Diœceſis ad effectum cenſendi ſint, ex ſuperius dictis ſatis erui valet.

DECRETUM UNDECIMUM.

Moniales Ordinariis ſubjectę non debent recitare officium de Octava Dedicationis Eccleſię Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, tantum tenentur prædictum officium recitare ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava. S. R. C. 11. Febru. 1702. *in Tarviſina*, ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 224.

I. CUm ea, quæ de Regularibus jura diſponunt, & de Monialibus veniant intelligenda in iis, in quibus iſtæ ſunt capaces, & quę ſexui, earumque congruunt conditioni, ſatis ex duobus præcedentibus datis Decretis liquido conſtat, Moniales in Civitate degentes teneri ad celebrandum Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis, & ſine octava; uti & eaſdem, quæ extra Civitatem degunt, neque teneri ad recitationem officii in ejuſdem die feſto, ſed tamen poſſe juxta ea, quæ fuſe diximus in expoſitione dictorum Decretorum, quæ quoque Monialibus veniunt, & ſunt adaptanda.

II. Verum cum ex Monialibus aliæ ſint, quæ ſubduntur Prælatis Regularibus, aliæ locorum Ordinariis, his viſum fuit non haberi, unde ipſis minime liceat dictum feſtum cum octava celebrare, cum a quibuſcumque aliis de Clero in Civitate commorantibus, qui eiſdem locorum Ordinariis ſunt ſubjecti, cum octava celebretur. Propoſitum itaque fuit hujuſmodi dubium in Sacra Rituum Congregatione, quæ *in una Lauden* (dabitur, ac exponetur alio in loco) 20. Novembris 1683. reſpondendo inter alia ſtatuit: *Moniales Ordinariis locorum ſubjectas teneri recitare officium de Eccleſia Cathedralis Dedicatione, non vero de ejuſdem feſti octava.*

III. Allata Sacræ Congregationis reſponſio, quę nihil circa Ritum tale feſtum celebrandi diſponit, & ad ejus octavam *non teneri* prædictas Moniales præſcribit, ad aliud quæſitum viam aperuit, nempe: *Quo ritu ſit tale Feſtum a dictis Monialibus recolendum, & an ly non teneri excludat etiam libitum, ita ut nec poſſint ejuſdem Feſti octavam celebrare, ſi velint.* Cui quęſito eadem Sacra Congregatio reſpondendum cenſuit, ut in Decreto, quod modo examinandum ſuſcepimus, videlicet dictas Moniales *non debere* recitare officium de octava Dedicationis Cathedralis, nec *poſſe ad libitum*, & teneri ad Feſtum *ſub ritu duplici ſecundæ claſſis* ſine octava.

IV. Ut dicebamus, in ejuſmodi Decretis indubie ſermo eſt de Monialibus in Civitate degentibus, cum enim neque Clero Sęculari extra Civitatem poſito octavam Dedicationis Cathedralis liceat celebrare, quomodo, quæſo, id ſibi licere in Monialium extra Civitatem commorantium mentem poterat unquam devenire, aut in dubium id advocari? Firmum itaque ſit de Monialibus Civitatis ſermonem ibidem haberi, eaſdemque, licet ſint locorum Ordinariis ſubjectę, teneri quidem recitare officium de feſto Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & ſine octava, ita ut hanc nec ad libitum valeant celebrare; eodem prorſus modo quo Regulares viros, Monialeſque Prælatis Regularibus ſubjectas, & in Civitate degentes teneri ſupra aſſeruimus.

V. Vide igitur hic, & intellige, quod ea, quæ de Regularibus viris diſpoſita veniunt, & de Regularibus feminis, ſi earum ſexui, ac conditioni congruant, diſpoſita cenſenda ſunt, ſive eędem Prælatis Regularibus, ſive locorum Ordinariis ſubdantur; harum enim Epiſcopis immediata ſubjectio ad nihil aliud deſervit, niſi quod loco Pręlatorum Regularium in eis ſuccedunt Epiſcopi, ita ut in eiſdem id poſſint Epiſcopi, quod poſſunt Pręlati Regulares, ſalvis, & integris manentibus quibuſcumque aliis, quæ cum concedantur, aut communicentur propter ejuſdem regulæ obſervantiam, ejuſdem vitæ religioſæ ductum, ejuſdem habitus uſum, ſub eodem vivendi modo Dei famulatum, aut alia communia motiva Religioſis viris, aut feminis, æque currant, ratio utique poſtulat, in Monialibus Ordini ſubjectis, ac non ſubjectis. Ita ſuſtinent Bordon. *to.* 1. *reſol.* 52. *quæſt.* 24., Pellizar. *to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 72. *&* 73. Antonius a Spiritu Sancto *to.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 1. *numer.* 109., aliique communiter, a quorum recenſione, ne tædio Lectori ſimus, abſtinendum cenſemus.

VI. Verum etſi hujuſmodi univerſim forſitan nequaquam procederent, utique ſaltem quantum ad ea, quę ad divinum attinent officium, in quibus paritas undequaque habetur, procedere debent. Cum itaque, ut dicebamus ſuperius in Decreto IX., conceſſa non ſit Regularibus octava Dedicationis Cathedralis, quia adeo ſatis ſunt occupati in propriis Religionis officiis, ut vix quandoque intra annum valeant ea explere, &

ſub inferiori ritu & præfatum feſtum Dedicationis ſit eiſdem indultum, eo quod apud eoſdem feſta loci non ſunt ita ſolemniora, ac celebriora, utpote quibus indigenarum Sanctorum magis ſolemnia, celebria feſta haud deſiderantur, ideo cum iſtæ rationes æque currant de Regularibus viris, ac feminis, ſive hæ Prælatis Regularibus, vel Sæcularibus ſint ſubjectæ, non incongruum fuit, quod in celebratione Feſti Dedicationis Cathedralis omnes Religioſæ familiæ indiſcriminatim, & omnimode convenirent.

VII. Eadem igitur quoque de cauſa, quæ in antecedenti Decreto proviſa vidimus pro Regularibus degentibus extra Civitatem relate ad feſtum Dedicationis Cathedralis, ſancita cenſenda ſunt etiam de Monialibus Locorum Ordinarii ſubjectis, quarum Monaſteria in Diœceſi ſita ſunt, unde iſtæ juxta ibidem ſtatuta poterunt quidem celebrare feſtum Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis, aut minori, prouit fert conſuetudo, ſed ſine octava, ita tamen ut nec ad recitationem officii in die feſto ejuſdem Dedicationis ullatenus teneantur.

VIII. Dices videri incongruam expoſitionem illius verbi *non teneri* ad octavam Dedicationis per excluſionem etiam libiti illam celebrandi, quemadmodum fit in præſenti Decreto; *non teneri* enim excludere quidem poteſt debitum, aut obligationem, at numquam libitum, aut arbitrium: quapropter, quantumvis in præcedenti Decreto habeatur, Regulares degentes extra Civitatem *non teneri* ad recitationem officii neque in die feſto Dedicationis Cathedralis, adhuc ſtabilivimus eoſdem Regulares tale feſtum poſſe celebrare.

IX. Ad hoc argumentum objici poſſet, quod habet Apoſtolus ad Rom. 9. 20. *O homo tu quis es, qui reſpondeas? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; Quid me feciſti ſic?* Pollet Sacra Rituum Congregatio Pontificia auctoritate concedendi Sanctorum officia; cur igitur & non interpretandi ſuas ipſas conceſſiones, *ejus enim eſt interpretari, cujus eſt condere*. Quis igitor poteſt de interpretationibus, quæ ab eadem promanant, Sacram Congregationem interpellare, quid eas feciſti ſic? Nemo ſane.

X. Verum quoniam nos ipſi voluimus noſtri eſſe inſtituti, aliqualem ſaltem ſemper proferre rationem eorum, quæ ab eadem Congregatione facta ſunt, licet poſtea minime certe exiſtimemus eidem innixam ea peregiſſe, quæ ſanxit, ſed fortioribus, ac validioribus illa præſtitiſſe rationibus; ideo dicendum ducimus, quod *non teneri* in præſenti Decerto exponitur per excluſionem non ſolum debiti, verum etiam arbitrii, quoniam Decretum præfatum de die 20. Novemb. 1683. in quo ratione materiei, & proprietatis loquendi ly *non teneri* appoſitum erat, ſupponebat jam aliud Decretum inhibens Regularibus celebrationem octavæ Dedicationis Cathedralis, nimirum illud editum die 1. Aprilis 1662. quod eſt IX. hujus Capitis, & ideo non niſi per excluſionem adhuc arbitrii exponi poterat, & ſolummodo quia ſic ferebat loquendi modus, aut proprietas in dicto Decreto, quod præcedentis non erat derogatorium, appoſitum dici. Non ſic autem evenit in præcedenti Decreto, in quo aſſeritur Regulares extra Civitatem degentes non teneri ad celebrationem dicti feſti Dedicationis Cathedralis, neque in die feſto, quia illud non ſupponit ullum præcedens Decretum, quo inhibeatur Regularibus extra Civitatem commorantibus tale feſtum celebrare; quin potius ſupponit præcedens Decretum quoad apparentiam id permittens, nimirum ſæpius memoratum editum die 1. Aprilis 1662. in quo Regularibus abſolute, indefinite, & ulla abſque diſtinctione conceditur de dicto feſto celebrare. Non eſt igitur opus in eo caſu ly *non teneri* in ſenſu excluſivo etiam arbitrii explicare, uti in primo, ſed adhuc per excluſionem ſolius obligationis, ut rigor verborum ſolummodo præſefert, optime exponi poteſt, ſicuti a nobis in dicto præcedenti Decreto fuit intellectum.

XI. Pro expoſitione illius verbi *non teneri*, quatenus de octavis reperitur dictum, plura vide in Decreto IX. Cap. tertii, quo in Capite, & alibi paſſim etiam diſerte patebis, quod omnia, quæ de Regularibus diſpoſita ſunt, etiam de Monialibus Ordinariis ſubjectis ex mente Sacræ Congregationis intelliguntur diſpoſita, & ab eadem in caſu propoſiti dubii expreſſe declarata.

DECRETUM DUODECIMUM.

Quando plures adſunt Cathedrales unitæ, officium Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ Cathedralis non debet recitari ab univerſo Clero Diœceſum unitarum, ſed in qualibet reſpective Diœceſi debet recitari de ſua propria reſpective Eccleſia Cathedrali. S. R. C. 8. Martii 1704. *in Viterbien.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 227.

I. ECcleſiarum Cathedralium unitarum conditionem, ac characterem nobis ſatis patefacit Sixtus Quintus Pontifex Maximus, dum anno 1586. nobile Oppidum Tolentini Civitatis jure donavit, ejuſque Collegialem Eccleſiam S. Mariæ Epiſcopali exornavit dignitate. In primis enim ſua Conſtitutione, quæ incipit *Super Univerſas* Oppidum, & Caſtrum Tolentini, ac ejuſdem Villas, ac Territoria a Camerina Diœceſi, cui in ſpiritualibus ſubjecta erant, ſeparat, ac diſmembrat, illaque ſic ſeparata, ac diſmembrata cum illorum Incolis, Eccleſiarum Rectoribus &c. ab omni juriſdictione Epiſcopi Camerinenſis eximit, & liberat. 2. Dictum Oppidum Tolentini in Civitatem Tolentini, & Collegiatam Eccleſiam Sanctæ Mariæ hujuſmodi in Cathedralem, ac in ea Dignitatem, Sedem, & Menſam Epiſcopalem pro uno Epiſcopo Tolentino nuncupando, qui eidem Eccleſiæ Tolentinæ præſit, ac juriſdictionem Epiſcopalem habeat, & exerceat, cum omnibus privilegiis, honoribus, juribus, & inſignibus debitis, ac conſuetis &c., erigit, & inſtituit. 3. Ipſam Eccleſiam ſic in Cathedralem erectam cum Eccleſia Maceratenſi unit, ita ut pro tempore exiſtens Epiſcopus Maceratenſis ſit ambarum Eccleſiarum unitarum hujuſmodi Epiſcopus, & licet vocetur Epiſcopus Maceratenſis tamen in literis, & expeditionibus pertinentibus ad Civitatem, & Diœceſim Tolentini ordinarie ſe ſubſcribere debeat Epiſcopus Maceratenſis, & Tolentini. 4. Quod teneatur dictus Epiſcopus Maceratenſis retinere unum Vicarium in dicta Civitata Tolentina, qui non recognoſcat Superiorem, nec ab eo habeatur recurſus ad Vicarium dictæ Civitatis Maceratenſis, ſed tantum ad dictum Epiſcopum &c.

II. Ex his igitur luculentiſſima apparet, quod hujuſmodi Eccleſiæ, ac Cathedrales ſolummodo dicuntur unitæ, quia eumdem Epiſcopum habent, qui utrique ſimul præeſt Eccleſiæ; ceterum ex ſe ſunt omnino ſeparatæ, ac diſtinctæ, una ab altera in nullo dependet, ac inter ſe ita ſe habent, perinde ac ſi duobus Epiſcopis perſonaliter diſtinctis obedirent; unde Epiſcopus, qui eiſdem præſidet, gerit vices duorum, & quatenus Epiſcopus unius ex dictis Eccleſiis non ſe ingerit, nec ingerere poteſt in gubernio, vel negotiis alterius ſibi pariter commiſſæ, ſed ſolummodo inquantum eſt hujus Epiſcopus.

III. Quæ cum ita ſint, ex ſe ſatis patens redditur præſens Decretum quod expendendum ſuſcepimus; una enim ex Cathedralibus unitis ſe habet ad alteram unitam, perinde ac ſe habet ad quamcumque aliam non unitam, ſeu ad eum penitus modum, quo ſe habent inter ſe ſe duæ Cathedrales non unitæ; quamobrem cum extra omnem ſit controverſiam, quod Dedicatio unius Eccleſiæ Cathedralis non unitæ celebrari quoad officium non poſſit ab altera Eccleſia Cathedrali eidem non unita, ita indubium non minus redditur, quod feſtum Dedicationis Cathedralis unius Eccleſiæ unitæ nequeat clebrari ab altera Eccleſia eidem unita, ſed ſicut Dedicatio Eccleſiæ Bergomenſis, quæ nulli alteri eſt unita, ſolum poteſt recenſeri a Clero Civitatis, & Diœceſis Bergomenſis, ita Dedicatio Eccleſiæ Maceratenſis, quæ eſt unita Eccleſiæ Tolentinæ, dumtaxat celebrari poterit a Clero Maceratenſi, & non a Tolentino, & Dedicatio Eccleſiæ Tolentinæ a ſolo Clero Tolentino, & non a Maceratenſi.

IV. Quæ uſquemodo diximus, nedum procedunt de Dedicationis feſto, ſed etiam de Titulari, ſeu Patrono dictarum Eccleſiarum, imo & de Patronis principalibus, & minus principalibus eorumdem locorum, niſi cotingat Sanctum eumdem eſſe Titularem ambarum Eccleſiarum, vel Patronum eorumdem locorum, quo in caſu in ambabus ex dictis Eccleſiis de illo eodem Sancto officium quidem inſtitueretur; ſed in neutra quia eſſet Titularis, aut Patronus alterius, ſed ſui ipſius: unde nunquam officium unius Eccleſiæ unitæ ob præfatam unionem ad Clerum alterius eidem unitæ extenderetur, licet per accidens contingere queat, quod ab ambabus de eodem Sancto ut Titulari vel Patrono officium peragatur.

V. Etſi vero officium Dedicationis cujuslibet Eccleſiæ Cathedralis non debeat recitari ab univerſo Clero Diœceſum unitarum, recitari tamen debet ab Epiſcopo dictarum Eccleſiarum, quia ipſe vere cujuslibet illius Eccleſiæ Cathedralis Epiſcopus eſt, & Beneficiarius; imo & recitare debebit officium de Titulari utriuſque ejuſdem Eccleſiæ, quemadmodum id a fortiori colligitur ex eo, quod ſancitum eſt de Parocho duarum Eccleſiarum unitarum, ut videbimus in Decreto quarto Capitis tertii, quod omnino recoli debet, cum in ejuſdem expoſitione abunde habeantur, quæ ad præſentis Sanctionis plenam expenſionem deſerviunt.

DECRETUM DECIMUM TERTIUM.

Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali, celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi conſecrationis dies peragitur. S. R. C. 19. Auguſt. 1629. *in Alexandrina*. Ex Merato in Indice Decret. Breviar. numero 69.

I. SAnctio hæc unum ſupponit, firmat aliud. Supponit Feſtum Dedicationis Cathedralis etiam extra Cathedralem ipſam recoli poſſe, nimirum in tota Civitate, ut ſuperius dicebamus, ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & extra Civitatem, ſeu per totam Diœceſim ſub ritu duplici conſueto, & ſine octava. Firmat vero Feſtum Dedicationis quarumcumque aliarum Eccleſiarum extra Eccleſias ipſas celebrari minime poſſe, ſed tantummodo in Eccleſiis, in quibus conſecrationis dies peragitur. De primo in ſuperioribus jam ſatis egimus, nunc ſupereſt ſuas adhibeamus ſecundo ponderationes, ac limitationes, quod ut præſtemus, Eccleſias, fas eſt, diſtinguamus.

II. Multas recenſet Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 3. q. 55.*, quarum eas tantummodo, aliaſque, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinere queunt, referemus. Ex Eccleſiis igitur aliæ ſunt Primatiales, quæ habent Primatem, qui multis Provinciis præficitur. Aliæ Metropolitanæ, ſeu Archiepiſcopales, quæ habent Archiepiſcopum, qui jus obtinet in ſub-

ditam

ditam ſibi Provinciam; aliæ Patriarchales, quæ Patriarcham habent. An vero, & qua ratione differant Patriarcha, & Primas, ſicut & de variis eorumdem inter ſe contentionibus tractat pluribus idem Azorius *lib. 3. cap. 56.*, quem rerum iſtarum curioſus indagator poterit conſulere. Iſtarum omnium Eccleſiarum Feſta Dedicationum, aut Patronorum ad totius Provinciæ Eccleſias ſibi reſpective ſubditas nequaquam extendi, jam diximus ſupra in Decreto VI.

III. Aliæ ſunt Cathedrales, & ſunt, in quibus Epiſcopus præſidet, ob cujus Cathedram, & Sedem dicuntur Cathedrales, & de his jam ſupponitur Feſtum earumdem Dedicationis ad Civitatem, & Diœceſim ut ſupra propagari. His propinquæ ſuccedunt Eccleſiæ quædam Abbatiales, Collegiatæ, vel Conventuales, quæ ab Epiſcopi juriſdictione exemptæ ſunt, & ſuam ipſæ juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certo Territorio, quod inſtar Diœceſis eſt, obtinent, & de his jam ſtabilivimus in citato Decreto VI., earumdem Feſta Dedicationum, & Patronorum, vel Titularium in totum ſuæ juriſdictionis locum protendi. Nec officit præſens Decretum, quia etſi hujuſmodi Eccleſiæ revera non ſint Cathedrales, ſunt tamen quaſi Cathedrales, cum quaſi Epiſcopali juriſdictione polleant; intelligi autem debet Decretum de aliis Eccleſiis *a Cathedrali, vel quaſi Cathedrali*, quandoquidem paris ſunt juris Cathedralis, & quaſi Cathedralis, & ideo & pares debent eſſe effectus.

IV. Aliæ ſunt Parochiales, in quibus populo miniſtrantur Sacramenta, & verbi divini pabulum: ab eo ſiquidem munere dicti ſunt Parochi, quo nomine appellabantur apud Romanos, qui Legatis Regum, Principum, ac Populorum Romam miſſis, atque hoſpitio receptis, ſalem, & ligna, hoc eſt omnium rerum copiam ſuppeditabant; niſi mavis Parochum dici quaſi Paræcum, qui Græcis eſt incola, ſive habitator in loco, ut habet Pomponius Juriſconſultus *in leg. Pupillus*, *ff. de verbor. ſignific.* An de iſtarum Dedicatione feſtum agi debeat ab omnibus Sacerdotibus degentibus ſub eadem Parochia, diſcutietur in Decreto ſequenti.

V. Matrix autem dicitur ea Eccleſia, quæ vel juriſdictionem habet in alias ſibi ſubjectas, ut Cathedralis, *Cap. Placuit, de præſcript.*, *& cap. Venerabili, de verbor. ſignific.* Vel quæ Oppidi primaria eſt, ac præ aliis dignior. *Clemen. 1. de ſentent. excommun.* Vel denique eadem, quæ Baptiſmalis, ſeu quæ habet fontem aquæ ad baptiſmum ſanctificatæ, quippe quæ *ſicut Mater generat, ita & ipſa regenerat*, ait Gloſſa ibidem. Matrix etiam dici poteſt ea Eccleſia, a qua aliæ exceptæ, & quaſi progenitæ ſunt, *cap. Ad audientiam de Eccleſ. ædific.*, & licet Capitis hujus ſpecies ſit de Eccleſia Parochiali, par nihilominus eſt ratio cujuſcumque alterius, adeoque Abbatiales, Collegiatæ, aliæque ejuſmodi Eccleſiæ, quæ juſpatronatum in alias obtinent, earum quoque dici poſſunt Matrices, tum quia illæ ab his dependent, tum quia forte etiam ortum ducunt. Ut Matrix Eccleſia confunditur cum Cathedrali, vel cum baptiſmali, quæ ut plurimum & Parochialis eſt, de ea jam ſatis dictum eſt; ut vero ſumitur pro Eccleſia Oppidi primaria, aut digniori, vel habente juſpatronatum, cum hujuſmodi tituli non ſpectent ad juriſdictionem ſacram, vel hierarchicam, ſed tantum politicam fundatam in jure fori, vel patronatus, aut anteceſſionis, tales non ſunt, ut ſufficiant ad hoc ut ejus feſta ad inferiores Eccleſias extendantur.

VI. Eadem utique de cauſa idem ſit judicium iis de Eccleſiis, quæ a dignitate, & excellentia dicuntur præcipuæ, & majores, ut ſunt Collegiatæ, vel eæ, quæ ſunt amplæ, & magnificæ ædificii molis, numeroſum habent Clerum, aut populum; ob dictam enim rationem de omnibus iſtis procedit Decretum, & earum feſta Dedicationis ad ceteras inferiores, aut minores Eccleſias nequaquam protrahuntur.

VII. Dantur & Eccleſiæ Regulares, & ex iſtis cum una ab altera minime dependeat, neque aliquæ earumdem ſint, quamvis Ordinum, vel Congregationum Capita, quæ in Cathedralium ſortem numerentur, ideo nullius ex iſtis Eccleſiis feſta Dedicationis, vel Titularis ab altera celebrari poſſunt. Adſunt tamen nonnullæ ex hujuſmodi Regularibus Eccleſiis, quæ ab aliqua majori Abbatia, vel Prioratu dependent, & tunc de iſtis ita eſt pronunciandum. Vel enim adhuc ſunt duo diſtincti Conventus, & efformant duo diverſa Capitula, & tunc cum Eccleſia ſuperior dici non poſſit *propria*, cujus Dedicationem tantum permittunt Rubricæ, relate ad inferiorem, nec e contra, neutrius illius Eccleſiæ Dedicatio ad alteram extendi poteſt, habetque locum præſens Decretum. Si autem Regulares inferiores Eccleſiæ ſint de gremio ſuperioris, ita ut unum cum ea dumtaxat Capitulum, ſeu Conventum faciant, quemadmodum in mea Congregatione eſt Conventus, ſive Eccleſia S. Priſcæ de Urbe Roma, quæ omnino dependet, & unum Capitulum, & Conventum facit cum Conventu S. Mariæ de Populo ejuſdem Urbis; & tunc certum eſt, quod Regulares inferioris Eccleſiæ debent ex integro recitare officium ut in ſuperiori juxta Decretum S. R. C. 8. Septemb. 1602. (de quo alibi), & præfato in caſu cum eæ duæ Eccleſiæ ſint veluti una, & pro una reputentur, feſta propria Dedicationis, vel alia unius Eccleſiæ ad alteram non dicuntur extendi, & ſic per hujuſmodi celebrationem feſti Dedicationis Eccleſiæ ſuperioris, quæ fit ab inferiori, non videtur fractum iri præſens Decretum. Itidem e converſo feſta Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ inferioris a ſuperiori poterunt recitari, non quidem ob dependentiam aliquam, quam hæc ab illa habet, ſed præciſe ex eo quod inferior acceſſorie ſe habet ad ſuperiorem, & unam veluti duntaxat cum ea conſtat Eccleſiam, unde utraque Eccleſia dici poteſt *Eccleſia propria*: Eccleſiæ autem propriæ paſſim præſcribunt officium cum octava Rubricæ Breviarii Romani. Videantur, quæ dicuntur in Decreto XX. hujuſce capitis.

VIII. Dices Rubricæ permittunt officium fieri de Dedicatione unius tantum Eccleſiæ; ubique enim ſemper, dum de Dedicatione loquuntur, ſermonem habent in numero ſingulari, nempe de Dedicatione propriæ Eccleſiæ.

IX. ℞. Quod etiam ſemper, dum eædem Rubricæ ſermonem inſtituunt de Titulari, vel Patrono Eccleſiæ, in numero ſingulari loquuntur, & tamen per hoc minime fit, quod haberi non poſſint plures Tituli, ſeu Patroni, ut diximus in cap. 2., & 3., ita etſi Dedicatio Eccleſiæ ſemper in numero ſingulari pronuncietur, adhuc duarum Eccleſiarum Dedicationes celebrari poterunt, ſi duas haberi contigerit.

X. Idem ſentiendum videtur de quibuſdam Eccleſiolis adnexis, & unitis perſæpe Regularium Eccleſiis, quæ etſi quandoque etiam inſerviant pro Laicis Confraternitatibus, aut etiam Eccleſiæ Parochiales ſint, adhuc tamen plenarie reguntur, & ſubſunt Prælatis Regularibus, ſpectant enim acceſſorie ad Eccleſiam illam Regularem, cui ſunt unitæ, ac ſubſunt, & ideo earumdem feſta, tamquam feſta Eccleſiæ propriæ celebrari poſſe videntur a Clero Eccleſiæ Regularis, & e contra in Eccleſiolis illis æque principaliter Miſſæ Sacrificium celebrari poterit de feſtis Eccleſiæ Regularis, cui ipſæ ſubſunt, quinimmo & divinum officium, ſi inibi ab eodem Clero Regulari ſoleat, aut velit decantari. Pro hujuſmodi Eccleſiis adnexis, & acceſſorie unitis videatur dicenda in Decreto 4. Cap. 2.

XI. Diſputat Gobat *tract. 3. num. 696. append.* 2., num poſſit celebrari feſtum Dedicationis Sacelli, conſecrati tamen, ac dedicati modo, ac ritu aliarum Eccleſiarum publicarum, quod intra Clauſtra perſæpe habent Regulares, inacceſſa quidem infirmiori ſexui, ſed in quibus tamen ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium peragitur, & in ipſis Sacramenta queunt miniſtrari.

XII. ℞. idem Auctor affirmative, citatque pro ſua ſententia Neuſſer *tractat. de Horis Canon. diſp. 6. qu. 5. num.* 18., nec non Paſqualigum, *de ſacrif. novæ leg. qu.* 265. qui licet agant de Titulari dictorum Sacellorum, infert ipſe, ſi fas eſt annuo cultu honorare talem Titularem, quidni & locum, in quo honoratur? Rubricæ enim, ait ipſe, indiſtincte permittunt annuam celebrationem Dedicationis Eccleſiæ, & talia Sacella veniunt nomine Eccleſiæ, ſaltem in materia favorabili.

XIII. Poteſt id confirmari ex Rubrica Breviarii *de commem. tit. IX. num.* 3., ubi habito ſermone de Dominicis quibuſdam privilegiatis ſtatuitur, quod Feſtum in eiſdem occurrens transferendum eſt, *niſi illud feſtum fuerit Principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ*. Igitur, ſi occurrat Dedicatio alicujus Capellæ, quæ non ſit pars alicujus Eccleſiæ, ſed Sacellum per ſe ſtans, erit non ſolum abſolute celebranda, ſed celebranda, quando occurrit in Dominica illa privilegiata, in qua colitur Titularis, vel Dedicatio Eccleſiæ. Tum quia exceptio firmat regulam in contrarium, excipitur autem ſolum Dedicatio *Capellæ ejuſdem Eccleſiæ*, ſeu quæ eſt pars Eccleſiæ, ergo celebrari poterit Dedicatio illius Capellæ quæ per ſe ſtat, nec pars eſt alicujus Eccleſiæ. Tum quia argumentum a contrario eſt non contemnendum. Tum demum quia Capellæ, de quibus hic agimus, non incongrue nuncupantur Eccleſiæ.

XIV. Idem aſſerunt præfati Auctores de Tempellis, ſeu Capellis, vel Eccleſiolis, quas Regulares perſæpe habent in ſuis prædiis patentes cuivis hominum ſorti, ſi ſint vere conſecratæ. In eamdem opinionem deſcendere videtur Guyetus, dum *lib. 1. cap. 3. quæſt.* 12. aſſerit. *Si tamen forte contingat privatam aliquam Capellam more Eccleſiæ fuiſſe dedicatam, illius omnino feſtum anniverſarium Dedicationis fieri debere arbitror ab eo, qui eam beneficii titulo obtinet.*

XV. Hujuſmodi autem ſententias in praxim deduci poſſe non improbabile nos arbitramur; & quidem ulla abſque læſione præſentis Decreti, quod dum firmat, *Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali eſſe tantum celebrandum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur*, intelligendum videtur de Eccleſiis non unitis, adnexis, aut acceſſorie ad alteram non attinentibus. Unde idem Gobat *loco cit. appen.* 3. probat etiam celebrationem annuam haberi debere Dedicationis Eccleſiæ Parochialis adhuc ſtantis, & minime deſtructæ, cujus jus ad aliam novam loco commodiore ſitam translatum eſt; quod extendi etiam debet ad quaſcumque alias Eccleſias, quæ quandoque a Clero Regulari, vel Sæculari, qui ad commodiorem Eccleſiam ſe confert, deſeruntur, dummodo non deſtruantur, & ſub poteſtate ejuſdem Cleri integre permaneant. Quod ſi prior Eccleſia deſtruatur, ejuſdem Dedicationis Feſtum amplius celebrari non poterit, ſiquidem ea non eſt amplius Eccleſia, & celebratio Dedicationis alicujus Eccleſiæ ſupponit eſſentialiter exiſtentiam ejuſdem Eccleſiæ.

XVI. Addendum ſolum hic remanet, quod dum in hoc Decreto ſancitur, quod feſtum Dedicationis &c. eſt tantum celebrandum *in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur*, non

eſt ita limitate intelligendum, quaſi ſolum intra ipſam Eccleſiam recitari queat, adhuc enim extra ipſam Eccleſiam celebrari poteſt ab illis, qui ſunt de gremio illius Eccleſiæ, quandoquidem ex Decreto S. R. C. 30. Auguſti 1602. *Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi*, ut fuſiori calamo dicemus in expoſitione ejuſdem Decreti, de quo ſuo loco. Verum quæ dabuntur in Capite ſecundo pro Titulari dictarum, aliarumque Eccleſiarum, iis, quæ modo diximus, uberiorem porrigent lucem.

XVII. Quæres de quanam Dedicatione, propriæ ne, vel Cathedralis Eccleſiæ officium fieri debeat, ſi ambas eadem die alicubi occurrere eveniat?

XVIII. ℞. Ex Gavanto *ſect.* 8. *c.* 5. *n.* 6. præferendam eſſe Dedicationem propriæ Eccleſiæ, qui aſſerit, id eſſe definitum per Rotam Romanam *Deciſ.* 616. *num.* 1., *& per totam in recentior. par.* 1., ſi autem Dedicatio propriæ Eccleſiæ præferenda eſt in propria die, ſic etiam erit agendum principaliter infra ejus octavam cum commemoratione de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ut optime advertit Meratus *ibidem num.* 15., cum acceſſorium, cujuſmodi eſt octava, ſequatur naturam ſui principalis. In eamdem ſententiam deſcendit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 11. *quæſt.* 1., qui *quæſt.* 2. optimam hujus dat rationem in eo ſitam, quod Feſtum quodlibet, quo magis proprium eſt, eo quibuſvis aliis feſtis propriis æqualibus eſt præferendum, quemadmodum etiam nos fuſe dicemus in Cap. de occurrentia Feſtorum ubi quamplurimi videbimus ſancitum Decretis, officia particularia, & propria ſtante undequaque paritate præferenda eſſe univerſalibus, & quo magis propria ſunt, anteponentiam habere relate ad minus propria. Cum igitur magis ſit proprium feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ, quam feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, quinimmo illud iſto celebrius, & ſolemnius eſſe ſoleat, idcirco proculdubio Dedicatio propriæ Eccleſiæ in occuſu cum Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis præferentiam habebit.

XIX. Eadem item de cauſa Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ præferendum venit Patrono loci, quinimmo & Patrono Principali Ordinis, ſeu Religionis, ac Titulari Eccleſiæ Cathedralis. Hæc omnia deciſa eſſe videntur per Decretum S. R. C. 23. Junii *1636.*, in quo primus locus tribuitur officio Eccleſiæ particularis, ſecundus Ordinis, vel Religionis, tertius Diœceſis, quartus Nationis, quintus Eccleſiæ univerſalis, quemadmodum ex dicendis in Cap. de occurrentia feſtorum in ejuſdem Decreti expoſitione facile conſtare poterit.

XX. Ceterum hæc procedunt ceteris paribus; ſi enim in aliquo eorumdem inſit major dignitas, quam alibi vocamus eſſentialem, ſive ſit ex feſtis, de quibus loquitur Rubrica *de Concurr. num.* 2. *Inter Feſta*, tunc huic primus in occurrentia deberetur locus, ut dicetur in eodem Capite, & Decreto XVI. hujus Capitis, ubi etiam deciſum videbimus, Dedicationem propriæ Eccleſiæ præferendam eſſe ejuſdem Titulari, vel Patrono, dummodo hic dignior non ſit, vel ſolemniori pompa non ſoleat celebrari, qua utique quoque de cauſa Patronum Principalem Ordinis ratione majoris ſolemnitatis, qua ſolet recoli apud Regulares, & apud quos ſic celebratur, præferri poſſe etiam Dedicationi, & Patrono, vel Titulari propriæ Eccleſiæ dicemus in Decreto præfato. Hæc de occurrentia dictorum Feſtorum, quæ autem ſpectant ad concurrentiam, dabuntur opportuniori loco.

DECRETUM DECIMUM QUARTUM

De Titulo, & Conſecratione Parochialis Eccleſiæ, quæ non eſt Cathedralis, non debet fieri officium in die, neque per octavam a Sacerdotibus, qui non ſunt de Clero Parochiali, licet ſub eadem Parochia degant. S. R. C. 17. Aug. 1709. *in Bergomen.* ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 249.

I. CUjuſdam Epiſcopalis Eccleſiæ Sacrorum Rituum Director primarius, ut hocce Decretum, ejuſdemque expoſitionem una ſimul proferret, in Kalendario pro eadem Eccleſia edito de anno 1740. ita exarandum exiſtimavit: *De Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ particularis, etiam Parochialis, non debet fieri officium in die, neque per octavam a Clericis, ſeu Sacerdotibus, quando non ſunt dictæ Eccleſiæ Titulati, vel ſaltem per Reſidentiam ipſius Choro adſcripti, licet degant ſub eadem Parochia*. S.R.C. in una Bergomen. 17. Auguſt. 1709. apud Gavant. nov. to. 2. p. 1. Decr. 249.

II. Hac ex expoſitione permulti ejuſdem Diœceſis Sacerdotes, qui propriæ Parochialis Eccleſiæ Choro nec titulo Beneficii, nec onere Reſidentiæ ſe ſe addictos cognoſcebant, officii ferialis aut oſores acerrimi, aut exiſtimantes privatos iri jure, quod ipſis revera competeret, recitandi officium anniverſarium Dedicationis propriæ Parochialis Eccleſiæ, non leve ſane offendiculum accepere; hinc maturiori, ut ipſi ajunt, Textui animadverſione adhibita, tamquam ab eodem notabiliter diſſonantem memoratam expoſitionem rejiciendam eſſe autumnarunt, mentemque Sacræ Congregationis non limitati ad ſolos Titulatos, & Reſidentes, de quibus nec verbum minimum in Textu habetur, ſed expreſſe favorabilem eſſe univerſo Clero Parochiæ, excluſis tantum illis Sacerdotibus, qui degentes in Parochia, per accidens de Clero Parochiali non ſunt, vel quia alteri Eccleſiæ ſpecialiter adſcripti, vel quia recreationis cauſa, vel alia quaſi per modum tranſeuntis commorantes, Parochialem ut propriam Eccleſiam non recognoſcunt.

III. Et nitebantur primo, quia Concilium Provinciale Mediolanenſe 2. *tit.* 1. *Decr.* 24. ſic præcipit. *Quicumque aliquem Eccleſiaſticum Ordinem ſuſcepit, is, ut Tridentino Concilio juſſum eſt, certæ Eccleſiæ adſcribatur.* Ex præſcripto igitur Concilii Tridentini Clericus quicumque ab Epiſcopo alicui Eccleſiæ adſcribi debet; fere autem ſemper adſcribitur ſuæ Eccleſiæ Parochiali. Quod ſi Clerici, vel Sacerdotes aliqui nulli Eccleſiæ eſſent addicti, idem Concilium Provinciale ſecundum tit. 2. Decr. 28., & Concilium Provinciale tertium §. *de iis, quæ partim ad ordinis Sacramentum &c.* decernunt, *ut Dominicis, feſtiſque ſingulis diebus in Eccleſiam Parochialem ad divina officia celebranda conveniant.* Quiſquis igitur miniſterio alicujus Eccleſiæ non eſt addictus, remanet Eccleſiæ Parochiali adſcriptus, ergo Clerici, & Sacerdotes, qui habitant in Parochia, ſi alteri Eccleſiæ non ſunt addicti, ſunt de Clero Parochiali.

IV. 2. Cenſentur de Clero alicujus Eccleſiæ Sacerdotes, qui quotidianæ Chori reſidentiæ etiam a Miniſtris laicis adſcribuntur: ergo multo magis cenſendi erunt de Clero Parochiali, qui ut ſupra adſcribuntur ab Epiſcopo, vel a Decretis Provincialibus Eccleſiæ Parochialis Choro deputantur.

V. 3. Quilibet Clericus habens propriam Eccleſiam, debet celebrare officium Dedicationis ejuſdem propriæ Eccleſiæ ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, ex Rubricis Breviarii Romani *tit.* 1. *de officio duplici nu.* 1., *& tit.* 7. *de Octavis num.* 1., ſed quilibet Clericus habet propriam Eccleſiam, quia ex Concilio Tridentino, & ex Conciliis ut ſupra Provincialibus adſcribi debet, & adſcribitur alicui Eccleſiæ, & ſi nulli Eccleſiæ adſcriptus eſt, addictus cenſetur Eccleſiæ Parochiali, ergo quilibet Clericus celebrare debet officium Dedicationis propriæ Eccleſiæ cum octava, illius ſcilicet, cui adſcriptus eſt, vel cui adſcriptus cenſetur in defectu formalis & explicitæ adſcriptionis.

VI. 4. Omnes Populi habitantes intra confinis Parochiæ ſunt filii Eccleſiæ Parochialis, & vocant Eccleſiam Parochialem *propriam Eccleſiam*, ergo & omnes Clerici habitantes intra confinia Parochiæ, qui ſunt pars populi fidelis, erunt filii ejuſdem Eccleſiæ, Eccleſiamque Parochialem tamquam *propriam Eccleſiam* reſpicient, ergo niſi alteri Eccleſiæ inſerviant, erunt omnes de Clero Parochiali, & poterunt licite recitare officium Dedicationis Eccleſiæ Parochialis tamquam *propriæ Eccleſiæ*.

VII. 5. Quomodo ii Clerici, etſi nec Titulati, nec quotidie Reſidentes, de illius Eccleſiæ Clero favorabili appellatione non venient, in qua Epiſcopo Viſitatori, per ipſum ſingillatim vocati, per oſculum manus obedientiam profitentur, Parochum ejuſdem Eccleſiæ per Candelæ receptionem in die Purificationis, palmæque in die Olivarum, Communionem in Cœna Domini, & aliis ſimilibus juribus Paſtorem recognoſcunt, tandem qui Parochialis Eccleſiæ campanarum ſono excitati ad illam ſaltem in ſolemnioribus functionibus, proceſſionibus, & ſimilibus accedunt?

VIII. 6. Quia alias Sacerdotes nec Titulati, nec Reſidentes in Diœceſi degentes numquam uterentur jure a Rubricis tributo celebrandi officium Dedicationis propriæ Eccleſiæ ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, quia cum non ſint in in Civitate, excluduntur ab octava Dedicationis Cathedralis; hinc ſi excluderentur etiam ab officio Dedicationis Eccleſiæ Parochialis, numquam officium propriæ Eccleſiæ cum octava recitarent.

IX. 7. Auctores Kalendariorum monent, ut feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis fiat a Clero extra Urbem ſine octava, ergo conſenſerunt, ut Clerus extra Urbem celebrarent aliud officium Dedicationis propriæ Eccleſiæ cum octava, ſed Eccleſia propria Clericorum, qui non ſunt addicti alteri Eccleſiæ, eſt Eccleſia Parochialis, ergo implicite conſenſerunt, ut Clerici prædicti celebrarent officium Dedicationis propriæ Eccleſiæ Parochialis cum octava.

X. 8. Decretum 17. Auguſti 1709. in una Bergomenſi editum, quod in contrarium affertur, non eſt Decretum, ſed Decreti Summarium; Summario autem non multum fidendum eſt, quia Summaria fere ſemper ſenſum aliquanto diverſum, vel ſaltem obſcurum efficiunt, propter quem diverſam a Decretis ipſis ſuſcipiunt interpretationem.

XI. 9. Decretum illud quando erat recenter editum anno 1709. vim non habuit abrogandi conſuetudinem celebrandi dictum feſtum Dedicatonis Eccleſiæ Parochialis, ergo nec modo illam habebit. Nec prodeſt dicere, forſitan tunc notum non fuiſſe. Cum enim editum ſit pro Diœceſi Bergomenſi, incredibile eſt, ſi non omnibus ejuſdem Diœceſis, ſaltem plurimis non fuiſſe notum; unde cum ſtante notitia hujus Decreti Clerus Bergomenſis adhuc conſuetudinem celebrandi dictum feſtum ſervaverit, dicendum venit, quod ſi memoratum Decretum extenſum legeretur, importaret ſenſum diverſum ab illo, quem eidem tribuit Auctor memorati Kalendarii, vel alia ratione conſuetudini dictum officium recitandi non poſſet officere.

XII. 10. Afferunt conſuetudinem immemorialem, vi cujus Clerici præfatæ Diœceſis alteri Eccleſiæ non addicti recitant officium anniverſarium Dedicationis propriæ Eccleſiæ Parochialis; Sacræ autem Congregationis Declarationes numquam abrogare cenſentur immemoriales conſuetudines, niſi de eis fiat expreſſa, & individualis mentio, & per eas eiſdem in

ſpecie

ſpecie veniat derogatum ex communiori ſententia Theologorum, & Canoniſtarum ex Gloſſa *in cap.* 2. *de præſcript. in* 6., Rota Romana *part.* 2. *recent. deciſ.* 604., *& deciſ.* 686., *& deciſ.* 197. Cum itaque in dato Decreto nulla habeatur mentio conſuetudinis, dicendum venit, quod per illud in nihilo derogata venit, ubi ea immemorialis invaluit.

XIII. 11. Quia Decreta Sacræ Congregationis, vel potius ejuſdem Reſponſa vim præceptivam, & obligandi non habent, ſed tantum directivam, quando clauſulam veri Decreti obligantis per verbum *Mandat*, vel ſimile non habent, uti effuſiſſimo calamo doctus P. Merati *in Gav. to.* 1. *par.* 3. *tit.* 11. delibat; unde cum præſens Decretum dictam clauſulam minime habeat, etſi quoſcumque Sacerdotes, qui non ſunt Titulari, aut Reſidentes, a celebratione præfati feſti excluderet, adhuc ad ceſſandum ab ejuſdem recitatione nequaquam tenerentur.

XIV. 12. Nullus enim, inquiunt, eſt lippus, aut tonſor, qui neſciat Decreta Sacræ Congregationis authentice, & auctoritative, non aliter quam ab ipſamet Congregatione, omni alio penitus, præter Papam, excluſo, interpretari, & declarari licitum eſſe, tum ex illa vulgata regula, *ejus eſt interpretari, cujus eſt condere*; tum ex Doctoribus celebrioribus Suarez, Salas, & aliis innumeris apud Catalanum *par.* 1. *quæſt.* 2. *cap.* 14. Non igitur licebat Auctori memorati Kalendarii adductam proferre præfati Decreti interpretationem.

XV. 13. Pro coronide adducunt ejuſdem Congregationis antiquum Decretum ſub die 8. Septemb. 1602. apud Gav. novum *to.* 2. *p.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 5. *tit.* 2. *n.* 4., cujus verba abſoluta, & illimitata hæc ſunt; *Qui ſunt de gremio Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in Choro dicitur, & licet extra Eccleſiam, vel Diœceſim morentur, decet recitare officium proprium Eccleſiæ ipſorum*. Cum itaque omnes Sacerdotes alteri Eccleſię non adſcripti, ſint de gremio Eccleſię Parochialis, poterunt recitare officium, quod in Choro Parochiali dicitur, licet morentur alibi, & non ſint de iis qui ejuſdem Choro ſunt obligati; ſolum enim exigit Decretum, quod *ſint de gremio*, nec verbum minimum habet, quod ulterius ejuſdem Choro debeant eſſe adſtricti.

XVI. Hæc ſunt præcipua dictorum Sacerdotum argumenta, quibus luculenter probatum iri exiſtimarunt, Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Parochialis recitari poſſe, & debere a Clericis extra Urbem degentibus intra fines cujuſcumque Parochiæ conſtitutis, qui non ſunt alteri Eccleſiæ addicti; & quia multæ ex adductis rationibus militant etiam pro Clericis Urbanis, id extendendum pariter ad iſtos ſunt arbitrati, ac conſequenter nullam habendam eſſe rationem expoſitionis illius ab Auctore ſępius memorati Kalendarii exaratæ. Quæ autem dicta ſunt de officio Dedicationis Eccleſię Parochialis, procedunt & de officio Patroni, ſeu Titularis ejuſdem, ut ex ſe patens eſt, & probatione non indiget.

XVII. Præfatis argumentis addi poſſunt nonnulla alia ex Guyeto *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 7. deprompta, videlicet 1., & erit 14. in ordine: quia Feſtum Dedicationis, & Titularis Eccleſię Parochialis eſt vere feſtum loci, ejus nimirum totius, ad quod ſe extendit juriſdictio Eccleſię Parochialis; ergo ex Rubrica 1. *num.* 1. de ipſo fieri debet officium in toto loco.

XVIII. 15. Feſtum illud obligat quoſcumque in Parochia exiſtentes quoad feriationem, ſeu abſtinentiam ab operibus, ergo & quoad officium.

XIX. 16. Sicut jure communi omnes Eccleſię in Diœceſi conſtitutæ ad Epiſcopum pertinent, adeoque ab Eccleſia Cathedrali dependent, ita & ad Parochum, Parochialemque Eccleſiam omnes in Parochię finibus conſtitutę; ergo ſicut Cathedralis Eccleſię feſta propria per omnes Diœceſis Eccleſias ſervari debent, ita & concludendum feſta itidem propria Parochialis Eccleſię ſervari debere ab omnibus Eccleſiis intra Parochiæ fines conſtitutis, & ſic etiam ab omnibus Sacerdotibus ſub eadem Parochia degentibus.

XX. 17. Favet uſus multorum Regularium, qui feſta Parochiæ perinde atque Diœceſis ſolent cum officio colere. Quin & id Cęremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 16. ſic expreſſe declarat: *De Patrono Eccleſiæ Parochialis decet, ut fiat officium duplex majus, præſertim ſi feſtum ſit de præcepto, aut conſuetudo*.

XXI. Antequam noſtram hac in diſceptatione mentem aperiamus, monitum Lectorem volumus, quod expoſitionem ſuper pręſens Decretum ab Auctore memorati Kalendarii exaratam tuendi provinciam nequaquam ſumimus; ſed quid attentis Decretis Sacræ Congregationis, Rubricis, aliiſque revera hac in parte pronunciandum ſit, noſtri unice reputamus inſtituti.

XXII. Dicimus autem præſens Decretum ita eſſe intelligendum, ut officium Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis celebrari non debeat in die, neque per octavam a Sacerdotibus degentibus ſub eadem Parochia, licet nulli alteri Eccleſiæ addicti ſint, in eaque permanens, ac fixum habeant domicilium; quinimmo dictum officium nec extendi poſſe ad Eccleſias intra fines ejuſdem Parochiæ ſitas, & eidem Eccleſię Parochiali ſubjectas, ſed ſolum fieri poſſe, & debere intra ipſam, vel in ipſa Eccleſia Parochiali, & ab ejuſdem Clero Parochiali, ſeu a Clero pręfatæ Eccleſiæ Choro addicto, ac obligato. Ita expreſſe ſentit Guyetus *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 7., *& lib.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 11., & alibi paſſim, qui

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Gavantum a ſuis partibus ſtare pronunciat pro iis, quæ iſte docet *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 5., *& cap.* 12. *num.* 19. Potius tamen nos crederemus, id deduci poſſe ex iis, quæ docet *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26., videlicet *ſine facultate Sedis Apoſtolicæ, aut Sacræ Rituum Congregationis fieri non poſſe officium, eo quia habeatur in Civitate, ſeu loco Abbatialis, Regularis, vel Parochialis Eccleſia*. Si autem officium Dedicationis, & Tituli Eccleſię Parochialis ad totum locum, ſeu Parochiam extenderetur, hoc ipſo abſque pręfata facultate *in eo loco* fieri poſſet officium. Quidquid tamen ſit de Gavanti mente, hoc certum eſt, quod ſi ipſe in ſuis Commentariis nobis forte expreſſe non favet, nullibi tamen neque implicite, noſtræ contrariatur opinioni.

XXIII. Et quidem ut ad evidentiam cuilibet pateat mens, ac intelligentia præſentis Decreti, in medium primo prodeat Decretum ipſum 17. *Auguſti* 1709. *in eadem Bergomenſi* pro Miſſa pręfati feſti Dedicationis, & Tituli Eccleſię Parochialis celebranda editum, quod adducit Meratus in ſuo indice Decretorum ſpectantium ad Miſſale Romanum ſub num. 746. Habet autem: *In die Conſecrationis, vel Tituli Eccleſiæ Parochialis, & non Cathedralis, & per octavas non poteſt celebrari Miſſa Dedicationis, ſeu Titularis ſub eodem ritu duplici, ac Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Eccleſiæ Parochiali ſubjectis, in quibus multi Sacerdotes celebrant*. Quid, quęſo, clarius ad intentum unquam dici poteſt? Si Miſſa Dedicationis, & Titularis Eccleſię Parochialis in die, & per octavas ejuſdem Dedicationis, & Tituli in Eccleſiis, ſeu Oratoriis intra confinia Parochię ſitis, eidemque Eccleſię Parochiali ſubjectis ſub ritu duplici, ac in Parochiali, dici non poteſt, ſane fas eſt, quod officium Conſecrationis, ac Tituli Eccleſię Parochialis ad totum ſuę juriſdictionis locum nequaquam extendatur, & quod ſolummodo intra Eccleſiam ipſam Parochialem celebrari queat; ſi enim officium extenderetur, utique & Miſſa quę ſequitur officium.

XXIV. Nos quidem minime preterit pręſentis vi Decreti dumtaxat inhiberi celebrationem Miſſę Dedicationis, & Tituli Eccleſię Parochialis *ſub eodem ritu duplici, ac in Parochiali*, & non, ſaltem explicite, ſub ritu inferiori. Aſt hoc luculentiſſime ſufficit ad repellendos Adverſarios, qui officium Dedicationis, & Tituli Eccleſię Parochialis ad cęteras Parochię Eccleſias ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava extendi arbitrantur; in primis enim ſi Miſſa ſub ritu duplici *per octavas*, ſeu in diebus octavis dici non poteſt, jam de eiſdem octavæ celebrari minime valent, quoniam in diebus octavis non niſi officium duplex, & conſequenter Miſſa ex Rubricis inſtituitur. Fit igitur, quod dum Miſſa ſub inferiori ritu recitari *per octavas* permiſſum videtur, hoc intelligi debeat, non de ritu feſtivo, ſed de ritu votivo, ſeu quod Miſſę votivę de eiſdem dici permittuntur; quod utique in veriori textus expoſitione ſimiliter intelligendum videtur de Miſſa in die feſto recitari permiſſa, videlicet quod votiva, & non feſtiva dici poſſit extra Eccleſiam ipſam Parochialem, cujus Dedicatio, vel Titulus celebratur, non quod inferiori ritu, ac in Parochiali, puta ritu duplici 2. claſſis, aut majori celebrari queat, quemadmodum, ſicut dicebamus, dum ibidem dicitur, quod per octavas Miſſa ſub eodem ritu duplici, ac in Parochiali, celebrari non poteſt in pręfatis Oratoriis, non intelliguntur conceſſę Miſſæ feſtivę ſub inferiori ritu, puta ſemiduplici, ſed dumtaxat votivę. Quod ſi ſolę Miſſę votivę de feſto Dedicationis, & Tituli Eccleſię Parochialis extra Parochialem ipſam in Oratoriis eidem Eccleſię Parochiali ſubjectis permittuntur, ad eadem officium nequaquam extendi, Sole clarius evadit, quia Miſſa votiva ea eſt, quę cum officio occurrenti haudquaquam eſt concors.

XXV. Quę cum ita ſint, videat modo Lector, quam diſpoſita circa Miſſam cohæreant cum iis, quę a pręſenti Decreto ut ſupra intellecto circa officium ſtabiliuntur; ſicut enim Miſſa feſtiva de Dedicatione, & Titulo Eccleſię Parochialis, neque in die, neque per octavam dici permittitur in Eccleſiis, ſeu Oratoriis intra fines Parochię conſtitutis, & Eccleſię ipſi Parochiali pleno jure ſubjectis, ſed ſolummodo dici valet in Eccleſia eadem Parochiali, cujus Dedicatio, vel Titulus celebratur; ita officium dici non poterit a Sacerdotibus ſub eadem Parochia degentibus, licet nulli alteri Eccleſię adſcripti ſint, & pleno jure Eccleſię Parochiali ſubdantur, ſed ſolummodo recitari valebit a Clero Parochiali, videlicet a Clero ejuſdem Parochialis Eccleſiæ Choro addicto.

XXVI. 2. Adduci poteſt Decretum Sacrę Congregationis Rituum 19. Aug. 1629., (eſt pręcedens) in quo ſancitum habetur, quod *Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali, celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur*. Idem etiam determinatum fuiſſe a Rota *apud Ludoviſ. dec.* 472. refert Nicolius *in floſcul. verb. officium num.* 15. his verbis: *Officium Eccleſiæ conſecratæ non Cathedralis celebratur tantum intra ipſam Eccleſiam.* Nec diſſimiliter ſenſit memorata Sacra Rituum Congregatio in ſuo Decreto (erit 2. Cap. 2.) 8. Aprilis 1628. de Titulari ejuſdem Eccleſię Parochialis, quandoquidem in eo vetuit fieri feſtum cum officio, *eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis*, & aperte pręſcripſit, quod *dictum feſtum tantum fieri debet in Eccleſia ipſius Sancti Titularis*. Cum igitur particula *Tantum* ſit dictio taxativa, quę includit expreſſum, & reliqua excludit, in apertam conſequentiam utique venit,

quod de feſto Patroni, ſive Tituli Eccleſiæ Parochialis intra ipſam Eccleſiam Parochialem duntaxat, & non in cæteria Eccleſiis intra confinia Parochiæ conſtitutis, & eidem Parochiali ſubjectis officium fieri valet, Si autem feſtum Tituli Eccleſiæ Parochialis ſolum intra Eccleſiam ipſam fieri poteſt, utique & Dedicatio.

XXVII. Dices ex adductis quidem evinci, quod de feſto Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis officium inſtitui non poſſit publice extra ipſam Eccleſiam Parochialem in cæteris Eccleſiis, ſeu Oratoriis intra confinia Parochiæ conſtitutis, non tamen privatim a Clero eidem Eccleſiæ Parochiali adſcripto, queles ſunt, ut ſupra contenditur, omnes Sacerdotes habentes fixum, & permanens Domicilium intra Parochiæ fines, & nulli alteri Eccleſiæ addicti; quemadmodum etſi præfatum feſtum Dedicationis, & Tituli intra Eccleſiam ipſam duntaxat cum officio coli poſſe præſcribatur, tamen adhuc a nobis conſtanter, & bene aſſeritur, quod extra dictam Eccleſiam celebrari poteſt privatim a Sacerdotibus Choro ejuſdem Eccleſiæ addictis. Nec aliqualis deeſt ratio diſcriminis, ob quam ad Eccleſias intra fines Parochiæ ſitas nequaquam poſſit, bene vero ad omnes Parochiæ Sacerdotes, alteri Eccleſiæ non adſcriptos, dictum officium extendi; illæ enim vel colunt, vel colere deberent feſtum propriæ Dedicationis, ac Tituli, hi vero alias nullius Eccleſiæ particularis Dedicationem, & Titularem excolerent, & ideo ad hoc congruit, & illas vero nequaquam, officium Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis protrahi.

XXVIII. ℞, Quod etſi forſan ex ſuperius datis Decretis nequaquam ſatis probatum maneat, quod a memoratis Parochiæ Sacerdotibus privatim extra Parochialem prædictum officium recitari non poſſit, hoc tamen certe indubium redditur, quod de Feſto Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis eodem prorſus modo loquendum eſt relate ad Sacerdotes eidem ut ſupra adſcriptos, ac de Feſto Dedicationis, & Tituli cujuſcumque alterius Eccleſiæ relate ad Sacerdotes, qui ejuſdem ſervitio addicti eſſe poſſent; de aliis enim Eccleſiis a Cathedrali indiſcriminatim, & ulla abſque exceptione loquuntur memorata Decreta: Unde hoc ipſo, quod univerſim, ac generaliter probatum venit, quod de feſto Dedicationis, & Tituli alicujus Eccleſiæ officium dici non poteſt a Clero, qui ſolummodo ejuſdem ſervitio addictus eſt, aut de illius eſt gremio, niſi inſuper ejuſdem Eccleſiæ Choro ſit obſtrictus, id etiam luculenter probatum erit de feſto Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis, quæ non eſt Cathedralis.

XXIX. Hoc poſito de feſto Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ Parochialis officium fieri non poſſe, nec debere a Clero, qui eidem Eccleſiæ adſcriptus eſt, ac de ejuſdem eſt gremio, non tamen ejuſdem Eccleſiæ Choro obligatus, indubium reddit Decretum Sacræ Rituum Congregationis 28. Septembr. 1602., dum per idem firmatur, quod Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo, qui fuerunt de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius Choro obligati, debent recitare officia Particularia illius Eccleſiæ, *ſecus autem ſi ſint de gremio, & nullatenus Choro intervenire debuerint*; inter officia autem particularia præcipuum locum utique tenent Feſta Dedicationis, & Tituli Eccleſiæ, imo per ſe ea ſolummodo ſunt, quia per accidens omnino eſt, quod Eccleſia alia particularia habeat officia, ut ob Reliquias inſignes, aut ſpecialem aliquam ob conceſſionem, vel legitimam conſuetudinem. Qui igitur de alicujus Eccleſiæ gremio ſunt, ſed illius Choro haudquaquam obligati, non debent officia particularia illius Eccleſiæ, & conſequenter nec feſtum Dedicationis, & Titularis ejuſdem, celebrare.

XXX. Idem firmat Decretum ejuſdem Congregationis 30. Aug. 1602. his verbis: *Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare officia, quæ in Choro propria dicuntur eadem die*. In quo videre eſt, quod ad hoc ut recitari queant officia particularia alicujus Eccleſiæ, exigitur nedum Clericorum adſcriptio eidem Eccleſiæ, ſed inſuper eorumdem obligatio ad Chorum. Verum quoniam ſuper hoc fuſius inſtituitur ſermo in Cap. de Qualitate officii in eorundem Decretorum explanatione, Ideo ulteriora verba dare abſtinemus.

XXXI. Nec dicas per hujuſmodi Decreta ad ſummum probatum iri, præfatos Clericos ut ſupra addictos, & Choro non obligatos haudquaquam teneri ad celebrationem dictorum officiorum, non tamen, quod ab ipſis non poſſint celebrari. Verbum enim illud *Non debent* in Decreto pro Tertiariis ut ſupra poſitum, etſi forſan per ſolam excluſionem debiti quandoque accipi poſſit, quod hic contendere nolumus, in communi tamen acceptione etiam potentiæ importat excluſionem. Deinde ut in memorato Capite a nobis animadvertitur, vel præfati Clerici alicui Eccleſiæ adſcripti, & ejuſdem Choro minime obligati, tenentur ad præfata feſta Dedicationis, & Tituli, vel ſi non tenentur, nec poſſunt, ſed per Adverſarios, & per adducta Decreta nequaquam tenentur, ergo nec poſſunt ea excolere. Probatur major: quoniam ſi dicta feſta poſſunt celebrare, hoc evenit, quia ſunt *Dedicatio, & Titulus propriæ Eccleſiæ*, ſed hoc ipſo nedum poſſunt, ſed tenentur ea celebrare, ergo vel tenentur, vel ſi non tenentur, nec poſſunt. Probatur minor; Dedicatio, & Titulus propriæ Eccleſiæ juxta Rubricas non ſunt feſta ad libitum, ſed de præcepto, unde occurrentia in diebus impeditis, ex Rubr. 7. *de octavis num.* 3. transferri debent, ergo hoc ipſo quod poſſint, tenentur ea celebrare; feſtum enim de præcepto illud eſt, cujus celebratio in præcepto eſt, nec in noſtro eſt poſita arbitrio. Jam ſatis huc uſque id probatum extitit, magiſque adhuc oſtenſum habebitur, dum dicta Decreta explanata manebunt; & ideo ſolummodo ſupereſt, reſpondeamus argumentis a principio in contrarium adductis.

XXXII. Ad primum igitur ultro concedimus Clericos quoſcumque ſervitio alicujus Eccleſiæ adſcribi, & ſi aliqui nulli Eccleſiæ eſſent addicti, Parochiali debere inſervire, aſt poſtea negamus per hoc præciſe eos eſſe *de Clero Parochiali*; ſatis enim ex ſuperius adductis Sanctionibus liquet in ſenſu Decreti eos duntaxat de Clero Parochiali dici, qui Eccleſiæ Parochialis choro adſcripti ſunt, non autem qui duntaxat ſunt de ejus gremio, aut ejuſdem ſervitio deputati; conſtatque ſimiliter ex verbis ipſiuſmet Decreti, dum a Clero Parochiali diſtinguit Sacerdotes, qui ſub Parochia degunt; per Sacerdotes enim degentes ſub Parochia intelligere eos duntaxat ex eiſdem, qui alteri Eccleſiæ a Parochiali addicti ſunt, aut, per modum tranſeuntis ibidem degunt, contrariari videtur amplitudini Decreti, ejuſdemque indiſtincto loquendi modo.

XXXIII. Ad 2. concedimus conſequentiam; ſi per deputationem factam ab Epiſcopo, vel a Synodis exurgat obligatio in Sacerdotibus intereſſendi Choro, eique quotidie, aut per majorem ſaltem anni partem interſint, ſecus autem ſi inde nulla exurgat obligatio, atque iidem una, vel altera duntaxat vice, aut ſolemnioribus ſolum diebus, vel ad ſummum diebus feſtivis Choro aſſiſtant, ſic autem ſolum evenit in caſu; unde per has infrequentes intereſſentias non congruit, quod ab uniformitate cum reliqua Eccleſia in divinis officiis deflectant, & per unam, vel alteram Chori aſſiſtentiam ab ea pluribus vicibus, ut non ſemel eveniret, declinare debeant, aut officium aliquod de præcepto omittere, illud ſcilicet, quod ob occurrentiam cum feſto illius particularis Eccleſiæ, quod celebratum eſt, transferri contingeret cum maxima quandoque cæterorum officiorum jam translatorum amotione, ac perturbatione.

XXXIV. Ad 3, negamus minorem; illa enim Eccleſia, cui præfati Clerici ut ſupra inſerviunt, aut adſcripti ſunt, non niſi late, ac improprie eorumdem *propria Eccleſia* nuncupari valet, numquam tamen ſtricte, proprie, in ſenſu Rubricarum, & Decretorum, quæ ultra memoratam adſcriptionem exigunt obligationem ad ejuſdem Chorum, vel Beneficium aliquod, de quo ſuo loco.

XXXV. Ad 4. Clerici omnes intra confinia Parochiæ degentes ſunt quidem filii Eccleſiæ Parochialis, ac Eccleſiam Parochialem tamquam propriam Eccleſiam inſpiciunt, quoad dependentiam ab ea in ſuſceptione Sacramentorum, & quoad alia jura parochialia, & hoc modo Eccleſia Parochialis ex æquo reſpicit nedum dictos Clericos, ſed etiam Clericos alteri Eccleſiæ adſcriptos, ac Sæculares omnes intra terminos ſuæ Parochiæ exiſtentes; unde patens eſt, quod hujuſmodi titulus haud ſufficiens eſt ad reddendam Eccleſiam Parochialem propriam eorumdem Eccleſiam proprietate exacta ad hoc, ut ejuſdem officia propria recitare valeant.

XXXVI. Ad 5. dicimus, quæ ibidem afferuntur, ſolummodo evincere dependentiam Clericorum a Parocho, & Parochiali Eccleſia quoad jura parochialia, quæ impertinenter ſe habet, ut dicebamus, ad præſtandam potentiam recitandi officia particularia illius Eccleſiæ.

XXXVII. Ad 6, reponimus concedendo ſequelam, & hoc quia dicti Sacerdotes non habent Eccleſiam propriam proprietate exacta, ut de ea tamquam de propria Eccleſia officium celebretur. Nec officit, quod extra Urbem non celebretur octava Dedicationis Cathedralis; nam octava Eccleſiæ propriæ non eſt inducta in defectum octavæ Eccleſiæ Cathedralis, quapropter in Urbe a Clero Sæculari, qui de alicujus Eccleſiæ conſecratæ Choro eſt, ultra officium, & octavam Eccleſiæ Cathedralis celebratur officium, & octava ſuæ Eccleſiæ propriæ; quinimmo in Decreto VIII. hujus Capitis ſancitum vidimus, extra Urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem, fieri non debere octavam Eccleſiæ Cathedralis. En igitur, quod inconveniens nequaquam eſt, quod alicubi nullius Eccleſiæ propriæ celebretur octava. Idipſum evenit Sacerdotibus illis, qui ſunt de Clero Eccleſiæ alicujus non conſecratæ, & per ipſos quoque Adverſarios eveniret, ſi Eccleſia Parochialis, de qua ſermo procedit, conſecrata minime fuiſſet; unde igitur abſurdi quid fingitur in eo, quod aliquis nullius Dedicationis Eccleſiæ Feſtum peragat?

XXXVIII. Ad 7. negamus conſequentiam, quæ utique ex antecedenti numquam deduci poterit; Kalendariorum Auctores monent quidem, quod extra Civitatem celebrari non poteſt Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis cum octava, quia hoc jubent Decreta Sacræ Congregationis, & præcipue VI. hujus Capitis, aſt certe poſtea nequaquam videmus, unde ex hoc monito deduci poſſit, quod queat celebrari aliud officium Dedicationis propriæ Eccleſię cum octava. Hoc quidem verum eſt, ſi propriam Eccleſiam habeant, ſed poſtea ex eo monito nequaquam deducitur, quoniam etiam in Civitate, ubi celebratus octava Dedicationis Cathedralis, colitur ulterius officium cum octava Dedicationis propriæ Eccleſiæ a Clero, qui illam habet, Eccleſia autem Parochialis relate ad Clericos Diœceſis Choro non ad-

dictos,

Digitized by Google

dictos, ex dictis non eſt ad intentum ſufficienter *propria*.

XXXIX. Ad 8. non habemus, quid reſpondeamus; illud enim Decretum in Bergomenſi editum, ſive ſit Decretum, ſive ſit Summarium Decreti, ſupponimus, quod omnino concors ſit aut in verbis, aut in ſenſu cum ſuo Originali, cum Meratus ita illud nobis proferat cum proteſtatione, quod omnia Decreta, quæ adducit, fideliter excerpſit ex Regeſtis Sacræ Rituum Congregationis, & iterum diligenter contulit cum ſuis Autographis, ſeu Originalibus. Quod ſi ſuper hujuſcemodi rem locus aliquis adhuc minimus dubitationi daretur, jam hoc ipſo nihil amplius firmum, ac certum haberemus, & de omnibus aliis Decretis non minus dubitari liceret.

XL. Ad 9. nobis credere lubet, quod dubium in Sacra Congregatione propoſitum fuerit ex parte Sacerdotum, non Diœceſis, ſed Urbis Bergomenſis; in hac autem Urbe, ſi conſuetudo aderat celebrandi feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ſane correpta fuit, cum Adverſariis ipſis teſtibus hujuſmodi conſuetudo ſaltem univerſaliter, & uniformiter nequaquam vigeat. Nec officit, quod aliqui adhuc in celebratione præfati feſti Dedicationis Parochialis Eccleſiæ perſiſtant; hoc enim evenit, aut ex prætenſa conſuetudine, vel ex inſcitia Decreti, vel quia in officiorum materia ſane plus juſto quilibet in ſenſu ſuo abundat, nec deſunt, qui multum prætendunt ſapere, cum tamen Rubricas, aut Decreta vel numquam legerint, ſive a longe ſalutarint. Quod ſi extra Urbem a celebratione memorati feſti Clerici nequaquam ceſſarunt, ſed univerſaliter adhuc perſeverant, ex motivis mox ſupra adductis id præſtitum fuiſſe credibile redditur, vel potius quia ea, licet haud vera, generaliter invaluit inter eos opinio, ut octava Dedicationis Eccleſiæ propriæ Parochialis vices faciat octavæ Dedicationis Cathedralis, quam extra Urbem haudquaquam licet celebrare. Deinde non eſt inſpiciendum, quod fit, ſed quod fieri debet, ut elegantiſſime dicebat Proculus Juriſconſultus, *in l. ſed licet, ff. de offic. Præſid.*

XLI. Ad 10. quod conſuetudo recitandi officium aliquod, ut retineri poſſit, debet eſſe introducta ante Bullam Pii V., quæ edita fuit anno 1568., alioquin ei penitus derogatur per Declarationem Sacræ Rituum Congregationis, quæ 8. Aprilis 1628. decrevit; *Non potuiſſe poſt Bullam Pii V. de Breviario Romano, neque poſſe locorum Ordinarios addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum officia &c.* in quo Decreto reprobatur conſuetudo quæcumque poſt Bullam Pii V. introducta vel introducenda, etiam per locorum Ordinarios, recitandi officium aliquod, & corruptela, & abuſus appellatur. Clarius id etiam præſtitit eadem Sacra Congregatio 27. Novembr. 1632., dum ſtabilivit; *Si Feſtum S. Honuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum officio, & Miſſa, poteſt continuari, ſi vere introductum eſt poſt Bullam, nullo modo permittendum eſt.* Quinimmo propius adhuc ad rem noſtram accedendo, audiat Lector, quid eadem Congregatio die 28. Auguſti 1706. de conſuetudine recitandi officium de Patrono Principali Parochiæ ſancitum voluit; *Quamvis PP. Cappucini Conventus Leodienſis ex conſuetudine pluſquam centum annorum ſoleant facere officium duplex majus de S. Servatio Epiſcopo 13. Maji, quia eſt Patronus Principalis Parochiæ, in qua morantur, & eſt feſtum devotionis in Populo, nihilominus declaratum, & deciſum fuit: non licere prædictis PP. Cappucinis continuare recitationem dicti officii, nec in alium diem transferre, quando ab alio feſto contingit eſſe impeditum.* Verum quoniam in Capite de Feſtis ex conſuetudine fuſe acturi ſumus de conditionibus neceſſario exactis ad hoc, ut feſta ex conſuetudine inducta retineri valeant, ideo illuc Lectorem remittimus, ut dignoſcat, an quæ affertur, conſuetudo recitandi officium Dedicationis Eccleſiæ Parochialis continuari queat. Eumdem tamen hic non monere non poſſumus, quod tunc adhuc jure conſuetudinis id illi unice quidem liceret, non autem vi Rubricarum, vel Decretorum id permittentium, quapropter ubicumque ea conſuetudo nequaquam adfuerit, a recitatione præfati officii Dedicationis Eccleſiæ Parochialis erit prorſus abſtinendum.

XLII. Ad 11. dicimus omnino extra Chorum eſſe ea, quæ ibi afferuntur; noſtra enim quæſtio eſt, num liceat attentis Rubricis, & Decretis Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Parochialis a Clero, qui non eſt adſcriptus Choro ejuſdem Eccleſiæ, celebrare, non vero an non obſtantibus Decretis in contrarium diſponentibus adhuc dictum feſtum recoli poſſit. Cæterum de aſſertis Sacræ Congregationis Decretis, ſeu declarationibus ſentiendum eſt cum Turrino *par. 1. ſect. 1. cap. 2. §. quæres 2.* apud Meratum *art. 3. tit. 11. num. 3.*, inducere eamdem obligationem, quam inducit Rubrica, cujus eſt Decretum, vel interpretatio, tum quia, ut ipſe ait, ſunt acceſſoria illi Rubricæ, & habent eamdem naturam, tum etiam quia qui declarat, nihil novi inducere dicitur, *l. hæredes palam, ff. ſi quis poſt teſtam.* In noſtro autem caſu Sacra Congregatio declarat Rubricam diſponentem *fieri debere feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ*, non habere locum niſi in iis, qui ejuſdem Eccleſiæ Choro ſunt deputati; unde qui aliter faciunt, & ſentiunt, in aſſerta Rubrica fundamentum nequaquam habere glorientur, quin potius in eam peccare ſe ſciant.

XLIII. Ad 12. quod non minus nullus eſt lippus, aut tonſor, qui neſciat, quod Auctor ſæpius memorati Kalendarii, & nos ipſi, qui Decreta Sacræ Rituum Congregationis ex-

ponendi provinciam ſuſcepimus, authentice, & auctoritate interpretari nequaquam intendimus, quaſi quod interpretatio noſtra legem faciat, ac obligandi vim habeat, hoc enim pacto legem interpretari illius ſolum eſt, cujus eſt condere. Cæterum interpretatio doctrinalis, quæ nec habet vim legis, nec illius eſt diſpenſatio in totum, vel in partem, ſed declaratio mentis Legiſlatoris, a quolibet viro docto fieri poteſt, non ex ejus cerebro, huc, illucve ſenſum legis pro libito deflectendo, ſed juxta regulas, & ſenſus probatorum Doctorum: quia cum ſæpe in verbis legis ſit aliqua obſcuritas, vel ambiguitas, nec de facili poſſit Legiſlator adiri, merito fuit Doctoribus conceſſa facultas doctrinaliter interpretandi legem, *l. unic. cod. de Poſſeſſionibus, leg. 1. ff. ſi certum petatur*, colligiturque ex *cap. 2. de privilegiis in 6.* Ex hoc pacto nedum Decreta Summorum Pontificum, ac Sacrarum Romanarum Congregationum, & Leges civiles, & canonicas, ſed etiam Sacram Scripturam, Legem naturalem, & divinam recte poſſunt interpretari, quinimmo hujuſmodi interpretatio neceſſaria eſt, quia cum plura harum Sanctionum præcepta, & diſpoſitiones dubium, vel obſcurum ſenſum præſeferant, neceſſaria indubie redditur illarum interpretatio ad rectam earumdem obſervationem. Verum hæc cum ſint communiter recepta, ut ſuper eadem ulterius immoremur, nequaquam expoſcunt.

XLIV. Ad 13. patebit ſolutio ex expenſione ejuſdem Decreti in oppoſitum adducti, quod neceſſario intelligi debere de iis, qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, *& illius Choro obligati*, non autem de iis, qui præciſe de gremio Eccleſiæ ſunt, & ejuſdem Choro nequaquam addicti, fuſe dicemus in Cap. de Qualitate officii recitandi, ne eadem incaſſum repetamus. Ut autem hujuſmodi interpretationis agnoſcas neceſſitatem, pro nunc hic adjiciendum ſolummodo exiſtimamus, quod Sacra Congregatio iiſdem die, anno, & Decreto ad ſecundum dubium ſancivit, ut ſequitur: *Clerici licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare officia, quæ in Choro propria dicuntur eadem die.* Jam autem vides, quod dum ad primum dubium decrevit, quod *Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in Choro dicitur*, de neceſſitate id intelligi debet de iis, qui ſunt de gremio Eccleſiæ, & illius Choro obligati, alias Sacra Congregatio in eodem Decreto omnimode oppoſita, & contrariis ſimul ſanxiſſet, quod a tam Sapientiſſimis Patribus præſtitum fuiſſe, nefas eſt etiam excogitare.

XLV. Ad 14. negamus feſtum Dedicationis, & Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ Parochialis eſſe feſtum loci, de quo *in Rubr. 1. num. 1*, officium duplex faciendum eſſe præſcribitur; ut enim bene advertit Guyetus *lib. 1. cap. 7. quæſt. 1., & 2.* Patronus loci magis extenditur, quam Patronus Eccleſiæ, nam hic ad unam tantum Eccleſiam pertinet, ille vero ad plures. Deinde Patronus loci, Cleri, Populique ſuffragiis de conſenſu Epiſcopi eligi debet. Patronus vero Eccleſiæ, etiam Parochialis, non ſimili electione, ſed ex Fundatorum duntaxat beneplacito conſtituitur. Sacra item Congregatio 14. Febr. 1705. ſuo Decreto, de quo in Cap. IV., ſanxit Patronum Parochiæ non eſſe Patronum loci, & 23. Auguſti 1706., ut diximus ſupra, non licere Patribus Cappuccinis officium continuare de S. Servatio Epiſcopo, licet ſit Patronus principalis Parochiæ, in qua morantur; Si autem Patronus Principalis *Parochiæ* foret Patronus principalis *loci*, utique ad ejuſdem officium Patres Cappuccini obligati extitiſſent, cum ad officia principalia, præcipue Dedicationis, Titularis, ac Patroni locorum, in quibus degunt, Regulares teneri pluribus Sanctionibus certum ſit, uti præſertim videbimus agentes de Patronis Locorum.

XLVI. Ad 15. falſum omnino eſſe, feſtum Dedicationis, aut Titularis Eccleſiæ Parochialis obligare Parochianos ad feriationem, ac abſtinentiam ab operibus, ut conſtabit ex dicendis in Cap. de Diebus feſtivis. Verum quidquid ſit de feriatione, ſeu abſtinentia ab operibus, ab iſta profecto perperam infertur obligatio ad officium, hæc quippe ad Chorum, illa ad forum ſpectat, hæc ad ſolos Clericos, illa ad omnes quidem, ſed maxime ad Laicos: illam ſi tu non ſervas, aliis ſcandalo es, quiſquis fueris; ab hac ſi receſſeris, cum non tenearis, quis niſi vel inſcius, vel dicax offendatur? Hinc pluribus in locis non ſemel obſervari vidi feſtum aliquod de præcepto vi conſuetudinis, voti, aut devotionis, quod tamen officio non colitur, ut teſte Gavanto *ſect. 2. cap. 2. num. 26.* Romæ feſtum S. Rocchi, pro quo videnda ſunt, quæ dicuntur in Cap. prædicto de Diebus feſtivis, non enim ex eo, quoad Feſtum aliquod ſit in præcepto quoad forum, continuo eruitur de eodem officium fieri poſſe, ſed pro hoc neceſſaria ulterius eſt Apoſtolica conceſſio; Unde & Epiſcopis integrum eſt Feſta de præcepto quoad forum inducere, non tamen officia aliqua.

XLVII. Ad 16. reſpondet Guyetus *lib. 2. cap. 16. quæſt. 17.* his verbis: *Adductum argumentum nedum urget, ut laborare in hoc etiam videatur, quod Parochialis Eccleſiæ, adeoque Parochi ipſius juriſdictionem Eccleſiæ Matrici, necnon & Epiſcopi poteſtati æquiparare præſumat; quod quam a vero ſit alienum, noſtri non eſt inſtituti, nec vero etiam otii proſequi; id abunde ſatis præſtitit Auguſtinus Barboſa lib. de Canonicis, & Dignitatibus, cap. 2.* Inepte igitur ex obligatione ſervandi feſta propria Eccleſiæ Cathedralis exorta a dependentia, quam habent vel habere deberent (quæ ſcilicet per privilegium exemptæ extiterunt) cunctæ Diœceſis Eccleſiæ, in-

fertur obligatio in Eccleſiis intra Parochiæ fines conſtitutis celebrandi Feſta propria Parochialis Eccleſiæ. Prædicti manifeſte eruitur invaliditas argumenti ex Decreto ſuperius recenſito, in quo Regularibus inhibetur continuatio officii S. Servatii Patroni Principalis Parochiæ, in qua morabantur, nec non ex Decreto XII. Cap. III., in quo ſtatutum manſit, ſub nomine Patroni loci, de quo Regulares tenentur recitare officium ſub ritu duplici primæ claſſis, non venire Patronum Parochiæ; ſi enim eadem ratio foret de Eccleſia Cathedrali, ac Parochiali relate ad Eccleſias intra ſuæ juriſdictionis terminos reſpective ſitas, quemadmodum Regulares tenentur ad Feſta primaria Eccleſiæ Cathedralis, ita teneri debuiſſent ad ea Eccleſiæ Parochialis, intra cujus confinia eorundem Monaſteria ſita inveniuntur, atque constructa.

XLVIII. Ad 17. Uſui adducto contrarium uſum apud Regulares magis utique receptum opponimus, qui ex Guyeto vel eo nomine præferendus videtur, quod ſit conformior nominato ſæpius Decreto Sacræ Rituum Congregationis, vetantis fieri feſtum cum officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis; alteri item Decreto dato 2. Maji 1619., quo videlicet præcipitur, ut Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in tota Diœceſi fiat; quidni & Dedicationem Eccleſiæ Parochialis Decretum illud expreſſiſſet, ſi de ea officium in tota Parochia perinde fuerat celebrandum? Quod ſi hinc evidenter arguas, ejuſmodi Dedicationem extra Eccleſiam ipſammet Parochialem minime eſſe celebrandam, par certe, vel etiam minor eſt ratio Tituli ipſius, ſeu Patroni. Ita ad litteram diſcurrit Guyetus; quid autem dixiſſet, ſi ejuſdem tempore emanatum extitiſſet Decretum illud Sacræ Rituum Congregationis, in quo ſub die 28. Auguſti 1706. Patribus Cappuccinis vetitum fuit continuare celebrationem officii S. Servarii Patroni Principalis Parochiæ, in qua morabantur, licet ex conſuetudine pluſquam centum annorum id ſemper præſtitiſſent? Quid ſi præſens Decretum, vel alia, quæ in ejuſdem expoſitione, ac probatione dedimus, in ejuſdem notitia extitiſſent?

XLIX. Cæremoniale itaque Monaſticum, quatenus per verbum *Decet*, laudat celebrationem officii de Patrono Eccleſiæ Parochialis, ac in Regularium arbitrio eam collocat, corrigendum utique venit, ac reſtringendum ad caſus, quos per dictionem *Præſertim* nominat, ſcilicet *Præſertim ſi Feſtum ſit de præcepto aut conſuetudo*; ita tamen ut ſolum Regulares officium facere valeant, ſi Feſtum in Parochia de præcepto quoad forum ſit, & ulterius ex Apoſtolica conceſſione in ea officium habeat, aut adſit conſuetudo ante Bullam Pii V. introducta ad tramites dicendorum in expoſitione plurium Decretorum dandorum, ac explanandorum in ſuis reſpective Capitibus.

L. Supereſt modo, Lectorem moneamus, primo, quod præſens Decretum nihili facit Sacerdotum habitationem intra fines Parochiæ ad effectum recitandi de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Parochialis, *Licet ſub eadem Parochia degant*, niſi ulterius tales ſint, ut de Clero Parochiali cenſeantur. *Non debet fieri officium a Sacerdotibus, qui non ſunt de Clero Parochiali*; quinimmo ab iis, qui ſunt de Clero Parochiali, recitari utique poterit, tametſi ſub eadem Parochia minime degant, imo quantumvis nec habitationem intra fines Diœceſis habeant, intra quos ſita eſt Eccleſia illa Parochialis, de cujus Clero ſunt. Haud credimus, hac in parte Sacerdotes illos, cum quibus præſens eſt diſceptatio, habere refragatores, utpote qui a recitatione officii Dedicationis excludunt illos de Clero degentes in Parochia, *qui alteri Eccleſiæ ſpecialiter adſcripti ſunt, vel inibi recreationis cauſa, vel alia quaſi per modum tranſeuntis commorantur*, quos conſequenter cenſent ad recitandum de Dedicatione Eccleſiæ, cui ſpecialiter addicti ſunt, vel permanenter deſerviunt, teneri, atque eſſe obligatos. Et revera Decreta cuncta, quæ obligatos Choro alicujus Eccleſiæ, ad hujus particularia officia recitanda teneri decidunt, nec verbum faciunt de neceſſitate habitationis habendæ intra terminos juriſdictionis ejuſdem, quimmo nec hæc haberi poteſt relate ad Eccleſiam illam, quæ licet Chorum habeat, nullam tamen ſortitur localem juriſdictionem. Ratio quoque ipſa, cui memorata innituntur Decreta, petita ex uniformitate, ac ex vitatione plurimorum incommodorum, quæ alias inevitabiliter ſequerentur, idipſum demonſtrat, uti videre eſt in tribus primis Decretis Capitis de Qualitate officii, ubi propterea ſancitum apparebit, quod, *Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in Choro dicitur, licet morentur alibi, etiam extra Diœceſim*. Videat igitur Lector, quæ ibi decreta ſunt, ac in Decretorum expoſitione a nobis dicuntur, & nec dubitamus, quod de nulla neceſſitate habitationis apud Eccleſiam intra fines juriſdictionis Eccleſiæ ad effectum, de quo agitur, nobis rationem faciet. Recolat quoque, quæ in Decretis tertio, & quarto ſequentis Capitis de Beneficiatis, vel quaſi Beneficiatis exarantur, & de iis, quæ modo dedimus magis, magiſque remanebit inſtructus.

LI. Monitum ſecundo eundem Lectorem volumus, quod ad effectum recitandi de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Parochialis Decretum haudquaquam expoſtulat, quod Sacerdotes eſſe debeant addicti Choro ejuſdem Eccleſiæ, ſed quod ſint *de Clero Parochiali*, ſeu de Clero illius Eccleſiæ, de qua vel pro qua dubium proponitur; hoc autem ideo præſtitum extitiſſe putamus, quia etſi obligatio Chori conſtituat Sacerdotem de Clero Eccleſiæ, cujus Choro addictus eſt, non eſt tamen modus unicus, ſed alii itidem adſunt, vi quorum Sacerdos aliquis de Clero alicujus Eccleſiæ rite dici valet, quantumvis talis Eccleſia Chorum non habeat, vel Sacerdos ille de ejuſdem Choro minime ſit. Sunt autem hujuſmodi Beneficia, quæ in ea Eccleſia poſſidentur, quæ licet Beneficiarium ad Chorum minime obligent, eundem tamen obligant ad recitandum ſaltem de Dedicatione, ac Titulari ejuſdem, quemadmodum videbimus in Decreto quarto ſequentis Capitis. An autem id etiam procedat de Capellanis, & de quibus eorundem, & an adſint aliqui alii, & qui ſint, qui de Clero Eccleſiæ cenſeri queant ad effectum agendi officium de Feſtis ejuſdem ſaltem primariis, quæ in expoſitione memorati Decreti quarti in ſequenti dabimus Capite, in apertum utique ponent.

LII. Monitum tertio igitur Lectorem itidem facimus, quod ut probe ſciat vim præſentis Sanctionis, & quinam ex Sacerdotibus ſint de Clero alicujus Eccleſiæ ad effectum agendi de Titulo, & Dedicatione ejuſdem, omnino neceſſarium redditur, quod cuncta recolat, quæ damus in expoſitione Decretorum tertii, & quarti ſequentis Capitis, necnon omnium eorum, quæ in toto Capite de Qualitate officii examinanda ſumemus; ex ibi enim dicendis manifeſtum utique fiet, quibus liceat, & non liceat de dictis officiis recitare, & quouſque progrediatur præſentis diſpoſitio Sanctionis, quæ juxta ibi dicenda ampliationem, & limitationem ſuſcipit.

LIII. Monendus venit quarto, quod cum hæc ita ſe habeant, Compoſitor memorati Kalendarii carpendus minime remanet ſuper expoſitione præſentis Sanctionis; ad ejuſdem enim ſenſum, ac vim profecto Decretum prædictum exaravit, ac uniformiter ad alias ejuſdem Congregationis Sanctiones, cum quarum utique conformitate intelligendum erat. Unum ſolummodo in præfati Decreti expoſitione miſſum fuit, quod tamen Sanctio ipſa pariter, videlicet ut iiſdem etiam liceat de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis officium facere, qui conſuetudini immemorabili ante Bullam Pii V. uſque introductæ innituntur, juxta ea, quæ late exarata venient in Capite præſertim de Feſtis ex conſuetudine, & ſequenti, ubi examini itidem ſubjicietur, num integrum ſit in celebratione continuare iis, qui immemorabilem quidem habent conſuetudinem, ſed de qua minime conſtat, an ante præfatam Bullam Pianam inducta ea fuerit. Verum liceat nobis dicere; quod tametſi titulus memoratæ conſuetudinis ſufficiens ſit ad continuandam recitationem dictorum officiorum, adhuc in expoſitione dicti Decreti hoc minime debuit exprimi, quod ſolum Sacerdotes *de Clero Parochiali* in exceptuatis poſuit; non enim præfata conſuetudo Sacerdotes, qui non ſunt, reddit de Clero Parochiali, ſed dumtaxat Beneficium, vel quaſi Beneficium, aut Reſidentia Chori, quæ propterea unice expreſſa venere, & exprimi debuere: Satis igitur concinne, & apte per adducta in principio hujus Decreti verba Decretum ipſum, unaque ejuſdem expoſitionem dedit Sacrorum Rituum memoratus Director.

LIV. Monendus remanet quinto, quod Decretum per ea verba, *Quæ non eſt Cathedralis*, diſcrimen ſtatuit Eccleſias Cathedralem inter, & Parochialem, ac conſequenter oppoſitum ſentiendum venit de recitatione officii de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Parochialis, ac dicatur de recitatione de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis; id enim aperte indicat exceptio illa, *Quæ non eſt Cathedralis*, quæ firmat regulam in contrarium pro caſibus non exceptis: Cum itaque officium de Titulo, & Conſecratione Eccleſiæ Cathedralis ad totum ſuæ juriſdictionis locum, ac ad Sacerdotes in eo degentes protendatur, fas eſt, quod officium de Titulo, & Conſecratione Eccleſiæ Parochialis, quæ Cathedralis non eſt, ad ſuæ juriſdictionis locum integre non propagetur, nec ad Sacerdotes omnes, qui ſub Parochia commorantur, alias utrumque officium reſpective proculdubio æque extenderetur contra memoratam exceptionem. Aſſerere, quod præfata officia Cathedralis obligent etiam eos, qui recreationis cauſa, vel alia quaſi per modum tranſeuntis intra Diœceſim commorantur, quos intra Parochiam ita degentes nullatenus obligant, ut contendebatur Decretum præſens eſſe explicandum, officia Eccleſiæ Parochialis, nullum diſcrimen utique ponit, quoniam ita intra Diœceſim commorantes, nullatenus tenentur ad officia præfata Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſequi debent officia illius Eccleſiæ, de cujus clero ſunt, quamque permanenter inhabitant. Quod ſi contendatur, præfatos adhuc ad dicta officia Cathedralis teneri, vel ſaltem ea recitari poſſe, proculdubio etiam ita degentes intra Parochiam tenebuntur, vel ſaltem poterunt recitare de prædictis officiis Eccleſiæ Parochialis, quoties hæc ad totum juriſdictionis locum, uti ea Cathedralis, extenderentur, non enim diſparitatis aſſignari valet ratio aliqua.

LV. Nec majoris roboris extat diſparitas altera, ſeu præſentis Sanctionis expoſitio ſuperius adducta, in qua dicebatur, quod officia Eccleſiæ Parochialis non protenduntur ad Sacerdotes, licet intra Parochiam permanenter commorantes, qui alteri Eccleſiæ ſpecialiter adſcripri ſunt, ubi officia Cathedralis etiam iſtos comprehendunt. Quoniam vel ſermo eſt de adſcriptis Eccleſiæ alteri intra Parochiæ fines ſitæ, vel extra hos fines conſtitutæ. Si ſermo ſit de Sacerdotibus addictis Eccleſiæ extra Parochiam conſtitutæ, nullum proculdubio ponitur diſcrimen, quoniam & Sacerdotes, qui forent de Choro alicujus Eccleſiæ extra Diœceſim poſitæ, non tenen-

tur

tur ad officia Tituli, & Conſecrationis Eccleſiæ Cathedralis, in cujus Diœceſi inhabitant, in eaque permanenter degunt, ſed illius Cathedralis, in cujus Diœceſi ſita eſt, atque conſtructa reperitur Eccleſia illa, cujus ſervitio ſunt adſcripti. Si vero ſermo inſtituatur de Sacerdotibus addictis Eccleſiæ intra Parochiam conſtitutæ, uti qui ſerviunt Eccleſiæ, ejuſque Choro ſunt obſtricti, quæ ſita eſt intra terminos juriſdictionis Eccleſiæ Cathedralis, non poſſunt ſe eximere a celebratione Tituli, & Conſecrationis Eccleſiæ Cathedralis; ita qui ſerviunt, & addicti ſunt alicui Eccleſiæ intra Parochiam extructæ, non poterunt ſe liberos cenſere ab onere recitandi de Titulo, & Conſecratione Eccleſiæ Parochialis, ſi hæc officia inſtar Cathedralis ad terminos ſuæ juriſdictionis protenduntur; uti enim in hoc caſu ſe habet Cathedralis ad omnes Sacerdotes, & Eccleſias Diœceſis, ſic ſe habet Parochialis ad omnes Sacerdotes, & Eccleſias Parœciæ.

LVI. Unicum hac in re remaneret effugium, & eſt in iis Beneficiatis, qui in aliqua Eccleſia extra Diœceſim beneficium obtinent ſine chorali obligatione; hi enim ex inferius dicendis tenentur ad officia Tituli, & Conſecrationis Eccleſiæ, cui vi beneficii adſcripti ſunt, & aliunde etiam ad officium Tituli, & Conſecrationis Eccleſiæ Cathedralis, in cujus Diœceſi firmum, & permanens domicilium habent, teneri videntur; ad quos tamen haudquaquam deſcendit obligatio recitandi de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Parochialis, apud quam permanenter inhabitant. Verum ſi res mature conſideretur, nec hujuſmodi effugium alicujus eſt roboris aut valoris. Vel enim dicti Beneficiarii ſequuntur Kalendarium Eccleſiæ ſui beneficii, licet apud eam non reſideant, ſed adhuc extra Diœceſim dictæ Eccleſiæ; & tunc nec debent, nec poſſunt recitare de Titulo, & Conſecratione Eccleſiæ Cathedralis Domicilii, ſed de Titulo, & Conſecratione Eccleſiæ Cathedralis, in cujus Diœceſi ſitum eſt beneficium. Vel ſequuntur Kalendarium Diœceſis, in qua permanenter degunt, cum ſola additione officiorum Tituli, & Conſecrationis de Eccleſia ſui beneficii, & tunc debent quidem recitare de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis Domicilii, & non Eccleſiæ Cathedralis, intra cujus Diœceſim habent beneficium, ſed poſtea non minus deberent recitare de Titulo, & Dedicatione Parochialis, in cujus Parœcia degunt; ſi enim officia præfata extenduntur ad totum juriſdictionis Parochialis locum, ita proculdubio ſe habet Titulus, & Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis relate ad Sacerdotes intra Diœceſim degentes, & extra Diœceſim beneficium poſſidentes, uti Titulus, & Dedicatio Eccleſiæ Parochialis ad dictos Sacerdotes intra Parœciam commorantes, quapropter uti dicti Sacerdotes tenentur ad officia Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſui Domicilii, ita manerent obſtricti ad officia Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ Parochialis ſui itidem Domicilii. Ad hæc ſeriam Lector adhibeat ponderationem, & fallor, ſi mihi rationem non faciet, & nullum reperiat diſcrimen.

LVII. Cum hæc igitur proculdubio ita ſe habeant, & habere ſe debeant, opus eſt, fateantur Adverſarii, quod præſens Decretum productum non patitur expoſitiones, ac conſequenter quod officia Tituli, & Conſecrationis Eccleſiæ Parochialis non ſe extendunt ad totam Parœciam; ſed intra limites ejuſdem Eccleſiæ Parochialis coercita remanent inſtar aliarum Eccleſiarum non Parochialium, quarum Titulus, & dedicatio ſolum celebrari queunt intra Eccleſias ipſas, ſeu a ſolo Clero, quod in idem redit, dictis Eccleſiis addicto; cujuſmodi tantummodo ſunt Sacerdotes illi, qui in ea Eccleſia choralem obligationem, vel beneficium aſſequuntur, quemadmodum ex inferius ſuo loco dicendis magis patebit. Hoc autem modo intellectum Decretum cum omnibus aliis ſuperius recenſitis, & inferius recenſendis optime cohæret, nec reperire eſt aliquod, ex quo ullam vel minimam capiat offenſionem.

LVIII. Remaneret inquirendum, an Clerici, qui non ſunt de Clero Parochiali in ſenſu Decreti, & diebus feſtivis ad Veſperas in Parochiali conveniunt, teneantur Veſperas iterato dicere, ſi Veſperæ Eccleſiæ Parochialis diſſormes ſint ab eorumdem Kalendario. Verum ſuper his recolat Lector, quæ dicta venient in Capite ſequenti, cum de Capellanis ſermo habebitur, & multo magis, quæ dicentur in Capite de Qualitate officii.

DECRETUM DECIMUM QUINTUM.

Si Eccleſiæ Dedicatio accidat in Feſto Nativitatis B. M. V., officium fieri debet de Dedicatione, & duæ Miſſæ poſſunt cantari. Infra Octavam vero fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobr. 1604. *in Ariminen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 174.

I. FUit *proculdubio*, inquit D. Bernardus Epiſt. 174. *Mater Domini ante ſancta, quam nata; nec fallit omnino Sancta Eccleſia, ſanctum reputans ipſum Nativitatis diem, & omni anno cum exultatione univerſæ terræ votiva celebritate ſuſcipiens*; uti enim opportuniori loco dicemus, merito Eccleſia in Sanctis aliis non recolit diem illum, quo naſcuntur in hanc fragilitatis miſeriam originali infecti peccato, ſed quo a vinculis carnis ſoluti, ad lucem ſublimantur æternam, ac immaculata morte defuncti renaſcuntur ad gloriam. Solius celebrat Joannis Baptiſtæ natalem, quem inculpatum extitiſſe ex Evangelio didicimus; hinc merito infert Petrus Caniſius *lib. 1. de Maria Deipara cap. 11.* potiori jure debuiſſe Eccleſiam diem illum ſolemnem habere, in quo Maria huic nata eſt mundo, utpote quæ ſingulariori privilegio ab omni culpa extitit præſervata; ſubditque Joannes Gerſon ſerm. de Nat. B. M. V. *Propterea poſt Celebritatem Nativitatis Joannis Baptiſtæ ſacratiſſimam, & jucundam, quia ſine peccato natus eſt per ſanctificationem, inſtituit Eccleſia Nativitatem Beatæ, & glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ celebriter fieri, admonita prius miraculo.*

II. Hic reſpexiſſe creditur Gerſon ad viſionem quamdam cuidam Religioſo viro divinitus factam, cujus meminere D. Antoninus *part. 4. tit. 15. cap. 6. §. 2.* Vincentius Bellovacenſis *in Speculo Hiſtoriarum l. 6., cap. 65., & lib. 7. cap. 119.* Carthuſianus *Serm. 1. de Nativ. B. V.*, Petrus de Natalibus *Catal. Sanct. Cap. 51.*, aliique, quamque aſſeverant cauſam extitiſſe hujuſce inſtituendæ Solemnitatis. Referunt enim, quod cum Eremita quidam plures in nocte diei octavæ Septembris magnum gaudium in Cælis ab Angelis audiverit quotannis haberi, petiit a Deo inſtrui de cauſa; a quo meruit audire, ſolemnem, atque celebrem in Cælis fieri diem illum, quo Maria nata eſt in Terris, Romano hoc detulit vir ille Pontifici, qui ſtatim eumdem diem in terris ſolemnem induxit, qui jam cum tanta ſolemnitate celebrabatur in Cælis.

III. Opinati fuere nonnulli a S. P. Auguſtini ætate Feſtivitatem hanc eſſe in Eccleſia celebratam, ea perſuaſi ratione, quod in eccleſiaſticis officiis ejuſdem diei legatur prædicti Sancti Patris ſermo de ea Solemnitate, in quo hæc verba tenentur: *Gaudeat Terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata Natali.* Verum Baronius *in notis Martyrolog. ad diem 8. Septem.* monitum facit Lectorem, quod licet ſermo ille ſit germanum S. P. Auguſtini opus, adhuc habitus non fuit in Natali Dei Genitricis, ſed in ejuſdem Annunciatione, & quod Textus vice *Natali* tenet *Solemni die*, licet perpaucis mutatis ab Eccleſia Nativitati, ut pluries facere aſſolet, fuerit accommodatus. Audi Florentinum, qui *in notis ad ſuum Martyrolog. ſub die 8. Septemb.* ita ſcriptum reliquit: *Quamquam enim ſermo Divi Auguſtini in Eccleſia legatur, & ipſius revera ſit; Nativitati tamen accommodatus eſt, licet in Annuntiatione dictus fuerit.* Et quidem, quod Auguſtini tempore Natale Virginis haudquaquam fuerit celebratum, in dubium venire non poteſt, quoniam Auguſtinus ipſe *Serm. 21., & 22.* liquido aſſerit; *Solius Domini, & Beati Joannis dies Nativitatis in univerſo mundo celebrari, & coli.*

IV. Ex his corruit quoque opinio Sauſſaii *ad diem 8. Septemb. in ſuo Martyrologio Gallicano* aſſerentis, Sanctum Maurilium Mediolanenſem, Sancti Martini diſcipulum, ex Sancto Ambroſio Lectorem ordinatum, & poſtea ad Epiſcopatum Andegavenſem evectum, primitus hoc feſtum in Galliam invexiſſe, quod & affirmat Saſſi *in Differt. ſuper Corpora SS. Protaſii, & Gervaſii num. 16.*

V. Thomaſinus *de Dier. feſt. celeb. lib. 2. cap. 20. num. 1. & ſeq.* temporibus S. Fulberti Carnotenſis Antiſtitis, videlicet anno circiter 1000., eidem Regioni prædictæ Solemnitatis conſignat originem; tum quia ipſe primus omnium *Serm. 1. de Nativit.* hæc Solemnia commemoraverit, tamquam recens inſtituta, tum quia id indicare videtur nomen, quo in finitimis locis appellantur, *l'Angevine*, petitum ab Andegavenſi Regione. Nec ab ſua deterretur ſententia, eo quod hujuſce Solemnitatis meminerit Ordo Romanus, necnon S. Idelphonſus ſæculi ſeptimi ſcriptor in Libro de Virginitate; ait enim hunc librum a ſubacti ingenii viris germanum dicti Sancti Patris opus haudquaquam exiſtimari, & omnes probe noſce Ordinem Romanum Librum quemdam Ritualem eſſe, cujus generis Operibus accedunt annis conſequentibus plura a variis auctoribus adjecta.

VI. Verum quia antiquiora haud deſunt in Eccleſia Romana, & Gallicana præfatæ feſtivitatis monumenta, a remotioribus item temporibus ejuſdem originem petendam eſſe autumarunt Florentinius *in notis ad ſuum Martyrolog. ſub die 8. Septemb.*, Fronto *in notis ad ſuum Kalendarium*, Martene *de Antiqua Eccl. diſcipl. cap. 20.* Pagi junior *in Breviario Rom. Pontif. in vita Innoc. IV. num. 18.*, aliique permulti, quantum enim attinet ad Eccleſiam Romanam, in hujus Codice Sacramentorum *lib. 2.* habetur Miſſa *in Nativitate S. Mariæ*; in Sacramentario S. Gregorii adſunt Orationes ad Matutinum, Proceſſionem, & Miſſam *in Nativitate Beatæ Mariæ* dicendæ; & in Libro Pontificali Feſtum Nativitatis Deiparæ eſt unum ex iis, in quibus Proceſſio ab Eccleſia S. Adriani ad Baſilicam S. Mariæ Majoris indicitur. Quantum autem ad Gallicanam ſpectat Eccleſiam, quamvis ineunte ſæculo nono præfatum non viguiſſe feſtum, Moguntinæ Synodi anno 813. habitæ, viguiſſe feſta tunc temporis recenſentis, ſilentium ſatis evincat; eodem tamen labente jam invectum fuiſſe non minus aperte eruitur *ex Cap. 18.*, ordinationum Walterii Epiſcopi Aurelianenſis anno 871., illud inter feſta ſolemniter celebranda annumerantis, *ex Notis* Celozii, *Ex Tomo 6.* Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ Jacobi Longueval, aliiſque validis monumentis.

VII. Temporibus Epheſini Concilii, a quo execranda illa Neſtorii hæreſis damnata, atque proſcripta fuit, qua Sanctiſſimæ Mariæ Virginis titulus ille ſupremus *Dei Genitricis* impie auferebatur, unde juxta ea Prophetæ verba *In tribulatione dilataſti mihi*, magis, magiſque in dies toto Orbe Chriſtiano Beatiſſimæ Virginis cultus auctus, amplificatuſque fuit,

Feſtum

Feſtum hoc cœpiſſe exiſtimat Azorius *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 29. *quæſt.* 1. At ſcite Baronius *in Notis Martyrol.* non præſumit hoc dicere, quia in laudato Concilio Moguntino videntur illius Patres dictum ignoraſſe feſtum. Demum ſelo antiquiorum Patrum nonnullos afferri ſermones *in Sanctæ Virginis Nativitatem*, at Thomaſinus *loco citato num.* 2. nos monitos rite facit, iiſdem minime adjudicandos illos eſſe, quamquam plures in eorum Operibus extent ſub adſcito perperam eorumdem nomine.

VIII. Vetuſta quidem igitur eſt hujuſmodi Celebritas, licet primis Eccleſiæ ſæculis minime fuerit inſtituta, & diu poſt dies Natales Domini, & S. Joannis Baptiſtæ, cujus præcipua ratio eſt, quia Evangelium non agit, niſi de duplici hoc Natali die, & ex Libris Canonicis deprompſit Eccleſia prima Solemnia. Eſt autem item in præcepto quoad forum in utraque Eccleſia Græca, & Latina, & ab Emmanuele Comnæno ſæculo duodecimo inter feſta integræ feriationis adſcripta, & licet ab utraque præfata Eccleſia in die octava Septembris concorditer modo celebretur, non ſemper tamen in eadem fuit exculta, quemadmodum obſervat Florentinius *in notis ad ſuum Martyrolog. ſub die* 8. *Septemb.*

IX. Olim Octavam non habuit, ſed Innocentius IV. eam inſtituit. Vacante enim Romana Eccleſia per obitum Gregorii Papæ, novis Cardinalibus concordare nequentibus; Romani poſt plures dies eis incluſis multiplices moleſtias inferebant, propter quod Cardinales Reginæ Cæli voverunt, quod ſi ejus meritis concordarent, & abire libere poſſent, octavam ſuæ Nativitatis diu neglectam celebrandam de cætero ſtatuerent. Sicque ad Cæleſtinum Papam convenerunt, & liberati ſunt. Sed quia idem Cæleſtinus vixit ſolum 18. diebus, non potuit votum implere, quod poſtmodum dictus Innocentius ejus Succeſſor implevit. Ita ad litteram Durandus *lib.* 7. *cap.* 28., Thomaſinus *loc. cit. num.* 4. Pagi Junior *loco item laudato*, & apud Labbæum *Concil. tom.* 11. *part.* 1.

X. Gregorius XI. privilegium addidit teſte Radulpho Tungrenſi *lib. de Obſerv. Canon. cap.* 19., unde & in vita dicti Gregorii a Boſqueto edita hæc leguntur: *Secundo ordinavit, quod Nativitas B. Mariæ Virginis haberet Vigiliam cum jejunio, pro qua etiam officium proprium Miſſæ ordinavit*. Verum cum modo feſtivitas hæc pervigilio careat, & jejunio, putat Pagi Junior *in vita dicti Gregorii num.* 32., quod ab eodem non in præcepto, ſed in conſilio poſita fuerit: quod & prius animadverterat Galeſinius *in Notis ad Martyrologium*.

XI. Evenit autem quandoque Dedicationem alicujus Eccleſiæ, quæ in ſolemnioribus annis diebus fieri conſulitur, in hac Beatæ Mariæ Solemnitate peractam extitiſſe, ac per conſequens in hanc quoque ejuſdem Anniverſarium quotannis incidere; unde exorta eſt dubitatio, cuinam ex dictis Feſtivitatibus deberetur officium, nedum in die feſto, ſed adhuc per octavam, & quatenus Dedicatio ſibi vindicaret officium, num in die Dedicationis cantari poſſet Miſſa de Nativitate B. Mariæ ad ſatisfaciendum devotioni Populi, qui hac de cauſa ad Eccleſias concurrit. Dubitationem vero diremptit præſens Decretum.

XII. Meminerunt hujuſce Decreti Gavantus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 3. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 5. Fagioli *in Kalend. perpet. ration. in annot. ad Septemb. lit. D. num.* 1., atque Pittonius *Conſt. pro Sac. Ritib. n.* 225. ſed hic, ubi nos legimus, *& duæ Miſſæ poſſunt cantari*, legit *Miſſæ duæ cantentur*; qui duo legendi modi ſunt apprime inter ſe ſe differentes, nam primus ſonat libitum, ubi ſecundus dicit præceptum canendi duas Miſſas. Equidem fallitur, tamen, legitque Decretum inconſonanter ad Miſſalis Rubricas, a quibus nec minimum recedere aſſolet in ſuis condendis Sanctionibus Sacra Rituum Congregatio, ſed eas ſervari maxime curat. Ubinam autem in Rubricis Miſſalis præſcribitur, quod in occurſu duorum Feſtorum, quorum unum transfertur, de ambobus debeat Miſſa cantari? Nullibi ſane. Legitur quidem in præfatis Rubricis *de Transl. num.* 6. poſſe cantari, ſi paucos excipias dies ibidem deſcriptos, duas Miſſas, unam de officio; quod celebratur, alteram de Feſto, quod transferri debet, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum dictum feſtum; Sed quis non videt, hujuſmodi dicendi modum importare libitum, non præceptum?

XIII. Legatur igitur memoratum Decretum, uti a nobis ſuperius datum fuit, ac ex Regeſtis Sacræ Congregationis nobis exhibet Meratus, & in dicto occurſu, ſi placet, cantetur etiam Miſſa de Nativitate B. Mariæ, cujus officium transferri debet; eſt enim feſtum, quod ubique Populi concurſu colitur.

XIV. In occurſu autem Dedicationis, & Nativitatis B. M. V. nec fas eſt dubitare, quod Nativitas transferri debet, & de Dedicatione officium inſtitui; diſpar enim eſt ritus, Dedicationis primæ claſſis, Nativitatis ſecundæ claſſis, ubi autem inæqualitas eſt ritus, non attenditur dignitas perſonæ. Sic Rubricæ Breviarii Romani, ſic Tabula occurrentiæ, ſic Auctores omnes, quemadmodum in hiſce Commentariis non ſemel demonſtratum fiet.

XV. *Infra octavam vero fiat de digniori*. Difficilius profecto eſt ſtabilire, quænam ex prædictis octavis cenſenda ſit dignior. Si dignitas ritus attendatur, nullum diſcrimen intervenit, cum utraque dies infra octavam ritus ſemiduplicis ſit, & dies octava duplicis minoris. Si dignitas perſonæ, dignior videtur octava B. Mariæ; ſi vero dignitas feſti, cujus octavæ non ſunt, niſi prorogationes, in dignitate octavam Dedicationis, cujus feſtum primæ claſſis eſt, dicebamus præſtare. De quo igitur infra octavam faciendum erit, ſi *de digniori faciendum venit*? Verum hujus haud eſt loci præſentem quæſtionem examinare? Sacra autem Congregatio 19. Junii 1700. expreſſe ſancivit in occurſu duarum octavarum, quarum una ſit Patroni Principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, altera B. Mariæ ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, recitandum eſſe officium de Patrono Principali cum commemoratione B. Mariæ. Illa igitur eſt dignior octava, quæ eſt feſti dignioris ſecundum claſſem, & nonniſi in paritate ritus, quæ habeatur in Feſtis, attenditur major dignitas perſonalis, quæ in octava a Feſto poſſet derivare. Hujuſmodi Decretum datur in Cap. de Octavis, & in ejuſdem expoſitione cum validæ promantur Decreti rationes, unaque diſſolvantur ubertim, quæ in contrarium militare queunt, idcirco iiſdem modo parcendum eſſe arbitramur, illuc Lectorem remittentes, qui plenius inſtrui cupit.

XVI. Cum itaque Dedicatio, utpote primæ claſſis, ſit dignior dignitate claſſis Nativitate B. Mariæ, quæ ſecundæ dumtaxat exiſtit claſſis, & huic illa in occurſu propterea anteponatur, fas eſt, quod etiam illius octava relate ad octavam Nativitatis B. Mariæ præferentiam habeat, acceſſorium ſiquidem, cujuſmodi eſt octava, ſequitur naturam ſui principalis.

XVII. Aſt quid faciendum foret in occurſu Nativitatis B. Mariæ, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, quæ apud Regulares degentes in Civitate ritum duplicem ſecundæ claſſis itidem non excedit?

XVIII. Difficultatem tamen hanc aperte dirimit Decretum, quod ſtatim exponemus, S. R. C. 21. Auguſti 1688., dum in occurſu, & concurſu Feſti Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ cum Feſto Dedicationis, aut Titularis, vel Patroni Eccleſiæ, præferentiam tribuit S. Joanni Baptiſtæ. Si igitur Feſtum S. Joannis Baptiſtæ in paritate ritus ratione ſuæ dignitatis præfertur Dedicationi, & Titulari, ac Patrono Eccleſiæ, etiam in propria Eccleſia, vel loco, ubi ſolemniter celebratur, multo magis in paritate ritus Feſtum quodcumque Beatæ Mariæ ratione ſuæ dignitatis, in qua admodum præcellit ipſum Sanctum Joannem Baptiſtam, præponendum erit Feſto Dedicationis Eccleſiæ.

XIX. Nec minimus ergo relinquitur dubitandi locus, quod tali in occurſu officium agi debet de Nativitate Beatæ Mariæ, & illud Dedicationis Cathedralis apud Regulares transferri; hinc & in Rubrica *XI. de concurr. num.* 2. Feſta Beatæ Mariæ poſt Feſta Domini primum tenent locum. *Inter Feſta æqualis ſolemnitatis ſervatur hic ordo, ut Feſta Domini præferantur omnibus aliis, ſicuti Feſta B. Mariæ feſtis Sanctorum &c.* Sic quoque ſentiunt Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 3., Meratus *ibidem num.* 72., atque Guyetus *lib.* 4. *cap.* 15. *quæſt.* 13., & infinita ſunt propemodum Decreta Congregationis, quæ in hujus confirmationem adduci poſſent; aſt quia de his fuſus haberi debet ſermo in expoſitione plurium Decretorum; ubi & quæ in contrarium militare queunt, uberem ſolutionem accipient, hacce in quæſtione non amplius lubet immorari.

XX. Si autem quæratur, an ut cantetur Miſſa de Nativitate, neceſſe ſit alteram cantare de Dedicatione? Reponimus, hujuſmodi quæſtionem ſpectare ad Commentaria Miſſalis, & quando adhuc reſponſio deſideretur, quam dedimus in Decreto primo hujus Capitis, procedere arbitramur, videlicet ut talis obligatio ſolas Cathedrales, & Collegiatas afficiat Eccleſias.

DECRETUM DECIMUM SEXTUM.

Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas veſperas cum commemoratione tantum ſequentis. In Feſto autem Dedicationis veſperæ ſunt dimidiandæ, & a capitulo debet fieri de Sanctis Patronis cum commemoratione Dedicationis, ut in utroque caſu præſcribitur in Rubrica de Concurrentia num. 2. verſu. *Inter Feſta*. Ita pariter infra octavas dictorum feſtorum, nempe S. Joannis Baptiſtæ, & Dedicationis &c. faciendum eſt officium de octava S. Joannis Baptiſtæ cum commemoratione octavarum Dedicationis, & SS. Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ, ut in Tabella de Concurrentia n. 7., & Gavantus in Rubr. ſect. 3. cap. 8. num. 6. Ita S. R. C. 21. Aug. 1688. *in Aquilejens*, Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 156,

I. IN Aquilejenſi Cathedrali, teſte Merato ibidem, tria Feſta ſolemnia ſucceſſive celebrantur; die 24. Junii Feſtum S. Joannis Baptiſtæ; die 25. Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ; die 26. SS. Joannis, & Pauli Titularium, & Patronorum dictæ Eccleſiæ; pro quorum recta feſtorum celebratione multiplex ſe offerebat difficultas, videlicet quid foret faciendum in concurſu Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & Dedicationis Eccleſiæ, & SS. Patronorum, ſeu Titularium dictæ Eccleſiæ; uti & in occurſu octavarum S. Joannis Baptiſtæ, Dedicationis, & Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ. Super quod conſulta cum extitiſſet Sacra Rituum Congregatio, reſpondendum cenſuit, ut in adducto Decreto.

II. Ex quo non pauca eruuntur a nobis hic exponenda, atque diſcutienda. 1. Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferendum eſſe Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & in oc-

curſu

curſu integras habere veſperas. 2. In concurſu Dedicationis & Patronorum, ſeu Titularium regulariter veſperas eſſe dimidiandas. 3. Octavam S. Joannis Baptiſtæ eſſe præferendam octavæ Dedicationis, & hanc regulariter octavæ Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ.

III. Circa primum fuit ſententia Guyeti *lib. 4. cap. 8. quæſt. 4.*, quod in occurrentia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & Patroni, ſeu Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, transferri debeat Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, & fieri de Patrono, Titulo, aut Dedicatione Eccleſiæ; quemadmodum & infra *cap. 15. quæſt. 3.* in concurrentia dat his integras veſperas, & S. Joannis Baptiſtæ ſolam commemorationem. Idipſum quoque ſentit in occurrentia, & concurrentia eorumdem feſtorum Dedicationis, ac Tituli cum Feſto SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum. Hoc autem probat, quia cum in recognitione poſtrema Rubricarum inter dies, in quibus occurrentia quæcumque feſta transferuntur, addita fuerint Feſta Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Sanctorum, tacitis duobus hiſce S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Petri, & Pauli, recte inferri videtur iis idem jus haud eſſe conceſſum, quod aliis.

IV. Verum Gavantus *ſect. 3. cap. 9. num. 3.* videtur non obſcure docere S. Joannem Baptiſtam, & SS. Petrum, & Paulum præferendos eſſe Patrono, Titulo, & Dedicationi Eccleſiæ, dum exponens illa verba Rubricæ de Concurrentia num. 2. *Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, in æqualitate ſolemnitatis eſſe præferenda aliis in Kalendario deſcriptis*, ait eſſe intelligenda ceteris paribus, & habita ratione perſonarum juxta gradus, & majoritatis ritus, de quibus ibidem Rubrica loquitur, videlicet, *ut Feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraque veſperas integras; ſicuti Feſta B. Mariæ Feſtis Sanctorum: Item Feſta Angelorum, & Apoſtolorum ceteris aliis*; & poſtea *Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis*. Dum igitur dicitur, quod Feſta Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, ſunt præferenda *aliis in Kalendario deſcriptis*, proculdubio, ly *Aliis* intelligendum venit de aliis præter ibidem enumeratos, ita ut præfata feſta præferri debeant quibuſcumque aliis, præterquamquod Feſtis Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum. Ab hujuſmodi intelligentia Rubricæ prædictæ nec diſſentit Guyetus ipſe *lib. 4. cap. 15. quæſt. 3.*, ſed eam aperte inſinuat, dum edocet verba illa Rubricæ, *Feſta Sanctorum, qui in propriis locis &c. præferenda ſunt aliis in Kalendario deſcriptis*, univerſim, ut ſonant, accipi non poſſe; ita ut univerſim verum ſit, Feſta propria æqualibus generalibus eſſe præferenda, alias in ſecundis veſperis Nativitatis Domini veſperæ deberentur integræ S. Stephano in Eccleſia propria, & integræ quoque deberentur S. Roccho in Eccleſia propria in concurſu cum Aſſumptione B. Mariæ; quod, ut ipſemet ait, eſt contra Gavantum *ſect. 6. cap. 6. n. 5.*, & *ſect. 3. cap. 9. num. 3.*, necnon contra uſum Eccleſiarum. *Sic itaque*, ſubdit, *diſtinguendum, ut intelligatur de aliis feſtis Sanctorum in Kalendario deſcriptis, non autem de Feſtis Chriſti Domini, & B. Mariæ, quibus nulla Feſta ejuſdem ordinis, quantumcumque propria, præferri debent*. Quod ſi Feſta Domini, & B. Mariæ præferentiam habere debent ſupra feſta Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, cur & non Feſta Angelorum, & Apoſtolorum? Cur ea Rubrica intelligenda venit cum excluſione Feſtorum Domini, & B. Mariæ, & non Angelorum, & Apoſtolorum? Nonne non minus iſta, ac illa a Rubrica præcedenter nominata exiſtunt, & prærogativa præcedentiæ ſuper cetera feſta donata? Quare igitur, dum aſſerit Rubrica, quod Feſta Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferenda ſunt aliis in Kalendario deſcriptis, ly *Aliis* excludit feſta Domini, & Beatæ Mariæ, & non Angelorum, & Apoſtolorum? Patens eſt igitur, quod mox adducta Rubrica per ly *Aliis* in exceptis habet quæcumque Feſta, quæ prius nominaverat, ac præferentiam ſupra cetera Feſta conceſſerat, & per conſequens, quod Feſta, quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferenda ſunt aliis in Kalendario deſcriptis, præterquam Feſtis Domini, Beatæ, Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum.

V. Et quidem verba Rubricæ prædictæ, ſi rigoroſo ſubjiciantur examini, non alium ſenſum præferre queunt. Sunt autem verba Rubricæ: *Inter Feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut Feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque veſperas integras; ſicuti Feſta B. Mariæ Feſtis Sanctorum: item feſta Angelorum, & Apoſtolorum ceteris aliis; & Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, aliis in Kalendario deſcriptis*. Si enim Feſta Angelorum, & Apoſtolorum præferenda veniunt *ceteris aliis*, præter ſcilicet Feſta Domini, & B. Mariæ, ergo & Feſtis, quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, quæ propterea noviſſimo a Rubrica ſunt nominata loco, nimirum ut daretur intelligi, in ratione præferendi noviſſimum tenere locum, & nonniſi in concurrentia *cum aliis in Kalendario deſcriptis* præferentiam ſortiri.

VI. Nec congrua deſideratur ratio; primis enim præferentia a Rubrica conceditur intrinſecæ vi dignitatis, qua pollent relate ad cætera feſta, ſecundis vero extrinſecæ nonniſi ratione ſolemnitatis. Etſi igitur Feſta hujuſmodi vi prædictæ extrinſecæ ſolemnitatis, a qua quodammodo elevantur ſupra cætera feſta ſolemnitate præfata carentia, relate ad hæc congrue præferentiam habere poſſint, & debeant, numquam tamen reſpective ad feſta intrinſece digniora; quod enim mere extrinſecum eſt, proculdubio adeo elevare haud poteſt Feſtum, in quo reperitur, aut reſidet, ut intrinſecam dignitatem, quam Feſtum aliud ex ſe habet, & vi cujus ceteris cunctis excellit, ſuperet, vel exæquet.

VII. Cum itaque Feſtum Dedicationis (idem dic de Titulo Eccleſiæ, vel Patrono loci) non ſit niſi ex feſtis quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, anteponi quidem debet feſtis cunctis, quæ in Kalendario ſub eadem ſolemnitate, ſeu ritu inveniuntur deſcripta, ſed non Feſtis Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum. Quod ſi Feſtum Dedicationis præferentiam haud habet relate ad Feſta Apoſtolorum, præferentiam profecto nec habere poteſt ſuper Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quod Feſtis Apoſtolorum præferendum eſſe, ſequentia argumenta invicte demonſtrant.

VIII. 1. Decretum S. R. C. 22. Auguſti 1620. in quo ſtatuitur: *In Oratione A cunctis nomina Patronorum S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolis*. Ita quoque habet Rubrica Miſſalis poſt Orationem A cunctis: *In hac Oratione nomina SS. Michaelis, & Joannis Baptiſtæ præponuntur Apoſtolis*.

IX. 2. In Confeſſione, ſeu *Confiteor* itidem prius exprimitur nomen S. Joannis Baptiſtæ, quam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod & præſtatur in Litaniis Sanctorum. Cum itaque hæc ponderate, & juxta dignitatis ordinem ſint conſtituta, nec minimus ambigendi relinquitur locus, quod S. Joannes Baptiſta Apoſtolos in dignitate præcellit; primus enim locus eſt honoratior, nec in iis, quæ ad officium pertinent datur niſi dignioribus, quidquid ſit de nominatione in Litaniis, vel in Martyrologio Romano, in quibus quandoque tenetur ratio temporis, quemadmodum dicemus in cap. de Feſtis ex præcepto, & hoc evenit in iis Sanctis, qui ſpectant quodammodo ad vetus Teſtamentum.

X. 3. De Joanne Baptiſta dicitur Lucæ 7. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta*; unde Euſebius Gallicanus; *Merito inter conſervos ſuos, nulli ſecundus eſſe creditur, cui ſolus Dominus antefertur*. Et Chryſoſtomus, ſeu Auctor imperfecti Operis homil. 27. *Quanto vox proximior Verbo, non tamen Verbum, tanto Joannes proximior Chriſto, non tamen Chriſtus. Vide ergo, quia omnibus Sanctis eſt Major, cui ſolus Chriſtus eſt prior*. Item Bernardus, ſeu Petrus Dam. ſerm. de ejus privilegiis: *Hoc Joannes in utero legitur aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tamdem largiori promiſſione meruerit obtinere*. Divus ergo Joannes Baptiſta eſt omnibus omnino hominibus præferendus, & poſt Angelos, quibus inferior eſt in natura, collocandus; hinc etiam Gavantus *ſect. 3. cap. 8. num. 6.* habet: *In eadem Claſſe attende perſonas hoc ordine, Chriſtum, B. Virginem, Angelos, S. Joan. Baptiſtam, Apoſtolos*, ubi expreſſe autumat S. Joannem Baptiſtam in dignitate præſtare Apoſtolis, eiſque eſſe præferendum.

XI. Fit itaque extra controverſiam, quod Nativitas S. Joannis Baptiſtæ tam in occurrentia, quam concurrentia cum quocumque alio feſto æqualis ſolemnitatis, ſeu ritus, quod non ſit Domini, & B. Mariæ, aut Angelorum, præferentiam habet, ita ut reſpective vel officium, vel integras obtineat veſperas; & hoc vi memoratæ ſepius Rubricæ *Inter feſta*, in qua ſi explicite non exprimitur S. Joannes Baptiſta, proculdubio continetur implicite, dum præferentiam tribuit Apoſtolis, qui in dignitate minores ſunt Præcurſore Baptiſta, unde bene Sacra Rituum Congregatio in ſuo aſſeruit Decreto, exhibitam diſpoſitionem *præſcribi in Rubrica de Concurrentia num. 2. verſu Inter feſta*.

XII. Criminabitur nos forſitan quiſpiam, eo quod aſſeramus S. Jo. Baptiſtæ præferentiam *in utroque caſu* concurrentiæ & occurrentiæ præſcribi a præfata Rubrica, quæ tamen in caſu concurrentiæ dumtaxat procedit. Aſt criminandi proculdubio haud patet locus; cum enim minus requiratur ad præferentiam in occurſu habendam, quam in concurſu, dum adducta Rubrica præferentiam præbet in concurſu, a fortiori illam tribuit in occurſu.

XIII. Ad motivum ex Guyeto ſuperius in contrarium productum dicimus præfatis duobus feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli non eſſe quidem conceſſum privilegium excludendi quæcumque feſta concurrentia, quale conceſſum fuit in poſtrema recognitione Breviarii Feſti Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Sanctorum, ceterum ex ſe, ſeu ex propria dignitate, & vi memoratæ Rubricæ habere illud excludendi quæcumque alia feſta occurrentia, non quidem majoris, ſed minoris dignitatis, unde Nativitas S. Joannis Baptiſtæ excluditur, non excludit Feſtum SS. Corporis Chriſti occurrens, cederetque quoque Feſtis primæ claſſis B. Mariæ, & Angelorum, ſi occurrere, vel cum eodem concurrere contingeret, non tamen Feſtis Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum, licet in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebratorum. Idem cum proportione dicendum eſt de Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

XIV. Dices 1. In Rubrica de Concurr. num. 2. habetur: *Et Feſta illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, præferuntur aliis in Kalendario deſcriptis*, ſed Feſtum Dedicationis eſt feſtum, quod in tali lo-

co

eo ſolemniter celebratur, ergo præferri debet Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quod eſt ex illis, quæ ſunt in Kalendario deſcripta.

XV. 2. In primis veſperis S. Pauli in propria Eccleſia veſperæ ſunt integræ de S. Paulo, ut dicitur in Rubrica particulari illius diei, ergo & in occurſu Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ cum Feſto Dedicationis, quæ in propria Eccleſia celebratur, preferri debebit Dedicatio Nativitati.

XVI. 3. Ex Decreto S. R. C. 23. Junii 1736. in occurrentia Feſtorum ejuſdem ritus, priorem locum habet officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ univerſalis, ergo idem quod prius.

XVII. 4. Feſtum Decollationis S. Joannis Baptiſtæ ſuas primas dimidiat veſperas cum ſecundis S. Auguſtini, ergo S. Joannes Baptiſta non eſt ceteris preferendus, nec ex implicite comprehenſis in adducta Rubrica *Inter Feſta*.

XVIII. 5. Octava S. Joannis Baptiſtæ ſuas primas ſecat veſperas cum precedenti Commemoratione S. Pauli Apoſtoli: ſi autem foret S. Joannes ex implicite comprehenſis in dicta Rubrica poſt Angelos, & ante Apoſtolos, ejuſdem octava in memorato occurſu integras, & non dimidiatas habere deberet veſperas.

XIX. Ad primum igitur dicimus præfatam Rubricam feſtia, quæ ſolemniter in propriis locis, vel Eccleſiis celebrantur, preferentiam tribuere relate ad alia feſta, quæ in eadem Rubrica enumerata non erant, vel ſubintellecta, quemadmodum fuſe ſuperius oſtenſum, ac explicatum fuit.

XX. Ad 2. Concurſum eſſe inter æquales, & ideo integras bene tribui Paulo veſperas, qui cum celebretur in propria Eccleſia, ſuper precedens feſtum extrinſecam habet ſolemnitatem, vi cujus juxta ſepe dicta Rubricam preferendus utique venit.

XXI. Ad 3. In adducto Decreto aperte dici: *In occurrentia Feſtorum ejuſdem ritus, & alius quomodocumque parium*. Hoc autem cum non contingat in caſu, ſicuti ſuperius oſtenſum eſt, potius confirmatur, quam impugnetur prefato Decreto aſſertum noſtrum.

XXII. Ad 4. reſpondet Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 10. *ad* 29. *Aug.* quatuor aſſerendo cauſas, ob quam Decollatio S. Joannis Baptiſtę duplex majus effecta non eſt, eique conceſſę non fuerunt integrę veſperę. Videlicet *quia neque dies Martyrii illius eſt, neque Martyrium pro fide Chriſti, & Evangelio: neque ſtatim in Cælum ivit; neque demoretur S. Auguſtinus, ut amittere debeat ſecundus Veſperas, quas dividit cum S. Joanne*. Nulla ex his cauſis Guyeto ſatisfacit, qui propterea *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 5. probabiliorem ſuggerit, nimirum ſingularia S. Joannis dona in feſto Nativitatis ipſius, eoque ſingulari, prę Sanctis omnibus ab Eccleſia precipue recoli, quod ideo inter duplicia primę claſſis annumeratur, eque ac feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli: in feſto vero Decollationis ipſius, uti officio, ſic nonniſi Martyris cultu ipſum coli; adeoque in concurrentia equalem tantummodo cum quocumque alio, ad inſtar cujuslibet alterius Martyris haberi. Hęc quam aſſert Guyetus, eſt vera ratio diviſionis veſperarum, ut alibi a nobis dicetur.

XXIII. Ad 5. dicimus ex prefata veſperarum dimidiatione, ſi non ſuperioritatem, ſaltem equalitatem in dignitate inter S. Joannem Baptiſtam, & Apoſtolos evinci, alias cum precedens Feſtum ſit feſtum Apoſtoli, videlicet Commemoratio S. Pauli Apoſtoli, huic in prefata concurrentia integrę tribuendę forent veſperę, & ſola commemoratio octavę S. Joannis. Quemadmodum igitur ſi concurſus foret inter feſtum Apoſtoli primę claſſis, & Dedicationem Eccleſię, juxta memoratam Rubricam preferentia deberetur Apoſtolo, ita tribuenda eſſet S. Joannis Baptiſtę in hujus concurrentia cum eadem Dedicatione. En igitur, quod adducto argumento tantum abeſt, quod infringatur diſpoſitio Sacrę Congregationis, quin potius confirmetur, ac roboretur. Nos autem contendere nolumus cum iis, qui Joannem Baptiſtam equalem Apoſtolis faciunt, ſed ſolum cum iis, qui inferiorem illum eſſe contendunt, nec comprehenſum in memorata Rubrica, ſive poſtea ſubintelligatur ille in antecedenter, & cum preferentia ad Apoſtolos, ſive in eadem veniat nomine, & cum equalitate Apoſtolorum. Ceterum ſi verum fateri debemus nobis magis arridet ſententia, quę illum prefert, & non equat Apoſtolis, in qua dicendum foret, in prefato occurſu preſcribi diviſionem veſperarum, eo quia octava non eſt vere, & proprie feſtum S. Joannis, bene vero Commemoratio S. Pauli eſt feſtum Apoſtoli, & ideo per Rubricam particularem decreta fuit veſperarum diviſio, cui alluditur in Rubrica generali *de Concurr. num.* 2. per ea verba: *Niſi aliter in propriis locis annotetur*; quemadmodum etiam factum eſt in die octava S. Joannis Evangeliſtę, cujus ſecundę veſperę, ut bene advertit Gavantus *ſect.* 6. *cap.* 6. *num.* 13., in concurrentia cum octava SS. Innocentium integrę ſont de S. Joanne tamquam de digniori, primę vero ſingulari privilegio per dictam Rubricam generalem inſinuato dimidiantur cum octava S. Stephani, quia in hoc conſecratę ſunt primitię Martyrum. Si autem ſingulari privilegio hoc preſtitum extitit, non debet pro ſimilibus caſibus in exemplum deſervire. Verum ſuper his non ſemel alibi ſermo redibit, ut plures alię non ſpernendę adducentur rationes.

XXIV. Expediti tandem a prima parte Reſolutionis propoſito dubio a Sacta Congregatione exhibitę, ſupereſt, nunc deſcendamus ad ſecundam, in qua ſtabilitum vidimus: *In concurſu Dedicationis, & Patronorum, vel Titularium Eccleſiæ regulariter Veſperas eſſe dimidiandas*. De noſtro addimus verbum illud *Regulariter*, quod in Decreto deſideratur, ut Reſolutio generalis reddatur, & ex ea clare innoteſcat, qoid in ſimilibus, ac aliis concurrentiis agendum veniat. Addimus vero *Regulariter*, ut exceptio habeatur in concurrentia illorum feſtorum, quorum alterum eſt altero dignius, quia eo in caſu veſperę debentur integrę digniori, & ſola commemoratio minus digno, quemadmodum preſcribit Tabula Concurrentię ſub num. 6. quę notat: *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*, de quo mox dicturi ſumus. Decretum autem omittit verbum illud *Regulariter*, quia procedit in caſu equalium in ritu, dignitate, & ſolemnitate; quapropter generalem firmat regulam, videlicet in caſu concurrentię inter feſta paria in ritu, dignitate, & ſolemnitate veſperas eſſe dimidiandas.

XXV. Hęc tamen omnia deprompta ſunt ex Rubrica *XI. de Concurr. num.* 2. quę ita diſponit: *Duplici in ſecundis veſperis concurrente cum alio ſequenti duplici in primis, ſi utraque ſint ejuſdem ſolemnitatis, regulariter a capitulo fit de ſequenti cum commemoratione precedentis*. Cum itaque tum Dedicatio, tum Patroni, ſeu Titulares ſint ambo ejuſdem ſolemnitatis, videlicet ambo primę claſſis, & ex feſtis, quę in propriis locis, ſeu Eccleſiis ſolemniter celebrantur, & aliunde unde non ſit altero dignius dignitate aliqua, quam exigit Rubrica *Inter Feſta*, ut unum alteri preferatur, habeatque integras veſperas, idcirco a Decreto optime ſtatuta extitit veſperarum diviſio, & ex memorata Rubrica a nobis ſuperius invectum fuit verbum illud *Regulariter* ad reddendam diſpoſitionem generalem, atque firmandum, quod in concurrentia plurium equalium in ritu ſecundę veniunt veſperę, niſi major dignitas, aut ſolemnitas onus prę alio, aliter fieri expoſcat.

XXVI. Aperitur hic igitur ſenſus Tabellę Concurrentię, dum in mutuo concurſu plurium duplicium primę aut ſecundę claſſis, aut majoribus per annum, e regione ſemper annotat numerum 6. cujus explicatio eſt: *Totum de digniori, commemoratio de minus digno*; ex quo inferri videtur, nunquam in ejuſmodi concurrentia dimidiandas eſſe veſperas. Senſus itaque eſt, quod in memorato concurſu veſperę ſemper integrę eſſe debent de digniori, ſi alterutrum dignius ſit, ſecus vero ſi equale otrumque eſſe contingat, & ratione dignitatis perſonę, & ſolemnitatis Chori, aut Populi, & cujuſvis alterius precellentię, ut ſi alicubi transferri v. g. contingeret Feſtum S. Bartholomęi Apoſtoli ad diem 22. Septembris, in quo caſo concurreret in primis Veſperis cum S. Matthęo Apoſtolo; tunc enim cum feſta concurrentia eſſent undique paria, quis jure dubitare unquam poſſet, quod veſperę dividi deberent; & neutri integrę concedi. Inequalitas autem dignitatis, quę veſperarum diviſionem impedit, & earumdem integritatem invehit, & ſolummodo ea, de qua loquitur allegata Rubrica *inter Feſta*, non autem, quę intercedit inter Martyrem, & Confeſſorem, inter Confeſſorem, & Virginem, aut alia hujuſmodi, quandoquidem hęc minime attenditur, ut deciſum videbimus in Decretis plurimis adducendis in Cap. de Occurrentia Feſtorum.

XXVII. Tabellę prefatę allata explicatio conſonat Rubricis, Gavanto, Merato *ibidem num.* 2., & Guyeto *lib.* 4. *cap.* 15. *quæſt.* 2. & *cap.* 15. *quæſt.* 1., qui idcirco aſſerit, in dicta Tabula *totum de digniori, commemoratio de minus digno* poſitum extitiſſe, *quia raro admodum contingit ut non ſit alterum altero dignius; ſi quando autem contrarium evenerit, ſintque ambo æqualia, quidni valebit regula generalis?* Ita prefatus Auctor; regula vero generalis, quam memorat, eſt illa Rubricę prædictæ de Concurr. num. 2. *Duplici concurrente cum alio Duplici, ſi ambo ſint ejuſdem ſolemnitatis, regulariter a capitulo fit de ſequenti &c.* Idipſum ſupponit Tabula ipſa, quę dum de digniori veſperas faciendas preſcribit, alterutrum dignius eſſe ſopponit; unde in caſu equalitatis ſequitur faciendam eſſe veſperarum diviſionem, ut ratio ipſa dictas, & etiam per aliud Decretum S. R. Congregationis ſub die 17. Junii 1684. deciſum videbimus in memorato Cap. Occurrentia; unde clare dabitur intelligi, id a Rubrica *de Concurr. num.* 2. expreſſe fuiſſe ſtatutum.

XXVIII. Remanet modo, ad examen vocemus tertium, quod ſupta ex Decreto dedući aſſerebamus, ſcilicet *Octavam S. Joannis Baptiſtæ preferendam eſſe octavæ Dedicationis, & SS. Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ*. Et quidem, quod id ex Decreto eruatur, nec dubium eſſe poteſt, quoniam in occurſu prefatarum trium octavarum decernitur officium faciendum eſſe de octava S. Joannis Baptiſtę cum commemoratione Dedicationis, & SS. Patronorum, vel Titularium. Ratio autem hujus eſt, quia ut liquet ex ſuperius dictis, Feſtum S. Joannis Baptiſtę non cedit, niſi Feſtis Domini, B. Marię, & Angelorum, & omnibus aliis, licet Dedicationis, Patronorum, aut Titularium, prefertur, quapropter nec octava ejuſdem S. Joannis Baptiſtę poſtponitur, niſi octavis Domini, B. Marię, & Angelorum, & quibuſcumque aliis octavis anteponenda erit; octava enim eſt acceſſorium feſti, & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

XXIX. Quod denique octava, & conſequenter etiam Feſtum Dedicationis ſit dignior octava Patroni, ſeu Tituli Eccleſię, non eſt amplius in dubium revocandum, (quidquid in con-

contrarium aſſerat Guyetus *lib. 4. cap. 6. quæſt. 6.*), ſed ſancitum id eſſe videtur per præſens Decretum, dum prius præſcribit faciendam eſſe commemorationem de octava Dedicationis, quam SS. Patronorum, ſeu Titularium. *Regulariter* hoc tamen intelligendum venit, quia ſi Patronus, ſeu Titulus Eccleſiæ foret Dominus Deus, B. Maria, Angeli, S. Joannes Baptiſta, aut aliquis ex Apoſtolis, in tali caſu Patronus, vel Titularis præferendus foret Dedicationi, nam eorumdem feſta nulli alteri, licet ſolemniter celebrato, cedere ſuperius relevabamus ex citata Rubrica *Inter feſta*, & aperte deducitur ex ipſomet Decreto, dum in concurrentia Feſti S. Joannis Baptiſtæ, & Feſti Dedicationis, illi integras dat veſperas, & huic ſolam commemorationem.

XXX. Hæc prius fuerat opinio Gavanti *ſect. 3. cap. 8. num. 7.*, ubi plura in ejuſdem confirmatione producit argumenta, quæ tamen ſolvit Guyetus *loc. cit.* Nos vero ad inſinuandam majoritatem octavæ, & feſti Dedicationis ſupra octavam, & feſtum Patroni, vel Tituli aliud validum argumentum ex Rubricis ipſis deduci poſſe putamus, ex eo quod prius memorent Dedicationem propriæ Eccleſiæ, quam Patronum, ſeu Titularem, non quidem in corpore ipſarum Rubricarum, quoniam, ut bene Guyetus contra Gavantum, in corpore earumdem Rubricarum perſæpe etiam prius recenſetur Patronus, vel Titulus, videlicet *Rubrica 4. num. 1. Rubrica 7. num. 3., & Rubrica 9. num. 3.*, unde cum ibidem in eorumdem feſtorum recenſione uniformitatem non ſervent, ſed modo unum, modo alterum prius nominent, validum ad intentum deduci haud poteſt argumentum. Non igitur ex priori nominatione Dedicationis, quam Patroni, aut Tituli in corpore Rubricarum habita argumentum, quod aſſerebamus, peti debet, ſed ex priori nominatione, quam Dedicatio obtinet in Tabella, ſeu ſerie Duplicium primæ claſſis, ubi etſi in recenſendis hujuſmodi Duplicibus non teneatur ordo dignitatis, ſed ordo temporis, quo in Kalendario occurrunt, in poſitione tamen Dedicationis, & Patroni, aut Tituli, de quibus ſciri haud poteſt, quinam prius occurrant, aut occurrere queant, ordo temporis cum teneri non potuerit, nonniſi ordo dignitatis potuit obſervari. Nec relevar, ſi dicatur, hoc ideo præſtitum extitiſſe, quia Patronus, aut Titulus Eccleſiæ ſupponit ejuſdem Dedicationem; de Patrono enim, & Titulo Eccleſiæ officium agitur, etiamſi Eccleſia conſecrata non ſit, ſed tantummodo benedicta, quapropter ex hoc capite, quando alias Patronus, aut Titulus præſtaret Dedicationi, prius magis nominari debuiſſet, quam Eccleſiæ Dedicatio; ordo autem litteræ ſervandus eſt. *l. quoties, ff. de uſufr.*, ſaltem quando aliud non conſtat de mente Legislatoris, ut bene Gobat *tract. 3. numer. 696. append. 3. lit. G. 3.*, ubi quoque ſuſtinet Dedicationem præferendam eſſe Patronis.

XXXI. Majoritas tamen, quam Dedicatio Eccleſiæ habet relate ad ejuſdem Titulum, vel Patronum, etſi ſufficiens ſit ad illam huic præferendam in occurrentia, in qua, cum unum ſimul occurrentium dimitti, & transferri neceſſe ſit, quæcumque majoritas relevat, non tamen in concurrentia, in qua locum habet veſperarum diviſio, & ſic bene per Decretum proviſum extitit, in concurſu Dedicationis, & Patronorum, aut Titularium veſperas eſſe dimidiandas, in occurſu vero potiorem locum habere Eccleſiæ Dedicationem.

XXXII. Carpere quis poſſet Sacram Rituum Congregationem, quod in ſuo Decreto, dum præferentiam tribuit octavæ S. Joannis Baptiſtæ ſupra octavas Dedicationis, & Titularium, ſeu Patronorum, & octavæ Dedicationis ſuper octavam Titularium, vel Patronorum, inniti fatetur *Tabellæ de Concurrentia numer. 7.*, cum tamen hujuſmodi Tabella tantum abſit, ut ejuſmodi diſponat, quod nec numerum 7. habet, ſed ultra numerum 6. nequaquam progreditur. Verum ſciendum utique venit, quod ſi mendum non reperitur in Textu ibi ly *Concurrentia* uſurpatur pro *occurrentia*, quod infrequens non eſt apud Auctores, qui non bene, ac rigoroſe diſtinguentes, quandoque nomen *concurrentiæ* tribuunt etiam *occurrentiæ*, unde Meratus *ſect. 3. cap. 10. numer. 12.* Tabellæ occurrentiæ hæc verba præponit *ſi concurrat eodem die*, cum tamen rectius ponere debuiſſet *ſi occurrat eodem die*. In Tabella autem occurrentiæ in occurſu duarum octavarum notatur numerus 7., cujus explicatio eſt *Officium de digniori, commemoratio de minus digno*; unde datur intelligi in occurſu octavæ S. Joannis Baptiſtæ, & Dedicationis, aut Titularium, uti & in occurſu octavæ Dedicationis, & Titularium, officium reſpective agi debere de octava S. Joannis, & Dedicationis, tamquam de digniori, cum commemoratione in priori caſu de octava Dedicationis, & Titularium, & in ſecundo cum ſola commemoratione Patronorum, ſeu Titularium.

XXXIII. In confirmationem autem citat Gavantum *ſect. 3. cap. 8. num. 6.* & nihil habet de ejuſdem citatione ſub *num. 7.*, ubi prædictus Auctor agit de præferentia præſtanda Dedicationi ſupra Feſtum, & octavam Patroni, ſeu Tituli, quia præfatæ Sacræ Congregationis ſcopus erat decernere præferentiam octavæ S. Joannis Baptiſtæ, de qua querebatur, ac præcipue agebatur, & inibi prædictus celeberrimus Rituum Profeſſor S. Joannem Baptiſtam ſtatim ponit poſt Angelos, & præfert Apoſtolis; octavæ autem Dedicationis ſuper illam Patronorum aut Titularium præferentiam nonniſi ex conſequenti, implicite, ac indirecte, & ſecundario præſcribit, & ideo abſtinet ab ejuſdem citatione ſub *num. 7.*, quem tamen recolere poterit Lector, qui ex memorato Auctore ſupra talem præferentiam etiam inſtrui cupit.

XXXIV. Nos autem unum volumus ſerio, ac mature hic Lector advertat, videlicet quam conſonanter ad mentem Sacræ Rituum Congregationis nos ſuperius locuti ſumus, dum Rubricam *Inter feſta* ita explicuimus, ut Feſta, quæ in propriis locis, & Eccleſiis ſolemniter celebrantur, cæteris quidem aliis in Kalendario deſcriptis præferri debeant, ſed aliis præter inibi præcedenter nominatos, nimirum ut primum habeant locum poſt feſta Domini. B. Virginis, Angelorum, & Apoſtolorum, nec non S. Jo. Baptiſtæ, qui ſubintelligitur, & aliorum, ſi qui ſunt, qui etiam in eadem Rubrica cenſeri debeant comprehenſi, de quo forſitan alibi. Hoc autem eruitur ex citatione tum Tabellæ occurrentiæ, tum Gavanti, quam adfert Sacra Congregatio, quibus dum utitur ad demonſtrandum præfato in occurſu officium deberi octavæ S. Joannis Baptiſtæ, & octavæ Dedicationis, & Titularium, ſeu Patronorum ſolam commemorationem, ſatis oſtendit Feſta, quæ ſolemniter in propriis locis, vel Eccleſiis celebrantur, cujuſmodi ſunt Dedicatio, & Patroni, ſeu Titulares Eccleſiæ, non præferenda eſſe, ſed poſthabenda Feſtis illis, quæ in memorata Rubrica recenſentur, ſed ſolum aliis ab inibi recenſitis præponi debere.

XXXV. Quod autem dictum eſt de præferentia concedenda Feſto, & octavæ S. Joannis Baptiſtæ, necnon aliorum a dicta Rubrica expreſſorum, relate ad Feſta Dedicationis, & Patronorum, vel Titularium Eccleſiæ, a fortiori dicendum venit relate ad Feſtum, & octavam Patroni loci, utpote qui cedit etiam Feſto Dedicationis, & Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, ut dicetur inferius ſuo loco.

XXXVI. Irreſolutum denique relinquere nolumus ſcrupulum quemdam, qui Lectori obvenire poſſet ex eo, quod Sacra Congregatio, dum ſtatuit in concurſu Dedicationis, & Titularium, ſeu Patronorum veſperas eſſe dimidiandas, aſſerit *id præſcribi in Rubrica de Concurrentia num. 2. verſu Inter Feſta*, cum tamen in hac Rubrica nihil hujuſmodi haberi videatur. Sciendum autem eſt, quod licet a Rubrica *Inter feſta* per verba poſteriora expreſſe forſitan dicta non habeatur diſpoſitio, habetur tamen per verba antecedentia, per illa videlicet quæ ſuperius adhibuimus, *Duplici concurrente cum alio ſequenti Duplici, ſi utraque ſint ejuſdem ſolemnitatis, regulariter a capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis*. In poſterioribus autem verbis fit ſolum exceptio Feſtorum Domini, quæ præferuntur omnibus aliis, B. Mariæ anteponendorum quibuſcumque Feſtis Sanctorum, & Feſtorum Angelorum, & Apoſtolorum cæteris aliis, deinde Feſtorum, quæ in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, quæ præferri debent aliis in Kalendario deſcriptis. *Aliis* quidem, ſed quæ non ſint ſolemniter in propriis itidem locis, vel Eccleſiis celebrata, ſecus vero ſi ſimiliter eadem ita celebrari eveniat, cujuſmodi proculdubio eſt Feſtum Patroni, vel Titularis Eccleſiæ; unde cum Feſta Dedicationis, & Tituli, vel Patroni Eccleſiæ omnimode conveniant in ritu, ac ſolemnitate, & ejuſdem pariter ſupponantur eſſe dignitatis, vi Rubricæ *Inter feſta* unum alteri præferri haud poteſt, & ideo integra remanet diſpoſitio præſcribens veſperarum diviſionem, ab eadem Rubrica *Inter feſta* per antecedentia verba lata, & per ſubſequentia nequaquam delata, quin magis confirmata, & implicite renovata.

XXXVII. Quod ſi alicubi, ut non ſemel evenit, admodum celebris non habeatur Dedicatio, Tituli vero Feſtum ſatis ſolemniter cum pompa extrinſeca, populi concurſu &c. recolatur, tunc non imus inficias Feſtum, & octavam Tituli præſtare Feſtum, & octavam Dedicationis juxta Rubricam *Inter feſta*, quæ ſolemniter in propriis locis, vel Eccleſiis celebrantur, præferenda edocet aliis in Kalendario deſcriptis, ſeu quæ ſolemniter in propriis locis, vel Eccleſiis haudquaquam recoluntur; tunc enim etſi Feſta dedicationis, & Titularis propriæ Eccleſiæ paria forſitan ſint in ritu, & proprietate, ſeu particularitate, paria tamen haud ſunt in ſolemnitate, adeoque hujus majoris ratione ſolemnitatis non eſt, cur præferentiam non debeat habere juxta repetita Decreta S. Congregationis, ſolemnioribus Feſtis in æqualitate ritus, & dignitatis ſemper præferentiam tribuentia. De iis Decretis mentionem agemus in Cap. de Occurrentia, Repoſitione, & Concurrentia Feſtorum.

XXXVIII. Ejuſdem extat opinionis Guyetus *lib. 4. cap. 15. quæſt. 2.*, qui inſuper aſſerto in caſu Titulari præ Dedicatione in concurrentia integras concedit veſperas; & Guyeto nos ipſi aſſentimur, tum propter memoratam Rubricam *Inter Feſta*, quæ feſta, quæ ſolemniter in propriis locis, vel Eccleſiis celebrantur, in concurrentia præfert aliis non ita celebratis; tum propter Rubricam *X. de Transl. Feſt. num. 6.*, quæ inter plura ejuſdem ritus ſimul occurrentia *Solemniori* dat præferentiam his verbis: *At ſi omnia fuerint duplicia, vel omnia ſemiduplicia, fiat de digniori, vel ſolemniori: & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, transferantur*. Quinimo *ibidem n. 7.* ſolemniori præferentiam itidem concedit in repoſitione, quæ æquipollet concurrentiæ, dum ſubdit *& inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius transferatur, & prius celebretur*. Tum demum per plura Sacræ Rituum Congregationis Decreta in æqualitate ritus, & dignitatis ſemper ſolemniora feſta in occurrentia, ac concurrentia, & repoſitione præferentia, & ſignanter per illud 13. Junii 1682., de quo in

Cap.

Cap. de Occurr., nec non aliud 20. Julii 1686., de quo in Cap. de Concur. Videat Lector, quæ dicentur in horum Decretorum expoſitione, necnon in totis Capitibus de Occurrentia, Concurrentia, & Repoſitione Feſtorum, & plenius remanebit inſtructus.

XXXIX. Nec officit præſens Decretum, quod in occurrentia Dedicationem præfert Titulari, & in concurrentia veſperas dividit, quoniam procedit ſupponendo, quod utrumque feſtum *ſolemniter* celebretur. Nec itidem relevat, quod utrumque Feſtum ſit ex iis, quæ in propriis Eccleſiis celebrantur, quoniam Rubrica *Inter feſta*, dum hujuſmodi feſta præferenda eſſe præſcribit, nedum exigit, quod in propriis Eccleſiis celebrentur, ſed inſuper quod in iiſdem *ſolemniter* celebrentur, quapropter ſi alterutrum *ſolemniter* haud celebretur, nec dubium eſſe poteſt, quod alteri *ſolemniter* celebrato cedere debet; ratio enim, quæ preferre facit, eſt *ſolemnitas*, quæ dignitati æquipollet; in caſu autem etſi Dedicatio ſit ex feſtis, quæ in propriis Eccleſiis celebrantur, non tamen *ſolemniter*, & ideo non præponenda, ſed poſthabenda eſt Titulari. Et ita loquendum pariter eſt de Titulari relate ad Feſtum Dedicationis, ſi hoc ſolemniter, non ſic vero Feſtum Tituli recolatur. Nonniſi igitur ſtante æqualitate in ritu, dignitate, & ſolemnitate Dedicatio in occurſu præferentiam habet a Titulari, & in concurrentia veſperas dividit.

XL. Ex iis colligat Lector, quid in aliis ſimilibus caſibus præſtandum ſit; unde etſi Dedicatio, & Titularis propriæ Eccleſiæ ratione majoris proprietatis, quam habent relate ad ſuam Eccleſiam, in occurſu præferri debeant Patrono Principali loci, aut Religionis; ſi tamen hic inibi ſolemnius celebretur, quemadmodum regulariter apud Regulares evenit loquendo de ſuo Fundatore, & Patrono Religionis, & hic quoque præferri debebit; & quidem nedum in occurrentia, ſed etiam in concurrentia.

XLI. In occurſu itaque Dedicationis, & Titularis propriæ Eccleſiæ, ſi fuerit par utriuſque ſolemnitas, Dedicatio præferenda eſt Titulari, & in concurrentia veſperæ erunt dimidiandæ; ſi autem in ſolemnitate aderit inæqualitas, ſolemniori in occurſo, & in concurſu præferentia præſtabitur. In occurſu, & concurſu Dedicationis, vel Titularis propriæ Eccleſiæ, & Dedicationis, aut Titularis Eccleſiæ Cathedralis, illorum feſta his anteponenda erunt. Si tamen prima ſolemniter haud recolantur, bene vero ſecunda (quod vix credi poteſt evenire poſſibile), hæc in occurrentia immota ſtabunt, & in concurrentia integras habebunt veſperas. Si vero neutra ſolemniter celebrentur, prima ratione ſolemnitatis, quæ iiſdem debita eſt in propria Eccleſia, licet ea per accidens careant, præferentiam habebunt, ut alibi dicemus, quidquid dicant alii, qui in hoc caſu veſperarum diviſionem præſcribunt. In occurrentia Dedicationis, vel Titularis propriæ Eccleſiæ cum Patrono loci, Dedicatio, vel Titularis erit itidem retinendus, & Patronus loci transferendus, niſi hic in eadem ipſa Eccleſia *ſolemnius* (quod tamen fieri non ſolet) recoleretur, in concurrentia vero itidem Dedicationi, & Titulo integræ concedentur veſperæ, tametſi ulla abſque ſolemnitate celebrentur; quod ſi Patronus loci majorem inibi etiam ſibi vindicet ſolemnitatem, integras & habebit veſperas. In occurrentia denique Dedicationis, aut Tituli cum Patrono Principali Ordinis, hic eſt poſthabendus, uti & in concurſu. Si vero illorum feſta ſolemniter haud celebrentur, vel hunc ſolemnius mos ſit recolendi, hic in utroque caſu præferentiam habebit; & in caſu nullius, vel æqualis ſolemnitatis Dedicatio, & Titularis in occurſu, & concurſu præſtabunt Patrono Religionis.

XLII. Quæ hic curſim deducta, & annotata ſunt, ex alibi inferius dicendis abunde conſtabunt, atque deſerviunt pro aliis ſimilibus caſibus occurrentiæ, & concurrentiæ. Sunt autem deprompta ex Guyeto *lib. 4. cap. 11. quæſt. 1. 2., & 3., & cap. 15. quæſt. 2., & alibi*, licet forſitan aliqualiter ab hoc celeberrimo Auctore diſcrepent quantum ad integritatem veſperarum concedendam Feſtis in propriis locis non *ſolemniter* celebratis in concurſu cum aliis æqualis ritus, dignitatis, & ſolemnitatis. Sed de hac re inferius ſuo loco.

DECRETUM DECIMUM SEPTIMUM.

Benedictus XIII. die 28. Aprilis anni 1726. ritu ſolemni conſecravit Sacroſanctam Baſilicam Lateranenſem, ejuſdem Celebritatis memoriam decrevit recolendam quolibet anno die 9. Novembris, & mandavit, ut idem Feſtum tamquam Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis ab univerſo ipſius Clero Sæculari tantum, & ejus Diſtrictus juxta S. R. C. Decreta, hac in re pluries edita, ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, quotannis celebretur. Ita etiam S. R. C. 14. Septembris 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 266.

I. De Baſilica Lateranenſi ita ſcribit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ſub die 9. Novembris: *Variis nominibus eadem Baſilica dicta reperitur, ſiquidem in regiſtro S. Gregorii libro 11. Capit. 1. appellatur Baſilica Julii; hæc etenim ibi ſcripta leguntur: Acclamatum eſt in Lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero &c. Non tamen exiſtimo a Julio Papa ita dictam: nam duas illum erexiſſe Baſilicas, alteram juxta Forum, via Flaminia, alteram tradit liber de Rom. Pontif. Vetus enim Urbis monumentum erat Baſilica Julii, cujus meminit Plin. lib. 5. Epiſt. 11. Dicta eſt etiam Baſilica Lateranenſis, ſeu Laterani; ita enim appellant eam S. Hiero. Epiſt. 30. in Epitaphio Fabiolæ, & Prudentius contra Symmachum. Sic dicta ab ædibus Laterani, quæ (ut Publius Vict. ſcribit) erant in regione ſecunda, Cælimontana nuncupata. Fuiſſe eas magnificentiſſimas, teſtatur Julius Capitolinus in Marco Aurel. Imp., & Victor in Severo; quæ poſtea temporibus Conſtantini reſſerant Fauſtæ Auguſtæ, ibique ſub Melchiade habita eſt Synodus in cauſa Cæciliani, ut ſcribit Optat. Milevit li. 1. contra Parmen. Dicta etiam invenitur Baſilica Conſtantiniana, quod dicta ædificiorum moles in Eccleſiam mutarit, auxerit, ornaritque. Appellata eſt etiam Baſilica Salvatoris, eo quod ipſi Salvatori omnium Jeſu Chriſto Deo vero dicata potiſſimum eſſet, cum alioqui omnes etiam Sanctorum Eccleſias Deo optimo maximo dicari conſueviſſe ſcribat S. Auguſtinus de Civit. Dei li. 22. C. 10. Rurſus autem adiacentia Oratoria S. Joannis Baptiſtæ, & S. Joannis Evangeliſtæ ab Hilario Papa conſtructa in Baptiſterio Conſtantini, effecerunt, ut eadem Baſilica dicatur etiam nomine Sancti Joannis.*

II. De eadem vero Baſilica ſic legitur in ſecunda lectione ſecundi nocturni, quæ habetur in officio Dedicationis ejuſdem Baſilicæ die 9. Novembris: *Ubi Conſtantinus Imperator per Baptiſmi Sacramentum ſanitatem, ſalutemque conſecutus eſt, tum primum lege ab eo lata conceſſum eſt Chriſtianis ut Eccleſias ædificarent: quos ille non ſolum edicto, ſed etiam exemplo ad ſacram ædificationem eſt cohortatus. Nam & in ſuo Lateranenſi palatio Eccleſiam Salvatori dedicavit, & ei continentem Baſilicam nomine Sancti Joannis Baptiſtæ condidit, eo loco, quo ipſe baptizatus a Sancto Silveſtro, a lepra mundatus eſt: quam idem Pontifex conſecravit quinto Idus Novembris: cujus conſecrationis memoria celebratur hodierno die, quo primum Romæ publice Eccleſia conſecrata eſt, & imago Salvatoris in pariete depicta Populo Romano apparuit.*

III. *Eamdem Eccleſiam*, ut habent verba, quæ ex Decreto 14. Septembris 1726. addi nunc debent ad finem ſextæ lectionis in Feſto præfatæ Dedicationis, *Incendiis, Vaſtationibus, Terræ inſuper motibus disjectam, everſamque, ac ſedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova poſtmodum munitione reſtitutam, Benedictus XIII. Pontifex Maximus Ordinis Prædicatorum die vigeſima octava Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi ſexti ritu ſolemni conſecravit, ejuſque celebritatis memoriam hac die recolendam ſtatuit.*

IV. Etſi igitur conſecratio memoratæ Baſilicæ die 28. Aprilis peracta extiterit, adhuc Benedictus XIII. ejuſdem celebritatis memoriam officio decrevit eſſe recolendam quolibet anno die 9. Novembris, quo primum a Silveſtro Papa conſecrata fuerat, & hactenus per univerſalem Eccleſiam celebrata, exemplo ſuo inſinuans Epiſcopis, quibus in actu conſecrationis data eſt facultas ſtatuendi aliam diem pro Anniverſario ejuſdem, haud congruere determinare aliam diem in ſecunda conſecratione, quoties prior haud incommoda extitit, ſed conſultius determinatam in diem, in qua hactenus conſuetum fuit celebrari anniverſarium antiquæ, etſi ſecundam in alia die fieri eveniat, quemadmodum etiam faciendum eſſe innuit dictum Decretum tertium hujus Capitis, quoties Epiſcopus in conſecratione Eccleſiæ diem non elegit pro ejuſdem anniverſario recolendo.

V. Memoratæ Baſilicæ laudes perſequitur Petrus Card. Damiani *in Ep. ad Card. S. R. E.*, ex quo non abs re facere videbimur, ſi ſequentia de eadem Baſilica verba probamus: *Lateranenſis Eccleſia, ſicut Salvatoris eſt inſignita vocabulo, qui nimirum eſt caput omnium Electorum, ita mater, & quidem apex, & vertex omnium per orbem Eccleſiarum*. Et ad Cadolaum Schiſmaticum; *Hæc igitur ad honorem condita Salvatoris, culmen, & ſummitas totius Chriſtianæ Religionis effecta (ut ita dixerim) Eccleſia eſt Eccleſiarum, & Sancta Sanctorum. Habet enim intrinſecus Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli diverſis quidem locis conſtitutas Eccleſias, ſed ſui compagi ſacramenti (quia videlicet in quodam meditullio poſita, quaſi Caput membris ſupereminet) indifferenter unitas. His itaque tamquam expanſis divinæ miſericordiæ brachiis, ſumma illa, & venerabilis Eccleſia omnem ambitum totius orbis amplectitur; omnes qui ſalvari appetunt, in materno pietatis gremio confovet, & tuetur. Hac Jeſus, ſummus videlicet Pontifex, arce ſubnixus, totam in orbe terrarum Eccleſiam ſuam ſacramenti unitate confœderat, ut unus Paſtor merito, & una dicatur Eccleſia &c.* Hæc autem idcirco hic deſcripta voluimus, ut oſtendatur optimo quidem jure ejuſdem Baſilicæ Dedicationem in univerſa Eccleſia celebrari, utpote quæ eſt parens, ac caput omnium Eccleſiarum.

VI. Licet autem præfatæ Baſilicæ tamquam communis Matris Dedicationis celebrationi totus Catholicus optimo jure incumbat Orbis, adhuc tamen ab hoc, qui in propriarum Eccleſiarum Cathedralium particularium cultu ſatis eſt occupatus, & apud quem illa minus celebris evadit, minori ritu, ac celebritate excoli debuit, ac in Alma Urbe, ubi illa ſita eſt, ac Cathedralis Eccleſiæ ſortem aſſequitur; hinc prædictæ Baſilicæ Dedicationem ritu duplici minori ſine octava per Catholicum Orbem, ut antea, venerari reliquit; ab univerſo vero Clero Sæculari Almæ Urbis, & ejus diſtrictus ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava tamquam Cathedralem Eccleſiam ejuſdem Almæ Urbis, celebrari mandavit, juxta Decreta S. Rituum Congregationis hac in re pluries edita, de quibus ſuperius in hoc Capite mentionem fecimus, & explanationem.

VII. *Ab univerſo ipſius Clero Sæculari tantum*: quapropter

Regu-

Regularibus utriuſque ſexus Urbis, ejuſque diſtrictus haud licet dictam Dedicationem ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebrare, ſed tamen per hoc non intelliguntur exempti a celebratione præfatæ Conſecrationis Baſilicæ Lateranenſis, uti Cathedralis Almæ Urbis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava, cum adſit Decretum S. R. C. ſub die 1. Aprilis 1662. confirmatum ab Alexandro VII. die 8. ejuſdem menſis, & quamplurimæ aliæ ejuſdem Congregationis Sanctiones, in quibus demandatur, quod Regulares utriuſque ſexus tenentur celebrare ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis. Verum quoniam de his ſuperius late, & fuſe egimus, ideo ad ibidem dicta remittimus Lectorem, eumdem ſolummodo admonentes, quod quæ inibi de Regularibus, & Monialibus, etiam ſubjectis Ordinariis locorum dicta ſunt relate ad celebrationem dedicationis Eccleſiæ Cathedralis locorum, in quibus eorumdem monaſteria ſita ſunt, integre quoque applicari debent Regularibus, & Monialibus Almæ Urbis, & ejuſdem diſtrictus reſpective ad celebrationem Dedicationis Baſilicæ Lateranenſis.

VIII. Admonet nos autem Meratus *in part. ult. tom. 2. not. 8. ante Tabulas*, quod memoratus Diſtrictus Almæ Urbis, ad cujus Clerum Sæcularem, vel Regularem prout ſupra extenditur Dedicatio Baſilicæ SS. Salvatoris, comprehendit ſpatium quadraginta milliarium extra, & circa Urbem; unde ſi qui forent extra dictum diſtrictum, & eamdem Baſilicam ut Cathedralem agnoſcerent, ſi ex Clero Sæculari eſſent, tenerentur quidem ad celebrandum Feſtum Dedicationis ejuſdem ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed ſine octava, quemadmodum Decreta ſuperius data, & expoſita faciendum eſſe jubent a Clero Sæculari extra Urbem in Diœceſi degente; a Clero autem Regulari obſervari deberent, & poſſent, quæ a Clero Regulari Diœceſis aliarum Eccleſiarum obſervanda eſſe de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis itidem ſuperius diximus.

IX. Agendum hic ſupereſſet, num præfatus Clerus Almæ Urbis, ejuſque diſtrictus, uti tenetur ad celebrationem Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris, tamquam ejuſdem Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, ita teneatur ad Feſtum Titularis ejuſdem; ſed ſuper hoc agere reſervamus in Decreto ſequenti.

DECRETUM DECIMUM OCTAVUM.

Dedicatio Baſilicæ SS. Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras ſecundas veſperas, ſi concurrat cum ſequenti officio duplici minori. S. R. C. 12. Julii 1664. *in una Ordinis Minor. de Obſerv.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 85.

I. BAſilica SS. Salvatoris cum ſit mater, ac caput omnium Eccleſiarum, jure merito ejuſdem Dedicatio ab univerſo Catholico recolitur Orbe. Die itaque 9. Novembris ſub ritu duplici minori in Romano Kalendario recurrit, in qua ejuſdem Conſecratio primum peracta fuit a Silveſtro Papa, & in quam noviſſimis hiſce temporibus Benedictus XIII., qui eam alia die ſolemni ritu conſecravit, ejuſdem Celebritatis memoriam quotannis recolendam ſtatuit, quemadmodum fuſe dictum eſt in expoſitione præcedentis Decreti.

II. In Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci die decima Novembris ſub ritu duplici minori celebratur Feſtum Tranſlationis S. Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, quod conſequenter in primis ſuis veſperis concurrentiam habet cum ſecundis Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris; hinc exortum fuit dubium, quomodo officium in prædictis veſperis foret ordinandum, num ſcilicet integræ deberentur ſecundæ veſperæ Dedicationi Baſilicæ præfatæ, an vero forent dimidiandæ cum ſequenti officio duplici minori? Ex parte itaque Commiſſarii Generalis ejuſdem Ordinis humillime ſupplicatum extitit Sacrorum Rituum Congregationi; quatenus declarationem prædicto dubio dignaretur emanare, ut refert Lantuſca *in Theatro Regul. verb. officium Sanctorum num. 6.*

III. Admodum debile nonnullis viſum eſt hujuſmodi dubium, & prorſus inaniter ſuper illud conſulta Sacra Rituum Congregatio; ajunt enim, quod ex primis veſperis, quas ſecundum præſcripta Rubricæ particularis poſitæ in die Octava omnium Sanctorum Dedicatio præfata dividit cum præcedenti officio duplici minori, optime dignoſci poterat, quomodo procedendum foret etiam in ſecundis, quando occurrunt cum ſequenti officio itidem duplici minori. Quoniam ſi primæ veſperæ, quæ teſtibus Amalar. *de ordine Antipho. cap. 16.* & Gav. *ſect. 4. cap. 3. num. 2.* ſunt nobiliores ſecundis, concurrentes cum præcedenti duplici minori dimidiantur, quomodo de ſecundis ignobilioribus in ſimili concurſu, quod poſſint, & debeant eſſe integræ, rationabiliter poterat dubitari?

IV. Verum non ita; cum enim præcedens officium duplex minus, cum quo concurrentiam habet Baſilica SS. Salvatoris, ſit octava omnium Sanctorum, & in officio omnium Sanctorum præcipuum locum obtineat Beata Dei Genitrix Maria, ut patet ex Martyrologio Romano, in quo annunciatur hoc feſtum his verbis, *Feſtivitas omnium Sanctorum, quam in honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum Martyrum Bonifacius IV. &c.*, particularis quidem poterat adeſſe ratio eaſdem primas veſperas dimidiandi, quæ pro ſecundis concurrentibus cum officio Sanctorum haudquaquam procederet.

V. Rationabile itaque propoſitum demus quæſitum, & Rubricis conformem Sacræ Rituum Congregationis inſpiciamus Reſolutionem, dum ſecundas veſperas dimidiandas decrevit. Cum enim Dedicatio Baſilicæ SS. Salvatoris non excedat ritum duplicem minorem, nec ſit ex Feſtis, quæ juxta Rubricam *de Concurr. num. 2. Inter Feſta*, vigore propriæ dignitatis ſunt aliis æqualis ſolemnitatis, ſeu ritus præferenda, ſed ſolum ex feſtis, quæ in concurſu cum officio æqualis ritus integras ſortiuntur veſperas, eo quod *in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur*, extra Almam Urbem, ubi ſpeciali haud gaudet ſolemnitate, integras non debuit ſortiri ſecundas veſperas in concurrentia cum ſequenti officio duplici minori, ſed potius eaſdem dividere juxta Rubricam generalem *de Concurr. num.* 2. ita expreſſe diſponentem; *Duplici in ſecundis veſperis concurrente cum alio ſequenti Duplici in primis, ſi utraque ſunt ejuſdem ſolemnitatis, regulariter a Capitulo fit de ſequenti cum commemoratione præcedentis, niſi aliter in propriis locis adnotetur.* Tantum autem abeſt, quod aliter in proprio loco adnotetur, quin potius, ut bene ſuperius arguebatur, præſcribatur veſperarum diviſio.

VI. Dices 1. quod ſi ita foret, primæ ejuſdem veſperæ deberentur integræ diei Octavæ omnium Sanctorum ratione B. Mariæ, Angelorum, ac Apoſtolorum, qui in feſto omnium Sanctorum intelliguntur incluſi, cum hi ſint ex Sanctis, qui ratione dignitatis perſonalis, & vi memoratæ Rubricæ *Inter Feſta* ceteris præferuntur.

VII. ℟. Quod in Feſto omnium Sanctorum recoluntur quidem etiam B. Maria, Angeli, & Apoſtoli, ſed non aperte, & ſub ſpecifica, & particulari eorumdem ratione, ſed latenter, & ſub generica, & univerſali inſpectione Sanctorum, quapropter eorumdem ſpecifica, & particularis non attenditur dignitas, nec in ullam in præfato Feſto venit conſiderationem, ac conſequenter præferentiam haudquaquam eidem tribuere valet, ſed tale feſtum tamquam feſtum mere Sanctorum juxta Rubricas regendum manet, perinde ſcilicet ac ſi præfati B. Virgo, Angeli, ac Apoſtoli in eo minime eſſent incluſi; unde & in feſto omnium Sanctorum commemoratio fieret de ſequenti aliquo Sancto, ſi quis alicubi occurreret, licet hic ſit unus ex Sanctis in præfato Feſto omnium Sanctorum comprehenſis, & juxta Rubricas in eadem parte officii ſimul fieri haud liceat de eodem officium, & commemorationem, quemadmodum in ſimilibus expreſſe ſancivit S. R. C. in ſuo Decreto 23. Junii 1736. quod in Indice datur ſub numero 329. & ſuo loco exponetur.

VIII. Dices 2. quod Feſtum Dedicationis prædictæ Baſilicæ eſt Feſtum SS. Salvatoris, adeoque ex feſtis Chriſti Domini, quæ in concurrentia cum feſtis Sanctorum ejuſdem ritus integras habent veſperas: eſt enim Feſtum Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris.

IX. ℟. Id, quod habet de SS. Salvatore, ad Titulum ſpectare, non ad Dedicationem; diverſa autem plane ſunt Feſta Tituli, & Dedicationis. In noſtro igitur caſu, cum non agatur de Feſto Tituli prædictæ Eccleſiæ, de quo fit officium die 6. Auguſti in Feſto Transfigurationis Domini, quod propterea a Clero ejuſdem Baſilicæ ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava recolitur, ſed de Feſto ejuſdem Dedicationis, idcirco tale Feſtum non eſt ex Feſtis Domini, nec ex iis, quæ in concurrentia cum Feſtis Sanctorum ejuſdem ritus integras habent veſperas.

X. Dices 3. quod ſi in feſto præfatæ Dedicationis non una ſimul celebrarentur Dedicatio, & Titulus ejuſdem Eccleſiæ, nedum Clerus ſervitio ejuſdem Baſilicæ adſcriptus, ſed etiam totus Clerus Almæ Urbis, ejuſque diſtrictus, uti celebrat ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum Dedicationis, ita eodem ritu, & pacto excolere deberet Feſtum Transfigurationis tamquam Feſtum Tituli ſuæ Cathedralis, quod non minus juxta repetita Decreta Sacræ Rituum Congregationis in præcepto eſt; cum igitur hoc ritu, & pacto celebrationi dicti Feſti Clerus Almæ Urbis nequaquam incumbat, ſed ſub ritu duplici dumtaxat majori cum reliqua Eccleſia illud excolet, dicendum videtur, quod in Dedicatione colit & Titulum præfatæ Baſilicæ, ac per conſequens quod tale Feſtum eſt Feſtum Domini, cum analogum ſtet pro famoſiori analogato; nec ſuſpicio enim cadere poteſt, quod præfatus Clerus a peritiſſimis Sacrorum Rituum Magiſtris directus, in abſtinendo a celebratione Tituli ſuæ Cathedralis aberret.

XI. ℟. Quod utique Clerus Almæ Urbis, ejuſque diſtrictus, uti celebrat ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava Feſtum Conſecrationis ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, ita eodem ritu, & pacto Feſtum Tituli ejuſdem Eccleſiæ, ſcilicet Feſtum Transfigurationis Domini excolere deberet, quemadmodum a Clero ejuſdem Baſilicæ revera celebratur; eſt ſiquidem juxta omnes Auctores, ac iterata Decreta non minus in præcepto Feſtum Dedicationis Cathedralis, quam Feſtum Tituli ejuſdem, quinimmo Feſtum Tituli extenditur cum octava ad Clerum Sæcularem etiam in Diœceſi commorantem, & ſub ritu duplici primæ claſſis, licet ſine octava, ad Clerum Regularem, ubi Feſtum Conſecrationis Cathedralis Eccleſiæ apud Clerum Sæcularem Diœceſis octavam non habet, & apud Clerum Regularem Civitatis nonniſi ritum duplicem ſecundæ claſſis aſſequitur, & nec univerſim ad ejuſdem celebrationem in Diœceſi obſtringitur. Hæc indubia, ac extra omnem controverſiam eſſe ſupponuntur ex jam dictis, & infra ſuo loco dicendis. Miror itaque valde, cur in Kalendarium Almæ Urbis, quemadmodum introductum fuit Feſtum Dedicationis Baſilicæ SS. Sal-

vato-

vatoris tamquam ſuæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ Claſſis, & cum octava, ita ſimul ſub eodem ritu, & octava inductum non extiterit Feſtum Tramſigurationis Domini, quod eſt Feſtum Titularis ejuſdem, ſed adhuc inibi in priſco perſeveretur uſu dictum Feſtum celebrandi ſub ritu duplici majori cum reliqua Eccleſia, & ingenioli mei imbecillitatem profitens adeo profecto miror, ut ab eruditiſſimis illius Urbis viris in Sacris Ritibus peritiſſimis inſtrui ſummopere exoptem. Nec dici valet, quod in Feſto Dedicationis una ſimul Feſtum Tituli recolatur, quoniam ex qualitate officii, quod ea die recitatur, necnon ex præcedenti Decreto, in quo demandatur præfatum Feſtum Dedicationis ab oniverſo Clero Sæculari Almæ Urbis, ejuſque diſtrictus ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebrari, hiſce verbis: *Ut idem Feſtum tamquam Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis &c.* eſſe Feſtum mere Dedicationis, & non ſimul Tituli, ſatis aperte demonſtratur.

XII. Allucinationis igitur hujuſmodi ut inveſtigetur cauſa, ſciendum venit, quod præcedenter ad Decretum Benedicti XIII. de die 14. Septemb. 1726. a cujus vix venimus expoſitione, in Alma Urbe uſus non adetat celebrandi nec Titulum, nec Dedicationem Baſilicæ SS. Salvatoris elevatiori ritu, quam in univerſa celebrentur Eccleſia, ſed cum hoc ſub ritu duntaxat in Breviario Romano deſcripto, & ſine octava utrumque Feſtum recolebatur. Occaſione modernæ Conſecrationis ejuſdem Eccleſiæ Benedictus XIII. talem ſuſtulit uſum, & ad praxim deduci mandavit Decretum Sacræ Rituum Congregationis, ſæpius repetita, quæ Clerum Sæcularem ad celebrationem Feſti Dedicationis ſuæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava adſtringunt, nihil innovando, vel definiendo circa Feſtum Titularis ejuſdem. Prędicti igitur vigore Decreti in Kalendarium Almæ Urbis Feſtum Dedicationis præfatæ ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava ſtatim invectum extitit, & nihil innovatum fuit circa Feſtum Titularis, de quo nec verbum Decretum habebat. Rite autem hoc, & recte? Non credimus; Feſtum enim Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſecum affert & Feſtum Titularis ejuſdem, & qui unum fieri mandavit, etiam alterum mandaſſe cenſetur, adnexorum ſiquidem, & connexorum, ac correlativorum idem eſt judicium, & eadem diſciplina, & de uno diſpoſitum trahitur ad alterum, ut bene Barboſa de Axiomatibus in hiſce memoratis reſpective terminis, & maxime id procedit in noſtro caſu, in quo haud deſiderantur quamplurima Decreta Feſtum Tituli Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava ſimiliter expreſſe demandantia.

XIII. Confirmatur, quoniam hoc ipſo, quod Benedictus XIII. in memorato Decreto mandavit Dedicationem Baſilicæ Lateranenſis, tamquam Feſtum Dedicationis *Cathedralis Eccleſiæ Almæ Urbis* ab univerſo ipſius Clero Seculari eſſe celebrandam, inſimul utique declaravit, quod Baſilica præfata Lateranenſis tamquam *Eccleſia Cathedralis Almæ Urbis* debeat conſiderari, & de ea tamquam de Eccleſia Cathedtali ibidem officia eſſe recitanda; quapropter dum ipſemet Feſtum ejuſdem Conſectationis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava indicit eſſe colendum, diſerte ſe exprimit, ſe id de novo haudquaquam præcipere, vel particulare aliquod indultum, aut mandatum facere, ſed in executionem plurium Decretorum Sacræ Rituum Congregationis *Juxta Decreta S. R. C. hac in re pluries edita*, illorum ſcilicet, quæ ſuperius dedimus, & explanavimus, per quæ expreſſe mandatur, quod Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava a Clero Sæculari cujuslibet reſpective Civitatis debeat celebrari. Etſi igitur ante memoratum Decretum, aut declatationem Benedicti XIII. in priſco ſuo uſu recolendi Feſtum Transfigurationis Domini uniformiter cum Eccleſia univerſali ſub ritu duntaxat duplici majori, forſitan Alma Urbs perſeverare potuerit, poſtquam tamen pręfata Baſilica SS. Salvatoris per Benedictum XIII. *Cathedralis* dictæ Almæ Urbis diſerte declarata extitit, & ſimul demandatum fuit, Feſtum ejuſdem Conſecrationis tamquam Cathedtalis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava a Clero prædictæ Civitatis eſſe celebrandum juxta iterata Sacræ Congregationis Decreta, Feſta cujuslibet Cathedalis Eccleſiæ a proprio reſpective Sæculari Clero ita fieri præſcribentia, non amplius eidem integrum manet præfatum Transfigurationis Feſtum, quod dictæ Baſilicæ primarius Titulus eſt, ſub ritu duplici duntaxat majori excolere cum adeo deformi varietate a Feſto Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, & in apertam contraventionem Decretorum Sacræ Congregationis, quæ non minus Tituli, quam Dedicationis ſuæ Cathedralis Feſta ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava eſſe celebranda edicunt, ſed neceſſarium, atque præſcriptum una redditur, ut etiam præfatum Tituli Feſtum, videlicet Transfigurationis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava a memorato Clero celebretur.

XIV. Ex dictis autem colligitur primo, quid agendum ſit in concurrentia in primis, & ſecundis veſperis Dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli cum præcedenti, vel ſequenti Feſto duplici minori; ſunt enim veſperæ dimidiandæ, quemadmodum de facto ita faciendum eſſe præſcribit Rubrica particularis in Breviario Romano die 18. Novemb. in Feſto Dedicationis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli poſita, quæ per hæc verba, *Veſpera a Capitulo de ſequenti cum commemoratione præcedentis* ſecundas dictæ Dedicationis veſperas dividit cum ſequenti officio duplici minori S. Eliſabeth Reginę Hungarię. Quod autem prędictum officium pręfefert de Apoſtolica dignitate ea nomenclatura, quam habet, *Dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli*, ad Titulum non minus ſpectat, non ad Dedicationem, de qua ſolummodo eo die officium agitur, quemadmodum ſuperius dicebamus de Baſilica SS. Salvatoris.

XV. Colligitur 2. quod cum Decreta Sacræ Congregationis officium primæ claſſis, & cum octava de Dedicatione Eccleſiæ Cathedtalis duntaxat indicant, non autem ceterarum, licet alicubi aliquæ reperiantur ſatis inſignes, idcirco etſi in Urbe Roma habeatur Baſilica admodum perinſignis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quia tamen in ſortem Cathedtalis ejuſdem Urbis aſſumpta hęc minime eſt, idcirco cum octava, & ritu duplici primæ claſſis ibidem excoli nullatenus valet, ſed ſub ritu duntaxat minori cum reliqua Eccleſia debet celebrari. Iis, quæ modo dedimus, adſtipulatur uſus Eccleſiæ Venetiarum, quæ licet habeat Baſilicam S. Marci ſatis inſignem, adhuc tamen ſolam ſuam Cathedralem cum octava, & ritu duplici primæ claſſis diſtinguit, & Dedicationem Baſilicæ S. Marci ſub ritu duplici duntaxat minori die 8. Octobris recolit. Nolo tamen hinc inferas, licitum eſſe, reliquarum Eccleſiarum, licet inſignium, Feſta Dedicationis ſub hujuſmodi ritu inſtituere; hoc enim per nulla Congregationis Decreta reperitur permiſſum, & ſi alicubi id fit, nonniſi vigore particularium Indultorum, aut legitimæ conſuetudinis attentatur.

DECRETUM DECIMUM NONUM.

Occurrente Dedicatione Baſilicæ SS. Salvatoris, vel SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum infra octavam Dedicationis aliarum Eccleſiarum, pro earum octava debet ſumi alia Oratio de communi, nempe *Deus qui inviſibiliter*. S. R. C. 25. Septemb. 1706. *in una Urbis, & Orbis*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 242.

I. ULtra eam SS. Salvatoris in celebratione Dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ perinſignis inter alias Urbis eminet in eorumdem Sanctorum, tamquam inter Apoſtolos Principum, ac primariorum Catholicæ fidei Satorum illuſtrium, honorem conſtructa, quotannis univerſa die 18. Novembris ſatis congruenter occupatur Eccleſia, quæ ſub ritu duplici itidem minori in Romanum invecta reperitur Breviarium. Accidit non ſemel, quod aliqua ex hiſce duabus Dedicationibus occurrat infra octavam Dedicationis aliarum Eccleſiarum, propriæ ſcilicet, & particularis, vel Cathedralis Eccleſiæ, quæ in particularibus locis in præcepto ſunt, & recoluntur. Hoc in caſu contingit Collectarum, ſeu Orationum identitas, quoniam Oratio *Deus qui nobis per ſingulos annos*, quę eſt aſſignata dici in prędictis Feſtis Dedicationum Baſilicarum SS. Salvatoris, & SS. Apoſtolorum, dici quoque præſcripta eſt in Anniverſario Dedicationis, ſive propriæ, ſive Cathedralis Eccleſiæ, unde cum in eadem parte officii eamdem bis dici Orationem Romanus Ritus abhorreat, dubium emerſit, quænam Oratio pro varietate ſumenda foret, & num quæ variatur, uſurpari deberet in officio dictarum Baſilicarum, an vero magis in commemoratione facienda de octava?

II. Cui dubio Sacra Rituum Congregatio reſpondendum eſſe cenſuit, *quod pro earum octava debet ſumi alia oratio de communi, nempe Deus qui inviſibiliter*; qua in reſponſione una ſimul aſſignat Orationem, quæ pro varietate ſumenda eſt, nimirum *Deus qui inviſibiliter*, & notat pro quo eſt uſurpanda, nempe *pro earum octava*, ſive in commemoratione, quæ de octava fieri debet, infra quam occurrunt Dedicationes dictarum Baſilicarum.

III. Hujuſmodi diſpoſitio aperte eruitur ex Rubrica *IX. de commem. num.* 8. ubi habentur hæc verba: *Si occurrat, ut eadem ſit oratio Feſti, de quo ſit officium, & ejus, de quo ſit commemoratio, mutetur oratio pro commemoratione in aliam de communi*. Claret igitur, quod oratio, quæ mutatur, uſurpari debet, non pro eo, de quo ſit officium, ſed pro eo, de quo ſit commemoratio, & conſequenter in noſtro caſu pro octava, de qua commemoratio fieri debet, & non pro Feſtis Dedicationum dictarum Baſilicarum, de quarum alterutra officium inſtituendum venit.

IV. Remanet itaque ſolummodo videatur, num oratio, quæ pro varietate ſumi debet, ſit, quæ a Sacra Congregatione reperitur aſſignata, nimirum *Deus qui inviſibiliter*. Superius memorata Rubrica diſponit, ut vidimus, quod mutatio orationis ad vitandam iterationem ejuſdem, & varietatem inducendam, fieri debet *in alia de communi*; in Communi autem Dedicationis non eſt reperire aliam orationem, quam eam *Deus qui inviſibiliter*, quapropter nec dubium eſſe poteſt, quod ea eſt deſumenda; non enim recurri poteſt ad aliquod Commune Sanctorum, quorum orationes indubie quadrare non poſſunt pro officio Dedicationis, imo nec huic ullatenus queunt aptari, quemadmodum fit, & fieri poteſt, quoties ſit officium de Sanctis, in quo ſi plures fieri eveniant commemorationes ad idem Commune ſpectantes, orationes ſupplentur ex alio Communi, ſi in proprio deficiunt, iiſdemque optime adaptantur modica intercedente variatione per additionem addendorum, vel remotionem eorum, quæ minime conveniunt.

V. Quia tamen hujuſmodi oratio in dictum Commune invenitur invecta eo potiſſimum fine, ut dicatur *in ipſo die*

Dedi-

Digitized by Google

Dedicationis Eccleſiæ, & per ejuſdem octavam, quemadmodum antecedenter ad poſtremam Breviarii recognitionem tantummodo cantabat Rubrica particularis in præfato Communi poſita, idcirco quia dubium cadere poterat, num eamdem pro varietate uſurpare liceret, adeoque non tantum in die Dedicationis, ſed etiam pro varietate, quando recolitur Anniverſarium ejuſdem, conſulto in poſtrema Breviarii recognitione Gavanto teſte *ſect. 8. cap. 5. num. 5.* memoratæ Rubricæ particulari ante præfatam Rubricam poſitæ addita extitere ſequentia verba, *& quando varianda eſt oratio ob concurſum Dedicationis alterius Eccleſiæ;* qua ex additione modo quæcumque eliminata remanet ambiguitas, & liquido conſtat, quod dicta oratio ad varietatem inducendam ſumi debet, quoties ob concurſum Dedicationis alterius Eccleſiæ contingit identitas Collectarum.

VI. Quoniam vero ex laudata Rubrica *IX. de Commem.* necnon ex præſenti Decreto Oratio, quæ mutatur, uſurpari debet pro eo, de quo fit commemoratio, ſequitur, quod ſi Dedicatio alterius Eccleſiæ occurreret in die immediate præcedenti, vel ſequenti ad alterutram ex Dedicationibus dictarum Baſilicarum, tunc quia veſperæ forent integræ de illa Dedicatione utpote duplici altioris ritus, pro hac dici deberet oratio *Deus qui nobis per ſingulos*, & pro commemoratione Dedicationis memoratarum Baſilicarum, quoties facienda venit, dicenda foret oratio *Deus qui inviſibiliter*. In ſequenti vero die, in quo de Baſilicis officium fieret, & de octava commemoratio, oratio *Deus qui nobis* Baſilicis deberetur, & octavæ altera. In concurſu autem diei octavæ Eccleſiarum particularium, & Dedicationis alterutrius ex Baſilicis, vel diei octavæ cum altera die octava, oratio *Deus qui nobis* ſemper dicetur pro ea, de qua dictum eſt Capitulum, & pro altera ſumetur oratio *Deus qui inviſibiliter*. Denique oratio, quæ variatur, ſemper uſurpatur pro eo, de quo fieri debet commemoratio, nulla habita ratione, quod in præcedenti, vel ſequenti die, in quibus habuit, vel habere debet officium, lecta in eo fuerit, vel legi debeat oratio *Deus qui nobis*, quemadmodum fuſiori calamo dicemus agentes de Collectis, ſeu Orationibus. Ratio autem hujus eſt, quia id, quod habet officium, primariam, & principalem ſortitur conſiderationem, adeoque in ejuſdem officio adhiberi debent ea, quæ in officio talis rationis, aut qualitatis inſtituta diei ſunt, & ſi variatio aliqua ob occurrentem ipſeitatem induci debet, æquum utique eſt, quod res variata deſerviat pro eo, quod ſecundariam habet eo in officio conſiderationem, adeoque pro eo, quod non officium, ſed ſolam habet commemorationem.

VII. Difficultas inſurgit in caſu diviſionis veſperarum, in quo utraque ex concurrentibus Feſtis per æquas partes habet officium, ſcilicet dimidium veſperarum, unde determinari tuto non poſſe videtur, quodnam ex illis Feſtis principaliorem ſortiatur conſiderationem ad effectum tribuendi illi orationem *Deus qui nobis*. Verum indubium eſt, quod illud ex dictis Feſtis, de quo dicitur Capitulum, in principaliorem cadit conſiderationem, unde & color paramentorum in hujuſmodi caſu uſurpatur ille, qui convenit Feſto, de quo dicitur Capitulum, non autem ille, qui congruit Feſto, de quo recitatum eſt uſque ad Capitulum. Deinde clara eſt Rubrica, necnon diſpoſitio Decreti, quæ orationem, quæ variatur, uſurpandam edicunt pro eo, de quo fit commemoratio, quapropter cum commemoratio fieri debeat de eo, de quo recitatum eſt uſque ad Capitulum, idcirco & dicta oratio pro ejuſdem commemoratione deſervire debet, quantumvis dimidium veſperarum ut ſupra habuerit.

VIII. Utinam ut hæc ex laudata Rubrica, & præſente Decreto facile dirempta fuere, ita dirimi poſſet difficultas altera, quam ſubdimus; & eſt, quid agi debeat, quoties alterutra ex dictis Baſilicis occurreret infra duas octavas Dedicationum Eccleſiarum particularium, puta Eccleſiæ propriæ, & Cathedralis; in Communi enim Dedicationis non habentur, niſi duæ aſſertæ Orationes, & in ceteris aliis Communibus haudquaquam reperiuntur Orationes aliquæ, quæ commode valeant deſervire; unde igitur tertia Oratio in caſu ad varietatem deſumenda foret? & amplius unde peti poſſet quarta, ſi inſimul occurreret octava alterius Eccleſiæ unitæ, adnexæ, vel derelictæ, de qua octavam celebrari itidem poſſe a Clero principalis Eccleſiæ, & e contra, ſuperius dicebamus?

IX. Equidem quod tot octavæ ſimul occurrant, admodum evenire difficile eſt, ceterum inficias iri non poteſt, quod id reipſa accidere alicubi queat, & propterea reſponſio aliqua adhibenda venit. Ad varietatem igitur Orationum inducendam in hiſce caſibus recurri poſſet ad Miſſale Romanum, & ex eodem deſumi Oratio Poſtcommunio *Deus qui de vivis*, & adhuc Oratio Secreta *Annue quæſumus*, quæ aſſignantur in Miſſa de Communi Dedicationis Eccleſiæ, quoniam in his Orationibus revera nihil habetur, quod congrue & in officio dici non poſſit. Ita quidem fieri laudaremus, aſt quia non minus in officio, ac in Miſſa ipſeitas Collectarum vitanda venit, & varietas inducenda, etſi talis agendi modus ſuffragetur, atque ſufficiat ad dictam varietatem inducendam in officium, non tamen in Miſſam, in qua omnes commemorationes, quæ in officio dictæ fuerunt, ſimiliter veniunt faciendæ; eapropter præfatus modus tanquam inſufficiens, ac minus aptus deſerendus videtur.

X. Satius igitur adjudicamus in hujuſmodi caſu pro tertia Collecta adhibere Orationem *Deus qui ex omni*, quæ in Miſſali dici præſcribitur in die Dedicationis Altaris, quæ una cum aliis Orationibus, Secreta, & Poſtcommunione in eadem Miſſa aſſignatis, optime deſervire valet ad varietatem ubicumque inducendam etiam in Miſſam, in iiſdem mutato ſolum ly *Altare*, ubi habetur, in *Templum*. Aſt quid, ſi quarta Oratio de altera Dedicatione addi debeat? Hoc proculdubio difficilius evadit ſtabilire; verum cum nos doceat Axioma illud, *Extremis morbis extrema remedia ſunt adhibenda*, fas eſt, dicamus, quod pro quarta Collecta in officio dicatur Oratio Poſtcommunio *Deus qui de vivis*, & hæc in officium varietatem inducet, quæ inducta pariter veniet in Miſſam, ſi loco Poſtcommunionis præfatæ *Deus qui de vivis*, quam tunc bis dici contingeret in Orationibus *Poſtcommunio* nuncupatis, pro officio ſcilicet, & commemoratione, repetas Orationem *Deus qui nobis per ſingulos annos*, quæ inter Orationes in principio Miſſæ recitatas principem tenuit locum.

XI. Dices abſurdam eſſe hujuſmodi diſpoſitionem, quoniam adhuc eidem Orationi in eadem Miſſa binum locum relinquit, præfatæ ſcilicet Orationi *Deus qui nobis*, quæ primo loco inter Orationes recitaretur, & ulterius locum haberet inter Poſtcommuniones: ſufficientem igitur haudquaquam inducit Orationum varietatem.

XII. ℟. Quod ipſeitas Orationum, quæ vitanda præſcribitur, eſt in eadem parte officii, ita ut eadem Oratio ſucceſſive, puta poſt Laudes, dici non poſſit & pro officio, & pro commemoratione, non autem in toto officio, unde eadem Oratio, quæ dicitur in Laudibus, repetitur ad omnes Horas, & utraſque Veſperas, quinimmo etiam in eadem parte officii ſi plures Orationes locum habere poſſent, crederem eamdem repeti poſſe, dummodo id non contingeret ſucceſſive, ſed in diverſis locis ejuſdem partis officii, unde ſi poſt *Te Deum* Oratio foret ſubjungenda, quemadmodum fit in nocte Nativitatis Domini, & quotieſcumque Nocturni ſeparantur a Laudibus, dici deberet, quæ poſt Laudes dici præſcribitur, & adhuc hæc in fine Laudum repeti poſſet, & deberet; quod & præſtari deberet in fine cujuſcumque Nocturni, ſi unum eorumdem ab altero ſeparatim dici eveniret, licet modo, quidquid ſit de antiquis temporibus, omnia tria Nocturna unam dumtaxat conſtant Horam, quinimmo & omnia Nocturna cum Laudibus unam ſolummodo Horam efficiunt, unde communiter dicitur, Officium divinum ex ſeptem conſtare Horis, videlicet ex Matutino cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperis, & Completorio. Accedit, quod verſus ver. gt. *Amavit eum Dominus*, qui dicitur in primo Nocturno, adhuc dici præſcribitur poſt Laudes pro commemoratione, quoties variari debet, & idipſum evenit in Antiphonis, uti dicemus exponentes Decretum Sacræ Congregationis 5. Maji 1736. Videtur itaque, quod repetitio ejuſdem Collectæ ſolum inhibita cenſeatur, quoties bis, aut pluries ſucceſſive dici deberet.

XIII. Hæc, quæ de officio dicta ſunt, applicanda etiam veniunt Miſſæ, unde fit, quod in Miſſa in eadem parte bis eadem Oratio dici nequeat, puta pro duabus Poſtcommunionibus, pro duabus Secretis &c., non autem ſemel pro Oratione principali, & ſemel pro Poſtcommunione, præſertim quoties dum dicitur pro Poſtcommunione, ultimo loco ponitur, & pro ultima commemoratione deſervit. Ultro tamen fatemur, quod hæc in uſum deduci minime debent, niſi quoties extrema neceſſitas urget, ſeu nonniſi quoties non ſuppetit, unde aliunde varietas inducatur.

XIV. Inferes primo ex dictis, quod ea, quæ hic præſtanda eſſe diximus in occurſu dictarum Baſilicarum infra octavam, vel octavas Dedicationis aliarum Eccleſiarum, applicanda etiam in occurſu, vel concurſu inter plura Feſta, vel octavas plurium Dedicationum particularium, puta Eccleſiarum Cathedralis, propriæ, & adnexarum, uti reipſa pro hujuſmodi caſu edocuit Gavantus *loco cit.*, generatim præſcribit Rubrica generalis, & particularis, ac indirecte faciendum eſſe mandat præſens Sanctio ipſa, dum in occurſu præfatarum Baſilicarum ut ſupra varietatem inducendam eſſe diſponit, quæ cum Rubricis generalibus, & rationi, quæ pro ſimilibus caſibus itidem militat, innititur, in ſimilibus etiam caſibus idem in uſum deduci debere demonſtrat.

XV. Inferes 2. in caſu ipſeitatis Antiphonarum, & Verſuum varietatem quoque eſſe inducendam; quænam autem antiphonæ, & quinam verſus pro commemorationibus præfatarum occurrentiarum deſumi debeant, ea, quæ dicentur in espoſitione memorati Decreti 5. Maji 1636., abunde in apertum ponent, nec hujuſce eſt loci talia inveſtigare.

DECRETUM VIGESIMUM.

Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani inſtitit pro extenſione officii Dedicationis cum octava Eccleſiæ majoris, non ſolum ad Clerum ſervitio ejuſdem Eccleſiæ addictum, & ad Equites, qui tenentur ad Horas Canonicas ratione alicujus beneficii, ſed etiam ad omnes alios Religioſos utriuſque ſexus ſupradicti Ordinis ubique locorum exiſtentes, etiam extra Melitam, non obſtante Decreto hujus S. R. C. emanato a die 11. Julii 1711. & Sacra Rituum Congregatio reſpondit; *negative quoad extenſionem ubique locorum* Die 16. Septemb. 1730. *in una Ord. Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 276.

I. SAcer Ordo *Hieroſolymitanus* dictus a Civitate Jeruſalem, in qua primordia habuit, *Rhodienſis* a Rhodo, quam poſtmodum inhabitavit, nunc *Melitenſis* a Melita Inſula inter Siciliam, & Africam, quam Rhodo a Turcis occupata, a Carolo V. Auguſto dono habuit eo intuitu, ut ſic Siciliam contra Turcarum irruptiones facilius tueretur, & una ſimul tam inclyta Religio, ac Chriſtiano nomini proficua, Infidelium inſenſa, quo conſiſteret, locum haberet. Hic autem habet perinſignem Eccleſiam ſub titulo Sancti Joannis Baptiſtæ erectam, quæ eſt totius Caput Religionis, ad cujus ſervitium portio non exigua Equitum, qui Sacris ſunt initiati, eſt deſtinata.

II. Etſi autem hujuſmodi Ordo cum ſit Militiæ addictus, univerſim ad Horarum Canonicarum penſum minime teneatur, ſunt tamen ejuſdem Ordinis Equites quamplurimi, qui ratione Sacrarum Ordinum, vel alicujus Beneficii ad divinum officium reperiuntur obſtricti. Habet inſuper Ordo præfatus Moniales quaſdam ad hoſpitio excipiendas mulieres, quæ ad viſitanda Sacra loca Jeruſalem conveniebant, quaſque una cum peregrinis in Hoſpitali virorum degere minus congruum erat, primitus inſtitutas, hæ autem, uti Moniales ceterorum Ordinum, divinis officiis incumbunt.

III. Notatu autem dignum apparet, quod hujus Ordinis Equites ad differentiam aliorum Ordinum Militarium ex proprietate ſermonis veniunt appellatione Religioſorum in quacumque materia etiam pœnali, vel odioſa, quemadmodum pluribus congeſtis Rotæ Deciſionibus, Auctoribuſque allegatis aſſerit Barboſa *de Appell. verb. appell.* 233., utpote qui more aliorum Religioſorum tria vota ſolemnia emittunt, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſub Regula ab Eccleſia approbata.

IV. Præfatus itaque Ordo apud Sacrorum Rituum Congregationem inſtitit pro extenſione officii Dedicationis cum octava memoratæ Eccleſiæ majoris S. Joannis Baptiſtæ, non ſolum ad Clerum ſervitio ejuſdem Eccleſiæ addictum, & ad Equites, qui tenentur ad horas Canonicas ratione alicujus beneficii, ſed etiam ad omnes alios Religioſos utriuſque ſexus ſupradicti Ordinis ubique locorum exiſtentes, etiam extra Melitam, non obſtante quodam Decreto ab eadem Congregatione emanato ſub die 11. Julii 1711., quo hujuſmodi extenſio inhibita reperitur.

V. Cui inſtantiæ eadem Congregatio reſpondendum cenſuit *Negative quo ad extenſionem ubique locorum*. Fit itaque primo, quod Clerus addictus ſervitio illius Eccleſiæ, poſſit de Dedicatione ejuſdem cum octava recitare, quoniam negatur extenſio tantummodo quoad *ubique locorum*, ac conſequenter conceditur quoad eos Equites, qui apud eamdem Eccleſiam commorantur, ejuſdemque ſervitio incumbunt. Et quidem de dicta Dedicatione officium facere poſſe arbitramur eoſdem ex illis Equitibus, qui cum in Sacris Ordinibus ſint conſtituti, aut eccleſiaſticum habeant beneficium, ad horas canonicas tenentur, tametſi non ſint ex illis, qui eidem inſerviunt Eccleſiæ, dummodo apud eamdem Eccleſiam reſideant, tunc enim non fit extenſio *ubique locorum*, ſed celebratio prædictæ Dedicationis ſiſtit intra parietes ejuſdem Eccleſiæ. Prima ex hujuſmodi illationibus conſonat cum Decretis ſuperius recenſitis, in quibus vidimus Clerum quemcumque teneri ad celebrandam Dedicationem propriæ Eccleſiæ; ſecunda vero cum Decreto VIII. Capitis III., in quo deciſum manet, Religioſos teneri ad celebrandum Feſtum Dedicationis cum octava Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur; per habitationem enim Eccleſia illa evadit eorumdem vere, & preſſe *propria*, adeoque videre non eſt, cur ejuſdem Dedicationem celebrare non poſſint juxta Rubricarum mandata, quæ Dedicationem propriæ Eccleſiæ in præcepto conſtituunt.

VI. Nec dicas adhuc in Religioſis exigi, quod Choro Eccleſiæ inſerviant; alias Religiones, quæ Chorum non habet, non poſſent de ſua Eccleſia officium Conſecrationis facere, quod eſt contra communem uſum, atque Rubricarum intellectum.

VII. Falleret hoc tamen in iis Religioſis, qui apud eamdem Eccleſiam non permanenter reſiderent, ſed ad eamdem per accidens diverterent, brevi ibidem permanſuri; hos enim conſultius ſequi officia illius Eccleſiæ, apud quam fixum, ac permanens habent domicilium, dicemus in Cap. de Qualitate officii cum aliquibus limitationibus inibi recolendis.

VIII. Fit 2. Iis ex præfatis Equitibus, qui extra Melitam degunt, integrum haud eſſe, de dicta Conſecratione recitare: *Negative quoad extenſionem ubique locorum* & id congruit præcedenti Decreto V., quod in deciſis habet: *Aliarum Eccleſiarum a Cathedrali Feſtum Dedicationis celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur*; etſi autem præfata Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ſit Eccleſia primaria, & principalis, ac veluti caput, & mater ceterarum ejuſdem Ordinis, non eſt tamen in Cathedralium ſortem aſſumpta; hinc magis confirmata remanent, quæ in memorati Decreti expoſitione dicebamus, videlicet *Dedicationem Eccleſiæ primariæ, & principalis alicujus Ordinis Regularis haudquaquam extendi quoad officium ad totum Ordinem*; impræſentiarum enim pro tali extenſione ſupplicatum extitit, & reſponſio fuit negativa; perperam autem pro facultate ſupplicatum fuiſſet, & facultas denegata, ſi alias id fieri liceret. Diximus *quoad officium*, quia quantum ad ſolemnitates liberum eſt cuilibet, quantum libet, abundare.

IX. Fit 3. Neque Monialibus præfati Ordinis, quarum Monaſteria Melitæ conſtructa ſunt, aut alibi in præfata Melitæ Inſula, licitum eſſe de dicta Dedicatione recitare, quod & dici debet de Equitibus ejuſdem Ordinis, qui apud aliam Eccleſiam Melitæ, vel in eadem Inſula permanenter degerent; id enim indicat dictio illa *Etiam extra Melitam* in inſtantiis poſita, quoniam ex allegatis per Barboſam *de Dictionib. dict.* 112. dictio *etiam* eſt implicativa, & exprimit caſum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, quapropter fit, quod dum ſupplicatur, de extenſione pro *ubique locorum* cum dictione *etiam extra Melitam*, inſtantia procedat etiam pro iis, qui Melitæ quidem degunt, ſed non apud eamdem Eccleſiam, ac conſequenter Decretum, dum reſpondet *Negative quoad extenſionem ubique locorum*, negat etiam extenſionem quoad eos, qui Melitæ quidem degunt, ſed non apud eamdem Eccleſiam, ut reſponſio ſupplicationi, & inſtantiæ, uti convenire debet, conſonet. Et quidem aliat haud idonea foret reſponſio, quippe adhuc locus pateret dubitationi, oum per dictam reſponſionem excluſi ſolum fuerint, qui exiſtunt extra Melitam, an vero etiam qui Melitæ degunt, ſed non apud eamdem Eccleſiam. Hinc, quæ in ſuperioribus Decretis pluries ſancita vidimus, noſque non ſemel obſervavimus, uberem confirmationem accipiunt, nempe privilegium eſſe ſolius Eccleſiæ Cathedralis, quod ejuſdem primaria Feſta extendantur extra ipſam Cathedralem ad ceteras loci Eccleſias, & quod præfata Feſta quarumcumque Eccleſiarum, quæ non ſunt Cathedrales, licet Regulares ſint & principales, vel caput Ordinum, ſolum in Eccleſiis ipſis, quarum ſunt Dedicatio, aut Titulus, poſſint celebrari.

X. Unam tamen hæc fallentiam habent, nimirum ſi ceteræ ejuſdem loci Eccleſiæ forent ex adnexis, & acceſſoriis, ac principali plenarie ſubjectis, & ab ea dependentibus, & multo magis ſi conſient cum primaria unam, & eamdem Eccleſiam, ſive Monaſterium, quemadmodum dicebamus exponentes Decretum XV. præſentis Capitis, & inferius non ſemel alibi debet ſermo redire. Amplia memoratam fallentiam, ut comprehendat etiam eos, qui in eadem Eccleſia beneficio aliquo potirentur; hos enim, tametſi extra Eccleſiam ſui beneficii permanenter degant, poſſe, & debere de Dedicatione, & Titulo ejuſdem officium facere dicemus in ſequenti capite exponentes Decretum IV.

XI. Fit 4. idem dicendum eſſe de Titulari, quod dictum extitit de Dedicatione, ac per conſequens nec de Titulari Eccleſiæ majoris, quæcumque ea ſit, dummodo non ſit Cathedralis, per ceteras Ordinis, vel quaſcumque alias haud licitum eſſe celebrare, ſaltem ex ea ratione, quod ſit Titularis Eccleſiæ majoris; adnexorum enim, & correlativorum idem eſt judicium, & de uno diſpoſitum trahitur ad alterum, ut bene Barboſa *Axiom.* 61. Diximus *ſaltem ex ea ratione, quod ſit Titularis Eccleſiæ majoris*, quia ſi talis Titularis officium haberet in Breviario Romano, aut ex particulari Indulto, aut legitima conſuetudine, tunc quidem poſſet de eo recitari etiam extra Eccleſiam, cujus eſt Titulus, non quia ſit Titulus prædictæ Eccleſiæ, ſed ratione Breviarii Romani, vel particularis Indulti, aut legitimæ conſuetudinis, qua utique de cauſa præfatus Hieroſolymitanus Ordo agit de Sancto Joanne Baptiſta. Fas eſt tamen, adhuc adnotet Lector, quod hoc etiam in caſu de dicto Titulari non licet ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava officium fieri, ſed ſolummodo juxta ritum, qui in Breviario Romano, aut particulari Indulto, vel in legitima conſuetudine, vi quorum officium unice fit, reperitur indictus.

XII. Quæ autem hucuſque de Dedicatione, ac Titulari Eccleſiæ majoris, quæ non eſt Cathedralis, univerſim dedimus, fallentiam habent, ſi Eccleſia illa major, etſi Cathedralis non ſit, inſtar Cathedralis ſe habeat, pro quo recolenda veniunt, quæ tradidimus interpretantes Decretum VI. hujuſce capitis, quæ in ſuo integre perſeverant robore, nec per impræſentiarum tradita ullam recipiunt offenſionem.

XIII. Dices, quod Ordo Minorum die 2. Auguſti officium agit de Dedicatione Sanctæ Mariæ Angelorum, quæ fuit Eccleſia, in qua dictus Ordo primordia habuit; quidni igitur & ceteri Regulares Ordines poterunt idipſum facere de Eccleſia, quæ eſt primaria, ac caput totius Ordinis, vel in qua idem reſpective Ordo primordia ſortitus extitit?

XIV. ℟. De ea officium agere ſive ex peculiari Indulto, aut ex legitima conſuetudine, adeoque nihil inferri contra ea, quæ hucuſque diximus, cum procedant juxta diſpoſitionem Juris communis, ac Decretorum generalium. Quod igi-

tur

tur hinc ſequitur? Sequitur duntaxat, quod idipſum facere queant ceteri Regulares Ordines, ſi particulari ſuffulti ſint privilegio, aut legitima gaudeant conſuetudine, quæ ſcilicet uſque ante Bullam Pii V. introducta ſit. Quod ſi vel particulare non deſit iiſdem privilegium, vel aſſerta iidem gaudeant conſuetudine, nemo eſt, qui inficias ire queat, eoſdem de ſua primaria reſpective Eccleſia poſſe Dedicationem colere, & de ejuſdem Titulari officium facere. Agit vero Ordo Minorum de Dedicatione memoratæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Angelorum ob particolarem quamdam rationem, de qua in Decreto VI. ſequentis Capitis.

XV. Remanet ſolummodo, unum hic adnotet Lector, quod præſens Decretum in omnibus, & per omnia concors eſt cum aliis, quæ ſuperius dedimus, & inferius daturi ſumus, ut conferenti ea, quæ in hujus Decreti expoſitione dedimus, cum iis, quæ ſuperius data ſunt, & inferius dabuntur, abunde patens fiet. Ceterum ſi in hocce Decreto quid particularius indultum fuiſſet, vel contenderetur, adhuc alia Decreta in ſua diſpoſitione permanerent integra, quoniam eſſet particulare indultum, cujus rationis conceſſiones ultra perſonas, quibus fiunt, non extenduntur, nec in quopiam Decreta generalia, aut pro aliis edita lædunt.

DECRETUM VIGESIMUM PRIMUM.

In die Octava Dedicationis ſemper ſunt repetendæ lectiones in primo nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo nocturno officii de ipſomet Feſto Dedicationis. Rubr. Brev. de Lect. num. 9. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 308.

I. DUabus de cauſis contingit in Feſtis novem lectionum in primo nocturno lectiones proprias haberi, aut legi de Communi, omiſſis, vel translatis lectionibus, ſi quæ ſint, de Scriptura occurrente. Hujuſmodi cauſæ ſunt major Feſti ſolemnitas, ob quam in Duplicibus quibuſcumque majoribus primæ, & ſecundæ claſſis ſemper vel propriæ, vel de communi leguntur, nec non neceſſitas, & tunc hoc evenit, quando occurrit Feſtum aliquod iis in diebus, in quibus non habentur in Breviario lectiones ullæ de ſcriptura, puta quia ſunt quatuor Tempora, Feriæ Quadrageſimæ &c. tunc etenim neceſſitas utique cogit recurrere pro omnibus officiis, licet alioquin lectiones primi nocturni proprias non exigant, ad lectiones poſitas in Communi Sanctorum. Hoc itaque in caſu per accidens tantummodo de ſuo reſpectivo communi uſurpantur, & in illo ſemper leguntur, videlicet tam in caſu defectus, quam non defectus ſcripturæ occurrentis.

II. Licet hæc ita ſint conſtituta, non adeo tamen eſt privilegium Duplicium primæ, vel ſecundæ claſſis, aut majorum primas lectiones in primo nocturno proprias habere, ut non reperiantur feſta aliqua, adhuc ſemiduplicia, quibus in Breviario ipſo Romano aſſignatæ ſunt lectiones vel propriæ, vel de communi, quemadmodum videre eſt in feſtis SS. Luciæ, & Agnetis, & aliorum, quæ ſolum duplicia minora ſunt, quinimmo & in feſtis S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ, & Inventionis S. Stephani, Stigmatum S. Franciſci &c., quæ ritum ſemiduplicem nequaquam excedunt; & certum eſt, quod in iiſdem tunc legi debent, cum hac de cauſa iiſdem ſint aſſignatæ, quapropter & Rubrica 26. *de lect. num. 9.* habet: *Lectiones de ſcriptura poſita in communi Sanctorum, leguntur in feſtis, ubi aſſignantur in Proprio Sanctorum per annum.*

III. Hujuſmodi privilegio gaudet quoque dies octava Dedicationis, licet ſit ritus duplicis duntaxat minoris; Rubrica enim particularis præfixa officio diei octavæ Dedicationis ita legit; *Omnia ut in die præter lectiones 2. nocturni.* Si *omnia*, ergo & lectiones primi nocturni; uti enim ex eo, quod legatur ly *omnia*, optime infertur lectiones quoque 3. nocturni deſumendas eſſe de die Dedicationis, ita bene inferri etiam poterit, ex eadem die Dedicationis depromendas eſſe lectiones primi nocturni, alias ſicut fit exceptio lectionum 2. nocturni, fieret quoque exceptio lectionum 1., aut 3. nocturni. Dictio *Omnia* eſt dictio univerſalis, & quæ nihil excludit, ut bene Barboſa *de Dictionib. uſu freq.*, quapropter quæcumque complecti debet, quæ non ſunt expreſſe excepta; in exceptis autem, & excluſis habentur ſolummodo lectiones 2. nocturni.

IV. Claret igitur diſpoſitio Decreti, videlicet, quod in die octava Dedicationis *ſemper*, (& non tantum per accidens ratione defectus ſcripturæ occurrentis) repeti debent lectiones in 1. nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in 1. nocturno officii de ipſomet Feſto Dedicationis.

V. Utinam tamen uti hæc, ita clarerent, quæ ibidem ſubduntur; *Rubr. Brev. de lect. num. 9.*! Hæc enim Rubrica indicit quidem in die octava repetendas eſſe lectiones, quæ in 1. nocturno Feſti lectæ fuerunt, aſt non univerſim, ſed ſolum in caſu incidentiæ diei octavæ in feriis, in quibus nihil habetur de ſcriptura occurrente. En verba Rubricæ. *Quod ſi in aliquibus ex ſupradictis feriis* (videlicet de quibus præcedenter locuta fuerat, ſunt autem Quadrageſima, Quatuor Tempora, ſecunda Feria Rogationum, & Vigilia Aſcenſionis, in quibus feriis in officio de Tempore non aſſignantur lectiones de ſcriptura, ſed de homilia) *occurrat dies octava alicujus Feſti habentis octavam, tunc in primo nocturno diei octavæ repetantur lectiones, quæ in 1. nocturno Feſti lectæ ſunt.* Minus igitur congrue aſſignata videtur dicta Rubrica *de lect. num. 9.* ad indicandum, quod in die octava Dedicationis ſemper repeti debent lectiones 1. nocturni, quæ in Feſto lectæ fuerunt, quemadmodum firmat Decretum.

VI. Verum res non ita ſe habet; ſatis enim ponderate, ac conſulto citata extitit laudata Rubrica, quæ ſiquidem & aperte confirmat quæ tenet Decretum, & aliud inſimul indicat, ſupra quod diſpoſitio Decreti ſimiliter cadit. Confirmat quidem, non per verba ejuſdem, quæ mox adducta fuere, ſed per præcedentia, & ſunt: *Lectiones de ſcriptura poſita in communi Sanctorum leguntur in Feſtis, ubi aſſignantur in proprio Sanctorum per annum.* Hæc etenim verba denotant, quod lectiones 1. nocturni in communi poſitæ uſurpari ſemper debent quoties in proprio Sanctorum, ſeu officii currentis, aſſignantur. Cum itaque ut ſuperius dicebamus, in proprio officii diei octavæ Dedicationis aſſignentur lectiones 1. nocturni, quæ in officio Dedicationis lectæ fuerunt, idcirco per eam Rubricam *de lect. num. 9.* ſatis indicatur, ac firmatur, quod in die octava Dedicationis ſemper repeti debeant lectiones 1. nocturni, quæ in officio Feſti lectæ fuerunt.

VII. Ex quo ſequitur aliud, quod una ſuperius indicari dicebamus, nimirum in die octava Dedicationis ſemper legi ita deberi lectiones 1. nocturni, quæ in officio Feſti lectæ fuerunt, ut ſi Feſtum Dedicationis alicubi ex conceſſione particulari haberet lectiones 1. noctur. proprias, & non eas, quæ in communi Dedicationis aſſignantur, in die octava ejuſdem legi deberent lectiones primi nocturni illæ propriæ, non autem quæ in communi aſſignantur; quapropter in die octava Dedicationis Baſilicæ v. g. SS. Salvatoris, vel SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli legendæ non forent lectiones *Cum compleſſet Salomon*, quas refert Commune, ſed reſpective lectiones illæ propriæ, quæ in feſto Dedicationis dictarum Baſilicarum habentur. Hoc autem indicat dicta Rubrica, nedum dum generatim firmat per recenſita verba lectiones 1. nocturni legi debere, prout in Proprio Sanctorum notantur, in Proprio autem diei octavæ Dedicationis per ea verba, *Omnia ut in die præter lectiones 2. nocturni*, ſatis deſignatur, in præfata die octava ſemper in 1. nocturno legi debere lectiones Feſti, ſive propriæ, ſive de communi eæ ſint. Sed apertius hoc denotat, dum in caſu defectus lectionum de ſcriptura, in die octava cujuſcumque feſti vult eſſe dicendas lectiones 1. nocturni, quæ in feſto lectæ fuerunt, ad differentiam diei infra octavam, cui non aſſignat lectiones feſti, ſed lectiones poſitas in communi Sanctorum. Quoties igitur juxta ſenſum Rubricæ in die aliqua octava legi non debent, nec poſſunt lectiones de ſcriptura occurrente, recurrendum non eſt ad lectiones 1. nocturni poſitas in communi, ſed ad lectiones, quæ habentur in feſto, & eæ ſemper legi debent, ſi tamen alicubi propriæ de ipſa die octava ex conceſſione non haberentur, quemadmodum reipſa habet Ordo Eremitarum S. P. Auguſtini in diebus octavis plurium Sanctorum indigenarum.

VIII. Quæres an in die octava Dedicationis pro 3. nocturno ſemper legi debeant, ac repeti lectiones feſti, an vero poſſint deſumi ex die aliqua infra octavam, de qua ob impedimentum aliquod officium actum non eſt?

IX. R. Quod ſi quandoque non fiat officium de aliqua die infra octavam; poteſt legi homilia, quæ omiſſa eſt, in die octava ad varietatem, & ad libitum. Ita Gavantus *ſect. 7. cap. 9. num. 1.* loquens de die octava S. Joannis Baptiſtæ, in qua etſi ſimiliter aſſignentur lectiones 3. nocturni, quæ lectæ fuerunt in feſto, per ea verba *Omnia dicuntur ſicut in die præter lectiones 1. nocturni, quæ leguntur de ſcriptura occurrente, & 2. nocturni, quæ leguntur ut infra*, adhuc in ea legi poſſe aſſerit de Homilia S. Ambroſii, quæ habetur in ſecunda, vel quarta die infra octavam ejuſdem, ſi de aliqua ex his diebus ob Dominicam occurrentem contingat non fieri officium; hocque ibidem ſubdit conforme eſſe Rubricis Octavarii Romani. Verum de hoc alibi ſermo redibit, præſertim in Capite de Officiis votivis.

DECRETUM VIGESIMUM SECUNDUM.

Octava omnium Sanctorum tamquam dignior, præferenda eſt Octavæ dedicationis Eccleſiæ. Sacr. Rit. Congr. 5. Martii 1693. *in Sabinen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 187.

I. OBſervat Baronius *in notis ad Martyr. die 13. Maji*, quod uſque ad S. Gregorii Papæ tempora Idolorum Templa a Chriſtianis, ut plurimum vel fuerunt dejecta, vel ſi quæ intacta remanſerunt, eadem ut loca Dæmonum indigna exiſtimata fuerunt, in quibus Deo vero religionis cultus exhiberetur, ſecundum illud Apoſtoli 2. Cor. 6. *Qui conſenſus Templo Dei cum Idolis?* Unde idem S. Gregorius Papa, qui Bonifacium IV, qui Pantheon juxta infra dicenda in Dei Eccleſiam mutavit, vix ſpatio trium annorum præceſſit, ſcribens ad Regem Anglorum nuper ad Chriſtum converſum *epiſt. 60. lib. 9. indict. 4.* monuit, ut Idolorum Templa everteret. Inde autem conſiderans infirmis adhuc in fide concedendum aliquid, ſcribens ad Mellitum Epiſc. *Epiſtol. 71. lib. 9. indict. 4.* præcepit, ne Idolorum Templa deſtruerentur, ſed juſta ritum ibi præſcriptum, expiarentur primum, indeque Sanctorum illatis Reliquiis ſanctificarentur, quod & poſteris

deductum eſt in exemplum. Si enim optaſſent Chriſtiani Idolorum Templa in Eccleſiarum uſum convertere, nullatenus mirifica illa Templa Serapidis Alexandriæ, Marnæ Gazæ, Jovis Appameæ, Cæleſtis Carthaginis, & alia innumerabilia, quæ ob ingentem ſtructuram viſa ſunt miracula mundi, ſolo æquaſſent.

II. Hujuſmodi zelum ſi uſquam incaluit, Romæ inprimis Chriſtianorum corda ſuccenderat, quemadmodum ſatis evidens fit auctoritate Hieronymi *in Proem. lib. 2. comment, Epiſt. ad Galat.*, *& ad Letum Epiſt. 7.*, unde illud etiam famoſiſſimum Jovis Capitolini Templum jam exciſum eſſe teſtatur *lib. 2. in Jovinian.* In Oriente etiam Theodoſius Junior Sanctionem de his ipſis promulgavit. Cur autem Pantheon Templum intactum remanſerit, ea fuit cauſa, quod dum prædicta Romæ, temporibus Hieronymi, adverſus Idolorum Ædes agerentur, Honorius Imperator lege ſancita, ejuſmodi impetum Chriſtianorum compeſcuit, hæc reſcribens: *Sicut ſacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta ſervari* l. 15. de Pagan. Cod. Theod. Hoc autem Divina diſpenſatione factum creditur, ut inter tot Idolorum Fana proſtrata, & in anathema oblivionis everſa, Pantheon velut inſigne quoddam, ac perenne trophæum de expugnatis hoſtibus permaneret, cederetque triumpho omnium Martyrum, qui omnes Gentilium Deos Chriſti Cruce ſubegerant.

III. Pantheon prædictum fuit celeberrimum Romæ Delubrum, quod a Marco Agrippa Auguſti Genero, & ter Conſule Jovi vindici, vel Marti, Venerique dicatum fuit. An autem illud Agrippa a fundamentis erexerit, vel jam inceptum perfecerit, dubium eſt, & Dio *lib.* 53. vocem uſurpat, quæ obſervante Pitiſco non totum ædificium conſtruxiſſe, ſed perfeciſſe tantummodo ſignificat. Pantheon autem ideo appellatum fuit, quod in Simulacris Martis, ac Veneris multas Deorum imagines acciperet, vel quod forma ejuſdem convexa faſtigiatam oſtenderet Cæli ſimilitudinem, quod omnium Deorum habitatio cenſetur. Olim laminis argenteis coopertum erat, ſed Conſtantinus Heraclii Nepos eas abſtulit cum reliquis Urbis ornamentis.

IV. Multo celebrius hoc Templum evaſit, cum ab idololatriæ ſordibus expurgatum, a Venere tranſiit ad Noſtram Virginem, opera Bonifacii IV. Summi Pontificis, qui illud a Phoca Imperatore obtentum, eidem Deiparæ Virgini Mariæ, Sanctiſque Martyribus conſecravit ſub annum Chriſti 607. die 13. Maji, unde poſtea nomen accepit *Baſilicæ S. Mariæ ad Martyres*, & ob formam ſtructuram vulgo vocatur *S. Maria Rotunda*. Sunt qui contendunt longe ante memoratum Bonifacium IV. Pantheon in honorem B. Mariæ, & SS. Martyrum fuiſſe conſecratum, idque ex nonnullis dicto Bonifacio antiquioribus Textibus, in quibus præfatæ Dedicationis mentio habetur, oſtendere conantur. Verum Meratus *ſect. 7. cap.* 13, *num.* 1., & poſt eum Emin. Lambertini, nunc Pontifex Maximus *in ſuis Annot. par. 3. num.* 140. optime advertunt, prædictis Textibus ab Amanuenſibus additiones illas factas extitiſſe; probantque nedum ex Libro Pontificali, ſed etiam ex Paulo Diacono, & Beda, aliiſque, qui omnes prædictam Conſecrationem a memorato Bonifacio peractam fuiſſe unanimiter aſſerunt.

V. Cum itaque prædicti Pantheon Conſecratio in honorem B. Mariæ, ac Sanctorum Martyrum die 13. Maji per Bonifacium IV. expleta fuerit, ortum hinc habuit Feſtum omnium Sanctorum, quod Romæ celebrabatur in præfata die 13. Maji ex prædicti Bonifacii inſtitutione, & poſtea ad Eccleſiam Univerſalem protenſum fuit a Gregorio III., uti tradunt Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 34. num. 26.*; Menardus *in Not. ad Sacramentarium S. Gregorii pag.* 184.; Pagi Junior *in Vita Gregorii IV. num. 9.*, vel a Gregorio IV., quemadmodum contendunt Baronius *in Notis ad Martyr. die 1. Novemb.*; Florentinius *in Notis ad ſuum Martyr. ſub eadem die*, necnon Solerius *in Notis ad Martyr. Uſuardi*.

VI. Verum Solerius, qui in actibus Sanctorum de Menſe Junio Uſuardi Martyrologium inſeruit, ita legit: *Feſtivitas Beatæ Dei Genitricis, & omnium Martyrum, quam Bonifacius Papa celebrem, & generalem inſtituit agi omnibus annis in Urbe Roma. Sed & Gregorius Pontifex poſtmodum decrevit eamdem in honorem omnium Sanctorum ſolemniter obſervari perpetuo ab omni Eccleſia*, Joannes vero Molanus, qui memorati Uſuardi Martyrologium typis edi curavit, iis verbis *Gregorius Pontifex*, addidit *Quartus*. Attamen hunc in hujuſmodi additione allucinatum fuiſſe affabre advertit Fronto in Notis ad Kalendarium Romanum, cum enim Uſuardus Martyrologium ſuum Caroli Magni nomini inſcripſerit, & Carolus Magnus *anno* 813. e vivis exceſſerit, evidens profecto redditur, quod in ſuperius recenſitis verbis Uſuardus loqui haud poterat de Gregorio IV., qui Pontificalem Cathedram addit *anno* 828., ſed magis de Gregorio III. *anno* 731. in Summum Pontificem electo; hinc cum poſtmodum Uſuardi Martyrologium opera cujuſdam Monachi Ordinis S. Benedicti editum fuerit juxta perantiquum Codicem, qui Pariſiis aſſervatur, in hunc modum correctum fuit: *Tertius vero Gregorius Pontifex poſtmodum decrevit &c.*

VII. Concludit itaque Emin. Lambertini *loc. cit. num.* 139. Feſtivitatem omnium Sanctorum a Bonifacio IV. pro Urbe Romæ originem habere, a Gregorio III. ad Eccleſiam univerſalem fuiſſe extenſam, & a Gregorio IV. e die 13. Maji Kalendis Novembris perpetuo affixam ob ciborum caritatem, quæ in Menſe Majo Romæ habebatur cum maximo Advenarum incommodo, qui ad dictum recolendum feſtum Romam conveniebant, ac undequaque confluebant. Et ita ſentiunt Joannes Belletus duodecimi Sæculi Scriptor *de Explicationibus divinorum officiorum cap.* 127., & Auguſtinus Oldoinus *in ſuis Additionibus ad vitam Gregorii IV. a Ciacconio enaratam*, quorum opinioni favere videtur Sigebertus in Chronico.

VIII. Meratus tamen loco laudato vult a Gregorio III. præfatam Solemnitatem a Bonifacio IV. in honorem Sanctorum Martyrum tantum inſtitutam, ad omnes etiam Sanctos fuiſſe extenſam, eamque a die 13. Maji ad Kalendas Novembris pro tota Eccleſia ſtatæ aſſignatam, nonnullaque affert monumenta, ex quibus evincitur ante tempora Gregorii IV. feſtivitatem omnium Sanctorum Kalendis Novembris jam celebratam extitiſſe; in Martyrologio enim Bedæ, qui obiit anno 735. ad Kalendas Novembris habetur, *Feſtivitas omnium Sanctorum*, & ejuſdem feſtivitatis mentio quoque habetur in Pontificali Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, qui e vivis exceſſit anno 761.

IX. Hac igitur in parte in eam nos verſamur ſententiam, ut conſecrato ut ſupra Pantheon ſtatim cœperit apud Romanos quotannis die 13. Maji, in qua contigit Conſecratio, feſtivitas celebrari, non quidem in honorem omnium indiſcriminatim Sanctorum, ſed B. Mariæ, & omnium dumtaxat Martyrum, quibus ſolummodo prædictum Templum a Bonifacio IV. extiterat dedicatum, & propterea appellatum *Baſilica S. Mariæ ad Martyres*. Gregorius vero III. poſtea decrevit eamdem in honorem omnium Sanctorum ſolemniter obſervari perpetuo ab omni Eccleſia, quemadmodum id diſerte eruitur ex verbis ſuperius recenſitis Martyrologii Uſuardi; & cum non deſint monumenta, ex quibus ſatis colligitur dictam Solemnitatem Kalendis Novembris ante Gregorium IV. celebratam extitiſſe, credibile eſt a præfato Gregorio III. ad Kalendas quoque Novembris fuiſſe tranſlatam. Cum tamen prædicta Feſtivitas non ubique recepta fuiſſet, Gregorius IV. Romanus Pontifex in Gallia degens, anno 835. Ludovicum Pium monuit, ut in ſuis omnibus Ditionibus Feſtivitas præfata ageretur, qui accedente Epiſcoporum voluntate edixit, ut hæc Solemnia obſervarentur, quemadmodum refert Sigebertus his verbis: *Tunc monente Gregorio Papa, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludovicus Imperator ſtatuit, ut in Gallia, & Germania Feſtivitas omnium Sanctorum in Kalendis Novembris celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant*, Addit Thomaſinus *de Dier. feſtor. celebrat. cap. 21. num. 4.*, quod dicta Feſtivitas *celebrata demum eſt ab omnibus Occidentis Eccleſiis, & quidem diebus octo, Edicto Sixti IV. Rom. Pont. anno* 1480. Teſte autem Gavanto *ſect. 3. cap. 10. num. 1.* in poſtrema recognitione Breviarii Feſtum omnium Sanctorum additum fuit, ac connumeratum inter ea feſta, quæ quodcumque duplex occurrens excludunt, uti revera inter ea modo recenſetur a Rubrica *X. de Tranſl. feſtor. numer. 1.*

X. Obſervatis, quæ ad Feſti omnium Sanctorum inſtitutionem attinent, fas eſt, modo deſcendamus ad propoſiti Decreti explanationem; in eo autem firmatur, quod *Octava omnium Sanctorum, tamquam dignior, præferenda eſt octavæ Dedicationis Eccleſiæ*. In occurſu plurium octavarum Tabella Occurrentiæ *ſub num. 7.* ſignat *Officium de digniori, commemoratio de minus digno*; hinc valde appoſite, ut Sacra Congregatio præferat octavam omnium Sanctorum octavæ Dedicationis Eccleſiæ, eam declarat digniorem *Tamquam dignior &c.*

XI. Reliquum eſt igitur, videatur modo, unde petenda veniat major hujuſmodi dignitas; ratio enim illa deprompta ex eo, quod in Feſto omnium Sanctorum præcipuum locum obtinent B. Maria, Sancti Angeli, S. Joannes Baptiſta, ac Apoſtoli, qui propriæ vi dignitatis juxta Rubricam *Inter feſta* præferentiam ſuper ceteros Sanctos habent, quam adducit Meratus *ſect. 3. cap. 8. num. 13.*, non ſatis concludens ad intentum videtur, quoniam in præfato Feſto eorumdem dignitas nequaquam exprimitur, nec eorumdem ſpecifica, & particularis ratio inſpicitur, ſed ſub generica, & univerſali ſanctitatis, in qua cum reliquis conveniunt Sanctis, ratione dumtaxat attenduntur, & ideo ex hoc capite octava omnium Sanctorum *dignior* ceteris reputari non poteſt; Unde hac de cauſa, ut dicebamus exponentes Decretum XXVI. hujus Capitis, Rubrica particularis veſperas non tribuit integras diei octavæ omnium Sanctorum, ſed eaſdem dimidiat cum ſequenti duplici minori Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris. Conſonat hoc totum cum iis, quæ dedimus ſupra in Decreto XX. ubi vidimus Decollationem S. Joannis Baptiſtæ cum præcedenti, & ſequenti duplici minori veſperas dividere, tametſi S. Joannes Baptiſta ſit ex iis Sanctis, qui ratione propriæ dignitatis ſuper ceteros præferentiam habent; & hoc quia in dicta Decollatione memoratus Sanctus in ſua dignitate haudquaquam inſpicitur, ſed dumtaxat tamquam Martyr attenditur, & de eo, prout Martyr præciſe eſt, diſpoſitio ponitur.

XII. Potior igitur erit ratio, quam inibi producit Meratus, & prius ipſe Guyetus *lib. 4. cap. 6. quæſt. 5.* & eſt deſumpta ex Gavanto *ſect. 3. cap. 8. num. 7.* qua hic Auctor utitur ad oſtendendum, octavam Dedicationis digniorem eſſe, quam ullius Sancti, & octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ, quam octava ipſa Dedicationis. Supponit autem Gavantus ex D. Thoma *lect. 5. in cap. Joan.* 10. majus eſſe feſtum Dedicationis

tionis Eccleſiæ, quam alicujus ullius Sancti, quod in illo recolantur beneficia toti Eccleſiæ collata, quæ haud dubie ſuperant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejus feſto commemorantur. At, inquit, majora beneficia contulit Deus uni Deiparæ in ejus Aſſumptione, quam contulerit toti militanti Eccleſiæ; ex quo infert digniorem eſſe octavam Aſſumptionis octava Didicationis, & hanc quacumque alia cujuſvis Sancti. Cum autem, ut ſubdit Guyetus, Sancti omnes ſimul ſumpti, & præſtent ſingulis ſeorſim, & ſint ipſimet tota Eccleſia, non jam militans, ſed triumphans, an non pari jure feſti illorum omnium octava, aliis omnibus eſt præferenda?

XIII. *Præſtat vero adhuc*, ſunt verba ejuſdem Guyeti, *ſequens argumentum. Illius feſti octava cuicumque alteri præferri debet, cujus feſtum alteri cuicumque feſto præfertur: ſed Feſtum omnium Sanctorum præfertur feſto cujuslibet Patroni, & Dedicationis, ergo & ejus octava præferri debet. Major certa eſt, acceſſorium ſiquidem ſequitur naturam principalis. Minor conſtat ex Rubrica X. de Transl. feſtor. num. 1. ubi inter dies, quibus cedunt quacumque alia feſta, numerantur ex additione Urbani VIII. Feſta Aſſumptionis B. Mariæ, & omnium Sanctorum.*

XIV. Hæc tamen licet ita ſint, haud putamus ſatis concludere ad præferentiam diei octavæ omnium Sanctorum in concurrentia præſtandam, ſed ſolummodo in occurrentia, in qua quælibet major dignitas ſufficiens eſt, ut ex alibi dicendis late conſtabit. Quinimmo nec in occurrentia priorem locum octavæ omnium Sanctorum concedendum eſſe ducimus, quoties occurſus foret cum octava Chriſti Domini, ejus Matris, Angelorum, vel Apoſtolorum, quorum feſta ex Rubrica *Inter feſta* ſuper cetera præferentiam habent, his enim in hujuſmodi occurrentia præferentiam, & non illi deberi ſentimus. Ratio horum omnium eſt, quia etſi in feſto omnium Sanctorum præfati Sancti etiam comprehendantur, eorumdem tamen dignitas in eo nequaquam attenditur, quæ cum attendatur, ac in conſiderationem veniat, quoties illorum feſtum aliquod in particulari celebratur, idcirco non putamus a quopiam inficias iri poſſe, eidem in dicto occurſu præferentiam deberi, quemadmodum ſi feſtum aliquod Chriſti, aut B. Virginis ejuſdem ritur cum feſto, vel octava omnium Sanctorum concurreret, huic præferentiam nemo contendere auderet.

XV. Nec in oppoſitum ſuffragatur privilegium præferentiæ, quo in Urbana Breviarii Reformatione donatum fuit feſtum omnium Sanctorum; de dicto enim privilegio, quod mere extrinſecum eſt, & adventitium, aliter dicendum venit, ac de feſti intrinſeca dignitata; hæc enim, cum feſto convenit, convenit & octavæ, ſeu acceſſorio, non autem illud, utpote mere extrinſecum, accidentarium, ac ab aliena omnimode in ſua extenſione pendens voluntate; unde de facto videmus Feſtum omnium Sanctorum quæcumque alia feſta excludere, cum tamen ejuſdem octava nullo hujuſmodi privilegio potiatur, ſed communibus Rubricarum legibus inſtar aliarum octavarum indiſtincte regatur.

XVI. Quæres, quæ fuerit potior ratio inſtituendi feſtum omnium Sanctorum?

XVII. ℟. Ex ordine Romano, qui hæc verba tenet valde notanda: *In Kalendis Novembris & per totum Orbem plebs univerſa, ſicut in die Natalis Domini, ad Eccleſiam in honorem omnium Sanctorum ad Miſſarum Solemnia convenire ſtudeat: illud attendentes, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam, aut negligentiam in Solemnitatibus, ac Vigiliis Sanctorum minus plene peregerint, in hac obſervatione ſancta ſalvatur.* Alia itidem potiſſima non deſideratur ratio; cum enim ob permaximam Sanctorum copiam, unaquæque ſingillatim eorum feſta celebrari non valeant, cum tot aliquando nec ſint dies in anno quot Sancti occurrunt una die; idcirco admodum apte inſtitutum extitit prædictum feſtum, ut omnes ſaltem una ſimul recolantur, nec noſtra omnimode ſubterfugiant obſequia, qui in terris poſiti, fortia nobis reliquerunt virtutum exempla, nec in cælis ceſſant ſuis interceſſionibus nos opitulari apud Dominum Deum.

CAPUT SECUNDUM.

De Patrono, vel Titulo Eccleſiæ.

I. PAtronum *quaſi Pater* dictus eſt, & hoc nomine univerſim vocabantur apud Romanos ii omnes, qui aliorum curam, & defenſionem ſuſcipiebant; hinc & Hebræis Patronus *Bahal* dicitur, ideſt Protector, Defenſor, Cuſtos, & Græco nomine venit is, qui partes Clientis ſui tuetur, & pro illo ſtat coram Judice contra quoſvis adverſarios, eique Patris inſtar præſtat ſeipſum. Speciatim vero Patroni nomen ad duo maxime hominum genera pertinuiſſe referunt, tum Hiſtoriæ Romanæ Scriptores, tum etiam Juriſconſulti.

II. Primo quidem ad eos Patritios, quos ex Romuli inſtituto Plebeii quique in Tutores, ac jurium ſuorum, fortunarumque Defenſores eligebant. *Commendavit quippe Romulus*, ait Dion. Galic. lib. 2. *Patritiis plebejos, optione cuique e vulgo data, ut quem veller, Patronum ſibi eligeret, & hoc negotium appellatione decora cohoneſtavit, nominando Patronatum, tutelam pauperum, & humilium.* Patronorum vero id erat officium, ut Clientibus reſponderent de jure, cujus illi rudes eſſent, abſentium æque ac præſentium curam gererent, facerent denique pro ipſis, quidquid pro Filiis Parentes ipſi ſolent facere. Quin ex lege 12. Tab. *Patronus, ſi Clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Si enim*, ſubdit Servius; *Clientes quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi Patres, tantumdem eſt Clientem, quaſi Filium fallere.*

III. Secundo. Patroni nomen in Jure Civili ad eos item ſpeciatim pertinet, qui Servos manumitterent, quorum proinde quaſi Patres habebantur; quippe qui a morte veluti in vitam eos revocaſſent; ipſique Servi jam libertate donati, dictique Liberti, Dominos hujuſmodi deinceps Parentum loco habebant, omnique officio proſequebantur. Hinc illud Juſtin. Aug. lib. 5. Cod. de Teſtamentis: *Manumiſſi, quem Patronum habere noluerint, Dominum ſuum, & forſitan acerbum ſentiant.* Erat autem mos in manumiſſione facienda, ſeu in datione libertatis Servis, ut Dominus caput, aut aliud membrum Servi tenens, ter diceret, *Hunc hominem liberum eſſe volo*, & mittebat eum e manu.

IV. Quantum vero ad res Eccleſiaſticas attinet, hoc nomen de duobus dicitur. Primo de iis, qui ob fundatam, ſeu ædificatam ſuis ſumptibus Eccleſiam aliquam, vel magno aliquo proventu locupletatam, jus ſibi retinent Beneficiarium in ea deligendi, nominandi, & apud Epiſcopum præſentandi. Quod jus dicitur *Patronatus* & qui eo jure potiuntur, *Patroni* appellantur, quia quemadmodum docent Juriſconſulti, ſicut Pater ducit filium de non eſſe ad eſſe ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione: ita qui fundat Eccleſiam, eam deducit ad eſſe, & qui dotat, ad bene eſſe.

V. Secundo convenit Patroni nomen Sanctis quidem omnibus, qui in cælo regnant, ſuiſque nos apud Deum interceſſionibus juvant, juxta ſinceram Eccleſiæ Catholicæ fidem, innumeris Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmatam, quæ in medium proferre noſtri non eſt inſtituti. Etſi autem omnes Sancti nos utique patrocinentur, peculiaris tamen haud deeſt ratio aliqua, vi cujus inter Sanctos uni præ aliis ſpecialis Patroni nomen obtinent. Hujuſmodi autem ratio non una eſt, ſed varia, ac multiplex, prout ſuis quibuſque diſtributa locis referetur; huc ſpectat omnium prima, qua Patroni Eccleſiarum ii Sancti communiter habentur, quorum honori dicatæ quæque, ac nomine inſignitæ ſunt Eccleſiæ. Qui enim Eccleſiam in honorem Sancti alicujus extruunt, ac fundant, Sanctum illum unum e pluribus in Patronum ſui, ac poſterorum, quos deinceps in eadem Eccleſia ſortem habere continget, pro data ſibi optione rite eligere dicendi ſunt; ut eo referri poſſit illud Job 5. *Voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*, aliquem, ſcilicet, præ cæteris aliis, a quo nimirum proprio quaſi jure, quæcumque a Patrono beneficia rependi poſſunt, cumulate in opportunitatibus experiaris.

VI. Hæc quidem Sanctum, in cujus honorem dedicatur Eccleſia, formalis, non materialis ipſius Eccleſiæ in Patronum aſſumi oſtendunt; aſt nec deeſt ratio aliqua, juxta quam & materialis Eccleſiæ Patronus vere dici queat, quippe qui locum illum de profano ſacrum, quaſi de ſervitute in libertatem ſuo nomine vindicat, facitque omnium, quæ Eccleſiis Jure Canonico, & Civili tributæ ſunt, immunitatum participem, quinimmo ſpecialiter illi aſſiſtit, tutaturque evidentibus etiam, ut non ſemel evenit, miraculis, ac in profanatores ſevere animadvertit.

VII. Quoniam vero Patroni, & Advocati nomen pro eodem communiter accipitur, & Patronus non dicitur, niſi cum relatione ad Judicem, aut quemvis alium Majorem, apud quem alterius cauſam ſuſcipit defendendam, aut a quo gratiam aliquam pro ſuo Cliente ſe impetraturum ſpondet, tamquam certum ſupponunt Guyetus *lib.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 2., necnon Meratus *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 3. SS. Trinitatem, aut Deum, vel Perſonam aliquam, vel rem divinam Eccleſiarum Patronam dici haudquaquam poſſe, quia Deus ſummus Judex eſt, nullumque Majorem agnoſcit, apud quem noſtras cauſas poſſit ipſe patrocinari, ſuiſque interceſſionibus nobis gratiam aliquam impetrare.

VIII. Verum hæc, licet ita *ſint* juxta mox adductam Patroni acceptionem, attamen nos nequaquam videmus, cur SS. Trinitas, Deus, aut Perſona, vel res aliqua divina Eccleſiarum, quæ ipſis dicatæ reperiuntur, Patrona dici non valeat ſecundum alteram, ac item veram Patroni acceptionem, juxta quam *Patroni* nomen uſurpari intenditur, dum Eccleſiæ in honorem Dei, vel Sanctorum conſtruuntur. Et quidem in primis Guyetus ipſe *loc. cit. quæſt.* 1. manifeſte contendit, Sanctum quemlibet, cui dedicatur Eccleſia, illius vere dici Patronum juxta aliam Patroni acceptionem, eo quod locum illum de profano ſacrum ſuo nomine reddit, facitque omnium, quæ Eccleſiis Jure Canonico, & Civili tributæ ſunt, immunitatum participem, illique ſpecialiter aſſiſtit, tutaturque, ac in illius profanatores ſevere animadvertit, quidni igitur juxta hanc Patroni acceptionem, & Deus ipſe, ac quodlibet divinum Eccleſiarum ſibi dedicatarum Patronus dici poterit, cum præfata omnia in Eccleſiis Dei nomini dicatis abunde, & cumulatius non minus eveniant?

IX. Ut Tutorem, defenſorem, ac in opportunitatibus adjutorem itidem habeant, qui Eccleſias conſtruunt, Cælitibus conſecrant; aſt quinam quæſo potentior tutor, defenſor, aut adjutor, quam Deus ipſe, qui ut hujuſmodi præſtet, nemine indiget, nec apud alium, uti Sancti, habet ſupplicare? Præſtantius igitur proculdubio cum Dedicatio-

nis Eccleſiarum Cælitibus factæ finis obtineatur in Deo, ac Patronatus effectus, denegandum non eſt, Deum Eccleſiarum ſibi ſpecialiter dedicatarum Patronum eſſe, quantumvis Patroni nomen, prout ad Majorem aliquem relationem habet, aut Judicem ſupponit, eidem profecto competere non valeat.

X. Nec dicas, Deum aptum haud eſſe, ut in Patronum particularem, ac ſpecialem eligatur, cum ipſe generalis, & communis ſit omnium proviſor, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, Matth. 5. 45., ita ut non *ſit, qui ſe abſcondat a calore ejus*, quemadmodum nos edocet Regius Vates *Pſalm.* 18. 7., ſed ipſe *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Jo. 2. 9. Quoniam etſi Deus generalis proviſor ſit, & generalia gratiæ ſuæ dona cunctis diſpenſet, per hoc minime fit, quod ſpecialiter alicui patrocinari non poſſit, ſpecialia gratiæ ſoæ dona, quæ nulli debita ſunt, illi diſtribuendo, hinc D. Proſper *lib.* 2. *de Vocat. Gent. cap.* 31. docet: *Gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſura.*

XI. Ex his ſoluta remanet gravis alia quæſtio, quam egregie diſcutit more ſuo Guyetus *lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 3. num ſcilicet Chriſtus Dominus dici poſſit Patronus earum Eccleſiarum, quæ vel ipſimet ut Salvatori nominatim, vel ſub titulo Sanctæ Crucis, aliove ad ipſum pertinente dedicantur; quamque reſolvit negative; Tum quia uſus huic locutioni non conſonat. Tum quia ipſe eſt communis omnium noſtrum Advocatus apud Patrem, ceteri vero quicumque Sanctorum apud ipſum, nec apud Patrem niſi mediante ipſo, *Unus enim eſt mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus*, ut ait Apoſtolus 1. *Tim.* 2. 5. Tum quia ſic Chriſtus eſt Advocatus noſter apud Patrem, ut non ſolum impetrator, ſicut alii omnes Sancti, ſed ſit etiam ipſemet author, & largitor bonorum, quæ a Patre pro nobis poſtulat, immo quod Patronorum haud proprium eſt, *Ille erit judex noſter, qui modo advocatus noſter eſt*, ait D. P. Auguſtinus *Sermon.* 170. *de Tempore.*

XII. Verum quæ præfatos pronunciat Auctor rationis momenta, nos haud valida exiſtimamus ad excludendam a Chriſto *Patroni* nuncupationem, & quidem nedum juxta eam acceptionem, juxta quam & Deo ipſi illam ſuperius conceſſimus, ſed inſuper *juxta rigoroſam Patroni acceptionem*; Chriſtus enim non ejus eſt conditionis, ut quatenus homo, Majorem aliquem habere non poſſit, & Judicem, Deum videlicet, apud quem nos pretioſo ſuo ſanguine redemptos patrocinari haud valeat. Et quidem primum haud officit; quamvis enim daretur, uſum præfatæ locutioni haudquaquam conſonare, ea tamen locutio diſſona haud eſt irrefragabili teſtimonio 1. *Joan.* 2., ubi Chriſtus dicitur *Advocatus noſter*; quare igitur & non Patronus dici poterit, cum Patronus, & Advocatus communiter pro eodem accipiantur? Accedit, quod favet vox græca, qua utitur Joannes, & quam Vatabulus vertit *Patronus*.

XIII. Ad 2. dicimus, quod licet communis ſit noſtrum Advocatus, adhuc ſpecialius, & efficacius pro uno præ alio apud Patrem orare poteſt, & ideo nil vetat, quin in particularem etiam Advocatum eligi queat.

XIV. Ad 3. quod Chriſtus quatenus Patronus eſt, non eſt auctor, & largitor bonorum; Patronus enim eſt prout homo, & prout homo impetrat, & poſtulat pro nobis bona, licet poſtea quatenus Deus eſt, ſit eorumdem bonorum largitor, ſed prout ſic tamen haudquaquam eſt Patronus, ſaltem Patroni nomine ſumpto, prout illud ſumitur in præſenti, licet Patronus eſſe poſſet, quatenus Patroni nomen ſumeretur, prout ſupra ſumi poſſe dicebamus, loquentes de Deo relate ad Eccleſias ſibi nominatim dedicatas.

XV. Ad 4. obſtare, quod qui Advocatus alicujus eſt, ſit ejus Judex ſimul; atque conjunctim, non autem diviſim; nihil enim vetat, quominus qui modo Patronus alicujus eſt, tractu temporis Judex ejuſdem evadere queat. Chriſtus autem noſter quidem Advocatus eſt, prout in hac peregrinamur vita, & noſtrum prout ſic Judex non eſt, ſed prout in Judicio erimus, quo tempore Advocatus haudquaquam erit: nihil igitur obſtat, cur Chriſtus Patronus noſtrum eſſe non poſſit, ſicut Apoſtolis Patronatum non eſt, qui contendat, licet ipſi ſint ſimul cum Chriſto nos in Judicio judicaturi, unde 1. Cor. 6. 3. *Neſcitis, quia Angelos judicabimus? Quanto magis ſæcularia?*

XVI. Huic noſtræ opinioni utique adverſari videtur Reſolutio quædam Sacræ Rituum Congregationis; cum enim in Eccleſia Caſtri Tarregæ Diœceſis Celſonenſis duæ Sanctæ Spinæ de Corona Jeſu Chriſti aſſervari dicantur, actum fuit de earumdem Spinarum electione in Patronas Caſtri. Exorta eſt ſubinde in Sacra Congregatione dubitatio, num præfata electio de jure fieri poſſet, & pro recta quæſtionis deciſione juſſus eſt fieri particularis congreſſus coram claræ memoriæ Cardinali Ludoviſio, cui Secretarius Congregationis, Fidei Promotor, & Conſultores Theologi intereſſent. Quo in congreſſu productis, ac ponderatis, quæ hinc inde facere poterant, negativa opinio probabilior, & tutior viſa eſt, & a Sacra Congregatione ſubinde recepta die 20. Septembris 1681. *Eligi videlicet non poſſe in Patronas Civitatis, aut Oppidi Spinas Coronæ Domini*, & hoc præſertim quia cum nomen particularis Patroni Chriſto Domino, qui communis eſt omnium Advocatus apud Patrem, convenire non poſſit, nec convenire poſſe videtur Inſtrumentis Paſſionis ejuſdem, utpote relationem habentibus ad ipſum.

XVII. Verum hæc tanti nos haud facimus, ut a ſuſcepta ſemita deflectendum eſſe putemus; Opinio enim negativa tamquam probabilior, & tutior in Sacra Congregatione prævaluit ratione vulgaris, & communis acceptionis hujus nominis *Patroni*, per quod Patrocinium unius præ alio, & cum excluſione generalis omnium advocationis communius accipitur, non vero quia Chriſtus vere Patronus nequeat eſſe, & dici, quatenus importat ſpeciale aliquorum patrocinium, vel adjutorium abſque excluſione generalis omnium advocationis. Cum enim hujus rationis Advocatio, ſeu Patrocinium, ut ſuperius dicebatur, Chriſto denegari non poſſit, nihil vetat, in hoc ſenſu Chriſtum, ac Inſtrumenta Paſſionis ejuſdem, vel quaſcumque res ſacras ad ipſum relationem habentes, in Patronas Locorum, & Eccleſiarum aſſumi, ac nuncupari.

XVIII. Notatu itaque dignum apparet, quod Opinio Patronatum prædictum Chriſto concedens, utpote a qua procul nedum eſt error omnis, ſed & remota errandi occaſio, minime proſcripta fuit, ſed ſolum negativa *probabilior, & tutior* viſa eſt, atque *ut talis recepta*. Liceat autem nobis aſſerere, hoc ideo adjudicatum extitiſſe ratione ſcandali, aut offenſionis, quæ ingenerari queunt in ignaris, atque puſillis, qui dum Chriſtum particularem locorum aliquorum, vel Eccleſiarum Patronum eſſe audiunt, arbitrari poſſent, eumdem non generale omnium gerere Patrocinium, nec communem eſſe cunctorum noſtrum Advocatum apud Patrem, & Mediatorem, contra id quod aſſerit Paulus 1. Tim. 2. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Hac igitur de cauſa commendabile forſitan eſt a nuncupatione Chriſti in Patronum particularium Locorum, aut Eccleſiarum abſtinere.

XIX. Alia itidem forſitan validior potuit eſſe ratio, ob quam negativa prævaluit tamquam probabilior Reſolutio, videlicet quia agebatur de Spinis eligendis in Patronas; Spinis autem Patronatus ratio preſſe, & proprie competere haud valet, quemadmodum inferius admodum patens fiet.

XX. Sunt igitur quamplurimæ Eccleſiæ, quæ ſub myſterio aliquo, ſeu re ſacra dicatæ inveniuntur, puta Nativitate Chriſti, Transfiguratione, Reſurrectione, Aſcenſione, vel ſancta Cruce, ſacro Sanguine, Corona Spinea, Lancea, Clavi, Sepulcro, Sudario, aliiſque Dominicæ Paſſionis Inſtrumentis, vel pretioſiſſimis ſacratiſſimæ Jeſu Infantiæ pignoribus, ſive aliis Chriſti Domini Reliquiis, ut Præſepio, Faſciis &c. de quibus ſermo redibit in Decreto VI. hujus Capitis. Quod ſi forſitan aliquo horum Titulorum, vel alio ſimili ad Chriſtum attinente ſpeciatim inſcripta nulla reperiatur Eccleſia, minime dubium eſt, quod id fieri contingat, perinde legitimum eſt, ac ſunt Tituli Crucis, ac Chriſti Myſteriorum, vel Salvatoris, Redemptoris &c. ſub quibus paſſim dedicatæ inveniuntur Eccleſiæ; præfatis enim omnibus juxta Orthodoxam Theologorum ſententiam adoratio eadem, quæ ipſi Chriſto Domino, ſeu ut loquuntur, coadoratio debetur; idque non tantum ratione repræſentationis, quod commune eſt tum Crucibus effigiatis, tum ceteris etiam Imaginibus, ſed præterea ratione ſacri contactus; unde conſequens profecto eſt, ut quoque Templa ſub eorum pariter omnium, ac ſingulorum Titulo rite, ac religioſe dedicari queant, cum id ſit adorationis, ſeu cultus ejuſmodi pars. Quod autem dictum eſt de Chriſto, proportione ſervata dicendum venit de B. Maria, & Sanctis Angelis, & Hominibus: quapropter ſub titulo Nativitatis, Conceptionis, Præſentationis, Aſſumptionis, necnon Rerum, & Reliquiarum ad Deiparam attinentium per Orbem paſſim reperiri erectas Eccleſias patebit in memorato Decreto VI. ubi & Eccleſias ſub titulo Converſionis Sancti Pauli, Vinculorum Sancti Petri, ejuſque Cathedræ, alioque ſimili relate ad Sanctos Angelos, ac Homines patens fiet minime deeſſe, vel ſaltem nihil obſtare, quod erigantur. Quantum igitur ad ejuſmodi, alioſque ſimiles Titulos attinet, fas eſt, recolat Lector, quæ in præfati Decreti explanatione late dicuntur.

XXI. Quia tamen hujuſmodi Tituli, etſi Eccleſias inſcribant, intitulent, ac denominent, Perſonam aliquam non dicunt, non poſſunt præfata Miſteria, vel res, ſive actiones ſacræ denominatarum Eccleſiarum Patroni eſſe, ac nuncupari, ſed ad ſummum Tituli, quatenus videlicet ſuo nomine Eccleſias intitulant, vel denominant; hinc communiter diſtinguitur Patronus a Titulo in eo, quod Patronus eſt ſemper Perſona aliqua, quæ advocationem gerit, & ſuo inſuper nomine Eccleſiam intitulat, quapropter a Sancto Petro dicitur Eccleſia Sancti Petri, a Sancto Michaele Eccleſia Sancti Michaelis &c. Titulus vero Perſonam proprie non dicit, ſed potius Myſterium, vel rem aliquam ad perſonam pertinentem, ut Annunciatio B. Mariæ, Crux, Sudarium &c.; hinc licet Titulus vere ſit, quia a ſeipſo Eccleſiam denominat, prout tamen in ſeipſo ſiſtit præciſe, Patronus proprie non eſt, cum non dicat Perſonam, quæ ſolummodo intercedere valet, & patrocinari.

XXII. Verum quoniam Myſteria, vel res quæcumque ſacræ, nonniſi quatenus referuntur ad Perſonam aliquam, ad quam ſpectant, reapſe Eccleſiarum Tituli ſunt, idcirco ſecundum hanc conſiderationem inſpecta, ſeu quatenus Perſonam involvunt, etiam Eccleſiarum Patroni eſſe queunt,

& di-

& dici, dummodo tamen Patronatus ratio Perſonæ, ad quam referuntur, congruere poſſit; hinc in hoc ſenſu B. Maria dici valet Patrona Eccleſiarum, quæ ab aliquo ejuſdem Myſterio ſpecialiter denominantur, quemadmodum & Chriſtus illarum Eccleſiarum, quæ ſub Salvatoris, S. Crucis, Coronæ Spineæ, vel alio ſimili Titulo dicatæ inveniuntur, uti ſuperius dicebamus, ubi id extendimus ad Eccleſias Deo ipſi conſecratas, licet id communius denegetur, & in rigoroſa *Patroni* acceptione haud veritatem habere nos ipſi ultro faſſi fuimus.

XXIII. Patronus itaque cum Titulo confunditur, non tamen Titulus cum Patrono, quia omnis Patronus eſt etiam Titulus Eccleſiæ, quatenus eam intitulat, denominat, non tamen omnis Titulus eſt item Patronus, quia Myſteria, vel res ſacræ, quæ Eccleſiam denominant, ex ſeipſis Patroni eſſe non poſſunt, & nec quatenus Perſonam dicunt, ad quam referuntur, ſi hæc Patronatus rationem effugiat, quemadmodum evenit in Eccleſiis Deo immediate, vel alicui ejuſdem Attributo, & adhuc Chriſto Domino, vel alicui rei ad ipſum ſpectanti dicatis, uti ſuperius vidimus a pluribus Auctoribus exiſtimari, qui perbelle ponderant, a Rubricis, quotieſcumque Titularis Eccleſiæ nominatur, ſemper cum disjunctione poni, *Patronus, vel Titulus Eccleſiæ*, quia datur Titularis Eccleſiæ, qui ejuſdem Patronus non eſt. Verum pro eo, quod attinet ad intelligentiam hujuſmodi disjunctive loquendi modi, quem tenent Rubricæ, ſcitu digna reperiet Lector in expoſitione Decreti XIV. ſequentis Capitis.

XXIV. Quod igitur eſt homini baptizato nomen impoſitum, hoc idem eſt Eccleſiæ Dedicatæ Patronus, ſeu Titulus, quo videlicet ipſa nuncupatur, & ab aliis Eccleſiis proprio veluti nomine dignoſcitur. Hactenus de Titulo, quatenus dicitur de Sancto, ſeu Myſterio, vel re aliqua ſacra, ſub cujus nomine, ſeu titulo fundata eſt, & vulgo appellatur Eccleſia; nunc ſupereſt, tradamus, quæ ad eruditionem ſpectant, agamuſque de eodem, quatenus de Eccleſia ipſa dicitur.

XXV. Guyetus *lib. 1. cap. 6. quæſt. 1.* per hæc verba nos docet. *Titulus ex Varrone a tuendo, hoc eſt indicando dicitur, quia nimirum rem, cui ſuperſcribitur, tuetur, ac indicat. Fiebat autem olim ejuſmodi ſuperſcriptio rubeis litteris, juxta illud Juvenalis ſat.* 14. Perlege rubras Majorum leges; *unde in Jure qui alias Tituli, Rubricæ etiamnum appellantur*, in leg. 1. dig. ſi cert. pet., & in lege 2. §. penult. dig. de interdict. *Quæ vox perinde quoque uſurpata eſt ad ſignificandas divini officii leges, primo quidem particulares, quæ quod ceteris in officio recitandis permixtæ ſunt, ad diſtinctionem rubeo omnes caractere imprimi conſueverant; deinde etiam generales a Pio V. primum editæ, licet hæ non rubro ſed nigro ſint caractere exaratæ. Ab ea vero indicatione factum eſt, ut Titulus non tantum pro ea omni inſcriptione accipiatur, quæ rei cujuslibet, puta Libri, Operis, Statuæ, Auctorem, materiam, tempus, aliamve qualitatem indicat, ſed variis præterea modis pro varia ratione rem aliquam tuendi, ſeu indicandi.*

XXVI. Quoad rem, quam ſignificat, & pro qua uſurpatur verbum *Titulus*, conveniunt inter ſe ſe Auctores, at ejuſdem Etymologiam varie demonſtrant, ſuntque quamplurimi, qui a dictione latina *Tutulus* eam deducunt, eo quod Titulus puta Librorum quaſi nomen, facta, & memoriam Auctoris continet in ſe, & in tutelam, ac velamentum habet, dictionem *Tutulus* a Verbo *Tutare*, & *defendere* originatam exiſtimantes, taleque vocabulum trahentes ab eo, quod Matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicitur *Tutulus*; ſive ab eo, quod eſt altiſſimum in Urbe, quod eſt Arx, ea res tutiſſima *Tutulus* appellatur. Alii Etymologiam adhuc longius eruunt, nempe unum ex alio, hoc pacto, quia, ut teſtis eſt Feſtus *lib. 17.*, Flamines gerebant in capite vittam purpurei coloris, quæ *Tutulus* appellabatur, & quia Librorum Titulos Antiqui minio inſcribere ſolebant, hinc *Titulus* denominatio Libri appellata fuit. Macro tamen *in ſuo Hierolexicon* magis arridet, quod prædicti vocabuli Etymon derivari dicatur a *Tutulo*, quod Romani appellaverint altiſſimam Arcem Urbis, quæ pro Specula inſerviebat Civitatis, ac longe proſpiciendo, illam cuſtodiebat, tutabat, & defendebat; unde inſpectio Libri *Titulus* dicitur, quia perſpicitur omne id, de quo in eo Codicis tractu agitur; eſt ſiquidem Titulus quaſi ſpecula, & cuſtodia, & compendium univerſaliter continens totius tractatus ſummam.

XXVII. In primis autem *Titulus* in Sacra Scriptura ſignum perpetuæ memoriæ ſignificat; unde 2. Reg. 18. *Abſalom erexit ſibi Titulum in monimentum nominis ſui*; & Geneſis 28., Jacob *ſurgens mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in Titulum fundens oleum deſuper*, ubi Septuaginta pro *Titulo* habent *in Statuam*; & 1. Machab. 14. *Romani deſcripſerunt in tabulis æreis, & poſuerunt in Titulis in Monte Sion*, quæ videlicet Simon, & Filii ejus præclare geſſerant. Columna igitur, Pyramis, Statua, aut quodvis aliud monumentum ad perpetuam rei alicujus memoriam ſervandam, *Titulus* appellatur.

XXVIII. Secundo Titulus accipitur in Jure pro cauſa, qua quis ſibi vendicat rem aliquam, ſeque in ejus juſta poſſeſſione contra impugnantem tuetur, puta quod emerit, vel dono, aut legato, aut hæreditate acceperit, *l. 1. Dig. pro ſoluto, l. 3. §. ult. Dig. de acquir. poſſeſſ.* Quo in ſenſu, qui *Titulus* dicitur *Joan.* 19. a Pilato ſcriptus, & Cruci Chriſti affixus, *Cauſam* appellavit Matthæus cap. 27. *Impoſuerunt ſuper Caput ejus Cauſam ipſius ſcriptam*; Marcus vero utramque vocem impendit cap. 15. *Erat Titulus Cauſæ ejus inſcriptus*, cauſæ videlicet, propter quam Jeſus Crucis ſupplicio damnatus eſt. Sic etiam ſignum, ſeu notificatio Cauſæ Martyrii, quæ in tabella a Perſecutoribus ſcribebatur, & in ea narrabatur cauſa mortis eorum, quia nempe profitebantur Chriſti fidem, *Titulus Chriſtianitatis* dicebatur; unde de S. Sebaſtiano in Martyrologio ſub die 20. Januarii legitur: *Sancti Sebaſtiani Martyris, qui Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primæ Cohortis, ſub Titulo Chriſtianitatis juſſus eſt ligari in medio Campi, & ſagittari a militibus, atque ad ultimum fuſtibus cædi, donec deficeret.*

XXIX. Tertio Titulus uſurpabatur pro Tabulis quibuſdam, quas olim deſcripto palam in iis ſuo nomine Potentiores prædiis ſuis affigebant, ut ſic ea ab aliena invaſione, aut direptione tutarentur; & etiamnum apud aliquos mos eſt Domibus, Villis ruſticanis, ac ad ditionum terminos ſua Arma Gentilitia affigere, quinimmo qui minus potentes ſunt, apponere aſſolent tabulas gentilitio Regis, aut Optimatis alicujus ſtemmate munitas; unde hac de re inſignis eſt locus ille D. P. Auguſtini expoſ. 2. in Pſal. 21. *Ne domum ipſius invadat aliquis Potens, ponit ibi Titulos Potentis, Titulos mendaces: Ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ de Titulo alieno muniri, ut cum Titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ab invaſione.*

XXX. Hanc vero prærogativam cum Imperatores privatis hominibus interdictam ſibi reſervaſſent, ut patet ex Tit. 16. lib. 2. Codicis, qui ſic habet, *Ut nemo privatus titulos prædiis ſuis, vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat*, & ex Novella 30. cap. 17., ubi manuum abſciſſione, aliiſque gravioribus tormentis plecti jubentur, *qui Titulos alios, quam Majeſtatis Imperatoriæ, aut Tamii, ideſt ærarii nomine auſi fuerint imponere*; hinc factum eſt, ut Titulus Imperatoriæ Majeſtatis inſigne evaſerit, cujus proinde impoſitione prædium caducum ſibi Fiſcus ſolitus erat vendicare, ac Principi veluti conſecrare, ut cum Imperator, ait, lege *ſi quando* Cod. de bonis vacantibus lib. 2. *Tituli vero, quorum adjectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis, nonniſi publica teſtificatione proponantur.* Fuerunt autem hujuſmodi Fiſcales Tituli, vel Vela quædam Imperatorum imaginibus, vel Tabulæ ligneæ nominis ipſorum inſcriptione inſignita; qui a D. Ambroſio *Cortinæ Regiæ* reperiuntur appellatæ, dum ſcribens ad Marcellinam narrat, quomodo Valentinianus Imperator Arianus Cortinarum illatione Baſilicam ſibi ſtuduerat vendicare, ſed eis a pueris diſciſſis, omnia ejus conamina fuiſſe irrita.

XXXI. Regii hujus Confiſcationis ſigni meminit item D. Gregorius *in Regiſt. lib. 1. cap. 63.*, ubi hæc habet: *Et quoniam edocti ſumus, domum Petronii Notarii S. R. E., cui Deo authore præſidemus, a Conſtantino defenſore irrationabiliter titulatam, experientiæ tuæ præſenti pagina demandamus, ut omni excuſatione, & dilatione omiſſa, depoſito Tituto, eamdemque domum præſentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii ſine mora reſtituas.* Vetuit item idem Gregorius *lib. 5. Ep. 44.* præfatos Titulos Eccleſiaſticis rebus imponi. Prædictum tamen Confiſcationis modum aliqualiter Chriſtiani imitati ſunt, dum Crucis ſignum, ſive Titulum ponebant, ut ſignificarent locum aliquem ad divinum cultum applicandum; quam cæremoniam erectioni Crucis in loco ædificando in Eccleſiam, vel Oratorium etiamnum Epiſcopi obſervant ex mandato Cæremonialis Epiſcoporum, & *Stauropegium* dicitur.

XXXII. Quarto dicitur Titulus in Jure Canonico Beneficium Eccleſiæ, ſub qua quis ordinatur, aut ubi tenetur ſervire; adeo ut ſine ejuſmodi Titulo cautum ſit quemcumque ordinari, *Cap. Neminem. Ex Conc. Chalced. diſt.* 70. & ordinatio aliter facta irrita habeatur, *Cap. Sanctorum ibidem.* Ex qua Tituli acceptione cum jus Intitulato obveniat percipiendi fructus illius Eccleſiæ, ſive ex toto, ſive ex parte, ſimulque debitum in ea miniſtrandi, coincidere, ac confundi poſſe videtur uſitatio hæc cum priori illa, quæ pro cauſa accipitur; talis quippe Titulus cauſa eſt, ob quam & ille fructus ejuſmodi ſibi vindicat, & viciſſim ab illo miniſterium accipitur.

XXXIII. Quinto Eccleſiæ olim Tituli nomine appellari ſolitæ fuerunt, adeo ut Titulus, & Eccleſia pro eodem ſumerentur; hinc in Libro de Romanis Pontificibus de Evariſto legitur, *Hic Titulos in Urbe diviſit Presbyteris*, & de Marcello quod *Viginti quinque Titulos in Urbe conſtituit.* Eccleſiæ autem dictæ fuerunt *Tituli*, primo quia in loco Eccleſiæ conſtruendæ in primis figebatur Vexillum Crucis in ſignum, ac inſtar Tituli, unde Theodoſius Imperator præcipiens, ut Delubra Gentilium Chriſtianæ Religionis cultui manciparentur, ait, *Collocato in eis venerandæ Chriſtianæ Religionis Signo.* Ita *lege ult. de Paganis cap. Theodoſius, & lege Decernimus, cap. de Epiſcopis, & Clericis.* Hinc etiam in Pontificali Romano, ubi de Benedictione, & Impoſitione primarii lapidis pro ædificanda Eccleſia agitur, hæc verba habentur: *Pridie lignea Crux in loco, ubi debet eſſe Altare, figatur, & lapis primarius imponatur.* A Titulo ergo Crucis juxta tertiam vocis hujus acceptionem dictæ ſunt Eccleſiæ Tituli. Ita quoque dictæ fuerunt

Digitized by Google

a Titulo, ideſt nomine illius Sancti, in cujus honorem eriguntur, tamquam ſanctitatis illius monimenta, juxta primam dictæ vocis acceptionem; & ſic Titulus S. Petri dicitur Eccleſia S. Petri &c. Tertio demum Eccleſiæ dictæ ſunt Tituli, quod qui Eccleſiam curat ædificari, prius Titulum, ſeu Fundum aliquem conferre debeat, ex cujus annuo redditu, quid ad Luminaria, quid ad Rectoris, Miniſtrorumque ſtipendia ſufficiat, commode ſuppeditetur, quemadmodum præcipit Pontificale Romanum, ubi de Benedictione, & Impoſitione primarii lapidis, & habetur *Cap. Nemo Eccleſiam, de Conſecrat. diſt.* 1.

XXXIV. Ex hujuſmodi fundi aſſignatione, vel ex Eccleſiæ conſtructione factum eſt, ut veteres Chriſtiani domus ſuas in Eccleſias conſecrantes, eas poſtmodum Titulo ſui nominis aliquando appellarent. Hinc in Urbe orti ſunt Tituli *Pudentis, Equitii, Faſciolæ, Pamachii, Baſilica Conſtantiniana, Baſilica Helleniana, Titulus Veſtinæ*, quia nempe Veſtina illuſtris fœmina referente Baronio *in Notis Martyrologii ad 19. Junii*, Baſilicam extruxit in honorem SS. Gervaſii, & Protaſii, quæ & Veſtinæ Titulus, & eorumdem quoque Martyrum dictus reperitur. Ad rem apprime facit id quod habetur in Breviario Romano die 1. Auguſti lect. 5. *Tantus honor ſacris illis vinculis haberi cœpit, ut proterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Eccleſia Titulo Eudoxiæ dedicata ſit in Exquiliis.*

XXXV. Supereſt autem hic adnotare, quemadmodum obſervat Baronius *in Notis ad 26. Julii*, Romæ videlicet veterem loquendi uſum obtinuiſſe, ut non omnis Eccleſia, Martyrumve memoria *Titulus* diceretur, ſed tantum infiniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Præsbyteri Cardinales, & hoc aperte confirmatur ex Bulla Sixti V. data die 13. Maji 1587., qua pronunciat Pontifex Eccleſias in Urbe Romæ, vel finitimis locis conſtitutas, *quæ Cardinalis dignitate gaudent, Titulos eſſe appellandas, quod ſint quaſi quædam cujuſque propriæ Diœceſes, ac præter ſex Cardinales Epiſcopos, qui certis Cathedralibus Eccleſiis Urbi finitimis præſunt, ſingulis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus Eccleſiæ illæ, Tituli videlicet, & Diaconiæ cum ſuis Clero, & Populo, ac quaſi Epiſcopali juriſdictione in Spiritualibus, & Temporalibus regendæ, & adminiſtrandæ committantur.* Poſtmodum vero idem Pontifex enumerat, quænam tum ex antiquis, tum ex recens erectis Baſilicis Tituli, ac Diaconiæ ſint appellandæ, vetatque ne ullæ aliæ hiſce Titulis afficiantur. Cum itaque Eccleſiæ præfatæ, idcirco *Tituli* appellentur, quod ſint *quaſi Diœceſes, & Epiſcopalem juriſdictionem habeant*, Tituli videntur etiam appellari poſſe, quæ vere Cathedrales ſunt, & Primariæ Diœceſum, quinimmo, & aliæ omnes exemptæ, quales ſunt aliquæ Abbatiales, & Collegiatæ, quæ ab Ordinariorum juriſdictione immunes, ipſæmet propriam habent in ſuo Territorio, eamque quaſi Epiſcopalem juriſdictionem.

XXXVI. Nomen inſuper Tituli non modo pro tota Eccleſia, ſed etiam quandoque pro peculiari Eccleſiæ parte olim videtur uſitatum: *Cœpit ejuſdem Baſilicæ fabricam in longitudine cubitorum C., & V. in latitudine vero XLIII., in altitudinem autem XXVIII. baſibus ſuppoſitis, & columnas deſuper decem a latere uno, totidemque ex altero in cubitis novem erexit, feneſtras quoque in ſuperioribus ſatis amplas, in navi quidem viginti, & unam, in Titulo vero ſex longas, & rotundas quatuor, ac duas in abſida mediana inſtituit.* Chron. Caſin. lib. 3. cap. 28. & ibidem cap. 29. *Plumbeis igitur domatibus illam totam cum Titulo, & utraque porticu ac veſtibulo decenter operiens &c.*. Sunt & aliæ Tituli acceptiones, ſed cum ab inſtituto noſtro alienæ ſint, ſat ſit has expromiſſe.

XXXVII. Titulo igitur ſumpto, qua Sanctum Eccleſiæ Patronum indicat, Sanctus eſt, qui Eccleſiam intitulat, & denominat, unde Eccleſia, quæ Patronum habet S. Petrum, dicitur *Eccleſia S. Petri*; qua reſpicit Fundatorem, Eccleſia item quandoque ab hoc denominationem ſuſcipit, unde dicitur *Baſilica Conſtantiniana* a Conſtantino, & ſic de ſimilibus; qua vero Beneficiarium, vel ejus Poſſeſſorem, hic nomen ſibi ex eo Titulo, ſive ex ea Eccleſia, cui præficitur, aſciſcit, præſertim Epiſcopi, qui ab Eccleſia, cui præſunt, dicuntur *v. g. Bergomenſes, Brixienſes &c.*, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quibus ex Conſtitutionibus Sixti V. præcipitur. *Ut de cetero in quibuſcumque Litteris Apoſtolicis, in quibus ſubſcriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales etiam Tituli, ſeu Diaconiæ, vel Epiſcopatus ſui Cardinalatus nomine expreſſo ſe ſubſcribant.*

XXXVIII. Ingratum haud cenſemus Lectori futurum, ſi eumdem hic monitum fecerimus, quod loco laudato Macrus advertit, nimirum Monaſteria Monialium in Urbe nulli Cardinalatus Titulo olim fuiſſe ſubjecta, ubi aliter tradentes errare aſſeverat, & quamvis hodie in Urbe aliquæ Eccleſiæ Monialium habeant Cardinalium Titulos, hoc evenire, quia antea Virorum Monaſteria erant, & Eccleſiæ.

XXXIX. Quamplurima profecto hic forent ſubdenda, & præſertim circa Perſonas, aliaſque res, quæ in Patronos, vel Titulares Eccleſiarum poſſunt, vel non poſſunt aſſumi; aſt quoniam in hocce Capite, & in ſequenti de iiſdem ſparſim ſermo eſt habendus, ad Decretorum expenſionem conſultius putamus properare. Sit igitur

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XXIII.

Officium, & Miſſa S. Rocchi conceditur tantum in Eccleſiis ad ejus honorem Deo dicatis. S. R. C. 26. Junii, & 26. Novembris 1629. *In Matriten.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 70.

I. EXpreſſioribus terminis una cum petitione *ſect. 7. cap.* 10. *num.* 15. apud Gavanti Commentaria legitur hocce Decretum, videlicet; *Dubitatum fuit: an Officium de B. Roccho nondum canonizato, neque a Sede Apoſtolica beatificato, poſt Alexand. III. defuncto anno 1327., in Concilio Conſtantienſi anno 1414. inter Beatos habito, recitari poſſit? & negotio mature diſcuſſo, Sacra Rituum Congregatio ſenſuit, concedendam eſſe Miſſam, & Officium in ejus die feſto in Eccleſiis dumtaxat, & Eremitoriis habentibus requiſita Eccleſiarum in honorem ejuſdem Deo dicatis, non extra dicta loca, die 4. Julii, & clarius die 26. Novembris 1629.*

II. Petitio propoſita cum difficultatis nervum involvat, ad nonnullorum prænotationem nos utique trahit; & primo quod ſolemnis Sanctos canonizandi ratio, nonniſi Alexandri III. Conſtitutione, quam & firmavit Innocentius III., introducta eſt, unique Sedi Apoſtolicæ reſervata, ut habetur *Cap. Audivimus de Reliquiis, & venerat. Sanctor.*. Etſi enim præcedenter ad memoratam Alexandri III. Conſtitutionem aliqui etiam reperiantur a Romanis Pontificibus Sanctorum Albo adſcripti, ſeu canonizati, uti S. Suvibertus a Leone III. ad inſtantiam Caroli Magni, S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ab Innocentio II., & forſan ab aliis nonnulli alii, ut teſtantur aliqui ex Auctoribus, attamen tunc temporis iiſdem privative aſſerta facultas haudquaquam competebat, niſi forte generaliter relate ad totam Eccleſiam, primis ſiquidem temporibus ferebat conſuetudo Eccleſiarum, ut id decernere particulariter pro unaquaque Provincia, aut Diœceſi ad Primatem, vel ad unumquemque Epiſcopum ſpectaret, ut de hac re videri poſſunt Bellarminus, Sauſſayus, atque Baronius *in Notatis ad 2. Aprilis*; hinc S. Cyprianus *lib. 3. Epiſt. 6.* præcipit ad ſe ſcribi, ſi quis Martyr de novo occumbat, quia ſtatim ejus memoriam Sacrificiis vult celebrare, & poſtea ſingulis annis diem ejus natalem recolere, ut notat Vvaldenſis *lib. de Sacrament. tit. 14. cap.* 122., & ex illo Bellarm. *lib. 1. de Sanctorum beatitud. cap. 8. col.* 737.

III. Ex priſca hacce Eccleſiarum conſuetudine factum eſt, ut in tota Eccleſia colantur plures ut Sancti, qui non ſciuntur ſolemniter fuiſſe canonizati ab ullo ex Pontificibus, illorum enim cultus in particularibus locis per Eccleſiarum Præſules inducebatur, & paulatim ad alia protendebatur ſciente, & approbante Summo Pontifice, vel expreſſe, vel tacite, & ſolum ex tali approbatione vim obtinebat, ſicut & communiter accidit in quavis alia conſuetudine, quæ ſolum dicitur obtinere vim legis ex tacito, vel expreſſo conſenſu Principis, ut patet ex D. Thoma 1. 2. *quæſt. 97. art.* 3., & aliis communiter in materia de legibus.

IV. Sanctus Rocchus apud Montem Peſſulanum natus, poſt vitam laudabiliter tranſactam, & poſt heroicos charitatis actus frequenter exercitos erga homines peſte laborantes, pretioſa morte obiit anno 1327., & magna virtutum, & miraculorum fama, quam publicus cultus, Epiſcopis approbantibus, ſtatim comitatus fuit; hinc quiſque bene cognoſcere poteſt, quam minus proprie a nonnullis dicatur, Rocchum fuiſſe canonizatum, aut beatificatum in Concilio Conſtantienſi, cujus quidem tempore augmentum, non initium, dicti Sancti cultus profecto recepit. Cum enim anno 1414., in quo Epiſcopi Conſtantiæ erant congregati, peſtifera lues per totam eam Urbem dire graſſaretur, eorumdem Patrum Decreto ad ingruentem luem propulſandam, ſolemni pompa Imago S. Rocchi fuit, omni comitante populo, per dictam Urbem delata, impetrata mox a Deo ejuſdem S. Rocchi interceſſione, non ſine inſigne miraculo, ſanitate, votis omnium expetita. In actis quidem Concilii præfati nulla hujus facti mentio inſtituitur, ſed propterea in dubium revocari minime debet, cum illud referant unanimiter, nullo contradicente, quotquot de Sancto Roccho ſcripſerunt, inter quos præter Franciſcum Diedo, Petrum Pinum, Claudium a Rota, Ludovicum Maldura, Krantzius *in Metropoli Saxoniæ lib. 9. cap.* 25. Baronius *in Notis ad diem 16. Auguſti*, Pagi Junior *in Brev. Romanor. Pontiſ. tom. 4. in vita Joannis XXIII. num.* 29., & Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex Maximus *lib. 1. de Canoniz. cap. 11. num.* 11.

V. Hinc eruunt nonnulli a Concilio Conſtantienſi tunc Rocchum fuiſſe in Sanctorum, aut Beatorum Album relatum; aſt quidem immerito, quoniam ex ea reutique inferri valet, tunc ei fuiſſe exhibitum publicum cultum, honoremque, qui Sanctis ſolet impendi, at non tunc primum, cum a pretioſa ejuſdem uſque morte, quemadmodum ſuperius dicebamus, Epiſcopis approbantibus aidem publicus cultus exhiberi cœperit. Accedit quod beatificatio, & canonizatio fieri non poſſunt a Concilio Generali abſque interventu auctoritatis Pontificiæ, & quidem etiamſi Sedes Apoſtolica vacet, quemadmodum docent communiter Auctores; & rationes hujus privativi juris adducit Gloſſa *in cap. Glorioſus in verbo Sedis Apoſtolicæ de Reliq., & Venerat. Sanctor. in 6.*; Quanto autem minus anno 1414., quo publicus cultus Sancto Roceo Con-

ſtantiæ

ſtantiæ delatus fuit, S. Rocchus dici valet beatificatus, aut canonizatus a Patribus tunc ibi congregatis, qui immerito ſibi nomen, & auctoritatem Univerſalis Concilii arrogabant, cum adhuc in tres partes ſciſſa eſſet Eccleſia, ſicuti ad rem bene ponderant Continuatores Bollandiani *in Propylæo ad Acta Maji diſſertat. 20. num. 21.*

VI. Sancti itaque Rocchi publicus cultus initium habuit, ſtatim ac mortuus eſt, augmentum tantummodo recepit in Concilio Conſtantienſi, novaque acceſſio ei facta eſt poſt annos ſexaginta a tempore Concilii Conſtantienſis, graſſante peſte in Civitate Brixienſi, Populoque univerſo Sanctum Rocchum invocante. Scilicet, tum Franciſcus Diedo Venetus Senator ſua ſatis ſcientia notiſſimus vitam ejus tunc deſcripſerit, ab ejus geſtis in eadem vita deſcriptis Veneta pietas tali eſt incenſa fervore, ut nonnulli Cives, ſancta inita conſpiratione, ad Montem Peſſulanum acceſſerint, præcipuamque corporis Sancti Rocchi partem ad Civitatem detulerint Venetiarum, ubi anno 1485. magno gaudio excepta fuit, Clero, Senatu, Populoque ſolemniſſimam comitantibus Proceſſionem Sacri hujus Corporis pars ad Urbem pariter delata eſt anno 1575., peſteque graſſante in Regno Siciliæ, Urbanus VIII. anno 1624. Eccleſiam Sancto Roccho dicatam publice viſitavit, & in Ara majori, in qua ejuſdem Sancti Reliquia erat expoſita, Miſſæ Sacrificium celebravit, ut legitur in Lapide marmoreo, qui exiſtit in prædicta Eccleſia prope vas aquæ luſtralis, utque meminit Caſtellinus Auctor contemporaneus *in ſuo Tract. de Inquiſitione Miraculorum in Appendice generali pag.* 280.

VII. Ex his claret igitur, quod B. Rochus neque a Sede Apoſtolica canonizatus, neque beatificatus extitit, ut petitio in ſupraposito Decreto inſerta aſſerit, quæ dum *eumdem in Concilio Conſtantienſi anno* 1414. *inter Beatos habitum fuiſſe* adjungit, non ita accipienda venit, quaſi tunc ille in Beatorum numero relatus fuerit, ſed quod tunc honores Sanctis, Beatiſque debiti, eidem fuerint impenſi. Ceterum is a ſua uſque morte, quæ evenit anno 1327., publicum univerſim ſibi vindicavit cultum, qui nullam unquam paſſus eſt interruptionem, vel diminutionem, quin potius incrementum ſemper habuit, ac acceſſionem; hinc Sacra Congregatio in ſuo Generali Decreto infra referendo de die 30. Junii 1629. de S. Roccho bene pronuntiat, *Qui penes omnes Chriſtifideles in maxima veneratione ſemper eſt habitus.*

VIII. Prætereundum tamen haud eſt, quod in pleriſque antiquis Breviariis, atque Miſſalibus typis impreſſis ante tempora Sancti Pii V. habentur Officium, & Miſſa in honorem Sancti Rocchi, quemadmodum ex eorum diligenti enarratione probat Caſtellinus *loc. cit. pag.* 278., *& ſequentibus*; In Reformatione autem Breviarii, & Miſſalis Romani facta tempore prædicti Pontificis ipſa Miſſa, & Officium expuncta fuerunt a Miſſali, & Breviario.

IX. Hæc cum ita forent, dubium emerſit, num de præfato S. Roccho Officium recitari poſſet? Et pro parte negativa quamplurima rationum momenta facere videbantur. Primo enim cum S. Rocchus poſt Alexandrum III. anno 1159. ad Summi Pontificatus apicem, evectum, qui gravibus de cauſis antiqua Eccleſiæ ſuper Sanctorum Canonizationem diſciplina ablegata, Servos Dei canonizandi jus privativum uni Sedi Apoſtolicæ reſervavit, defunctus extiterit, anno videlicet 1327., nec per Sedem Apoſtolicam in Album Beatorum, nec Sanctorum relatus fuerit, non videbatur inter rite Beatos, aut Sanctos connumerari poſſe, in nihilum deſerviente facto Concilii Conſtantienſis, tum quia ex eo publicum cultum, qui jam eidem deferebatur, exhibitum eſſe dumtaxat evincitur; tum ex defectu ſupra aſſertæ facultatis Sanctos canonizandi, aut in Beatorum catalogo referendi; tum quia eo tempore, quo præfata præſtita ſunt, nondum erat Generale Concilium.

X. 2. Quia Sacra Congregatio 20. *Novembris* 1628., *annuente Sanctiſſimo, decrevit, immemorabilem probatam ſuper cultu, & veneratione alicujus Sancti non canonizati, nec beatificati non ſuffragari ad effectum, quod de illo poſſit concedi Miſſa, aut Officium, ſed in ſpecie, & in illa loco eſſe probandam immemorabilem quoad cultum cum Miſſa, & Officio.*

XI. His tamen haudquaquam obſtantibus cum negotium in Sacra Congregatione propoſitum fuerit, & mature diſcuſſum, hæc cenſuit, *Officium, & Miſſam S. Rocchi concedi tantum in Eccleſiis ad ejus honorem dicatis*, ut proloquitur Decretum, quod exponimus, confirmatque his verbis, *Cenſuit concedendam eſſe Miſſam, & officium, in ejus die feſto in Eccleſiis dumtaxat, & Eremitoriis habentibus requiſita Eccleſiarum in honorem ejuſdem Deo dicatis, non extra dicta loca.* Decretum idem, quod fuſioribus verbis conceptum depromplimus ex Gavanto, & in initio expoſitionis ſuperius adduximus.

XII. Etenim Urbanus VIII. in ſuis Decretis emiſſis anno 1625., necnon in Brevi eadem confirmante edito anno 1634. prohibuit quidem exhibitionem publici cultus iis, qui minime beatificati, aut ab Apoſtolica Sede canonizati fuiſſent, verum illos excepit, qui colebantur ſive per communem Eccleſiæ conſenſum, ſive per immemorabilem temporis curſum, ſive per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, ſive denique temporis longiſſimi ſcientia, ac tolerantia, Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii, quibus manifeſte ſe declarat per dicta Decreta in nihilo præjudicare velle, neque intendere. Cum itaque S. Rocchus, ut vidimus ſupra, a pretioſa ſua uſque morte, ſeu ab anno 1327. publicum ſortitus fuerit cultum, qui nullam unquam paſſus eſt interruptionem, vel diminutionem, ſed magis ſemper in dies increbuit, patens proculdubio eſt, quod Rocchus ex iis Dei Servis eſt, cujus cultui haudquaquam præjudicium minimum intulere præfata Urbani VIII. Decreta, ſed adhuc permanet in pacifica ejuſdem cultus poſſeſſione, ac ex illis Sanctis eſt, qui dicuntur per beatificationem æquipollentem beatificati. Ex defectu itaque formalis Beatificationis, vel Canonizationis S. Rocchi per Sedem Apoſtolicam habitæ quemadmodum haudquaquam evincitur, quod eidem publicus cultus per officii, & Miſſæ celebrationem, quæ eſt portio quædam ejuſdem cultus, eidem quoque impendi non poſſit, uti contendebat primum argumentum ſupra pro parte negativa propoſitum.

XIII. Nec majoris efficaciæ cenſendum eſt ſecundum argumentum petitum ex Decreto Sacræ Congregationis 20. Novembris 1628., hoc enim procedit, *prout de jure, & ſic nullatenus impedit, quin in caſibus aliquibus conſilium Summo Pontifici præſtari poſſit ſuper conceſſione Officii, & Miſſa ex gratia particularibus circumſtantiis innixa*, ſicuti ex ſenſu Eminentiſſimorum Patrum ſæpius audiviſſe teſtatur Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex Summus *lib. 4. par. 2. cap. 3. numer. 3.*, qui propterea inibi, & alibi recenſet plures hujuſmodi conceſſiones factas, etiam relate ad eos Sanctos, quibus cultus per recitationem Officii, & celebratione Miſſæ præcedenter nunquam fuerat impenſus. Quanto igitur magis concedi potuit S. Roccho, qui ut ſuperius ex Caſtellino adnotavimus, in pleriſque Breviariis, & Miſſalibus Officium, & Miſſam habebat, & Urbanum ipſum VIII., qui præfata edidit Decreta, in ejuſdem honorem ſacrificaſſe fertur, quantumvis in Reformatione Breviarii, & Miſſalis Romani per Pium V. habita Officium, & Miſſa præfata a Breviario, & Miſſali expuncta extiterint: Si enim per immemorabilem probaretur recitatum eſſe Officium, & Miſſam celebratam, eamdemque ſemper continuatam fuiſſe, conceſſio non ad gratiam, ſed ad juſtitiam eſſet referenda, & de jure denegari non potuiſſet recitatio, & celebratio Officii, & Miſſæ ratione Decretorum laudatorum Urbani VIII.

XIV. Dices approbari non convenit cultus immemorabilis, qui ante approbationem in deſuetudinem abiit, ergo nec ultus per officium, a cujus recitatione deſtitum extitit.

XV. ℞. Minus quidem congruum videri, quod approbetur cultus immemorabilis, qui ante approbationem in deſuetudinem abiit; non ſic autem eſt de cultu per Officium, licet ab ejus recitatione deſtitum fuerit; in priori enim caſu deſit cultus ipſe, & ideo haud convenit renovari, re prius mature non diſcuſſa, nec ponderata; in ſecundo autem caſu cultus haud deſiit, ſed adhuc perſeverat, & ideo nihil vetat, renovari partem aliquam ejuſdem cultus, cujuſmodi eſt Officium Divinum, licet in deſuetudinem abierit; qua de cauſa quamplurimæ habentur hujuſmodi conceſſiones per Sedem Apoſtolicam, & Sacram Congregationem factæ, quinimmo nec deſiderantur conceſſiones aliquæ Officii, & Miſſæ de Sanctis aliquibus formaliter nec Beatificatis, nec Canonizatis, quorum cultus ab immemorabili quidem probabatur, ſed numquam de iiſdem recitatum fuerat Officium, nec Miſſa celebrata, quemadmodum contigit in conceſſione Officii, & Miſſæ B. Margaritæ de Cortona, B. Zitæ, & aliorum.

XVI. Circumſtantiæ autem, quæ juxta mentem, & praxim Sacræ Congregationis aptæ natæ ſunt ad impetrandam recitationem, & celebrationem Officii, & Miſſæ, licet ad tramites allati Decreti editi die 20. Novembris 1628. non ſit probata conſuetudo immemorabilis in ſpecie quoad cultum Miſſæ & Officii, ſunt, prima ſi vel per tempus excedens metam centum annorum, vel ſaltem per tempus notabile fuerit recitata Miſſa, & fuerit celebratum officium in honorem Servi Dei, licet continuatio tum celebrationis, tum recitationis non progreſſa ſit uſque ad tempus, in quo pro celebratione, vel recitatione ſupplicatur. 2. Quando etſi non ſit probata ulla conſuetudo dictæ recitationis, attamen ultra approbationem cultus fuerunt in Sacra Congregatione diſcuſſæ, & approbatæ virtutes illius in gradu heroico. 3. Quoties ejuſdem feſtivitas fuit ſemper magno cultus apparatu, & populorum concurſu celebrata. 4. Quando cultus illius maximam habuit extenſionem. 5. Quoties in ejus honorem fuerunt erecta Altaria, eidem dedicatæ fuerunt Eccleſiæ & ſimilia. Ex dictis autem abunde patens eſt, quod hæc omnia, ſecunda forſitan dumtaxat excepta, verificantur in caſu Sancti Rocchi.

XVII. Ceterum liceat nobis ponderare, quod conceſſio officii, de qua eſt præſens Decretum, non ad gratiam, ſed ad juſtitiam eſt revocanda. Conceditur enim officium S. Rocchi in Eccleſiis tantum eidem dicatis, & non extra eas; veroſimile autem eſt, quod licet tempore Reformationis Breviarii per Pium V. præſtitæ deſtitum extiterit a recitatione dicti officii in locis, vel Diœceſibus, in quibus præcedenter recitabatur, non autem in Eccleſiis eidem dicatis.

XVIII. Si tamen Decretum conceptum credatur, atque emanatum in terminis, ſub quibus nobis illud proponit Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex ſummus *lib. 4. par. 2. cap. 5. numer. 2.*, inficias iri haud poteſt, quod in eo non defuit gratia, cum conceſſio fuerit amplior præcedenti obſervantia, quando de jure debuiſſet eſſe coercita intra limites præcedentis obſervantiæ. En dictum Decretum; *Cum actum fuiſſet pluries in Sacrorum Rituum Congregatione de concedenda Miſ-*

ſa,

ſa, & Officio in Feſto S. Rocchi, qui penes omnes Chriſtifidelet in maxima veneratione ſemper eſt habitus, tandem ſub die 30. Junii 1629. eadem Sacra Congregatio, negotio mature diſcuſſo, cenſuit, eſſe concedendam Miſſam, & Officium in die S. Rocchi de communi Confeſſoris non Pontificis in iis tantum locis, ubi adſunt Eccleſiæ in ejus honorem ædificatæ, & ſervatis Rubricis Breviarii. Quod Decretum Summus Pontifex Urbanus VIII. approbavit, atque laudavit die 4. Julii 1629., veluti habetur apud Pignatellum *conſult.* 87. *num.* 41. *tom.* 4.

XIX. Cohærenter huic Decreto ita concepto, cum intereeſſioni S. Rocchi pie adſcripta fuerit præſervatio Ditionis Etruriæ Magno Duci ſubjectæ a lue, a qua non multos ante annos laboraverunt Animalia in finitimis Regionibus, cumque, exorante Magno Eruriæ Duce, & accedentibus ſupplicationibus Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ejuſdem Ditionis, petita fuerit extenſio Officii, & Miſſæ S. Rocchi pro univerſa ipſa Ditione Ducis Etruriæ, eo quod non eſſet probatum, quod in omnibus, & ſingulis locis Regionum Magno Duci Etruriæ ſubjectarum Eccleſiæ eſſent in honorem S. Rocchi ædificatæ, die 27. Julii 1720. nollum editum fuit a Sacra Congregatione Decretum. Sed demum, iterum propoſita inſtantia, die 7. Junii 1721. reſponſum fuit *pro gratia*, allatis videlicet probationibus Eccleſiarum, Oratoriorum, & Altarium in honorem Sancti Rocchi dicatorum in tota fere Ditione ejuſdem Magni Ducis Etruriæ, quemadmodum refert Eminentiſs. Lambertiai loco laudato.

XX. Ex hujuſmodi Decreto ſatis eruitur, quod licet Eccleſiæ, quæ habeantur in loco aliquo, in honorem S. Rocchi erectæ, ſint ſufficientia argumenta, ſeu motiva ad impetraadam extenſionem dicti officii pro toto eo loco, abſque tamen particulari iadulto in eo recitari non valet. Quod ſi impetretur, ad gratiam utique ſpectat, quia ſupponitur ibi uſque tunc dictum officium non fuiſſe recitatum.

XXI. Hanc Decreti lectionem utique tenendam eſſe arbitramur pro extenſione dicti officii extra Eccleſias S. Roccho dicatas; aſt nec primam lectionem deſerendam eſſe putamus quoad Eccleſias præfatas, quæ abſque ullo particulari indulto poſſunt de ſuo Titulari juxta Rubricas officium perſolvere; id enim in præſenti Decreto conceſſum eſſe, innegabile apparet ex altero ejuſdem Congregationis Decreto de die 10. Januarii 1693., ia quo ſtatuitur, ut ſequitur: *De Sancto Roccho, licet ejus feſtum ſervetur ex devotione, attamen non poteſt de eo recitari Officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex conceſſione S. C. die 4. Junii 1629., & clarius die 20. Novembris ejuſdem anni 1629., & tunc dicendum eſt officium ſub ritu duplici primæ claſſis.*

XXII. Quoniam itaque Decretum, prout refertur a ſæpius laudato Eminentiſs. Lambertini, diſſonat ab eo, quod ex Merato ſuperius adduximus, quoad diem, cum illud ſub die 30. Junii 1629., emanatum pronuncletur, hoc vero ſub die 16. Junii, vel 4. Julii, & 26. Novembris 1629., idcirco ſit ambigendi locus, quod duo diſtincta poſſint eſſe Decreta, quorum primum ſit de conceſſione ferenda, ſecundum autem de conceſſione lata. Diſſonantia autem, quæ eſt quoad datam Decretorum laudatotum per ſuperius citatum Decretum 10. Januarii 1693., & eorumdem, prout a Gavanto, & Merato referuntur, quoniam illa tanquam edita pronunciantur ſub die 4. Junii, & die 20. Novembris 1629., hæc vero ſub die 16. Junii, & 26. Novembris, quinimmo a Gavanto etiam ſub die 4. Julii, multiplicitati Decretorum adſcribenda haudquaquam videtur, ſed magis Typorum errori, qui facile obvenit in repetita recenſione numerorum; eſt etenim quoad Menſem, & Annum concordia, & fere tota diſſonantia eſt quoad datam diei, quapropter veroſimile non apparet, quod ſpatio ita propinquorum dierum a Sacra Congregatione ſuper eamdem rem Decreta adeo iterata prodire potuerint. Quinimmo quia Decretum ipſum, prout a laudato Eminentiſs. Lambertini producitur, convenit quoad Menſem, & Annum eum Decreto per Meratum adducto, & ambo in eadem *Matriten.* edita pronunciantur, probabile appater, quod error ſit quoad diem ia eorumdem alterutro, ceterum ſub eadem die ambo prodierint, ſeu unum dumtaxat ſint revera Decretum, quod duas habuerit partes, per quarum alteram diſponebatur de conceſſione lata quoad Eccleſias ſub patrocinio S. Rocchi erectas, per alteram vero de conceſſione ferenda pro ceteris locis, qui ſuper Conceſſionem Officii S. Rocchi iteratas ſupplices porrigebant preces. Si hoc pacto rem ſe habere judicetur, & altera ſimul ponitur concordia, videlicet quod dum a Gavanto dictum Decretum etiam ſub data 4. Julii pronunciatur, intelligendus ſit quoad confirmationem dicti Decreti ſub ea die habitam, qualiter revera per Urbanum VIII. præſtitam eſſe, ex laudato Eminentiſs. Lambertini ſuperius vidimus. Attamen nolumus hic præterire, quod nihil eſt, quod vetet, quod præfata omnia eſſe queant diſtincta Decreta, licet paucorum dierum ſpatio cuncta ſint edita, præſertim cum in Decreto per Eminentiſs. Lambertiai adducto habentur ſequentia verba; *Cum actum fuiſſet pluries in Sacrorum Rituum Congregatione de concedenda Miſſa, & Officio S. Rocchi, qui penes omnes Chriſtifideles in maxima veneratione eſt habitus &c.*, per quæ utique datur intelligi, petitiones quamplurimas ſuper dictam Conceſſionem in Sacra Congregatione propoſitas extitiſſe; quod & poſtmodum facile fieri potuit, ſtante maxima veneratione, quam penet omnes Chriſtifidelet S. Rocchus ſibi vindicabat. Quomodocumque tamen ſe habeat res, veritati Sanctionum, & earumdem diſpoſitioni nullum fert præjudicium.

XXIII. Ex dictis habetur ratio, oh quam ſtatutum extitit, extra loca, ubi ſunt Eccleſiæ S. Roccho dicatæ, ejuſdem Officium haudquaquam eſſe concedendum, & de facto tantum recitandum concedi in Eccleſiit in ejus honorem erectis. Sanctus enim Rocchus, etſi ab ejuſdem uſque obitu cultum habuerit in Eccleſia Dei, & per Decreta Urbani VIII. eidem minime fuerit derogatum, adhuc eſt ex Dei Servis, qui nec per formalem, nec per æquipollentem canonizationem fuerunt in Sanctorum Album adſcripti; in dilatatione autem cultus hujuſmodi Dei Servorum, maxime per Divini Officii recitationem, & Miſſæ celebrationem pluribus gravibus de cauſis caute, & parce ſemper proceſſit, & procedit Sacra Rituum Congregatio; quapropter & pro Beatis ipſis beatificatis beatificatione formali per Sacram Rituum Congregationem coram Alexandro VII. ſub die 27. Septembris 1659. edita fuerunt quamplurima Decreta, per quæ inhibetur eorumdem cultum extendi poſſe de loco ad locum, aut de perſona ad perſonam, atque rigoroſe ſtatuitur, Officium, & Miſſam in eorumdem honorem dici non poſſe, niſi ab iis, quibus Sedes Apoſtolica ſpecialiter de hoc indulſerit.

XXIV. Pro Sancto itaque Roccho, qui apud omnes Chriſtifideles in maxima veneratione ſemper eſt habitus, ut proloquitur Sacra ipſa Congregatio, hæc regula quoad Officium capta fuit, ut ejuſdem Officium non concedatur niſi iis locis, in quibus Eccleſiæ eidem adinveniuntur dicatæ; cum enim ibi jam habeat honorem Sanctis canonizatis dumtaxat debitum, ac convenientem, ſcilicet erectionem Eccleſiarum, in ejus honorem, & etiam cultum Officii Divini, ſi non in omni Eccleſia ejuſdem loci, in eis ſaltem, quæ ipſi dicatæ ſunt, idcirco conveniens haud deeſt titulus, vi cujus tale Officium ad ceteras ejuſdem loci Eccleſias protendi queat. Per hujuſmodi tamen Sanctionem haudquaquam Sacræ Congregationi, aut Sedi Apoſtolicæ non ita vinciuntur manus, ut de S. Roccho per eam concedi nequeat Officium etiam pro illis locis, in quibus eidem non reperiuntur Eccleſiæ dicatæ, quemadmodum forſitan aliquando factitatum fuit. Etiam ſub die 20. Junii 1671. a Sacra Congregatione prodiit Decretum per Clementem X. die 20. ejuſdem menſis, & anni confirmatum, & a Clemente quoque XI. die 4. Maji 1714. approbatum, de non faciendo verbo per quinquaginta annos in eadem Congregatione ſuper conceſſione novorum Officiorum, maxime pro Eccleſia univerſali; & tamen a præfato Clemente X. ſub die 27. Martii 1673. Eccleſiæ univerſali particularibus de cauſis, ac circumſtantiis Officium indultum fuit in honorem Sancti Cajetani Fundatoris Congregationis Theatinorum; quod & non ſemel præſtitum fuit ab eodem Clemente XI. in honorem aliorum Sanctorum.

XXV. Quoad Officium vero de facto recitandum facultas reſtricta fuit ſolom ad Eccleſias ipſas, quæ in ejuſdem S. Rocchi honorem ſunt extructæ, *Conceditur tantum in Eccleſiis ad ejus honorem dicatis*; quælibet enim Eccleſiæ a Rubricis jus habent celebrandi Officium de ſuo Titulari; hinc cum S. Rocchus, licet ſit ex Dei Servis per æquipollentem beatificationem dumtaxat beatificatis, in univerſali Eccleſia talem cultum obtinuerit, ut ia ejuſdem honorem dedicentur Eccleſiæ, cui cultui, utpote immemorabilem, ac centenariam conſuetudinem excedenti, nec Urbanus VIII. in ſuis Decretis in aliquo voluit derogari, jus utique legitimum habet pro recitatione ſui Officii in prædictis Eccleſiis, adeoque eo ſpoliati haud debuit. Factum eſt itaque, ut per præſentem Sanctionem declaratum extiterit, *Officium de S. Roccho recitari poſſe in Eccleſiis ad ejuſdem honorem dicatis.*

XXVI. *Tantum* ſubdit Decretum, quæ particula plura nobis deſignat. Primo, quod etſi exiſtentia Eccleſiæ S. Roccho dicatæ in loco ex ſuperius dictis validum fundamentum ſit ad impetrandum Officium de eodem S. Roccho pro toto loco, adhuc tamen ſine expreſſa, & formali conceſſione recitatio ejuſdem debet eſſe coercita intra Eccleſiam ipſam, atque adeo etiam relate ad S. Roccbum locum habet Decretum S. R. C. 8. Aprilis 1628. inhibens celebrari per totam Civitatem, vel locum Officium de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia aliqua eidem dicata, atque præſcribens, quod tantum celebrari valet in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, quemadmodum fuſiori calamo dicemus exponentes ſequens Decretum.

XXVII. Secundo. Ad tuendum dictum Officium extra Eccleſiam S. Roccho dicatam neque validam eſſe conſuetudinem tametſi centenariam, niſi ea introducta ſit ante Bullam Pii V. editam anno 1568., ſicuti univerſim de cunctis Officiis ſancivit Sacra Congregatio per plurima Decreta danda, & exponenda in Capitibus de Feſtis ex conſuetudine, & de Additione fieri vetita Breviario Romano. Quod ſi habeatur hujuſmodi conſuetudo ante Bullam Pianam, utique continuari poteſt, tametſi S. Rocchus non ſit ex Sanctis canonizatis, ut ibidem late patebit.

XXVIII. Lubet hic curſim recenſere eventum quemdam, qui non multis ab hinc annis cuidam accidit Eccleſiæ. Cum enim ingruente peſte anno 1580. interceſſioni S. Rocchi ſe commiſiſſet, ejuſdemque patrocinio a Deo ſanitatem impetraſſet, in grati animi memoriam ultra alia Officium ſub ritu duplici de eodem propria auctoritate invexit, & hujus celebrationi ul-

tra

Digitized by Google

tra centum annos incubuit. Verum cum de communi Officium recitaret, apud Sacram Congregationem pro lectionibus propriis ſupplicavit, quæ reſpondit, *Doceri prius de indulto dictum Officium recitandi*; cum autem Indultum proferri non potuerit, nec titulus conſuetudinis, utpote poſt Bullam Pianam inductæ, ſuffragaretur, a præfati Officii celebratione deſiſtendum eſſe mandavit, prout reipſa deſitum fuit.

XXIX. Tertio dictio illa *Tantum* haud ita preſſe eſt intelligenda, ut Officium dumtaxat recitari valeat intra parietes ipſius Eccleſiæ; adhuc enim extra optime recitari valet ab iis, qui ſunt de gremio ejuſdem Eccleſiæ vel per obligationem ad chorum, licet huic in eo feſto minime interſint, aut quia eam titulo beneficii poſſident, quemadmodum dicitur in Decreto hujus Capitis quarto, magiſque dicetur in Capite de Qualitate Officii, ubi apparebit univerſim id eſſe deciſum per tria prima ejuſdem Decreta, quorum explanatione ſatis congrua aſſignatur ratio, & alias quamplurima ſequerentur incommoda, quorum vitatio utique exigit, ut & in caſu, & pro caſu Sanctorum non canonizatorum præfata procedant Decreta.

XXX. De Miſſa potior urget difficultas, num a Clero ut ſupra addicto extra Eccleſiam præfatam celebrari valeat? & apprime diſpar videtur eſſe ratio, quia ex ejuſdem omiſſione non ſequuntur ea incommoda, quæ ex omiſſione Officii inevitabiliter oriuntur, quinimmo inde exurgit laudabilis uniformitas Miſſæ cum Officio, & Kalendario illius Eccleſiæ, in qua celebratur, quam uniformitatem plurimi facit Sacra Rituum Congregatio multis editis Decretis in Commentariis Miſſalis late examinandis; quapropter hac in parte conſultius eſſe crederemus, a prædictæ Miſſæ celebratione temperare, ac cum Officio Eccleſiæ, in qua celebratur, quoad Miſſam uniformitatem tenere.

XXXI. Quantum igitur ad Miſſam feſtivam, de qua impræſentiarum tantummodo ſermo procedit, de S. Roccho celebrandam, arbitramur recedendum non eſſe a rigoroſa Decreti diſpoſitione, quod illam edicit conceſſam *tantum in Eccleſiis ad ejus honorem Deo dicatis*, & prout idem ex Gavanto ſupra retulimus *in Eccleſiis dumtaxat, & Eremitoriis habentibus requiſita Eccleſiarum in honorem ejuſdem Deo dicatis, non extra dicta loca*. Si itaque *non extra dicta loca*, quis contendere valet, quod extra memoratas Eccleſias Miſſa feſtiva de S. Roccho poſſit celebrari a Clero, licet ut ſupra addicto, quandoquidem compertum eſt, quod extra Eccleſias in honorem S. Rocchi dicatas Miſſa feſtiva, utpote ea, quæ cum Officio diei convenit, nonniſi a dicto Clero poſſet celebrari, utpote qui ſolus recitat Officium de S. Roccho illa die, & Miſſa feſtiva ea eſt, quæ convenit cum Officio diei, vel Cleri poſtea, qui celebrat, vel Eccleſiæ, in qua celebratur. Si itaque extra Eccleſias in honorem Divi Rocchi erectas interdictæ manent Miſſæ feſtivæ, utique vetitæ cenſeri debent relate ad Clerum earumdem Eccleſiarum, adeoque cunctis utique Sacerdotibus.

XXXII. Quæ modo dedimus de Miſſa feſtiva S. Rocchi extra ejuſdem Eccleſias minime celebranda conſonant Decretis Sacræ Congregationis 16. Decembris 1652. in quibus inter alia ſtatuitur: *Haud licitum eſt excedere limites verbales Indultorum ſuper beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officii, niſi hoc expreſſe Sedes Apoſtolica indulſerit*. Licet autem hic non minus Officium, ac Miſſa recenſeantur in inhibitione, adhuc pro Officio non currit diſpoſitio, quia Sedes Apoſtolica pro Officio aliter expreſſe indulſit, videlicet per tria prima Decreta recenſenda in Cap. de Qualitate Officii, & quamplurima alia, in quibus expreſſe ſtatutum fuiſſe videbimus, Clerum alicui Eccleſiæ adſcriptum per Beneficium, vel per Choralem obligationem teneri, primum ad Officia ſaltem principalia Dedicationis, & Titularis ejuſdem Eccleſiæ, ſecundum vero ad omnia Officia quæ in Choro dictæ Eccleſiæ recitantur; & hoc quantumvis *morentur alibi*, *etiam extra Diœceſim*.

XXXIII. De Miſſis votivis ſupereſt inquirere; & hæ a Decreto interdictæ minime videntur, cujus diſpoſitio ſi ad feſtivas limitetur, non incongruam patitur expoſitionem, procedit ſiquidem de *Officio*, *& Miſſa*, ac conſequenter de Miſſa, quæ relationem ad officium habet, cujuſmodi dumtaxat eſt feſtiva. Verum quia univerſim per iterata Decreta Sacræ Congregationis de Beatis vetitum eſt Miſſas quaſcumque celebrari, niſi is in locis, & ab illis perſonis, quibus, & in quibus eſt ſpecialiter indultum, an de S. Roccho Miſſæ votivæ celebrari queant, quibus & in locis, & a quibus perſonis, non modica exurgit dubitatio; quam ut facilius dirimamus, inter Eccleſias S. Roccho dicatas, & non dicatas, diſtinguendum eſſe abitramur. Quantum autem ad Eccleſias in honorem S. Rocchi conſtructas, cum in his permiſſæ jam ſint Miſſæ feſtivæ, quæ ſunt ſolemniores, etiam votivas permiſſas eſſe cenſemus, præſertim in publicis & gravibus diſcrimioibus, ac neceſſitatibus, in quibus & Urbanum VIII. ſuperius diximus ſacrificaſſe. Non credimus tamen io iſtis Eccleſiis hujuſmodi Miſſas votivas paſſim, & levi de cauſa eſſe uſurpandas.

XXXIV. Quoniam vero ex antiquitate qoamplurima haud deſunt monumenta, ex quibus evincitur, de S. Roccho ab immemorabili præcedenter ad Decreta ſuper cultu Beatorum edita, etiam extra Eccleſias eidem dicatas, in publicis calamitatibus, & præſertim in iis, in quibus apprime validum, ac fidelibus proficuum ſuum non ſemel exhibuit patrocinium, Miſſas votivas celebratas extitiſſe, ejuſdem Reliquias in Proceſſionibus circumlatas, nomenque in publicis precibus invocatum, ac alia præſtita omnia cultus genera, quæ Sanctis Canonizatis exhiberi conſueſcunt, & Beatis præſtari inhibita ſunt, idcirco haud refragari poſſumus, quod cuncta præfata eodem modo, ac pacto adhuc reſpective celebrari, vel præſtari queant, in nihilo obſtantibus memoratis Decretis ſuper cultu Beatorum editis, quæ cultui ab immemorabili Beatis præſtito nullum præjudicium inferre velle ſe exprimunt, ac ſe expreſſe declarant.

XXXV. E contra autem, quia ſaltem quoad Miſſas votivas ab immemorabili præcedenter ad dicta Decreta S. Rocchum non credimus extra præfatas publicas calamitates cultum habere, & cultum Beatorum poſtmodum aliqua ex parte auctum, vel extenſum in priſtinum ſtatum reduci mandant Decreta S. Congregationis coram Alexandro VII. ſub die 27. Septembris 1659. edita, extra eaſdem publicas calamitates, ac extra Eccleſias in ejuſdem S. Rocchi honorem erectas, Miſſas votivas de eodem celebrari non poſſe ſentimus, quantumvis hujuſmodi cultus alicubi poſtmodum ut ſupra reperiatur invectus. Diximus *quoad Miſſas votivas*, quia quantum ad ejuſdem Reliquiarum publicam expoſitionem, ac delationem per Proceſſionem, & nominis in publicis precibus invocationem, cum hæc ab inſignibus Eccleſiis erga S. Rocchum adhuc extra prædictos caſus in præſentiarum præſtentur, & ab Eccleſiis, & in Eccleſiis, in quibus, & a quibus antecedenter mioime præſtabantur, præſtita fuiſſe legamus, nobis credere lubet, S. Rocchum ejuſdem cultus ubivis, & a quovis legitimam poſſeſſionem habere.

XXXVI. Quarto: per dictionem illam *Tantum* juxta ea, quæ dedimus explanantes ſuperiora Decreta, & daturi ſumus in expoſitione ſequentis, & alibi, minime excluſæ veniunt Eccleſiæ quæcumque unitæ, dependentes, & adnexæ, vel unum Capitulum, & Eccleſiam facientes cum Eccleſiis in honorem S. Rocchi conſtructis; de omnibus enim hujuſmodi Eccleſiis perinde loquendum eſt quoad Officium, & Miſſas de S. Roccho dicendas, ac locuti, & locuturi ſumus de Eccleſiis ipſis S. Roccho dicatis, ac de earumdem Clero. Pro quo Lector recolat, quæ ibidem dicta venere.

XXXVII. Quinto: Eadem dictio *Tantum* haudquaquam expellit confluentes Sacerdotes a celebratione Miſſæ de S. Roccho in Eccleſiis ejuſdem S. Rocchi, vel adnexis habenda, adeoque nedum Clerus earumdem Eccleſiarum, ſed Sacerdotes omnes ad eaſdem confluentes Miſſam de Sancto Roccho poterunt celebrare; Decretum enim abſolute, & ſimpliciter, nemine excluſo, facultatem facit dictam Miſſam celebrandi, & privilegio non perſonam aliquam, ſed Eccleſias decorat in gratiam occurrentis Titularis: ergo nedum Clerus ipſarum Eccleſiarum, ſed confluentes etiam omnes Sacerdotes eo uti poterunt, Miſſaſque feſtivas de S. Roccho celebrare, quæ licet haud conformes ſint officio, quod hi recitant, conſonant tamen cum officio, quod in iiſdem recurrit Eccleſiis. Eadem utique de cauſa poterunt quoque præfati confluentes in prædictis Eccleſiis officium divinum publice cum aliis decantare, licet poſtea pro ipſis non ſit ſatisfactorium præcepti, ſed pro ſolo Clero earumdem Eccleſiarum.

XXXVIII. Sexto. Dubium exurgit, an per ly *Tantum*, quatenus ſuper officium appellat, cenſeri poſſit inhibita facultas extra Eccleſias in honorem S. Rocchi ædificatas recitandi officium divinum de S. Roccho; non quidem a Clero dictarum Eccleſiarum, de quo jam diximus ſupra, ſed a cetero Clero? Hac in parte certum eſt primo, quod relate ad reliquum Clerum, quando dictum officium recitaretur, haudquaquam deſerviret pro adimpletione præcepti, cum ad ipſum non ſit ex officiis extenſis, aut conceſſis, & quilibet pro adimplendo præcepto debeat currenti officio indulgere, nec liceat loco officii debiti aliud ex devotione, vel arbitrio ſubrogare. Certum eſt ſecundo, quod a quolibet de S. Roccho poteſt privatim officium divinum ad propriæ indulgendum devotioni recitari, cum juxta Decreta memorata ſuper cultu Beatorum edita id fieri liceat etiam de quocumque Beato. Difficultas igitur reſtringitur ad publicam decantationem ejuſdem officii in Eccleſiis habendam; & dictæ difficultatis deciſio pendere videtur ex reſolutione, an officium, quod pro non ſatisfactione præcepti, ac conſequenter non nomine Eccleſiæ perſolvitur, publica recitatio cenſeri debeat, an potius privata, licet publice in Eccleſiis dicatur. At quoniam in publicis precibus dicta Decreta Beatos inhibent invocari, & in quibuſvis Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis privatis, recitandis particularia eorumdem ſuffragia apponi, vel recitari, certum eſt, de Beatis univerſim multo minus poſſe publice in Eccleſiis, pro quibus non eſt expreſſe indultum, divinum officium recitari. An autem idipſum dici debeat de S. Roccho, haud credimus, eo quod eſt ex Sanctis, qui ab immemorabili habent, quod in publicis precibus invocentur, quemadmodum ſuperius dicebamus, ubi & conceſſimus Miſſas votivas de eodem poſſe celebrari, ejuſdemque Reliquias publice exponi, & per Proceſſiones circumferri, quamvis hæc omnia de Beatis fieri univerſim vetita ſint.

XXXIX. Septimo. Si Sanctus Rocchus alicubi foret Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ly *Tantum* in præſenti Decreto poſitum haudquaquam excluderet omnes de Diœceſi a recitatione Officii, & Miſſæ celebratione; quia enim Rubricæ ferunt,

Digitized by Google

runt, quod de Titulari Eccleſiæ Officium duplex primæ claſſis cum Octava in propria Eccleſia celebretur, ita faciendum eſſe itidem de S. Roccho pronuntiant præſens, & alia Decreta: ergo cum Deciſiones Congregationum iterato habeant, quod de Titulari Eccleſiæ Cathedralis per univerſam Diœceſim fiat Officium, ideo nec dubitamus, quod in caſu per totam Diœceſim de S. Roccho fieri deberet, & in quibuſcumque Eccleſiis de eodem Miſſa celebrari. Idem dicendum eſt, ubi foret loci Patronus.

XL. *Ad ejus honorem Deo dicatis* ſunt poſteriora verba Decreti, a quibus de duobus inſtruimur, quorum primum eſt, quod Templa primario dicantur ſoli Deo, & pertinent ad cultum Latriæ, ſecundario autem Sanctis, & ſub hoc reſpectu, quatenus Dedicatio refertur ad Sanctos, continet cultum Duliæ quo Sanctos, & Dei Amicos veneramur: hinc merito aſſerit Baruffaldus *in Comment. ad Rituale Rom.*, quod eliminandus venit abuſus illorum, qui in fronte Eccleſiarum Titulum, & Epigraphem imponunt hujuſmodi, & quidem literis cubitalibus, ex. gr. *Deo, Divoque N. Titulari Sancto*, dicitque, quod Tituli Eccleſiarum hoc pacto inſcribi deberent juxta ſaniorem doctrinam, *Deo in honorem Sancti N.*, de quo teſtimonium habetur in Majori Baſilica S. Petri de Urbe, cujus frons ita ſonat: *In honorem Principis Apoſtolorum*. Hic agendi modus videtur probari per recenſita verba præſentis Decreti, *Ad ejus honorem Deo dicatis*, vel prout tenet Decretum ex Gavanto productum, *In honorem ejuſdem dedicatis*, necnon quod retulimus ex Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifice Maximo, *In ejus honorem ædificatæ*, ad quem cohærenter loquendi modum intelligendum venit Decretum S. R. C. 10. Januarii 1693. aſſerens, *In propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis*, & non aliter, aut alio modo.

XLI. Secundum, de quo inſtructi manemus, eſt, quod per Sacram Congregationem nedum approbantur Eccleſiæ in honorem Sancti Rocchi, etſi ex Sanctis Canonizatis non ſit, jam ædificatæ, ſed adhuc de novo ædificandæ, & hoc nedum ex vi verborum Decretorum mox laudatorum, ſed adhuc præſertim ex iis, quæ ſuperius dedimus agentes de Ditionibus Magni Ducis Etruriæ petentibus ad eaſdem Officium Sancti Rocchi extendi.

XLII. Dices: Habetur in Decretis coram Alex. VII. per S. Congregationem die 27. Septembris 1659. editis: *Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum octavis celebrentur*; ibi autem *Patronus* ſtat & pro Protectore principali loci, & pro Titulari Eccleſiæ, cum utriuſque Natalitia cum Octava celebrentur; Non licebit itaque in poſterum S. Roccho Eccleſias dicari.

XLIII. ℞. Memorata Decreta non procedere de iis Beatis, qui licet cum nec per formalem, nec æquipollentem Canonizationem fuerint inter Sanctos adſcripti, ſolummodo quidem Beati ſunt, ſed tamen in Eccleſia Univerſali titulo Sanctorum coluntur, & præcedenter adhuc ad dicta Decreta ab immemorabili cultum Eccleſiarum ſibi dicatarum, & electionis in Patronos paſſim in Eccleſia ſortiti fuerunt, cujuſmodi eſt B. Rocchus, qui titulo *Sancti* a præſenti ipſo Decreto inſignitur, *& tamquam Sanctus in maxima veneratione penes omnes Chriſtifideles ſemper eſt habitus*, uti profatur aliud ſupra laudatum ejuſdem Congregationis Decretum, & aliunde ſatis conſtans eſt, quod ab immemorabili habet Altaria, & Eccleſias in ſuum honorem erectas; cum enim in contrarium adducta ipſa Decreta, necnon ea Urbani VIII. in nullo velle præjudicare ſe exprimant iis, qui ab immemorabili cultum aliquem habuerunt, utique patens fit, quod Beati hujuſmodi, qui in Eccleſia Univerſali titulum Sanctorum obtinent, & cultum aut Eccleſiarum ſibi dedicatarum, aut ſui electionis in Patronum ut ſupra habuere, ab hocce jure minime deciderunt, ſed adhuc integrum eſt, eoſdem vel in Titulares, aut in Patronos Eccleſiarum aſſumi, & conſequenter eorumdem Natalitia cum Octavis celebrare, quemadmodum expreſſe de S. Roccho faciendum eſſe diſponit S. R. C. in Decreto ſuperius laudato de die 10. Janu. 1693., ubi eſt Titularis, & univerſim præſcribunt de Titularibus cunctis Rubricæ ipſæ Breviarii.

XLIV. Inferes ex his Beatos reliquos, qui cultum ut ſupra ab immemorabili præcedenter non habent, in Eccleſiarum Patronos, ſeu Titulos aſſumi non poſſe; & quidem tametſi in Eccleſia aliqua particulari *titulo Sanctorum* gauderent, & forent exculti; in primo enim Decreto ſequentis Capitis videbimus, a Sacra Congregatione exigi, ut *in Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colantur*, qui in Patronos locorum eligi debent, quod itidem ob parem cauſam ad Titulares Eccleſiarum eſt extendendum. Uti autem hocce Decretum eſt ſolum pro Patronis de cetero eligendis, & parcit iis, qui præcedenter erant electi, ita de Titularibus ratiocinandum eſſe putamus, ut in poſterum haud licitum ſit, aliquos ex non Canonizatis in Titulares Eccleſiarum aſſumi, verum ſi qui præcedenter extiterint aſſumpti, haudquaquam mutent, ſed in ſolido maneant ſtatu.

XLV. Quæres, an hujuſmodi Beati forent cum Officio primæ claſſis, ac cum Octava colendi? ℞. utique; de Titulari enim Eccleſiæ ita faciendum eſſe Romani mandant Rubricæ Breviarii, a quarum præſcriptis haud licet Romano Clero deflectere, quapropter hoc ipſo, quod rite illi manent Eccleſiarum Titulares, aut Patroni, & rite licitum eſt, eorumdem Officio ut ſupra indulgere, quinimmo nedum licitum eſt, ſed dictum Officium ponitur in præcepto. Videantur quæ in ſequenti Capite dabuntur, ubi ſermo erit de Patronis locorum, quæ proportione ſervata itidem currunt de Eccleſiarum Titularibus.

XLVI. Aſt quid ſi habeantur quidem in Eccleſiarum Titulares, ſed numquam de iiſdem recitatum fuerit Officium, aut ab ejuſdem celebratione deſitum fuerit? Poteritne de novo induci, aut reſtaurari? ℞. affirmative, quia præfatæ inductionis, vel reſtaurationis legitimus titulus habetur in Romanis Rubricis, a quarum obſervantia haud ſe poteſt Romanus Clerus eximere; unde uti dicemus in Decreto ſequenti, neque prædictæ inductioni, vel reſtaurationi contrariatur Decretum S. R. C. 8. Aprilis 1628. poſt Bullam Pii V. aliquod Officium de novo invehi inhibens, quoniam procedit *exceptis iis, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*, cujuſmodi proculdubio ſunt Officia Titularium, & Patronorum Eccleſiarum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XXIV.

Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum Officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, ſeu ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. 8. Aprilis 1628. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 60.

I. Irrepſerat in Terras Italiæ abuſus celebrandi Feſtum novem lectionum ſola Epiſcopi auctoritate pro omni Sancto habente Eccleſiam, vel Corpus in loco, & hujuſmodi conſuetudinis extat adhuc veſtigium quoddam in inclyta Venetiarum Civitate, ubi de Sancto quolibet, in cujus honorem reperitur erecta Eccleſia aliqua, aut ejuſdem inſignis cuſtoditur Reliquia, Officium novem lectionum inſtituitur. Diximus *& hujuſmodi conſuetudinis*, & non *abuſus*, eo quod ſi abuſus ille erat relate ad cetera Italiæ loca, abuſus non eſt reſpective ad Venetiarum Urbem, qualiter ejuſmodi Kalendarium per hæc verba nos admonet: *Secundum Conſtitutiones Synodales Solemnitates Sanctorum habentium Eccleſias in Civitate, & Diœceſi Venetiarum debent ab omnibus celebrari ſolemniter cum Officio novem lectionum, & hoc Decretum fuit firmatum denuo auctoritate Sedis Apoſtolicæ; & ſimiliter celebratur Officium eorum Sanctorum, quorum Corpora in Eccleſiis Diœceſis Venetiarum requieſcunt, ſecundum conſuetudinem Patriarchalis Eccleſiæ prædictæ, & etiam ex Indulto Sedis Apoſtolicæ.*

II. Præfatus abuſus ad aures Sacræ Congregationis devenit, quæ pro ejuſdem eliminatione die 16. Januarii 1627. formavit Decretum quoddam ſequentibus verbis conceptum: *Propoſiti ſunt Sanctiſſimo, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſi abuſus duo in Terris Italiæ introducti, qui eſſent reformatione digni. Primus eſt celebrandi Feſtum novem lectionum ſola Epiſcopi auctoritate pro omni Sancto habente Eccleſiam, vel Corpus in loco; unde fit, ut pauci dies feriarum remaneant, & omittatur officium parvum Beatæ Mariæ. Ad quod Sacra Congregatio reſpondit, talia feſta celebranda eſſe dumtaxat in Eccleſia Titulari, vel in qua adſit inſignis Reliquia illius Sancti, & declaretur, quæ dicatur inſignis & de hoc fiat Decretum de mandato Sanctiſſimi, & mittatur per manus. Alter abuſus &c.*

III. In hujuſce conſequentiam Decreti aliud ſub die 8. Aprilis 1628. ab eadem Congregatione Generale prodiit Decretum, ab Urbano VIII. laudatum, & approbatum, & de ejuſdem mandato in Breviariorum fronte appoſitum, in quo in primis declaratum extitit; *Non potuiſſe nec poſſe poſt Bullam Pii V. Locorum Ordinarios addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur &c.* 2. Vetuit, & prohibuit *celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum officio eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia &c.*, ut in Decreto, quod explanandum ſuſcepimus; & inſuper declaravit, quæ ſit inſignis Reliquia, vi cujus in Eccleſia, in qua aſſervatur, officium inſtitui poteſt.

IV. Hocce Decretum, in quantum declarat Locorum Ordinarios non poſſe addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, dabitur & exponetur in Capite de Additione Breviario fieri vetita, prout vero in eo ſermo eſt de officio inſtituendo ratione Corporis, vel inſignis Reliquiæ, uberem explanationem ſuſcipiet in Cap. IV. nunc enim de eo, prout ad præſens attinet Caput, vetat per Civitatem, & Diœceſim officium facere de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia illi dicata, dumtaxat ad confuſionem vitandam ſumimus agendum.

V. Vetat igitur, ac prohibet Sacra Congregatio, *Celebrari per totam Civitatem, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate* (hi enim poſt Bullam Pii V. nullam habent auctoritatem circa ea, quæ ſpectant ad divinum officium, ut ſuo loco dicetur) *Feſtum cum officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, & non alibi*. Non eſt, cur aliquam hujuſce afferamus rationem diſpoſitionis, cum jam addu-

addoctæ ea fuerit in ſupracitato priori Decreto de die 16. Januarii 1627.; videlicet, quia inde fiebat, *ut pauci dies feriarum remanerent, & omitteretur officium parvum Beatæ Mariæ*; ſeu ut loquitur Gregorius XIII. in ſuis literis *Paſtoralis officii* die 30. Decembris 1573. expeditis, in quibus reſtringit favorem conceſſum a Pio V. Eccleſiis Hiſpaniæ celebrandi officium de cunctis Sanctis propriis illius Provinciæ, & de quibus habebatur Corpus, vel notabilis Reliquia, ſeu potius ejuſdem mentem interpretatur; *Cum Prædeceſſor prædictus indiſtincte conceſſerit, ut Eccleſiæ Hiſpaniæ poſſent celebrare officia propria Sanctorum illius Provinciæ, illique plures ſint numero, ex hoc ſequebatur*, (notentur hæc verba) *ut officium majoris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii fere ſubverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædeceſſoris prædicti mentem ſano modo interpretantes, declaramus &c.*

VI. In præfatum abuſum vehementer invehit etiam Gavantus *ſect. 3. cap. 3. num. 5.*, ubi hæc habet verba; *De Sancto, cujus habetur Eccleſia Abbatialis, Parochialis, vel Regularium, vel Monialium, hoc ſolo titulo, fiebat ante annos tres ſemiduplex in multis locis, & neſcio quo jure, nam Officium feriale fere totum omittebatur cum Officio Beatæ Virginis in Choro, & Defunctorum, & quod magis dolebam, feriarum Quadrageſimæ, a quibus antiqui removebant feſta Sanctorum, & a quibus in recognitione Breviarii Octavæ ſunt excluſæ, contra quos acerrime invehitur Radulphus propoſ. 17. ea potiſſimum ratione, quod tollitur continuatio & recitatio totius Pſalterii; & feriale Officium, inquit, Domini Officium eſt, quod a quocumque Servo non debet obrui. Videant Epiſcopi, ne pluralitate feſtorum fiat injuria Officio feriali Domini Dei noſtri. Sed ecce, Deo dante ſublatus eſt abuſus a Sacra Rituum Congregatione Decreto edito &c.* & ibidem recenſet preſens Decretum.

VII. Habet autem hec Sanctio in ipſis Rubricis fundamentum, quæ quoties de Titulari Officium demandant, in ſola quoque Eccleſia, cujus eſt Titularis, faciendum eſſe non obſcure pronunciant. En Rubrica IV. de Dominicis num. 1. *Niſi illud Feſtum ſit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Eccleſiæ, vel loci, aut Dedicatione propria Eccleſiæ, quia tunc de hujuſmodi feſto fit tantum in Eccleſia, vel loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio.* Idipſum præſcribit Rubrica IX. *de Commem. num.* 3. Haud inficias eo, quod hujuſmodi Rubricæ ſuam paterentur explicationem, quatenus firmant de titulari Eccleſiæ Officium duplex primæ claſſis, ubi in ceteris Eccleſiis ſub ritu inferiori recitabatur. Aſt cum Rubricæ ubicumque de Titulari profantur, ſemper eidem Officium duplex primæ claſſis adſcribant, nec recognoſcant Officium de Titulari ſub inferiori ritu celebrandum, ut percurrenti eaſdem Rubricas dilucido conſtabit, proculdubio dicendum, venit, quod hujuſmodi Officia de Titulari ſub inferiori ritu, ab iiſdem ſint minime permiſſa, alias alicubi indicata. Inſtat jam tempus, ſuas Decreto adhibeamus reflexiones.

VIII. Habet itaque Decretum *Feſtum cum Officio*, ut deſignet inhiberi inſtitui feſtum Chori, ſeu Officium recitari, non autem feſtum fori, ſeu ex devotione feſtivari, vel ſolemnitatem ſine Officio celebrari. Conſulto itidem poſitum fuit *Feſtum cum Officio*, per quod venit quodcumque Officium ſub quocumque ritu celebretur; & hoc ad eliminandos quoſcumque abuſus, qui introducti eſſe, vel introduci potuerit, vel celebrandi dicta feſta cum officio ſemiduplici, uti communis uſus ferebat, vel ſub altiori ritu, vel adhuc demiſſiori, ſcilicet ſimplici; ſi enim poſitum extitiſſet *Officium, vel Feſtum novem lectionum*, qualiter ſe exprimit Decretum prius emanatum die 16. Januarii 1627., obviam quidem itum fuiſſet abuſui, qui in Eccleſiis habebatur, nec celebrari potuiſſet de prædictis Sanctis Officium ſub ritu ſemiduplici, aut quocumque alio ſuperiori ritu; aſt dubitari poterat, num de dictis Sanctis adhuc inſtitui poſſet Officium ſimplex, ſeu trium lectionum, dum duntaxat Officium novem lectionum de iiſdem fieri vetatur. Ad tollendos igitur quoſcumque abuſus, qui jam irrepſerant, vel irrepere poterant, ubi prius Decretum habet *Talia feſta*, ſcilicet *Feſtum novem lectionum*, quorum inſtitutio ibidem ex abuſu aſſeritur habita, ex induſtria præſens poſuit Sanctio *Feſtum cum Officio*, per quod venit etiam feſtum, ſeu Officium trium lectionum, & ſimplici ritu celebratum.

IX. Eccleſias Parochialem, Regularem, & Abbatialem Decretum nominat, nec verbum habet de cathedrali; quid ita? Niſi quia feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis vult fieri per totam Civitatem, & Diœceſim, prout cenſuit ſæpius ipſamet Rituum Congregatio. Cauſa, cur Feſta Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in ceteris Civitatis, & Diœceſis Eccleſiis fieri debeant, non eſt ipſa præſentia Eccleſiæ Cathedralis in loco, alioquin etiam de hujuſmodi feſtis aliarum Eccleſiarum exiſtentium in loco Officium foret faciendum, ſed eſt ejuſdem in ſubjectas juriſdictio: quam utique juriſdictionem non habent, ſaltem ordinarie, iſtæ aliæ Eccleſiæ. Quod ſi aliquas habere continget; quidni pari & ipſæ jure circa ſua Feſta propria potiantur? Legantur quæ de hujuſmodi Eccleſiis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, & inſtar Cathedralium inſpectis, dicta ſunt in Decreto ſexto Capitis primi pro earumdem Dedicationis feſto relate ad ſubjectas Eccleſias; neque enim producunt de Feſto Sancti Titularis. Quinimmo & quæ in eodem Capite ſparſim diximus, & præſertim in decreto XV. ejuſdem Capitis de Eccleſiis, quarum Dedicatio ad alias protenditur, ne eadem incaſſum hic repetamus, dicta etiam volumus de earumdem Titulari, ita quod quarum Eccleſiarum Dedicationis feſtum extenditur, & prout extenditur, ita pariformiter etiam earumdem Titularis feſtum extendatur: & quidem abſque ulla præſentis Sanctionis læſione; quæ dictas proculdubio patitur exceptiones, ſeu præfatos minime comprehendit caſus, ut etiam a longe perpendenti vim, & verba Decreti diſerte patebit.

X. Per hoc autem, quod Decretum Eccleſias *Parochialem, vel Regularem, vel Abbatialem* duntaxat numeret, non eſt locus inferendi, quod Officium ut ſupra fieri queat de Sancto, de quo in loco habeatur Eccleſia aliqua, puta alicujus Confraternitatis, vel Conſervatorii Puellarum, aut aliquod publicum Oratorium; quis enim niſi inſipiens, & bardus ita argumentabitur? Duabus de cauſis Eccleſias duntaxat Parochialem, Regularem, & Abbatialem Decretum nominat, videlicet tum quia abuſus, qui irrepſerat, erat ſolummodo celebrandi de Sancto, de quo in loco habebatur aliqua ex præfatis Eccleſiis, uti nos monet Gavantus ſuperius laudatus. Tum quia dum nobiliores, & inſigniores Eccleſias excluſerat, numquam excogitavit, in alicujus mentem venire poſſe, de Sanctis habentibus in loco publica Oratoria, vel longe ignobiliores Eccleſias Officium inſtitui poſſe. Licuit autem nobis ex ſilentio Eccleſiæ Cathedralis inferre hanc minime in Decreto comprehendi, quia Cathedralis præfatis nobilior eſt, & loci primaria, & præcipua, ac particularem habens rationem, adeoque & ſpeciali nota digna; ab excluſione vero Eccleſiarum nobiliorum, & inſigniorum, de quibus proculdubio potior ratio procederet, valet argumentum ad excluſionem Eccleſiarum, & Ordinandorum minus nobilium, & inſignium, cujuſmodi ſunt Parochiales, Regulares, Abbatiales, ad excluſionem Eccleſiæ nobilioris, & loci primariæ, & particularem habentis rationem, qualis eſt Eccleſia Cathedralis, quinimmo ex hujus ſilentio, cum potiſſimum nominari debuiſſet, ſi excludi voluiſſet, quis non videt optime argui poſſe, Decretum minime voluiſſe eam incluſam? Hac igitur de cauſa in præſenti Decreto Eccleſia Cathedralis excepta non fuit, ſed verior non exceptionis ratio extitit quia intentum fuit tollere abuſum, qui in Terras Italiæ irrepſerat; hujuſmodi autem abuſus, uti dicebamus, ſitus erat in celebrando feſtum novem lectionum de Sancto, de quo in loco habebatur Eccleſia Parochialis, Regularis, vel Abbatialis, non autem de Sancto Titulari Eccleſiæ Cathedralis, quoniam hic abuſus non eſt, ſed ſancta conſuetudo per quamplurimas Sanctiones probata, atque firmata.

XI. Intentum Decreti, negari non poteſt, fuit tollere abuſum præfatum *celebrandi per totam Civitatem, vel Diœceſim feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adeſſet Eccleſia Parochialis*, unde adhuc dubium remanet, an de Titulo Eccleſiæ Parochialis fieri poſſit, & debeat, non quidem per totam Civitatem, & Diœceſim, ſed intra limites ejuſdem Eccleſiæ Parochialis, ſeu per omnes Eccleſiæ, & loca, ad quæ juriſdictio dictæ Parochialis Eccleſiæ extenditur? Verum cum hoc ſit diſerte declaratum in Decreto 17. Auguſti 1709., de quo in cap. præcedenti, idcirco modo nec minimus ſupereſt dubitandi locus, quod de dicto Titulo per loca, ad quæ protenditur Parochialis juriſdictio, minime fieri valet, ſed ſolum in ipſa Parochiali Eccleſia, & a Clero addicto ſervitiis ejuſdem Eccleſiæ, vel in ea beneficium habente. Præterire tamen haud poſſumus, quod idipſum ſtabilitum remanet per præſentem utique Sanctionem; non ſolum enim inhibet *celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim feſtum cum Officio, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis*, ſed inſuper ſtatuit, celebrandum illud eſſe *tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, & non alibi*; quis autem non videt, quod per ejuſmodi verba Feſtum Tituli Eccleſiæ Parochialis ita coercetur intra limites Eccleſiæ Parochialis, ut ad ceteras Eccleſias, vel Sacerdotes in Parochia exiſtentes haudquaquam extendatur? Hoc enim proculdubio deſignant, & particula illa *Tantum*, quæ, ut pluribus juribus, & Auctoribus allegatis refert Barboſa *de Dictionibus dict.* 402., taxativa eſt, includens expreſſum, & reliqua excludens, necnon verba illa *& non alibi*, quæ etiam expreſſe reliqua cuncta loca, & Eccleſias expellit.

XII. Hæc facere videntur contra id, quod ſuperius diximus de Eccleſiis Parochialibus, Regularibus, & Abbatialibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in alias habentibus, quarum Tituli feſtum ad ſubjectas Eccleſias protendi dicebamus; res tamen non ita ſe habet: Tum quia in Decreto ſermo non eſt de hujuſmodi Eccleſiis, ſed de aliis ejuſdem generis ordinario, & regulariter ſe habentibus. Tum quia abuſus, quem reprobat, erat facere Officium, non de dictis Eccleſiis ea ratione, ac juriſdictione prædictis, ſed aliis ordinariis, & regularibus. Tum quia dum ſaltem implicite in exceptis ponit Eccleſiam Cathedralem, in exceptis quoque habet Eccleſias quaſcumque inſtar Cathedralium ſe habentes. Tum denique quia dictio *Tantum*, uti animadvertit ibidem Barboſa, non excludit caſus ſimiles, & in quibus eadem eſt æquitas, & ratio.

XIII. Facere itidem poſſe videntur contra ea, quæ dedimus in Decreto 13. Capitis primi, ubi Feſtum Dedicationis, & conſequenter etiam Tituli, Eccleſiæ alicujus Regularis, vel alte-

alterius cujuſcumque extendimus etiam ad Eccleſias unam cum illa Capitulum facientes, vel adnexas, & acceſſorie ad illam ſe habentes, quinimmo & deſertas, ſed ſub juriſdictione, & dependentia integre manentes. Non faciunt reipſa tamen: Tum quia vel hujuſmodi Eccleſiæ unum Capitulum facientes, unitæ, & adnexæ, & dependentes *pro una, & eadem Eccleſia* recenſentur, vel omnes reputantur *propriæ Eccleſia*, & propriæ Eccleſiæ feſta tum Tituli, tum Dedicationis ex Rubricis ſunt in præcepto. Tum quia dictio *Tantum* etſi excludat diverſa, & non ſeparata, non autem connexa, & pertinentia ad diſpoſitionem expreſſam, ut cenſuit Menochius *conſ.* 705. *num.* 22. & Rota *deciſ.* 442. *num.* 3. apud Farin. *part.* 2. *recent.* quapropter Feſtum Tituli cenſetur fieri in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, & non alibi, dum celebrantur in Eccleſiis adnexis, & pertinentibus ad Eccleſiam ipſiuſmet Titularis.

XIV. Diximus abuſum, qui in Terras Italiæ irrepſerat, exercitum extitiſſe in celebrando Officium de Sancto, cujus Eccleſia aliqua Abbatialis, Regulaeis, vel Parochialis foret in loco. Contra quod quidem facere videtur Decretum ſuperius adductum de die 16. Januarii 1627. quod dictum recenſens abuſum, *fuiſſe celebrandi Officium novem lectionum pro omni Sancta habente Eccleſiam in loco*, abſolute, & ſimpliciter enunciat, adeoque & de iis, qui habebant Eccleſiam aliquam, licet nec Abbatialem, nec Regulaeem, nec Parochialem. Verum rem ita eſſe, quemadmodum nos aſſeruimus, jam liquet ex Gavanto ſuperius laudato, necnon ex præcedenti Decreto, quod illudmet eſt, quod de mandato Sanctiſſimi faciendum eſſe, & mittendum per manus, ab illo præſcribitur, ac conſequenter factum præſumitur ſignanter ad eliminandum abuſum, qui irrepſerat, & qui jam proſcriptus fuerat. Etſi autem abuſus ille amplior extitiſſet, & comprehendiſſet Sanctum quemcumque habentem Eccleſiam, adhuc, ut dicebamus, ſufficienter ablegatus fuiſſet per præſens Decretum, dum nobiliores Eccleſias excludit, & de Sancto Titulari *tantum in ipſius Eccleſia*, & non alibi, fieri poſſe edicit.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XXV.

De Patrono, ſeu Titulari Eccleſiæ debet fieri Officium ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava a Clero eidem adſcripto, etiamſi Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Cappuccinorum Provinciæ Lugdunen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 343.

I. QUæſtio inter Auctores inſtituitur num celebrari poſſit, & debeat feſtum Dedicationis illius Eccleſiæ, quam conſtat non fuiſſe conſecratam, ſed tantummodo benedictam. Hujuſmodi quæſtionem agitavimus in Decreto quinto præcedentis Capitis, & ibidem vidimus in utramque partem verſari Doctores, licet opinio negativa, tamquam conformior Sacræ Congregationis Reſolutionibus, rationi, & auctoritati, a nobis delecta fuerit. Nunc inſurgit difficultas de Patrono, ſeu Titulari earumdem Eccleſiarum, quæ conſecratæ non ſunt, ſed tantummodo benedictæ, an videlicet Officium de illo recitaei poſſit, & debeat, prout faciendum eſſe de Titulari propriæ Eccleſiæ paſſim mandant Rubricæ, ſub ritu ſcilicet primæ claſſis, & cum octava, an vero Rubricarum ſenſus coercitus ſit ad Titulum Eccleſiæ conſecratæ? De hoc enim dubitari non poteſt, quod Officium duplex primæ claſſis, & cum octava debeat celebrari, quoniam Rubricarum mandatum de ita recolendo Patrono, ſeu Titulaei propriæ Eccleſiæ ſi de aliquo debet verificari, proculdubio veritatem debet habere in Titulo Eccleſiæ conſecratæ, utpote cui nihil deeſt tum ex parte ipſius Tituli, tum ex parte ipſius Eccleſiæ, quominus Titulus Eccleſiæ in omni eigore ſit, & denominari valeat.

II. Hac in quæſtione dicendum videtur, quod de Titulo Eccleſiæ, quæ conſecrata non eſt, ſed tantummodo benedicta, Officium fieri non liceat. 1. Quia & de Eccleſia ſolummodo benedicta Feſtum Dedicationis fieri non valet, ergo nec de Titulari, hæc etenim feſta videntur ſibi mutuo correſpondere. 2. Uti Rubricæ præſcribunt Feſtum de Titulari Eccleſiæ, ita de ejuſdem Dedicatione, ſed licet Dedicatio, utpote, quæ ex terminis ipſis non importat, niſi alicujus loci profani ad divinum cultum mancipationem, æque habeatue per benedictionem, adhuc Eccleſia dumtaxat benedicta non cenſetue ita cultui divino deſtinata, ut ejuſdem Dedicationis feſtum valeat recenſeri, ergo & Titulus Eccleſiæ tantum benedictæ, etſi Titulus Eccleſiæ vere dici queat, utpote qui Eccleſiam intitulat, & denominat, adhuc talis Titulus non erit, ut de eo Officium valeat recitari. 3. Quia quando conſecratur Eccleſia, non ſemel dicitur conſecraei in honorem, nomen, & memoriam Sancti N., ergo antecedenter Sanctus ille non erat vere, & perfecte Titularis.

III. His tamen haudquaquam obſtantibus Sacra Congregatio cenſuit in oppoſitum, firmavitque in præſenti Decreto, quod de Titulari Eccleſiæ fieri debet Officium primæ claſſis, & cum octava, tametſi Eccleſia non ſit conſecrata, ſed tantummodo benedicta. Conſonat hæc Sanctio iis, quæ tradunt Guyetus *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 5., Meratus, *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei benedict. obſerv.* 9. *ſect.* 4. *num.* 213. ubi citat etiam Paulum a S. Joan. *Ceremonial. lib.* 4. *cap.* 20. & Biſſum *in Hierurg. lit.* F. *num.* 54. §. 3. *& lit.* F. *num.* 64. §. 1.

IV. Probat id Guyetus, quia *in Pontificali Romano, ubi de benedictione, & impoſitione primarii lapidis pro ædificanda Eccleſia agitur, præcipitur in quadam oratione nominari Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundatur ipſa Eccleſia; hinc conſequens omnino videtur Titulum illum exinde valere, ac veluti ipſi acquiri; adeoque ubi primum ædificata, convenienti ſaltem ex parte, ac benedicta fuerit, & incipiant in ea celebrari divina officia, poterit quoque, immo debebit fieri feſtum de Titulo, ſeu Patrono ipſius. Quod & uſu ipſo confirmatur, nam, cum multa ſint variis in locis Eccleſiæ, quas conſtat ab exordio non fuiſſe conſecratas, eæ tamen ſui Tituli, ſeu Patroni, a quo nuncupatur, feſtum quotannis celebrare conſueverunt. Non tamen id faciendum putaverim, quam cetera ibidem cœperint Eccleſiaſtica munia obiri; quod utique fas non eſt, ante ipſius Eccleſiæ ædificationem, ac benedictionem.* Hæc Guyetus ibidem, & quidem nedum nominatur Sanctus, in cujus honorem ædificanda eſt Eccleſia, dum agitur de impoſitione, & benedictione primarii lapidis, ſed etiam quando benedicitur domus ipſa jam conſtructa juxta præſcriptum Ritualis Romani *tit.* 72. §. 5. hiſce expreſſis verbis, *Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit:* Ut hanc Eccleſiam, & Altare ad honorem tuum, & honorem Sancti tui N. &c.

V. Quod autem celebrari non poſſit Feſtum Tituli, cum primum impoſitus eſt lapis primarius pro Eccleſia ædificanda, & benedictus eſt locus, in quo ea debet conſtrui, licet nomen Sancti prædicti in ea functione adhibeatur, patens utique ſit ex terminis ipſis, nam Feſtum, quod per Rubricas celebrari præcipitue, eſt Feſtum de Titulo Eccleſiæ, tunc autem Sanctus ille non poteſt eſſe Titulus Eccleſię, cum Eccleſia nondum conſtructa ſit, ſed adhuc conſtruenda, & inſuper domus ipſa jam conſtructa vere dici non poteſt Eccleſia, ſeu locus ſacer, cum ita reddatue per ipſam benedictionem ejuſdem domus jam conſtructę. Solum itaque conſtructa jam domo, & per benedictionem reddita ſacra, ac apta, quo in ea poſſint divina officia obiri, feſtum de Titulo ejuſdem celebrari valet, & Sanctus ille vere, & proprie dici Titulus Eccleſię illius.

VI. Confirmatur primo, quoniam Rubricę, dum mandant Feſtum Tituli, abſolute pronunciant *Tituli Eccleſiæ*, & nullibi nec directe, nec indirecte inſinuant, quod Eccleſia debeat eſſe conſecrata: cum itaque Eccleſia hoc ipſo, quod eſt benedicta, ſit vere Eccleſia, & intitulata veniat, ac denominata a nomine Sancti in cujus honorem eſt benedicta, unde dicitur v. g. Eccleſia S. Petri, non minus ac quando eſt conſecrata, ideo non videtur, cur feſtum Tituli Eccleſię ſolum benedictę fieri non debeat.

VII. Confirmatur 2., quoniam juxta ea, quæ tradidimus in præliminaeibus hujus Capitis, ac univerſaliter docent Auctores, & preſertim Gavantus, & Guyetus, Titulus Eccleſiæ eſt ille Sanctus vel res, ſub cujus nomine, ſeu titulo fundata eſt, & vulgo appellatur Eccleſia; quod enim eſt homini baptizato nomen impoſitum, hoc idem eſt Eccleſię Patronus, ſeu Titulus, quo videlicet ipſa nuncupatur, & ab aliis Eccleſiis proprio veluti nomine dignoſcitur; Sed Eccleſia hoc ipſo, quod benedicta eſt, denominationem habet a Sancto, in cujus honorem eſt benedicta, non minus ac quando eſt conſecrata: ergo in omni omnino rigore Sanctus ille ejuſdem *Titulus* eſt. Non minus item *Patronus* vere dici valet, quoniam hoc ipſo patrocinium ſuſcipit nedum illius, qui in ſui honorem Eccleſiam conſtruxit, & fundavit, ac eorum, qui in ea Eccleſia ſortem deinceps habere continget, ſed etiam Eccleſiæ ipſius materialis, quam propterea de domo profana ſacram ſuo nomine vindicat, facitque eam omnium, quæ Eccleſiis jure canonico, ac civili tributæ ſunt, immunitatum participem, quinimmo ſpecialiter, non minus ac fi conſecrata foret, illi aſſulit, tutaturque evidentibus etiam, ut non ſemel evenit, miraculis, ac in prophanatores ſevere animadvertit.

VIII. Ad primum igitur ſuperius in oppoſitum productum dicimus; non ideo celebrari Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, quæ conſecrata non fuit, ſed ſolum benedicta, quia feſtum Dedicaeionis inſtitutum fuit in annuam recenſionem Conſecrationis jam peractæ, quemadmodum oſtendunt momenta in Decreto quinto præcedentis Capitis adducta; Feſtum autem Tituli eſt in memoriam, & cultum Sancti illius, qui aſſumptus eſt in Patronum Eccleſiæ formalis, & materialis, ac materialem Eccleſiam denominat, & ideo cum hæc omnia abunde habetur, tametſi Eccleſia conſecrata non ſit, ſed ſolum benedicta, ideo Feſtum, & officium de Titulo, ſeu Patrono Eccleſiæ nihilominus inſtitui debet. Solum itaque ſibi correſpondent Feſta Tituli, & Dedicationis, quoties Eccleſia eſt conſecrata, non autem quando eſt ſolummodo benedicta, ſed tunc ſtat Feſtum Tituli, licet non ſtet Feſtum Dedicationis. Non imus tamen inficias, quod & Feſtum in memoriam Benedictionis inſtitui potuiſſet; verum cum Majoribus illud inſtituere non placuerit ob rationem, quam ſtatim proferemus, idcirco nec nobis illud inſtituere licet.

IX. Ad 2. Jam patet ex modo dictis, eemanet modo videamus, cue feſtum ſolummodo in memoriam Conſecrationis, & non Benedictionis Eccleſiæ a Majoribus fuerit demandatum. Sciendum eſt igitur, quod antiqua Eccleſiæ diſciplina ferebat, nonniſi in Eccleſiis conſecratis Miſſas celebrare licere, quemadmodum pluribus oſtenſum fuit in Decreto primo præcedentis,

Digitized by Google

tis, & deducitur ex *Cap. Tabernaculum*, *Cap. ſicut non alii*, *Cap. Nullus Presbyter de conſecr.* ac communiter ſentiunt Auctores, quarum plures apud Barboſam *ad Cap. Miſſar. num.* 1., licet poſtea reddita rara, ac difficili Eccleſiarum Conſecratione, permiſſum fuerit celebrare etiam in quolibet loco ſacro per ſimplicem benedictionem ad cultum Dei deſtinato, quæ tamen benedictio, uti bene ait Baruffaldus *in Comment. ad Rituale Rom. tit.* 72. *n.* 88., eſt in ſubſidium, & ad modum proviſionis, non autem de natura loci tam digni, qui de jure conſecrandus eſt, ſicuti edocet Rituale ipſum Romanum *tit.* 72. §. 13. per hæc verba: *Eccleſia vero quamvis a ſimplici Sacerdote, ut ſupra, ſit benedicta, ab Epiſcopo tamen conſecranda eſt*; & ſtrictius, & rigoroſius Caſtaldus apud Baruffaldum loco citato: *Eccleſia autem hoc modo a ſimplici Sacerdote benedicta, debet omnino, opportuno tempore, poſtea ab Epiſcopo conſecrari*. Conſecrandas item eſſe Eccleſias media unctione ex ſacro oleo, & Chriſmate, a quibus nobilius ſignificatur excellentia Divinæ Majeſtatis, cui Templum dedicatur, & extra eas haud licitum eſſe celebrare, manifeſte deducitur ex *d. Cap. Tabernaculum*, & *Cap. Eccleſias, de conſecrat. diſt.* 1., necnon ex Concilio Romano ſub Benedicto XIII. celebrato *tit.* 25. *cap.* 1. Cum itaque Eccleſiæ antiquitus non niſi media Conſecratione divino cultui deſtinarentur, & aptæ cenſerentur, ut in iiſdem Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium perageretur, & Benedictio poſtmodum inducta dumtaxat ſit in ſubſidium, & ad modum proviſionis, officium inſtitui non debuit in memoriam peractæ Benedictionis, ſed Conſecrationis, & ideo quando Eccleſia conſecrata non eſt, non licet ejuſdem Dedicationis feſtum peragere. Sanctus autem, in cujus honorem conſtruitur Eccleſia, ſemper nonniſi fuit delectus ad vindicandum Patronum, & ob Eccleſiæ denominationem, nec quando loco Conſecrationis inducta fuit Eccleſiarum Benedictio, delectus ille fuit in ſubſidium & ad modum proviſionis, ſed abſolute, & ſimpliciter, & immutatus adhuc permanet, Eccleſia poſtmodum conſecrata, & ideo eum quæ ad Titulum, & Patronum ſpectant, præcedenter ad Eccleſiæ Conſecrationem ille æque præſtet, & non minus patronus, & Titulus Eccleſiæ ſit, nec ad modum proviſionis ſe habeat, de eo juxta Rubricas officium debet exſolvi.

X. Ad 3. reponimus ita in Conſecratione dici, quia Eccleſia vel non ſupponitur jam in ejuſdem honorem benedicta, vel quia præcedens Benedictio non attenditur, utpote quæ facta fuit in ſubſidium, & per modum proviſionis, non autem quia Sanctus ille non ſit vere Patronus, & Titulus illius Eccleſiæ, & in Titulum, vel Patronum tunc aſſumatur, ſed ad ſummum tunc ratihabetur ejuſdem electio, & confirmatur.

XI. Quinam autem ſit, & cenſeatur Clerus præfatæ Eccleſiæ adſcriptus ad effectum, ut de Patrono, ſeu Titulari ejuſdem officium primæ claſſis; & cum octava juxta Rubricas recitare valeat, edocent abunde ea, quæ ſparſim dicta ſunt, & præſertim, quæ dabuntur in Capite de Qualitate officii, & in Decreto ſequenti, necnon quæ dicta extitere in Decreto 14. præcedentis Capitis.

XII. Laudatus Guyetus *cap.* 5. duas excitat quæſtiones, nimirum an delata, ac deſtructa Eccleſia, Tituli, ſeu Patroni ipſius feſtum nihilominus celebrari debeat? & ea ſi non deleta quidem, aut abrogata eſt Eccleſia, ſed alio translata, ſeu Eccleſiæ alteri unita, ac conjuncta, Titulus ipſe adhuc perſeveret?

XIII. Primam ex dictis quæſtionibus ita reſolvit citatus Auctor: Debet, ſi ſtante cenſu ipſius, cum juribus, & dependentiis, Clerus quoque ſuperſtes ſit; nam ſic cenſetur ſtare adhuc formaliter ipſa Eccleſia, adeoque Tituli ipſius veneratio. Sin autem funditus ſic deleta eſt vel incendio, vel hoſtium incurſu, aut etiam Superiorum authoritate, in delicti alicujus gravioris pœnam ſic abrogata, ut nec ædificium, nec Clerus ullatenus ſuperſit, Titulus quoque ipſe omnino abrogatus cenſeri debet, argumento ſumpto a pari, *ex l. ſi uſusfructus, dig. Quibus modis uſusfructus amittatur*.

XIV. Ad ſecundam vero ex Prædictis quæſtionibus reſpondet perſeverare, ejuſque feſtivitatem obſervari debere a Clero proprio illius Eccleſiæ, juxta definitionem Gregorii Papæ in pari caſu datam, *extra, de Religioſis domibus, Capit. Quia monaſterium*. Itaque factum Veſuntione, ubi Clerus Eccleſiarum S. Joannis, & S. Stephani, a tempore Innocentii in unum, eumque Metropolitanum, junctus, utrumque Titulum ex æquo retinet, & obſervat. Si tamen unio fieret Eccleſiæ alicujus cum altera, non ut Eccleſiæ, ſed tantum ut Cappellæ, putaverim in hoc caſu perinde judicandum, ac de Titulo Altaris, ſeu Cappellæ, ex mente Panormitani *in Cap. citatum*.

XV. Ita ad litteram laudatur Auctor; tu autem recole, quæ a nobis in Decreto XV. præcedentis Capitis de Dedicatione dictarum Eccleſiarum, & aliarum pronunciata ſunt, & ſcito, quod eadem etiam pronuncianda putamus de earumdem Titulari, ita quod quarum ex iiſdem feſtum Dedicationis recolendum eſt, ſit etiam celebrandum feſtum Patroni, ſeu Tituli earumdem.

XVI. De Titulo Cappellæ, & Altaris ſupereſt nunc inquirendum, utrum ſcilicet celebrari poſſit cum Officio, & ſub quo ritu? Cappellæ vocabulo omnem Eccleſiam eſſe nuncupabilem etiam Parochialem, ex allatis a Gonzal. *Gloſ.* 5. *ſuper* 8. *regul. Cancell. num.* 62. aſſerit Bordonus *de Legatis Miſſar. cap.* 6. *num.* 26., & *cap.* 13. *num.* 2., ubi & nobis indicat in Diœceſi Parmenſi, & alibi Cappellas vocari Parochiales ſubjectas Archipresbytero in Villis. *Cappella* item appellatione quandoque Parochialem Eccleſiam venire teſtatur Fagnanus *in* 1. *part.* 3. *lib. Decretal. ſuper caput* Expoſuiſti *num.* 3., eo quod de Parochialibus intelligitur littera, quam ibi exponit, ſecundum omnes, cum referat ſe ad Concilium Generale, quod de illis loquitur *in c. Extirpanda, ſupra eod.*, & notat Abbas *ibi num.* 6. Quandoque Eccleſiam Collegiatam, *ut in cap. Cum Cappella, infra de privileg.* Quandoque Domum Religioſam, ſeu Monaſterium, *ut infra de Cappellis Monach. per tot.*, & ibi Abb. *in rubr.*, & fuſius Specul. *eod. tit.* Impræſentiarum tamen, dum ut ſupra quæritur, *Cappella* non ita uſurpatur, ſed prout infra dicetur, quoniam de Parochialibus, Collegiatis, & Regularibus, ac quibuſcumque aliis Eccleſiis, quæ jure, ac proprie *Eccleſiæ* nomen ſibi vindicant, certum eſt, quod earumdem Titularis cum Officio duplici primæ claſſis, & cum Octava celebrari poteſt juxta diſpoſitionem præſentis Decreti, quod ita faciendum eſſe de quolibet Titulari Eccleſiæ, licet ſolum benedictæ, abſolute, & ſimpliciter pronunciat.

XVII. Cappella ſecundum profanum ſenſum ſignificat parvam Capram, unde Virgilius *Eglog.* 3. habet *Tytire paſcentes a flumine rejice Capellas*, ideſt parvas Capras, & hinc fortaſſe derivatum eſt nomen Cappellæ ſecundum præſentem quæſtionis ſenſum, de qua re inferius. Interdum etiam *Cappellæ* dicuntur Sacrorum Solemnia, præcipue quæ coram Papa, & Cardinalibus peraguntur; ut per Cardin. Paleott. *De Sacr. Conſiſt. par.* 5. *quæſt.* 11. *pagin.* 313. *lit. B.*, & de his Cappellis Pontificis plura ſanxit Sixtus V. in Conſtitut. *Egregia*. De his autem Cappellis opus non eſt Lectorem moneamus, quæſtionem haudquaquam procedere.

XVIII. *Cappella* itaque ita rectius ſignificat, prout ad præſens attinet, Caſam parvam, ideſt Oratorium parvum, & privatum: in primitiva enim Eccleſia cum tempore perſecutionis Templa exuſta eſſent, ac Imperatorum Edictis diruta, nec liceret publice Divina peragere, in privatis Domibus, & Cryptis Martyrum a Chriſtifidelibus fuerunt quædam Oratoria conſtructa, in quibus orabant, & Sacrificia Deo offerebant, quæ, ſeu eorumdem Altaria, ut ait Beyerlink *in Magno Theatro vitæ humanæ tom.* 2. *verb. Cappella*, cum Caprarum pellibus contegerentur adverſus inſidias aeris, quemadmodum & modo uſus eſt eadem vel telis, vel pellibus cooperire, dictæ fuerunt Cappellæ, nomine ducto a pellibus Cappellarum, quibus eadem tegebantur. Antiquos autem etiam nobiles Eccleſiolas in itinere de pellibus Caprarum factas habuiſſe, ex Gem. *lib.* 1. *cap.* 128. refert Macrus *in ſuo Hierolexicon V. cappella*, ubi ex eodem Auctore etiam adhuc adducit Etymologiam per hæc verba; *Capenum dicitur domus, ad quam pauperes ad poſtulandam eleemoſynam confluunt, inde diminutum Cappella dicitur, in qua Chriſtiani pauperes ſpiritu ad poſtulandam animæ eleemoſynam conveniunt*.

XIX. Sunt alii, qui arbitrantur dictam eſſe Cappellam a capiendo populos, alii francum vocabulum eſſe a Cappa derivatum, quæ tegumen ſignificat, quod veluti tentorium factum ſecum veherent Reges, cum eſſent in expeditione, ad uſum rerum ſacrarum, quemadmodum edocet Baronius *in Notis ad* 11. *Junii*, & probat Guyetus *lib.* 1. *cap.* 16. *quæſt.* 1. Alii contendunt, ut ſcribit Durandus *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. prædictum Cappellæ nomen derivare a Cappa S. Martini, quam religionis ergo Francorum Reges procedentes ad prelia, ſecum portabant. Verum ut bene advertit Macrus, ex dicta Cappa non nomen Cappellæ, ſed Cappellani originem trahit, quatenus Sacerdotes muneri deferendi præfatam Cappam, & alias Reliquias mancipati, dicti fuere Cappellani, quemadmodum colligitur ex Epiſtola Carlomanni Ducis Francorum data Anno Domini 742.; quæ deſcripta habetur in Capitular. Francor. *lib.* 5. *cap.* 2.

XX. Undecumque tamen Cappella dicatur, modo communiter accipitur pro Sacello, ideſt pro loco conſecrato Deo intus, vel extra Eccleſiam, in qua Divina peraguntur, vel pro Altaribus in iiſdem Sacellis conſtructis, quinimmo & pro Oratoriis ſive privatis, ſive publicis, & adhuc licet in iiſdem Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium minime celebretur, ut videre eſt apud Fagnanum *loc. cit.*, unde de Oratoriis domibus Magnatum extrui ſolitis fit mentio in Capitular. *lib.* 5. *cap.* 182. per hæc verba: *Ne Cappella in noſtro Palatio, vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, cujus eſt Parochia, fiant*.

XXI. Si Cappellæ nomen pro Oratoriis privatis, ſeu quæ in privatis domibus extruuntur, uſurpetur, licet in iiſdem Miſſæ Sacrificium celebretur, adhuc eorumdem Titulus, ſeu Patronus nec in Officio Divino, quod inibi non recitatur, nec adnexum habet Clerum, quo recitatur, nec in Miſſa excoli poterit, niſi prout, ſi ex deſcriptis ſit, in Kalendario de eodem fieri præſcribitur; cum enim hujuſmodi Cappellæ domeſticæ nec benedictæ, nec conſecratæ ſint, immo nec forte a prima ſui extructione ad uſum ſacrum deſtinatæ, ſed pro tempore dumtaxat, illato in eas vi privilegii Altari portatili, Patronum, ſeu Titulum non habent, utpote qui non acquiritur niſi per Conſecrationem, vel Benedictionem, in nihilo ad intentum ſuffragante Altari portatili, licet conſecrato, cum hoc conſecratum minime ſit determinate in honore Sancti alicujus. A fortiori idem dicendum venit de Oratoriis illis, ſeu Cappellis, licet publico cultui expoſitis, in quibus Miſſæ Sacrificium haudquaquam peragitur, cum nec

bene-

benedictæ, nec conſecratæ ſint, immo nec ad Officium Divinum, nec ad Miſſam deſtinatæ, ac conſequenter earumdem Titulus, vel Patronus, ſive magis Sanctus ille, quem tamquam Patronum, vel Titulum præſeferunt, Officio, & Miſſa hoc titulo excoli non poterit, nec quidem a Clero illius Eccleſiæ, ſub cujus plenaria juriſdictione foret Cappella illa, vel Oratorium, quantumcumque eidem adnexa foret vel unita.

XXII. Si ſermo ſit de Cappellis, prout earumdem nomine veniunt Sacella, Oratoria, vel Eccleſiolæ, in quibus Miſſa celebratur, quemadmodum in Decreto XV. præcedentis Capitis diximus, eorumdem Dedicationis feſtum, ſi conſecratæ ſint, celebrandum eſſe a Clero illius Eccleſiæ, a qua plenarie dependent, & ſubſunt, ita nec dubitamus earumdem Titulum, vel Patronum cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava excoli debere, tametſi non ſint conſecratæ, ſed ſolummodo benedictæ, cum ad feſtivitatem de Titulo inducendum juxta præſens Decretum Conſecratio non requiratur, ſed Benedictio ſufficiat. Si autem eſt Titulus beneficii, poterit, immo debebit Beneficiarius, qui ei præeſt, ita de illo Sancto recitare, ut docet Guyetus *loco cit. quæſt.* 3.. Quod ſi nec Titulus beneficii eſt, nec alteri Eccleſiæ, quæ Clerum habeat, adnexa, adhuc poterit immo debebit in Feſto, & per Octavum ejuſdem Sancti Titularis, non quidem Officium, cum non ſit, qui illud recitare valeat, ſed Miſſa ſub ritu per Rubricas reſpective de Titulari Eccleſiæ præſcripto celebrari, præſertim ſi in Feſto dicti Tituli ad eam Cappellam fiat concurſus Populi, qui ad eam accedit Miſſam de præfato Sancto auditurus, ut ejuſdem devotio ſic magis foveatur, & incrementum capiat. Ratio autem horum omnium eſt, quia præfatæ Cappellæ publicæ veniunt nomine Eccleſiæ, ut docent Guyetus *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 5. *cap.* 16. *quæſt.* 3. *&c.* Panormitanus *in cap. Eccleſiæ, num.* 7. *de Immunitate Eccleſiarum*, Silveſter *V. Immunitas*, Barboſa *de appell. verb. V. Eccleſia numer.* 16. Leander *tract.* 5. *diſp.* 14. *quæſt.* 73., Diana Coord. *tom.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 60., *&* 61., & alii communiter loquendo in materia favorabili. Cum igitur veniant nomine Eccleſiæ, & per Rubricas Feſtum Tituli Eccleſiæ ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava celebrari debeat, quidni in iiſdem ita celebranda erit ſaltem Miſſa, ſi quoad Officium in prædictis Rubricæ locum non habent ob defectum Cleri Choro dictarum Cappellarum addicti?

XXIII. Hac utique de cauſa idem dicendum venit, ac illa ſunt applicanda, quæ in memorato Decreto XV. præcedentis Capitis tradidimus de Dedicatione Tempellorum, Oratoriorum, & Eccleſiolarum, quas Clerus Regularis, vel Sæcularis habet in prædiis, cuivis gentis ſorti patentium, ita quod etiam earumdem Titulum celebrare poſſit, licet ſint ſolum benedictæ. Potior difficultas urget de Titulis Cappellarum, quas intra Clauſtra habent Regulares; aſt quoniam ibidem diximus, earumdem Dedicationis Feſtum celebrandum eſſe, ſi conſecratæ ſint, ita dicendum venit de earumdem Titulis, licet ſint ſolum benedictæ.

XXIV. Eadem pronuncianda ſunt de Cappellis acceptis pro minori æde ſacra, a majori ex toto ſeparata, ac ſe ſola conſtante quoad Officium, & Miſſam, ſi proprium Clerum habeat, vel titulo beneficii ab aliquo poſſideatur, vel acceſſorie attineat ad aliam Eccleſiam, in qua ſit uſus Chori, & ſi ſecus, quoad ſolam Miſſam; hujuſmodi enim Cappellæ veniunt Eccleſiæ nomine ſaltem in materia favorabili, qualis eſt iſta, ubi agitur de cultu Sanctorum, quemadmodum docent Bruno Neuſſer tract. *de Horis Can. diſp.* 6. *qu.* 5. *num.* 18. Paſqualigus *qu.* 265. Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *append.* 2. *litt. D.*, & alii, deduciturque ex Rubrica Breviarii Rom. *tit.* 9. *num.* 3. ubi ſtatuitur, quod quodlibet feſtum in Dominicis 2. claſſis occurrens transfertur, *niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ*, ex qua patens ſit, & præfati deducunt Auctores, quod Feſtum Tituli Cappellæ, quæ non eſt pars alicujus Eccleſiæ, ſed Sacellum per ſe ſtans, celebrari debet, & ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum Octava, quemadmodum & nos ipſi dicebamus, loco citato agentes de Feſto Dedicationis earumdem Cappellarum.

XXV. Supereſt itaque ſolummodo difficultas de Cappella, quæ eſt ejuſdem Eccleſiæ pars, & ex mox adducta Rubrica liquido conſtat, quod ejuſdem Titulus ſub ritu duplici primæ claſſis celebrari non poteſt, cum in eadem præſcribatur, non eſſe celebrandum in occurſu cum Dominicis ſecundæ claſſis. Quæſtio igitur eſt, an Titulus dictæ Cappellæ cum Officio celebrari queat, & in caſu ſub quo ritu?

XXVI. Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 22. *num.* 15. ita habet: *Quæritur de Titulo Altaris, ſeu Cappellæ, quo ritu ſit celebrandus? Conſtat ex Rubrica de Comm. nu.* 3. *non eſſe celebrandum, uti duplex primæ claſſis. Reliquum eſt igitur, ut celebretur, utpote in Calendario Romano deſcribitur. In quo ſi neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ feſtivæ cum Hymno Angelico, ut alibi diximus; ſed Officium nullatenus fiat ſine licentia Majorum, ad quos attinet Officia mutare, de qua re diximus ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 9. & inſuper *ſect.* 2. *num.* 26. inter cauſas, ob quas non licet mutare Officium currentis diei, enumerat, *Neque quia Titulus eſt Cappella, ſeu Altaris.* Gavanto adhærent Meratus *in dicta ſect.* 3. *num.* 12., Paſqualigus *quæſt.* 265. *num.* 2. Letana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 37. Quarti *part.* 1. *tit.* 11. *dub.* 5. Biſſus *litt. T. num.* 65. §. 2., Guyetus *lib.* 1. ſit quaſi votiva, fieri debeat commemoratio Officii diei ut ait Gavantus *part.* 1. *tit.* 9. §. *In Miſſa de Sancto*, & Biſſus *lit. M. num.* 232., ac conſequenter nec præfata Miſſa celebrari valeat, ſi Officium de die occurrens excludat Miſſas votivas.

XXVII. In contrarium tamen ſentiunt Neuſſer *tract. de Horis Canon. diſp.* 6. *quæſt.* 5. *num.* 19. atque Bordonus *tom.* 2. *part.* 1. *reſol.* 30. *numer.* 18., quorum opinionem probabilem reputat Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *appen.* 2. *litt. m.*, & præcipue nituntur in ſuperius laudata Rubrica *de Comm. num.* 3., qua & nos ipſi ſuperius uſi fuimus ad oſtendendum, quod fieri valet Officium Tituli Cappellæ ſeparatæ, & per ſe ſtantis. Habet autem præfata Rubrica de feſtis cadentibus in Dominicis privilegiatis ſecundæ Claſſis, quod ſunt transferenda, *niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipſius Eccleſiæ, non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ.* Ex quibus verbis deducunt celebrandum eſſe Officium de Sancto, cui dedicata eſt Cappella, quæ eſt pars alicujus Eccleſiæ; hoc ipſo enim, quod Rubricæ ita ſtatuunt de Titulo Cappellæ ejuſdem Eccleſiæ, ſupponunt de eodem Officium duplex eſſe faciendum, alioquin omnino ſane perperam addita fuiſſent illa verba, *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ.* Addit Bordonus, quod fert uſus omnium Eccleſiarum, hujuſmodi Sanctos Titulares cum Officio celebrare, præſertim apud omnes Regulares, & ita reipſa, aſſerit, in Conventu Paradiſi Mediolani obſervari in Feſtis Sanctorum Iſidori, Firmi, & Franciſci de Paula, quorum extant Cappellæ, ob majorem devotionem, & honorem prædictorum Sanctorum. Quia vero Rubrica non exprimit ritum duplicem, quo præfata Feſta recoli debent, an ſcilicet duplici minori, vel majori, autumat recolenda ea eſſe ſub ritu duplici majori, in quo ritu concors eſt etiam laudatus Bruno Neuſſer.

XXVIII. Fateor, quod argumentum a prædicta Rubrica petitum haud eſt contemnendum; ego tamen hac in parte nolo meum judicium proferre, ſed dumtaxat proferam in medium ea, quæ videbuntur facere pro utraque parte, una cum ſolutionibus, Sapientiores vero me diriment his lectis, ponderatiſque litem, ſubdendo ſolummodo in fine ea, quæ inconcuſſa ſunt, & nullam patiuntur difficultatem. Ceterum ſi me quis ad meam ſententiam aperiendam urgeret, inficias ire haud poſſum, quod pars negativa mihi probabilior videtur, ac ſuſtinenda.

XXIX. Argumentum itaque ex Rubrica de *Comm. numer.* 3. a Gavanto productum, in quo ex eo, quod juxta dictam Rubricam de Titulo Cappellæ non valeat Officium duplex primæ claſſis recitari, infert, *ergo ſolum prout in Calendario deſcribitur*, nullius roboris a Guyeto ipſo *loco citato quæſt.* 3. reputatur; *indene*, ait iſte, *ſequitur non poſſe alio ritu?* Sequeretur quidem ſi non daretur alius ritus, at cum multiplex ſit ritu Officiorum celebrandorum ultra ritum duplicem primæ claſſis, perperam profecto, ex quo Rubrica diſponat non eſſe celebrandum, ſub ritu duplici primæ claſſis, infertur nullatenus eſſe celebrandum, vel ſolum prout in Calendario; quinimmo ut ſuperius dicebatur, ex memorata Rubrica clare videtur erui, ſub ritu duplici eſſe celebrandum, licet poſtea non exprimat, an majori, vel minori.

XXX. Alio igitur ſe vertit Guyetus, & aſſerit Feſtum Tituli dictarum Cappellarum minime eſſe celebrandum, tum quia Rubricæ, cum nihil de hoc ſtatuat, haudquaquam permittere præſumuntur, maxime quia iiſdem, ut ſubdit Guyetus, nulla reperitur facta mentio de Titulo Cappellæ, ſeu Altaris. Tum quia vetare id quoque videtur laudatum ſepius Sacræ Congregationis Decretum, ſcilicet de die 8. Aprilis 1628. in quo Kalendariis etiam propriis, Officia aliqua addi vetantur, vel mutari ritus, qui in Kalendario deſcribitur. Tum denique quia nec Altare, nec Cappella ad Officium, ſed ad Miſſas deſtinantur.

XXXI. Ad primum tamen ex hiſce argumentis reponi poteſt, falſum eſſe in Rubricis nullam haberi mentionem, & diſpoſitionem de Titulo Cappellarum, ſeu Altarium ejuſdem Eccleſiæ; ſit enim mentio, & diſpoſitio de eodem in producta Rubrica *de Comm. num.* 3., aſſeriturque in ea, ſeu potius ſupponitur Officium duplex eſſe celebrandum, dictique Titulares indicati, ac comprehenſi dici poſſunt in Tabella duplicium majorum, dum recenſet *Patronos minus principales*, quæ forſitan conſulto non addidit *Eccleſiæ* aut *Loci*, ut ſcilicet in iiſdem clauderet etiam præfatos Patronos.

XXXII. Ad 2. reſpondet Bordonus locum habere Decretum, quando ritus ſine rationabili cauſa mutatur, dictio enim illa, *Quovis prætextu*, quæ in dicto Decreto habet, idem ſignificat, quod ſit ſub velamine, vel colore alicujus rei, quæ non eſt, vel deſinit eſſe, ſeu falſa eſt, ut tradit Gonzalez *Reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 57. *num.* 2., in caſu autem noſtro ſolemnitas hæc velata non eſt, nec falſa, ſed vera, cum adſit Cappella, ſeu Altare, ergo rationabiliter ſolemnizari poteſt dicto ritu, non obſtante quod inferiori ritu deſcribatur in Breviario, in quo ordinatur Officium diverſorum Sanctorum abſtrahendo ab hac, vel illa Eccleſia, & unuſquiſque poſtea accommodat ritus celebrationis illorum Sanctorum propriis locis, & Eccleſiis, ut manifeſtum eſt hos de Patrono Eccleſiæ, qui ſi in Calendario ſit ſimplex, fit duplex primæ claſſis cum octava, ergo illud Decretum eſt de mutatione voluntaria

ſine

ſine rationabili cauſa non deducta ex Rubricis Breviarii. Uno verbo addi non inhibentur Officia Sanctorum, nec mutari eorumdem ritus, quæ, & prout in Rubricis diſponuntur, quinimmo id expreſſe per dictum Decretum permittitur; addi autem Officia Titularium dictarum Cappellarum, & eadem ſub ritu duplici celebrari prout ſupra, in iiſdem Rubricis manet diſpoſitum.

XXXIII. Ad 3. dicito, quod nimis probat; probaret enim, quod nec in Cappellis ſeparatis, nec in Oratoriis publicis, immo nec in Eccleſiis, in quibus non eſt uſus Chori, & unice erectæ ſunt, ut Miſſa certis diebus pro majori loci incolarum commoditate celebretur, celebrari poſſet feſtum Tituli, nec Dedicationis, etſi forent ſolemniter conſecratæ; quod & ab Adverſariis ipſis nequaquam conceditur. Uti ergo ſat eſt, quod præfatæ Eccleſiæ, Oratoria, & Cappellæ ſeparatæ, ſint benedictæ, ad hoc ut earumdem Titulus ſub ritu duplici primæ claſſis in Miſſa recolatur, & cum officio item paris ritus per Clerum Eccleſiæ, ad quam illæ acceſſorie ſe habent, ita dicendum venit de prædictis Cappellis, quæ ſunt pars alicujus Eccleſiæ, licet poſtea hujuſmodi Titulares ſub ritu duplici dumtaxat majori, tanquam Patroni minus principales, excoli debeant, eo quod ſupponunt alium Patronum principaliorem, Sanctum nempe illum, qui totius Eccleſiæ Titularis eſt, adeoque etiam earumdem Cappellarum, quæ ſunt portio quædam dictæ Eccleſiæ, ubi Titulares illarum Cappellarum ſejunctarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum situ duplici primæ claſſis ſolemnizandi forent, tanquam Patroni earumdem principales.

XXXIV. E contra vero ita diſſolvit argumenta Bordoni Euſtachius a S. Ubaldo *loco cit. num.* 215., & quidem ad primum ex memorata Rubrica petitum reſpondet, haudquaquam ſupponi a dicta Rubrica officium duplex pro Titulari Cappellæ, cum verba, *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ*, appoſita cenſeantur ad majorem expreſſionem ejus, quod intendebatur, ſcilicet non eſſe transferendum in eo caſu Feſtum Titularis Eccleſiæ, ſive pro Titulari Cappellæ, vel Altaris faciendum ſit officium, ſive non. Aliam quoque ſubdit ſolutionem per hæc verba: Ni velimus dicere, & clarius, quod cum poſſit contingere, quod in aliqua ex aliis Dominicis a prędictis occurrat Feſtum alicujus Sancti Titularis Altaris, vel Cappellæ, cujus officium juxta Calendarium ſit ritus duplicis, addita ſint illa verba, *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris*, ad indicandum ſolum, quod hujuſmodi Sancti Titularis feſtum ex Calendario duplex debeat transferri; non vero ad inſinuandum de quolibet Titulari Cappellæ, vel Altaris poſſe fieri officium duplex. Verum hæc ſecunda ſolutio, quam clariorem appellat, proculdubio admodum eſt frigida, nulliuſque valoris; de Sanctis enim, qui in Breviario officium habent, Rubrica jam prius diſpoſitionem fecerat, unde ſi iiſdem nihil obvenit ex eo quod Titulares Cappellæ, vel Altaris ſint, ſoperflue omnino addita fuiſſent verba illa, *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris*. Melius igitur dicetur, ejuſmodi verba addita extitiſſe ad removendum dubium, quod oriri poterat, num uti de Titulari Eccleſiæ officium faciendum eſt, ita & de Titulari Cappellæ, ſeu Altaris ejuſdem Eccleſiæ; hoc ipſo enim, quod de Titulari dictæ Cappellæ officium duplex primæ claſſis faciendum non eſt, ſequitur nullum officium de eodem eſſe faciendum, quandoquidem Rubricæ, dum de Titulari agunt, ubique eidem officium duplex primæ claſſis adſcribunt; & hæc reſponſio concors eſt argumento, quo uti Gavantum ſuperius vidimus. Prima autem Euſtachii a S. Ubaldo reſponſio, in qua dicebatur, ea verba *expoſita extitiſſe ad majorem expreſſionem ejus, quod intendebatur, ſcilicet non eſſe transferendum in eo caſu Feſtum Titularis Eccleſiæ, ſive pro Titulari Cappellæ, vel Altaris faciendum ſit officium, ſive non*, proculdubio inſubſiſtens apparet, quia abunde jam id indicatum fuerat per ea verba, *Niſi illud feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli ipſius Eccleſiæ*, unde omnino utique perperam ad eum effectum additum fuiſſet, *Non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ*.

XXXV. Ad 2. vero reſpondet de conſuetudine, quam adeſſe dicit, non conſtare; & revera quidquid ſit de adducta Conventus Paradiſi conſuetudine, quæ non eſt attendenda, cum una hirundo non faciat ver, certum eſt, præfatum uſum haudquaquam eſſe introductum, quinimmo communem conſuetudinem ferre, quod Sancti Titulares Cappellarum, & altarium officio non colantur, niſi prout habent in Breviario.

XXXVI. Hæc dicta etiam ſunt de Altari; Altare autem duplex eſt, fixum unum, ac ſtabile, quod humi ex lapidibus extructum, numquam loco movetur; alterum non fixum, ſeu portatile, quod etiam appellatur Tabula conſecrata in Concilio Tibur. *Can. concedimus, de conſecr. diſt.* 1., & Viaticum *Cap. In iis de privil.*, & hujus nullus datur Patronus, ſeu Titulus, quia etſi conſecratum ſit, non tamen determinate in honorem alicujus Sancti, ut eſt fixum, & immobile, quod propterea Patronum habet, ſeu Titulum, & de hoc diſcurrendum venit, prout ſupra dictum fuit de Patrono, ſeu Titulo Cappellæ ejuſdem Eccleſiæ.

XXXVII. Ut autem certa ab incertis ſeparemus, extra dubium ponitur primo, quod de Titulo Cappellæ, ſeu Altaris fieri debet officium, ſi habeatur Corpus, aut inſignis Reliquia ejuſdem: Hoc aſſerit Guyetus, eidemque aſſentitur Meratus; aſt tunc de Titulari non fit ratione Tituli, ſed ratione Reliquiæ, adeoque de eo pronunciandum eſt, uti in Capite IV. dicetur 2. quando Feſtum Titularis Altaris ex conſuetudine legitima celebratur in Eccleſia, ubi eſt Altare; & hoc etiam docetur a Guyeto, Merato, & Biſſo, ac aliis, & certum eſt, ſed id etiam evenit aliunde, nimirum vi conſuetudinis, quæ ut ad rem legitima ſit, debet eſſe annoſa, & ante Bullam Pii V. introducta, ut dicetur in Capite de Feſtis ex conſuetudine. 3. de prædicto Titulo, ſaltem prout ſupra, poſſe celebrari Miſſam, cum a nullo Auctore id eidem contenſum veniat, in quo caſu ſecunda oratio erit de Sancto illo, de quo dictum eſt officium; tertia vero illa, quæ ceteroquin eſſet ſecunda, uti ſubdit Gobat *loco cit. num. m.*

XXXVIII. Si altare eſt Titulus beneficii, juxta Gavantum *ſect. 3. cap. 12. num. 16.*, & Guyetum *lib. 1. cap. 16. quæſt.* 3. Beneficiarius non debet adhuc officium recitare de eo, ut de feſto primæ claſſis, neque alio ritu, quam in Kalendario ſit deſcriptus, & nullatenus, ſi in Kalendario officium non habeat. Tu autem de dicto Beneficiario judicium pronuncia, prout de Titulo Altaris attentis, quæ ſuperius dicta ſunt, ſentiendum arbitraris.

XXXIX. Si vero Titulus eſt Eccleſiæ dirutæ ad illud Altare translatæ, ille, qui emolumenta prædictæ Eccleſiæ percipit, æquum eſt, ait idem Gavantus *num.* 17., ut recitet officium de eo in ejus feſto, ne pereat cultus illius Titularis Eccleſiæ, & Ritus erit ſemiduplex, niſi dignitas ejuſdem aliud expoſcat: quod & confirmat exemplo Eccleſiæ Vaticanæ S. Petri, quæ celebrat feſtum S. Blaſii ritu ſemiduplici, ob Eccleſiam ejuſdem Sancti cum emolumentis unitam Collegio Canonicorum S. Petri. Quæ ratio, ait Guyetus *loco cit. quæſt.* 5., valet pro celebrando feſto Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, non dirutæ quidem, ſed translatæ, ſive ex toto, ſive ex parte, ad aliam Eccleſiam, aut Collegium, aut Hoſpitale &c., ab illis, in quorum favorem facta eſt ejuſmodi translatio. Sed dum hoc aſſerit Gavantus, videat, quomodo ſtare poſſit, quod ante dixerat, nimirum *ſect. 2. cap. 2. num.* 26. recenſens varias cauſas, ob quas licitum non eſt mutare officium, *Neque quia uniti ſunt redditus alicujus Eccleſiæ, vel unita ipſa Eccleſia alteri*. In præcedenti autem quæſtione idem Guyetus dubium excitaverat, utrum dirutis Altari, & Cappella, aut alio translatis, perſeveret nihilominus cultus Patroni ſeu Tituli utriuſque? Cui reſpondeo, ait ipſe, a pari idem, quod de Eccleſia reſponſum fuit *cap. 4. quæſt. 6.*, nimitum ſtante Cappellæ vel Altaris cenſu cum juribus, ac dependentiis ſuis, ſtare quoque ejuſmodi cultum, quantumvis ædificium dirutum fuerit, atque adeo præſtanda omnia, perinde ac ſi ipſum adhuc eſſet integrum. Sin autem deletum eſt funditus, aut abrogatum tam Beneficium, quam ædificium, deletus quoque omnis, & abrogatus cultus cenſendus erit. Denique ſi deſtructo ædificio translatus eſt Beneficii Titulus ad Altare aliud, aut ad aliam Cappellam, ſeu etiam Eccleſiam, erunt quidem Miſſarum onera, & alia ſi quæ ſint, deinceps ut ante perſolvenda; cultus vero Patroni, ſeu Tituli haud videtur retinendus, maxime ſi ipſum Altare, aut Cappella, ad quam facta eſt translatio, ſuum æque Patronum, ac Titulum habeat.

XL. Verum etſi hæc procedere queant in caſu, quo Titulus Beneficii foret Eccleſia aliqua, non video, quomodo in ſententia ejuſdem Guyeti, qui Beneficiarium vult cum officio colere non poſſe Titularem Altaris, vel Cappellæ, cui adnexum foret beneficium, locum habere queant; ſi enim ſtante cenſu cum juribus, & dependentiis, quinimmo & Cappella ipſa, ſeu Altari non ſtat cultus Titularis, vel Patroni, quomodo, quæſo, ſtare poterit diruto Altari, ſeu Cappella, & ſolum ſtante cenſu ejuſdem cum juribus, & dependentiis? Uti etiam in aliis duobus caſibus quomodo dici unquam poteſt, quod abrogari debeat cultus Patroni, vel Tituli, cum nec ante unquam ſteterit? Fateor, quod hæc mihi haudquaquam inter ſeſe cohærere videntur.

XLI. Vel itaque dirutis Altari, & Cappella quoad ſolum ædificium, vel penitus quoad beneficium, & ædificium, vel translato beneficio ad aliud Altare, vel Cappellam, in ſuppoſitione quod Titulus Cappellæ, vel Altaris officium haudquaquam importet, patens eſt, quod nihil de Patrono, ſeu Titulo Beneficii faciendum venit, quemadmodum de eodem nihil fieret re integra, & in priori ſtatu permanente. Si autem de Patrono, Titularive Altaris officium duplex majus juxta ſuperius dicta faciendum exiſtimetur, ſi deletum eſt funditus quoad Beneficium, & ædificium, patet utique, quod deletus eſt quoque cultus Titularis, cum eo in caſo nec Beneficiarius ſit, qui talem Titulum excolere queat: Si dirutum eſt ædificium, & adhuc ſtat cenſus cum juribus, & dependentiis ſuis, adhuc nihil de dicto Titulari; quia ad deſitionem ædificii deſinit quoque Sanctus ille eſſe Titulus, cum eſſe non poſſit Titulus ejus, quod amplius non eſt, eo quod qualitas ſemper ſupponit ſubjectum. Si autem ad aliud Altare, vel Cappellam transferatur Beneficium, ſubſtituatur loco prioris Tituli Titulus Altaris, ad quod eſt facta translatio, & de illo agatur officium ſub ritu duplici majoris, & nihil penitus de priori Titulo, vel de eo juxta ritum, quem habet in Kalendario, quia ut dicebamus, prior Titulus deſiit ad deſitionem ædificii, & quidem tametſi Beneficium adhuc a priori Titulo nuncupatum veniret. Quod dictum eſſe volo, quantumvis prius Altare, ſeu Cappella haudquaquam forent deſtructa; quia per dictam translationem factam auctori-

auctoritate Majorum fit quoque translatio de Titulari ad Titularem, & uti loco unius Altaris ſubſtituitur novum Altare, ita loco veteris Titularis ſubrogatur Titulus novi Altaris, vel Cappellæ. Quod tamen intellige, dummodo dicta translatio non fiat cum declaratione permanentiæ prioris Tituli, quia in hoc caſu de priori Titulo officium faciendum foret, ſtante ædificio, & nihil penitus de Titulo novi Altaris, utpote qui dicti Beneficii Titulus haudquaquam foret, & cenſeretur dicta translatio facta, ſolummodo quoad onera Miſſarum, vel alia ſimilia, ſi quæ ſunt, non autem quoad officium.

XLII. Ex dictis colliges primo, quod ſi Beneficium, quod adnexum erat Altari alicui, vel Cappellæ, transferatur, non ad aliud Altare, vel Cappellam, ſed ad Eccleſiam aliquam, cum in eo caſu loco Titularis Altaris ſubſtituatur Titularis Eccleſiæ, de quo juxta Rubricas officium duplex primæ claſſis, & cum octava debet recitari, Beneficiatius ita agere deberet de illo Titulari ſubſtituto, ſive prius de Titulo ſui Beneficii nihil ageret, vel ſolum de eo ſub ritu duplici majori quia tunc Titulus non eſſet amplius Titularis Altaris, vel Cappellæ, ſed Titularis Eccleſiæ; niſi tamen, ut ſuperius dicebatur, translatio ſolummodo fieret quoad onera Miſſarum vel alia ſimilia, & non quoad officium, vel Titulum.

XLIII. Colliges 2. quod facta translatione Beneficii de Eccleſia ad Altare, tunc nihil fit de Titulo Altaris, vel de eo ſolummodo ſub ritu duplici majori juxta ſuperius dicta, quia in eo caſu loco Titularis Eccleſiæ ſubrogatur Titularis Altaris, qui ſibi vel minime vindicat officium, vel ſolum ſub ritu duplici majori; & quidem tum ſtante, tum demolita priori Eccleſia. Uſus enim ille Baſilicæ vaticanæ, quem affert Gavantus, recitandi de priori Titulo ſub ritu ſemiduplici, haudquaquam probatur, cum nec in Rubricis, nec in Decretis fundamentum habeat, ſed magis iiſdem penitus adverſetur.

XLIV. Colliges 3., quid faciendum ſit in caſu dirutæ Eccleſiæ tam pro Dedicatione, vel Patrono ejuſdem, quam in caſu translationis Beneficii de Eccleſia ad Eccleſiam; in priori enim caſu ceſſat feſtum Dedicationis, & Tituli, etſi adhuc percipiantur fructus, & in poſteriori vice Dedicationis, & Tituli antiquæ Eccleſię ſuccedit Dedicatio, & Titulus Eccleſiæ, ad quam eſt facta translatio, niſi translatio facta ſit quoad ſola onera Miſſarum, vel alia ſimilia, eo quod in priori commode obiri non poſſint, vel alia de cauſa.

XLV. Dices: Deſtructa Eccleſia, & remanente cenſu cum juribus, & dependentiis æquum eſſe, ut qui percipit emolumenta, cum officio colat Titularem illius, nec deſtrui Titularem, cum non pereat Beneficium.

XLVI. ℞. Deſtructa Eccleſia deſinere Titularem, adeoque & deſinere debere ejuſdem cultum; Sanctus enim non eſt Titularis Beneficii, niſi in quantum eſt Titularis Eccleſiæ, cui adnexum eſt Beneficium, & ideo cum deſinente Eccleſia deſinat etiam ejuſdem Titularis, deſinit quoque Titularis Beneficii, ac per conſequens deſinere etiam debet ejuſdem cultus, tametſi non deſinat Beneficium, ſeu emolumenta Beneficii. Qui autem Titularem non habet, nedum æquum non eſt, ſed nec poteſt eumdem excolere. Nec officit nomenclatura, quam a præfato Titulari forte adhuc ſuſtinet, quoniam vulgare eſt, res etiam ab iis, quæ tranſierunt, denominationem depromere; quæ autem cum jam tranſierint, & amplius non ſint, una cum iiſdem tranſiit quoque eorumdem obſervatio.

XLVII. Movet Gavantus *ſect. 2. cap. 2. num. 26.* duplicem quæſtionem, nimirum *An Feſtum de Sancto fieri poſſit, vel debeat, eo quia Titulus eſt Præbendæ Canonicalis, aut Dignitatis, aut quia Penſionem quis habet ſuper aliquam Eccleſiam?* Et utramque reſolvit negative, a cujus opinione neque diſcedit Guyetus *lib. 1. cap. 16. quæſt. 6.*. Tum quia qui Præbendam, vel Dignitatem obtinet in aliqua Eccleſia, addictus eſt Choro illius Eccleſiæ, ſeque adeo cum illo in recitando privatim officio debet omnimode conformare; tum quia Titulus ejuſmodi, ad diſtinctionem Præbendæ unius ab alia, potius ſuperadditus eſt, vel certe ad aliqua alia onera præſtanda, quæ officium divinum nullatenus ſpectant. Penſio vero Titularem non facit, adeoque circa officii rationem ad nihil exigentem obligat. Ita laudatus hic Auctor, qui tamen quoad dicta de Penſionariis deſerendus videtur, ſi attendantur ea, quæ fuſe tradentur in Capite de Qualitate Officii.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XXVI.

Parochus duarum Eccleſiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare officium juxta Rubricas, maxime ſi Eccleſiæ ſint peræque unitæ. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 201.

I. TRibus potiſſimum modis juxta Garziam *de Beneficiis part. 12. cap. 2. num. 7.* duarum Eccleſiarum contingit fieri unionem. Primo modo fit unio, ut ex duabus Eccleſiis una fiat. Secundo, ut una Eccleſia alteri acceſſorie ſubjiciatur. Tertio fit unio duarum Eccleſiarum invicem æque principaliter, & ut ibidem ſubdit *num.* 8., quando duæ Eccleſiæ Cathedrales uniuntur, utraque æque principaliter cenſetur unita, ita ut nulla amittat ſtatum ſuum, ut fuit reſolutum in cauſa Maceraten. juriſdictionis coram D. Gipſio 29. Aprilis 1596., idemque videtur, quando duæ Parochiales uniuntur; & hæc unio nihil aliud operatur, niſi ut Rector unius ſit item Rector alterius, utraque tamen Eccleſia manet, ſicut erat, in ſuo ſtatu, & honore; quapropter ſunt adhuc duæ Eccleſiæ Cathedrales, vel Parochiales inter ſeſe diſtinctæ, & ſeparatæ, & ſolum dicuntur unitæ, quatenus ambæ unum, eumdemque Epiſcopum, vel Parochum recognoſcunt, ceterum ipſæ ſeorſim ſemper ab invicem diſtinctæ perſeverant, perinde ac ſi duobus Epiſcopis, vel Parochis perſonaliter diſtinctis obedirent, & Epiſcopus ipſe, vel Parochus, qui eiſdem præſidet, gerit vices duorum, & quatenus Rector unius ex dictis Eccleſiis non ſe ingerit, nec ingerere poteſt in negotiis alterius; ſed ſolum quatenus eſt hujus Rector. Plura ſuper hujuſmodi rem dedimus in Decreto XII. præcedentis Capitis.

II. De hujuſmodi itaque Eccleſiis *peræque*, ſeu æque principaliter unitis præſens firmat Sanctio, quod *Rector earumdem debet de ambarum Titulari recitare Officium*; eſt enim ille ambarum æque principaliter Rector, ac Beneficiarius, & utraque ex dictis Eccleſiis eſt æque ejuſdem *propria Eccleſia*, quare igitur unius potius, quam alterius Titularem venerabitur, & non ambarum Titulares juxta Rubricas, quæ de Titulari propriæ Eccleſiæ Officium faciendum eſſe mandant?

III. Quæres, quo ritu debeat eoſdem excolere? & reſpondet Sanctio *Juxta Rubricas;* Rubricæ autem de Titulari propriæ Eccleſiæ præſcribunt Officium duplex primæ claſſis cum octava, & ideo hoc pacto debebit utrumque Titularem venerari.

IV. Quoniam vero unio alia eſt perpetua, alia temporalis, ſeu ad vitam illius, cui conceditur, idcirco dubium emergit, num quoties Eccleſiarum unio perpetua non eſt, ſed temporalis, poſſit, & debeat Rector de Titulari Eccleſiæ temporaliter unitæ Officium recitare? Cui dubio affirmative venit reſpondendum; etſi enim eo in caſu unio dictarum Eccleſiarum non ſit perpetua, ſed temporalis, adhuc inficias iri non valet, quod ille pro eo tempore non ſit illius Eccleſiæ æque Rector, ac ſi unio præfata perpetua foret, & non minus utriuſque Eccleſiæ Rector ſit, ac utraque Eccleſia non ſit ejuſdem Eccleſia propria, ac ejuſdem curæ æque commiſſa. Deinde indubium eſt, quod ſi illa Eccleſia temporaliter alteri unita proprium haberet Rectorem, ejuſdem Titularem hic deberet excolere; quidni igitur & ille, qui pro eo tempore ejuſdem vere eſt Rector, ac proprius ejuſdem Rector eſt, perinde ac ſi nullius alterius Eccleſiæ curam haberet?

V. Dubium proponit Gobat *tract. 3. numer. 696. append. 2. lit. yy.* num ſi alicui committantur integre cum jure ad fructus procurandæ duæ, aut tres Parochiæ, uti apud ipſos non ſemel factum eſſe aſſerit temporibus bellicis, poſſit ille ſingularum Dedicationes, & Patronos una cum octavis excolere? & reſpondet uſum adeſſe talia Officia celebrandi; quanto igitur magis id fieri debebit, quando una Eccleſia eſt alteri unita uſque ad mortem Rectoris, cujus curæ fuit illa commiſſa?

VI. Digna autem proculdobio, quæ ſerio ponderentur, ſunt illa verba Decreti, *Maxime ſi Eccleſiæ ſint peræque unitæ*, quæ nobis indicant, locum habere diſpoſitionem Decreti, tametſi Eccleſiæ non ſint æque principaliter unitæ, quoniam, ut advertit Barboſa *de Dictionib. uſufreq. dict. 197. num. 5.*, dictio *Maxime* ſtat ampliative, & augumentative, & ideo ſtatutum loquens, vel diſponens aliquid per verba exprimentia genus, includit omnes ſpecies ſub genere comprehenſas, etiam quando enumeratio aliquarum ſpecierum fuit facta, modo fuerit facta cum hac dictione *Maxime*, quæ ampliat. Ita Gemin. *conſ. 6. num. 3., & 4.*, Alex. *conſ. 133.* incip. *Viſo proceſſu, col. 2. in fine, verſ. nec etiam lib. 1.*, quos refert Cardinalis Tuſchus *dict. lit. D.*, *concl. 309. num. 1.* ubi *num. 2. cum ſeqq.* poſt Bart. *in Extravagant. ad reprimend. in verſ. Maxime*, ſubdit, quod quando genus præcedit, & ſequitur ſpecies per dictionem *Maxime*, importat rationem magis vigentem in ſpecie, quæ erat incluſa, & nihilominus exprimitur cum dictione *Maxime*.

VII. Cum itaque Sanctio generaliter firmet, quod *Parochus duarum Eccleſiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium*, & ſubdat, *Maxime ſi Eccleſiæ ſint peræque unitæ*, fit, quod Parochus duarum Eccleſiarum unitarum ſemper de ambarum Titulari Officium recitare debeat, quomodocumque eæ ſint unitæ, & per dictionem *Maxime* adjectam importantem ſpeciem, ſcilicet Eccleſias æque principaliter unitas, denotatur ſolum ratio magis vigens in ſpecie, nempe in Eccleſiis peræque unitis, uti revera in hujuſmodi Eccleſiis magis viget ratio, cum remaneant Eccleſiæ æque principales, ac diſtinctæ, ut antea, & ſe habeant, uti a duobus perſonaliter diſtinctis Rectoribus procurarentur.

VIII. Fit igitur primo, quod ſi una Eccleſia alteri acceſſorie ſubjiciatur, Parochus illarum duarum Eccleſiarum non ſolum Officium juxta Rubricas facere debet de Titulari Eccleſiæ principalis, ſeu illius, cui altera Eccleſia unita eſt, ſed etiam de Titulari Eccleſiæ minus principalis, & acceſſoriæ, ſeu quę illi unita extitit; ac conſequenter exurgit regula generalis, quam ſuperius in præcedenti, & præſenti Capitibus etiam non ſemel firmavimus, videlicet, quod de Dedicatione, & Titulari Eccleſiarum acceſſoriarum Officium duplex primæ claſſis, & cum octava fieri debet per Eccleſiam, ad quam Eccleſiæ illæ acceſſorie ſpectant.

IX. Fit 2., quod adhuc facta unione primo modo ita ut

ex

ex duabus Eccleſiis cenſeatur facta una, debeat utriuſque Titularem Parochus colere; ut enim ait Garzias *loco cit. num.* 10., & 11. talis unio operatur, ut conſuetudo, & privilegia data uni competant alteri, & ſi ſunt contraria, meliora, & favorabilia conſervabuntur; operatur etiam, quod Canonici, qui ſunt in una Eccleſia, ſint in alia, & faciant unum corpus, & conſequenter utraque Eccleſia cenſetur una Eccleſia, & ideo utraque Eccleſia eſt propria Eccleſia præfati Parochi, & ſic hic tenetur utriuſque Titularem, & Dedicationem celebrare.

X. Fit 3. quod etſi Parochus, & Epiſcopus plurium Eccleſiarum unitarum poſſint, & debeant de omnium Titularibus, & Dedicationibus feſta peragere, adhuc Clerus dictarum Eccleſiarum non poterit cujuslibet Eccleſiæ Titularem, & Dedicationem recolere, ut firmat Decretum XII. præcedentis Capitis, ſed quilibet de iis ſuæ reſpective Eccleſiæ dumtaxat peragere poterit, ita ut loquendo de Eccleſia Cathedrali, cum hujus Feſta primaria Tituli, & Dedicationis ad totam juriſdictionem extendantur, quilibet juxta ſuperius dicta ad ea teneatur, loquendo vero de Eccleſia Parochiali, cum hujus Feſta ſolum Clerus choro ejuſdem Eccleſiæ addictus juxta Decretum XIV. præcedentis Capitis perſolvere queat, idem quidem Clerus de ejuſdem choro, & nullus alius de Titularibus, & Dedicationibus aliarum Eccleſiarum unitatum poterit recitare, quia, ut advertit *num.* 35. idem Garzias, *per unionem unius Eccleſiæ ad aliam non alteratur ſtatus Eccleſiæ unita, ſed debet in tali Eccleſia more ſolito deſerviri*; quod tamen intelligi debet, & limitari ad unionem æque principaliter factam, qua ſtante, ut ſuperius dicebamus, immutatus permanet ſtatus earumdem Eccleſiarum ita unitarum, & adhuc ſunt Eccleſiæ inter ſe ſe diſtinctæ, ac diverſæ, ut prius, & ſolum dicuntur unitæ ratione unius, & ejuſdem Rectoris, a quo gubernantur.

XI. Non procedit vero de Eccleſiis primo modo unitis, quia tunc cum ex duabus Eccleſiis facta cenſeatur una, & pro una reputentur, & iſtæ ſibi invicem conſuetudines, & privilegia communicent, ab Clero utriuſque Eccleſiæ juxta modo dicta deberent talia peragi feſta, nec Clerus unius ex dictis Eccleſiis agens feſta alterius, cenſeretur celebrare feſta alienæ, ſed propriæ Eccleſiæ. Idem eadem de cauſa dicendum venit de Eccleſiis, quarum una eſt alteri acceſſorie unita, atque ſubjecta, acceſſorium enim ſequitur naturam, & mores ſui principalis, & unio hoc modo facta operatur extinctionem, & ſuppreſſionem Eccleſiæ unitæ, ita ut non poſſit amplius dici Eccleſia Cathedralis, vel Parochialis, ſaltem disjuncta ab ea, cui unita fuit, ſed judicatur ut prædium, vel Eccleſia ejus, cui fit unio, vel incorporatio, & conſequenter Eccleſia principalis debet facere Feſta Eccleſiæ ita unitæ, tamquam feſta propriæ Eccleſiæ, & e contra.

XII. Fit 4. quod idem prorſus dicendum venit de Beneficiario habente plura Beneficia unita, ac dictum fuit de Epiſcopo, vel Parocho plurium Eccleſiarum unitarum, ac conſequenter etiam Beneficiarius tenebitur ad celebrationem cunctorum Titularium, ac Dedicationum omnium Beneficiorum, quæ poſſidet, quocumque ex dictis modis ea Beneficia reperiantur unita, dummodo talia Beneficia ejus ſint rationis, ut nata apta ſint habere juxta Rubricarum diſpoſitionem cultum Patroni, cujuſmodi ſunt Beneficia, quæ pro Titulo Eccleſiam habent, non autem quæ pro Titulo agnoſcunt Altare, vel Cappellam alicujus Eccleſiæ, niſi placeat aſſerere, quod etiam hujuſmodi Tituli ſub ritu duplici majori debeant celebrari juxta ſententiam eorum Auctorum, quos in præcedenti Decreto retulimus.

XIII. In contrarium ſentit Guyetus *lib.* 2. *cap.* 17. *quæſt.* 5., ubi vult habentem plura Beneficia debere in privata recitatione illius Eccleſiæ feſta propria celebrare, apud quam reſidet, non autem aliarum. Quod ſi in nulla reſideat, ſatis eſſe aſſerit, ut in feſtis propriis celebrandis rationem habeat dignioris, aut ſi æquales ſunt, utrius volet: & hujus rationem reddit, eo quod alias magna hinc confuſio oriretur, magnaque feriarum ſtrages, ſemperque Beneficiarius ille occupatus foret in celebrandis propriis feſtis, & octavis.

XIV. Hac tamen in parte adhuc deſerenda non venit ſententia Gavanti, *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 11. præfatum Beneficiarium ad feſta ſingulorum Titulorum obligantis; tum quia adoptata videtur per præſens Decretum, quod Parochum obligat ad Feſta ſingulorum Titularium Eccleſiarum unitarum, & eadem videtur eſſe ratio de Beneficio curato, ac de aliis Beneficiis majoribus, vel minoribus, aut ſimplicibus relate ad eadem feſta. Tum qnia Rubricæ ponunt in præcepto Feſtum Tituli propriæ Eccleſiæ, ergo qui plures habet Eccleſias proprias unitas, de omnium Titularibus recitare debebit. Tum quia ſi eæ Eccleſiæ, vel Beneficia unita non forent, Beneficiario cuilibet incumberet onus de Titulo propriæ Eccleſiæ, aut Beneficii officium peragendi, ergo ſi in uno ea ex diſpenſatione contingant uniri, ille de ſingulis Titulis eorumdem celebrare debebit; onus enim illud, quod ſingulis diviſive competeret, quoties Beneficia in uno uniuntur, æquum eſt, & ipſum uniatur, ut ſic qui ſentit emolumentorum fructum, ac plurium Beneficiorum commodum, ſentiat etiam onus præfatis Beneficiis adnexum; quælibet enim res tranſit cum onere, & honore, nec æquum eſt, ut Sanctus ille, cui juxta Rubricas vi Beneficii officium debetur, & illi reipſa, Beneficio non alteri unito, impenderetur, ob Beneficiorum unionem illud deperdat, cum per talem unionem non depereat titulus talis obligationis, ſed adhuc integer perſeveret. Tum denique quia non deſunt plures ex Auctoribus id aſſerentes, inter quos Bonacina *de Horis Canon. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *numer.* 28. Non officit autem, quod in oppoſitum adducit Guyetus de perturbatione officii, & de feriarum ſtrage, quæ inde ſequerentur, quoniam evidens eſt, quod Rubricæ, atque Decreta pluris faciunt cultum Patroni, quam ea incommoda, quæ adducuntur. Deinde vel nullus, vel admodum perrarus eſt, qui tot Beneficia poſſideat, ut ex iiſdem dicta incommoda oriri queant; quæ autem relate ad totam Eccleſiam, vel ad majorem ejuſdem partem incommoda forent, relate ad unum, vel alterum incommoda nec ſunt, nec reputantur, maxime cum in iis ita agendi congrua non deeſt ratio; unde videmus Eccleſias, ac Regulares Ordines, qui pluribus Sanctis indigenis abundant, ex Apoſtolicis Conceſſionibus fere continuis Sanctorum feſtis indulgere, ita ut vel nullus, vel fere nullus locus in iiſdem ſuperſit feriali officio. Uti igitur in hujuſmodi Eccleſiis, vel Religionibus a Sede Apoſtolica nihili fit officii ferialis ſuppreſſio, & ſtrages, vel ſaltem pluris æſtimatur cultus, qui debetur Sanctis indigenis, ita in Beneficiatis habentibus plures Eccleſias, ac Titulos nihili facienda venit, vel pluris faciendus eſt cultus, qui Titularibus debetur, ac conſequenter ceſſandum non eſt ab eorumdem cultu ad effectum faciendi locum feriali officio, vel ne ſequantur ea incommoda, ac perturbatio.

XV. Unam tamen Decretum, quod exponimus, ac ea, quæ hucuſque dicta ſunt, patiuntur limitationem, & eſt, quod ſi quis ex Parochis, vel Beneficiariis habentibus plures Eccleſias, vel Beneficia unita, adſtrictus foret choro particularis alicujus Eccleſiæ, in publica recitatione officii ſe conformare deberet cum choro illius Eccleſiæ, quinimmo & cum privatim recitat, ne cum ad chorum redit, cogatur vel aliqua officia omittere, vel aliqua repetere, ac plura alia ſequantur abſurda, ac inevitabilia incommoda, quæ exponemus in Decr. I. Cap. de Qualitate officii, ubi & apparet id jam fuiſſe deciſum. In hujuſmodi itaque caſu præfatus Beneficiarius temperare deberet a recitatione de Titularibus propriarum Eccleſiarum, & his poſthabitis uniformitatem tenere cum choro Eccleſiæ, cui eſt addictus. Si tamen prædictus Beneficiarius præſens adeſſet in feſto ſolemni principali Eccleſiæ, cujus Beneficium poſſidet, contendere haud poſſumus Guyeto, & aliis Auctoribus, quod tum in choro cum aliis cantans, tum privatim recitans poſſet de eo recitare, & ſic proprio penſo ſatisfacere, ſed ſtatim redire deberet, ad officium chori, cui intereſſe tenetur, ne major plaga, & perturbatio fieret, & membrum a ſuo toto ſæpe cum magna diſſonantia diſcordaret; diſſonantia autem illa, quæ uno, vel altero die in memorato caſu eveniret, utpote minima, & congruam ob rationem inducta, plurimi non venit facienda, uti eadem de cauſa nec omiſſio officii ea die occurrentis, De hoc redibit ſermo in Decreto ſequenti.

XVI. Fit 5. quod Parochorum nomine ad effectum recitandi de Titulari propriæ Eccleſiæ, & etiam aliarum eidem unitarum, veniunt nedum illi, quorum Parochia beneficium eſt, ſed etiam favorabili appellatione, qui Parochi mercenarii ſunt, amovibiles, ac ad tempus conducti; pro eo enim tempore ſunt vere dictarum Eccleſiarum Rectores, ac illis earumdem cura commiſſa eſt, perinde ac ſi eam in Beneficium poſſiderent, quapropter ejuſdem, ac Eccleſiarum unitarum primaria feſta peragere debent.

XVII. Fit 6. Idem eſſe de eo, cui Beneficium aliquod integre commendatum veniret quoad totam adminiſtrationem, etiamſi commiſſio hujuſmodi, ſeu commendatio Eccleſiæ non ſit erecta in titulum Beneficii, neque in perpetuum conferatur; quemadmodum enim hic juxta Medinam, Ledeſmam, Navarrum, & alios apud Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 14., etſi Beneficium non habeat, obligatur ad recitandum Officium Divinum, quia ſubrogatus eſt loco habentis Beneficium cum tota obligatione Beneficii ab ipſo acceptata, quæ obligatio æquivalet titulo Beneficii, ita tenebitur ad omnia illa Officia, ad quæ tenetur Beneficiarius ipſe, ſi adeſſet.

XVIII. Dixi autem, *Integre commendatum quoad totam adminiſtrationem*, quia ſi ſolum commendetur quoad exteriora, & publica ſervitia Eccleſiæ, tunc aſſerunt Suarez *loco citato*, Perſicus *de Horis Canon. cap.* 5. *dub.* 8. *num.* 2. aliique, quod iſte non tenebitur ad dicendum Officium Canonicum, ut verbi gratia, ſi Beneficiarius proprius abfuturus ab Eccleſia ſua propter negotia, illam commendet Amico, aut mercenario Clerico, ut pro ſe toto illo tempore inſerviat, tunc non tenebitur Subſtitutus ille ex vi oneris, quod in ſe ſuſcipit, Officium dicere, niſi quatenus publice in Eccleſia illud canere neceſſarium foret, quia ſolum publicum, & externum miniſterium eſt illi commendatum, & obligatio recitandi privatim Officium ſemper manet apud Proprietarium; ita ut non poſſit illam alteri delegare, quia eſt onus perſonale, *& ſacrificium laudis, & fructus labiorum ſuorum*, ut dicitur in Clem. 1. de Celebr. Miſſar.; Cum itaque obligatio non debeat multiplicari ſine cauſa, & neceſſitate, & dicta obligatio maneat apud Proprietarium, apud quem manet Beneficium ipſum, idcirco Subſtitutus in eo caſu non eſt cenſendus obligatus. Quod ſi ex vi præfatæ commendæ non manet iſte adſtrictus ad Officium Divinum, utique nec adſtrictus eſſe poterit ad recitanda Officia particularia Eccleſiæ illius, cujus ſervitio deputatur.

XIX. Idipſum pronunciandum venit de iis Cappellanis, vel Sacerdotibus, qui in ſubſidium ſui miniſterii, vel cauſa levandi ſibi laboris, vel diligentius populo inſerviendi a Parochis ipſis, vel Beneficiariis conducuntur, de his enim videtur eadem eſſe ratio, quæ de Vicario relicto ſolum, ut ſuppleat abſentiam Parochi in externa Eccleſiæ adminiſtratione, adeoque non obſtante illo adjutorio, quod attinet ad recitationem Officii, totum munus integrum manet apud Proprietarium, & alter eſt ſolum Stipendiarius, non ut relevet Proprietarium ab onere recitandi, ſed ſolum ab aliis miniſteriis, quapropter talis Coadjutor, vel Sacerdos ex hoc titulo non tenetur recitare, & conſequenter nec poterit recitare Officia particularia illius Eccleſiæ, cui inſervit, quantumvis ex alio titulo, puta Ordine ſacro, ad Divinum Officium teneatur. Equidem ex eo, quod præfata Coadjutoria non ſit titulus ſufficiens ad inducendam obligationem Officii Divini, non recte eruitur, dictam exercentem Coadjutoriam non teneri ad Officia particularia, ſi ex alio titulo ad Divinum Officium ſit obligatus, quia, ut inferius videbimus, obligatio præfata particularia Officia recitandi naſci etiam poteſt ex alio titulo, ſcilicet ex eo quod Eccleſia ſit *propria*, cujus feſtum Tituli, & Dedicationis juxta Rubricas eſt in præcepto; Eccleſia autem *propria* dici poteſt etiam relate ad eum, qui eamdem in titulum Beneficii haudquaquam poſſidet, quapropter ex producta ratione revera ſolum eruitur, præfatos Coadjutores ex titulo Beneficii, vel quaſi Beneficii ad dicta particularia Officia nullatenus adſtringi, quemadmodum nec ad Officium Divinum in genere ex eo titulo obligantur. Verum quoniam memorata Eccleſia nec eorumdem dici valet *propria Eccleſia*, utpote quæ proprium habet Rectorem, cui ejuſdem cura plene commiſſa eſt, idcirco ſi ex titulo Coadjutoriæ non obligantur, optime inferri valet, nullatenus ad dicta Officia adſtringi.

XX. Secus vero forſitan dicendum venit de iis Coadjutoribus, qui ab Epiſcopis, vel aliis Superioribus dantur Parochis ſenibus, longo morbo laborantibus, vel alia de cauſa impotentibus ad proprium munus exequendum, iiſdem aſſignata congrua fructuum portione, & Eccleſiæ cura plene commiſſa; horum enim Eccleſia illa dici valet *propria* titulo Beneficii, vel quaſi Beneficii, aut ſaltem ratione Curæ, ab habente poteſtatem ſibi plenarie commiſſæ, quapropter ad ejuſdem propria Feſta celebranda teneri arbitramur. Non eſt autem eadem ratio in priori caſu, tum quia ſubſtitutio, vel commendatio fit propria voluntate, & auctoritate ipſiuſmet Beneficiarii, & non a legitimo Superiore, ad quem ſpectat Eccleſiam illam de Rectore providere. Tum quia quod recipit pro ſuſtentatione, recipit per modum ſtipendii. Tum denique quia ille vere non habet curam memoratæ Eccleſiæ, nec hujus regimen eſt illi plene commiſſum.

XXI. Fit itaque hic nobis occaſio generaliter inquirendi, num Sacerdos ille, cui per Superiorem, ad quem de jure ſpectat, cura alicujus particularis Eccleſiæ committitur, de ejuſdem Dedicatione, & Titulari valeat celebrare? Non eſt impræſentiarum ſermo de Cappellanis qua Cappellanis, ſeu de iis Sacerdotibus, qui in aliqua Eccleſia quotidie, vel frequenter ex commiſſione Sacrum faciunt, vel facere tenentur. De his enim agemus infra, & adhuc magis in Dec. II. Cap. de Qualitate officii, ſed de iis Sacerdotibus, qui deputantur ad cuſtodiam alicujus Eccleſiæ, ejuſdemque cura iiſdem commendatur; & de illis negative videtur reſpondendum; certum eſt enim, quod cura illius Eccleſiæ non obligat talem Sacerdotem ad recitationem Officii Divini, ita quod ſi ex alio titulo ad recitandum non foret adſtrictus, nec ex eo titulo obligatus veniret, & conſequenter nec obſtrictus eſſe debet ad recitanda Officia particularia illius Eccleſiæ.

XXII. Verum etſi hujuſmodi ratio potis ſit ad deobligandum ex tituln Beneficii vel quaſi Beneficii a recitatione Officiorum particularium, & ideo ea optime deſerviat ad eximendos ab eorumdem recitatione Coadjutores, qui ex titulo Beneficii, vel quaſi Beneficii, contenduntur adſtricti, attamen non eſt ipſa univerſim valida ad declarandos quoſcumque hoc ipſo liberos ab onere dictorum Officiorum; ut enim quis teneatur ad horum recitationem, ſat eſt, quod ſint Dedicatio, & Titulus *Eccleſiæ propriæ*, quæ feſta juxta Rubricas ſunt in præcepto; Eccleſia autem dicitur *propria* nedum ratione Beneficii, quod in ea habeatur, ſed pluribus aliis modis, videlicet vel ratione Chori, cui quocumque modo quis ſit obſtrictus, ut conſtat ex Decreto III. Cap. de Qualitate Officii; vel ratione habitationis, ut in Regularibus, qui propterea per Decretum VIII. ſequentis Capitis teneri dicuntur ad celebrandum Feſtum Dedicationis, & Tituli illius Conventus, in quo morantur; vel ratione Præfecturæ, ſeu Curæ integre commiſſæ, & plenarie commendatæ, & ex hoc titulo Auctores obligant eos ex Regularibus, qui præficiuntur alteri Eccleſiæ Regulari, vel adhuc Sæculari, aut ex Clero Sæculari, qui præficerentur Eccleſiæ Regulari, ad ſequendam conſuetudinem Eccleſiæ, cui præficiuntur, quemadmodum nos edocebunt, quæ traduntur in Decreto IV. Cap. de Qualitate officii, ubi id dici valet quaſi indirecte, & implicite ſtatutum.

XXIII. Etſi igitur illi, quibus Cura alicujus Eccleſiæ integre commendatur, iſtius vi commendæ obligati haud veniant ad recitationem Officii Divini, & conſequenter nec ad recitanda Officia particularia Eccleſiæ commiſſæ, adhuc tamen ſi ex alio titulo ad Officium Divinum adſtringantur, etiam obligabuntur ad recitanda Officia particularia dictæ Eccleſiæ; quia ea ſunt Officia, quæ de propria Eccleſia fieri mandant Rubricæ. Dum autem dicimus *Cura plenarie commiſſa*, non intendimus, quod etiam temporalium bonorum, quæ Eccleſia poſſidet, adminiſtrationem debeant neceſſario habere, ſed quod plenam ſpiritualem ejuſdem adminiſtrationem teneant, quapropter qui v. g. Hoſpitali, vel alteri pio ſimili loco præficerentur cauſa adminiſtrandi Sacramenta, & alia peragendi, quæ ad juriſdictionem attinent ſpiritualem, de Titulari, & Dedicatione Eccleſiæ ejuſdem Officium facere poſſent, tametſi adnexorum bonorum temporalium adminiſtrationem non haberent, ſed hæc adhuc apud Sæculares perſonas reſideret. Nec officit, quod ſint ſtipendiarii, & amovibiles dummodo cura ut ſupra ſit ipſis reipſa commiſſa, quia pro eo tempore ſunt vere Rectores. Idipſum dicendum venit de quibuſcumque aliis, in quibus eſt eadem, vel ſimilis ratio.

XXIV. De illis Coadjutoribus, qui ſunt ſucceſſores ipſo facto in Beneficio, & ſine nova collatione, nunc remanet inquirendum; hi autem cenſentur habere titulum Beneficii, quare Coadjutor datus Epiſcopo auctoritate Papæ eſt vere Epiſcopus, ut ſentit Gloſſa in cap. *Non autem* 7. q. 1. V. *Ut non ſuccederet*, ergo ſimiliter Coadjutor datus Canonico auctoritate Papæ eſt vere Canonicus, unde & ad honores, & ad actus proprios talis Beneficii admittitur, necnon habet ſuam Sedem in Choro, & vocem in Capitulo, ergo ex vi talis Coadjutoriæ habebit obligationem recitandi, & recitandi juxta morem Eccleſiæ, in qua eſt Coadjutor.

XXV. Verum communis fert opinio Doctorum, quos ad longum recenſet Perſicus *loco citato dub.* 9., Coadjutores Beneficiorum non teneri Officium Divinum recitare. Tum quia obligatio recitandi Officium Divinum ſemper manet apud Proprietarium, cum ſit perſonalis, ergo non obligat Coadjutorem, quia ex uno Beneficio non obligantur duo ad recitandum Officium. Tum quia Coadjutoria proprie non eſt Beneficium Eccleſiaſticum, quia etſi ſit cum futura ſucceſſione, non dat jus in re, ſed ſolum ad rem, ut docet Navarrus *in Relectione cap. Si quando, de Reſcript. prælud.* 5. *num.* 10. Tum quia unum, & idem Beneficium non poteſt ſimul eſſe in duobus. Tum denique quia Paulus V. ad petitionem Eccleſiæ Cathedralis Conimbricenſis in quadam anni 1606. inter alia declaravit, Coadjutores Canonicorum non eſſe vere Canonicos, nec pro talibus habendos, viventibus Coadjutis.

XXVI. Nec obſtant rationes dubitandi in principio propoſitæ, quia per conceſſionem Coadjutoriæ fit collatio, quaſi ſub conditione, qua completa ipſo facto perficitur collatio, quæ prius erat quaſi pendens, quapropter Coadjutor non habet titulum Beneficii in re, ſed tantum in ſpe, ſeu jus ad rem, non in re. Falſum eſt autem, quod Coadjutor Canonici ſit vere Canonicus, licet vulgo ita nominetur propter jus ad ſuccedendum: unde Sacra Rituum Congregatio 24. Maji 1636. apud Meratum in Indice Decretorum Miſſalis num. 279. decrevit, quod *non licet Coadjutoribus Canonicorum, abſentibus, vel impeditis Coadjutis, inſervire pro Aſſiſtentibus Epiſcopo ſolemniter celebranti, vel cum Cappa Divinis intereſſenti. Sed hoc munus ſpectat, & pertinet ad veros Canonicos ordine ſucceſſivo*, Coadjutores igitur non ſunt veri Canonici.

XXVII. Nec obſtat, quod habeant vocem in Capitulo, & ſedem in Choro, id etenim non habent ex vi tituli, ſed quia eis conceditur, ut etiam quoad hoc Proprietarium juvent: Unde in præſentia Coadjuti nihil hujuſmodi profecto habent, quinimmo quando Coadjuti ſunt præſentes in Choro, vel Proceſſionibus, Coadjutores nec poſſunt in habitu Canonicali intervenire ex Deciſione S. R. C. 24. Maji 1636., & ex altera Deciſione 7. Martii 1637. *Coadjutores Canonicorum extra ſuam Eccleſiam, & ſine Capitulo nullam habent prærogativam, ac ſi non eſſent Coadjutores; unde in concurſu cum aliis Sacerdotibus non præcedunt, niſi ratione antiquitatis in Ordine.*

XXVIII. Idem autem eſt de Coadjutore Epiſcopi, quia non eſt Prælatus, nec Epiſcopus quoad Beneficium, licet forte conſecratus ſit, ut nunc eſſe ſolet. Hoc vero intelligitur de jure ordinario, nam de potentia abſoluta poteſt Pontifex concedere Coadjutorem Epiſcopo, & aliis, qui vere, & actu ſimul cum alio eſſet Epiſcopus, & Beneficiarius, quod intendunt Gloſſa cit., & Panormitanus in Capit. *Quoniam* de off. ordin. num. 4. Et de facto legitur D. P. Auguſtinum ordinatum fuiſſe Epiſcopum ſimul cum Valerio, quod tamen non per diſpenſationem Papæ, ſed per ignorantiam factum fuit, ut ipſe Auguſtinus poſtea cognovit, & conqueſtus eſt, ut refert Poſſidius in Vita D. Auguſtini *cap.* 8., & late Baronius habet *tomo* 5. *Annalium Chriſti* 395. *numer.* 31., *&* 32.

XXIX. Patens eſt itaque, quod quivis ex Coadjutoribus, licet cum futuritione, haudquaquam obligatur ex titulo Coadjutoriæ ad recitationem Officii Divini, ac conſequenter nec ad recitandum de Sanctis particularibus Eccleſiæ, in qua Coadjutus habet Beneficium. Quod ſi inquiras, an Beneficii Coadjutor teneatur Officium Divinum recitare, ſaltem eo tempore, quo ſupplet vices Beneficiarii? Reſpondeo duas eſſe ſententias, quarum prima, quæ eſt Medinæ *in Cod. de Orat. q.* 7. Ledeſmæ 2. *p.* 4. *q.* 16. *art.* 4. *dub.* 5., & aliorum affirmat, quia tunc præfatus Coadjutor ſuſcipit in ſe onus Eccleſiæ in defectu Principalis.

XXX. Secunda vero ſententia, quæ probabilior eſt, docet prædictum ad id non teneri, ſed ſolum ad id, ad quod datus eſt Coadjutor, unde ſi datus ſit tantum ad miniſtranda Sacramenta, vel ad canendum, vel aſſiſtendum tantum in Choro, ad id utique tenebitur, numquam tamen ad recitandum Divinum Officium ex vi Coadjutoriæ. Ratio eſt, quia licet Proprietarius legitime excuſetur a ſervitio Chori, & Eccleſiæ, ſerviendo per Coadjutorem, non tamen ab onere recitandi Officium Divinum, cum hoc ſit onus perſonale, ſequens Beneficium, quod ipſe retinet integrum; in iis enim miniſteriis, quæ Principalis poteſt per Coadjutorem implere, eo ipſo quod adminiſtratio committitur Coadjutori, Principalis liberatur per miniſterium ejus, quapropter licet Principalis teneatur ad Chori aſſiſtentiam, ſatisfacit ſuo muneri aſſiſtendo per Coadjutorem. Cum itaque Principalis haudquaquam liberetur ab onere recitandi, licet Coadjutorem habeat, ſignum utique eſt, quod hujuſmodi obligatio numquam cadit in Coadjutorem, etiam dum actu adminiſtrat, & quod Coadjutor non eſt quoad Officii recitationem.

XXXI. Ex his quoad præſens attinet, ſequitur primo, quod Coadjutus teneatur recitare de Officiis Eccleſiæ, in qua Beneficium habet, tametſi ab aſſiſtentia Chori per Coadjutorem liberetur; ea enim eſt ejuſdem vere propria Eccleſia, utpote in qua Beneficium habet, & aliunde vi Beneficii eſt itidem ejuſdem Choro obſtrictus, cui proinde vel per ſe, vel per Coadjutorem tenetur intervenire, quapropter dictus Coadjutus debet ſe in Officio omnimode cum Choro propriæ Eccleſiæ conformare.

XXXII. Sequitur ſecundo, quod Coadjutor dum Choro pro Coadjuto intereſt, ad Officia propria quidem Eccleſiæ illius obligatur, quia tenetur ad Officia Chori, in quo Coadjutoriam exercet, extra Chorum autem ex vi Coadjutoriæ nec ad Officia propria, nec ad Officium Divinum obligatur. Si vero ex alio titulo ad Officium Divinum maneat adſtrictus, puta quia ſit in Ordine Sacro conſtitutus, tunc etiam quando privatim recitat, & extra Chorum, ad Officia Chori, in quo habet Coadjutoriam, utique tenebitur, ſicuti id deciſum videbitur in Cap. de Qualitate Officii, & ibi hoc veniet late diſcuſſum. Quod æque proculdubio procedit etiam de iis Coadjutoribus, qui non ſuccedunt in Beneficio, ſed per ſtipendium conducti ſunt, ut alicujus Reſidentis abſentiam ſuppleant.

XXXIII. Sequitur tertio, quod Coadjutor Epiſcopi, etſi vi Beneficii ad Officia propria Eccleſiæ non teneatur, ad eadem tenetur tamen, tum ratione Curæ ejuſdem Eccleſiæ ipſi commiſſæ, tum quia ſunt Dedicatio, & Titulus Eccleſiæ Cathedralis, quæ ſunt in præcepto apud omnes accolas ad Officium Divinum adſtrictos.

XXXIV. Sequitur quarto, conductos tantummodo ad exteriora ut ſupra, & publica Eccleſiæ miniſteria ſine legitima commiſſione, & commendatione Eccleſiæ, equidem, ut ſuperius dicebamus, nec teneri ex vi talis Coadjutoriæ ad Officium Divinum ſimpliciter, nec ad Officia particularia, immo nec poſſe iſta recitare, ſi velint pro ſatisfactione præcepti, quod ex alio titulo iiſdem incumberet. Ceterum ſi in propriis Eccleſiæ, cui ex mercede inſerviunt, feſtis Choro, in quo dicta Officia recitantur, intereſſe deberent, putamus, quod eorumdem Officiorum recitatione præcepto Horarum Canonicarum, quod ex alio titulo eoſdem urgeret, apprime bene ſatisfacerent; nimis his enim redderetur oneroſum miniſterium, quod exercent, ſi poſt recitationem Officii Divini in Choro juxta ritum ejuſdem Eccleſiæ, ad ſatisfaciendum propriæ obligationi aliud Officium privatim recitare tenerentur. Poſſent id autem, non quidem vi Rubricarum, vel quia ea cenſeretur eorumdem propria Eccleſia, alias ad id & tenerentur, ſed ex benigna interpretatione Apoſtolicæ mentis, quæ non præſumitur velle plurimum Cleri gravamen, nec ejuſdem præcepta cum gravi incommodo obligare, præſertim cum æquivalens, ut in caſu noſtro, penſum exolvitur, & aliunde alias Clerus a prædictis miniſteriis retardaretur, quæ tamen Eccleſiæ Dei, ejuſdemque fidelibus ſunt apprime utilia, atque percommoda.

XXXV. Sequitur quinto, nedum ad Officia particularia, verum etiam ad Officium Divinum abſolute, licet ex alio titulo ad hoc minime obligaretur, teneri primo illud, cui auctoritate Papæ commendaretur tota Eccleſiæ adminiſtratio, quamdiu Beneficiarius puer, ex diſpenſatione factus, recitare non valet, quia tunc totum onus Beneficii, etiam quoad recitationem, intelligitur Vicario commiſſum, ne Eccleſia ullo Officio privetur; Secundo quoties Beneficium aliquod unitum eſt alicui Religioni militari, vel alteri cum onere conſtituendi ibi Vicarium, qui portet omnia onera Beneficii, uti & quando vacante Eccleſia Parochiali Epiſcopus ibi Vicarium conſtituit, & in aliis ſimilibus caſibus, ubi eadem ratio intervenit.

XXXVI. Quæres primo, num Parochus poſſit Officium facere de Dedicatione, & Titulo ſuarum Eccleſiarum filialium, ſeu earum, quæ intra fines Parochiæ ſitæ ſunt?

XXXVII. Reſpondet Gobat *tract. 3. num. 696. append. 2. lit. yy.* per hæc præciſa verba; *Nemo dubitat, quin poſſit Parochus Officium, Miſſamque dicere de Dedicatione, & Titulo ſua, ſuarumque Eccleſiarum filialium, ſaltem ſi eas per ſe, & non per Capellanos inde ſtipendium habentes, procuret.* Verum cum ex Decreto XIV. præcedentis Capitis certum ſit, quod Eccleſiæ filiales non poſſunt Eccleſiam Parochialem ita colere, ut valeant officium de ejuſdem Dedicatione, & Titulo recitare, unde & in Decreto II. hujuſce Capitis ſtatutum extitit, quod Titulus Eccleſiæ Parochialis celebrari poteſt *tantum* in ipſa Eccleſia Parochiali, & non in toto loco, dicendum venit, quod nec Eccleſia Matrix, ſeu Parochialis, vel ejuſdem Rector poſſit de memoratarum Eccleſiarum filialium Dedicatione, & Titulo recitare; ſi enim Eccleſia Cathedralis, quæ eſt totius loci primaria, a qua cunctæ per ſe plus, quam dictæ filiales a Parochiali, loci Eccleſiæ dependent, & cujus feſta primaria ad eaſdem cunctas Eccleſias extenduntur, non valet de Dedicatione, & Titulo ſubditarum Eccleſiarum recitare, alioquin perpetuis, ut per ſe notum eſt, feſtis primæ claſſis, & octavis indulgeret; quomodo unquam adjudicari poterit, quod Eccleſia Parochialis, ſeu Parochus poſſit de feſtis primariis Eccleſiarum filialium officium perſolvere? & quod Eccleſia Matrix poſſit, & debeat Eccleſiarum filialium Titularibus, & Dedicationibus præſtare cultum, quem ipſæ haud præſtant, nec præſtare poſſunt Titulari, & Dedicationi Eccleſiæ Matricis? Et quidem exorbitans nimis foret, quod Parochus poſſet de dictis feſtis Eccleſiarum filialium recitare; dantur enim perſæpe intra fines unius Parochiæ pluſquam centum Eccleſiæ, quapropter pluſquam ducenta feſta primæ claſſis, & totidem octavas cum omnimoda Breviarii perturbatione, & continua a ceteris loci membris diſſonantia celebrare deberet; quid autem abſurdius, & diſconvenientius?

XXXVIII. Confirmatur primo, quia ex Decreto II. hujuſce Capitis Titulus cujuſque Eccleſiæ celebrari dumtaxat valet *in Eccleſia ipſius Sancti Titularis*: non igitur ad Eccleſiam Parochialem, nec ad Parochum extendi valet. 2. Quia juxta Decretum V. infra referendum in cap. hoc, fit facultas Epiſcopis recitandi de Titularibus, & Patronis Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, quando inibi reperiuntur viſitationis gratia, vel alia de cauſa, ergo ſignum eſt, quod tali ex ſe non pollent facultate, & indubie, dum inibi non reperiuntur, ſed apud ſuam Cathedralem reſident; ſi autem id non poſſunt Epiſcopi, qui in tota Diœceſi principalius, atque primarium jus poſſident, quomodo id poterunt Parochi? Videantur, quæ inibi dicuntur.

XXXIX. Confirmatur 2., quoniam Titulus Beneficii Parochialem Eccleſiam unice reſpicit, non autem ceteras intra Parochiam conſtitutas, imo hæ in ſuis functionibus nullatenus per ſe a Parocho dependent, ut ſtatim dicemus.

XL. Contendi poſſet, quod Eccleſiæ intra Parochiam ſitæ, cenſendæ ſint tamquam acceſſoriæ ad Eccleſiam Parochialem, adeoque, quod ex vi hujus tituli earumdem feſta primaria Parochus excolere queat. Verum ſatis conſtat ex Decretis per Sacram Rituum Congregationem editis die 10. Decembris 1703., & per Clementem XI. die 12. Januarii 1704. confirmatis, quod non ſunt Eccleſiæ acceſſoriæ; in iiſdem enim aperte, atque dilucide diſtinguuntur Eccleſiæ intra Parochiam ſitæ, quæ ſunt acceſſoriæ, & quæ non ſunt acceſſoriæ ad Parochialem, & relate ad hanc ſolummodo dicuntur acceſſoriæ, quæ etiam ſunt acceſſoriæ relate ad quamcumque aliam Eccleſiam; quæ autem ſunt Confraternitatum, aut Oratoria publica, vel privata, ſed Parochiali non adnexa, licet intra Parochiæ fines conſtituta ſint, eidem non eſſe acceſſoria diſerte declarantur.

XLI. Dices hujuſmodi Eccleſias dependere a Parocho in ſuis functionibus peragendis, ergo acceſſoriæ ſunt.

XLII. ℞. Præfatas Eccleſias nullatenus in ſuis functionibus a Parochis dependere, ut expreſſe per memorata Decreta ſancitum fuit, & declaratum ſolummodo adnexas Parochiali, & eidem acceſſorias in iiſdem functionibus dependentiam habere. Nec officit, quod in dictis Decretis præſervata extiterit dependentia aliarum Eccleſiarum a Parochiali, quæ iiſdem competeret ratione conventionum, conſtitutionum ſinodalium, vel conſuetudinum immemorabilium; per hoc enim minime evadunt Eccleſiæ acceſſoriæ, utpote quæ per ſe haudquaquam, ſed ſolum per accidens in caſu dependent.

XLIII. Dices ſaltem tamquam acceſſorias eſſe reputandas Eccleſias illas intra Parochiæ confinia conſtitutas, quæ immediate per Parochum ipſum procurantur, nec habent Rectorem aliquem, a quo gubernentur.

XLIV. ℞. Parochum revera ſolum Eccleſiarum Parochiali adnexarum, eidemque acceſſoriarum vere dici poſſe Rectorem, non autem ceterarum intra Parochiæ fines conſtitutarum, quæ ſemper habent aliquem, cujus curæ ſunt ipſæ commiſſæ. Quod ſi nullum habeant, Parochus eſt quidem earumdem Cuſtos, ac Rector, non quidem poſitive, cum titulus ſui Beneficii ſiſtat in Parochialem, & adnexas, ſed negative, inquantum quod cum nullum Rectorem habeant, earumdem cura quodammodo devolvitur in Parochum, qui univerſalem curam debet habere quoad ea, quæ intra fines ſuæ Parochiæ ad divinum cultum directe, vel indirecte ſpectant, vel ſpectare queunt; quapropter dici non valent præfatæ Eccleſiæ vere ejuſdem propriæ, & ſic nec de earumdem Dedicatione, & Titulari Officium valet inſtituere. De his & in Decreto ſequenti.

XLV. Quæres 2. num Cappellanus Major Eccleſiarum Confraternitatum, vel aliarum intra Parochiæ fines conſtitutarum, cui generaliter earumdem Eccleſiarum cura committitur, valeat de Titulari, & Dedicatione prædictarum recitare?

XLVI. ℞. Equidem, ſi illi cura Eccleſiæ quoad ſpiritualia plene commendetur, ſecus autem ſi ſolummodo pro Miſſa celebranda conductus ſit, licet poſtea ex ſua voluntate ibidem Sacramenta etiam fidelibus adminiſtret, aliaque ultro peragat, quæ Rector, ſi adeſſet, gereret; in priori enim caſu dici valet Præfectus illius Eccleſiæ; non autem in poſteriori, & ideo in hoc conſiderandus venit tamquam mere Cappellanus, in cujus miniſterium eſt conductus, non autem ut Rector, cum prout ſic non fuerit electus. Nec relevat, quod agat, quæ ſunt Rectoris, quia ea ultro, non ex commiſſione peragit, & ideo Rector propterea non poteſt cenſeri conſtitutus. Cappellanus autem qua Cappellanus non valet de Titulari, & Dedicatione Eccleſiæ, in qua celebrat, recitare.

XLVII. Nec par eſt ratio de Cappellano majori, & primario Monialium, qui iiſdem ordinarie facit Sacrum, Euchariſtiam præbet, & earumdem Confeſſiones audit, ceteraque peragit, quæ Parochus ipſe faceret; iſte enim ad hujuſmodi miniſteria exercenda, quæ per Moniales in uſum deduci non valent, ſolummodo conductus eſt, ceterum Eccleſiæ cura eidem haudquaquam committitur, ſed hæc apud Moniales integre remanet, quæ propterea de ejuſdem Dedicatione, & Titulari officium faciunt. Cum itaque hujuſmodi Cappellanus vere dici non poſſit Rector, ſeu Præfectus illius Eccleſiæ, ideo nec ejuſdem feſta propria valet recitare. Quod ſi quis Cappellanis Confraternitatum, vel aliarum memoratarum Eccleſiarum, curam haudquaquam Eccleſiarum committi contenderet, nec iiſdem præfici; ſed ſolum ad ſimilia, pro quibus a Monialibus conducitur, miniſteria, & ſervitia conduci, tunc nos dicimus dictum Cappellanum de præfatis Officiis propriis non poſſe recitare; ſolum enim in caſu Præfecturæ memoratam recitationem iiſdem permittimus. Quia vero an hujuſmodi Præfectura Cappellanis præfatis reipſa competat, eſt admodum ambiguum, & certius videtur, quod non, idcirco conſultius eſſe credimus, quod a dictorum Officiorum recitatione abſtineant. Ceterum de hujuſmodi Cappellanis Majoribus non deſunt, qui ſentiunt, quod præfatorum Officiorum recitationi valeant incumbere, quemadmodum dicemus in Cap. de Qualitate Officii, agentes de Cappellano majori, & primario Monialium.

XLVIII. Quæres 3. num ſi duo Tituli, vel Dedicationes cadant in unum, eumdemque diem, de quo Officium facere debeat Parochus, vel Beneficiarius duarum Eccleſiarum unitarum, quodnamque ex illis transferendum ſit?

XLIX. Reſpondet Gobat loco laudato interrogandum eſſe Dominum Ordinatium, quid tunc agendum ſit; Tu autem ex alibi jam dictis, & dicendis quæſtionem ita dirime, ita ut faciendum ſit de digniori, ſi inter feſta ſimul occurrentia aliquod reperiatur dignius, dignitate, quæ juxta Rubricas, atque Decreta in conſiderationem cadit; ſin autem, de eo, quod celebratur in ea Eccleſia, apud quam tunc reſidet, hoc etenim tamquam in loco ſolemnius, & quod cum ceteris accolis uniformitatem inducit, præferendum utique venit. Si autem apud nullam Eccleſiam reſideat, ut non ſemel evenit in Beneficiis non curatis, & ſimplicibus, Dedicatio præfertur Titulari, & inter plures Dedicationes illa Eccleſiæ dignioris, vel principalioris; illa autem Eccleſia dignior cenſetur, quæ in Diplomate prius nominatur *l. quoties ff. de uſufr.* Quod ſi per diverſa Diplomata habita ſint Beneficia, & neſciatur, quodnam dignius cenſendum ſit, præferentiam præſtabit antiquitas poſſeſſionis juxta Regulam 54. in 6. Pariformiter procedendum erit in occurſu plurium Titularium, ita tamen ut in horum præcedentia etiam obſervanda ſit diverſitas Ordinis Hierarchici juxta ea, quæ dicemus in Capite de Occurrentia. Videat igitur Lector alibi dicta, & dicenda, & plane utique ſuper hujuſmodi rem remanebit inſtructus, uti ſuper eorumdem præferentiam in concurrentia.

L. Quæres 4. an ille, qui habet Beneficium in una Eccleſia, ſed apud illam non reſidet, & in alia habet firmum domicilium, teneatur quoad Officium ſequi morem Eccleſiæ, in qua reſidet, an vero illius, ubi eſt Beneficium?

LI. ℞. Circa hoc dubium duas eſſe ſententias, quarum prima docet, prædictum teneri ſequi morem Eccleſiæ, ubi eſt Beneficium; ſecunda vero teneri Officium recitare juxta morem Eccleſiæ, ubi habet firmum domicilium; & pro utraque militant inſignes Auctores, quos recenſet Perſicus *tract. de Horis Canon. cap. 6. dub. 3. num. 10., & 15.* Nos vero ſentimus præfatum Beneficiarium debere ſequi conſuetudinem Eccleſiæ, in qua firmum habet domicilium, quia potentius eſt vinculum domicilii, & reſidentiæ, quam Beneficii, & valde expedit imitari honeſtos mores eorum, inter quos vivimus. Nolumus tamen eumdem ita ſequi debere morem Eccleſiæ, in qua reſidet, ut omittere queat Officia propria, non quidem Diœceſis, in qua ſita eſt Eccleſia ſui Beneficii, ſed particularis illius Eccleſiæ, in qua habet ipſum Beneficium; quemadmodum enim ex præſenti Decreto eruitur, & in ejuſdem expoſitione firmatum eſt, debet Parochus, & Beneficiarius plurium Eccleſiarum unitarum de omnium Titulari, & Dedicatione Officium recitare, & ideo tametſi apud eas non reſideat, cum inſimul apud omnes reſidere non valeat. Vide dicenda in Decreto ſequenti.

LII. Quæres 5. Quodnam Officium teneatur recitare ille, qui habet plura Beneficia in diverſis Eccleſiis, in quibus modus recitandi diverſus eſt?

LIII. ℞. Hac in parte duas quoque verſari ſententias. Prima docet, ipſum teneri recitare officium illius Eccleſiæ, in qua habet majorem dignitatem, ut ſi in una eſſet Decanus; in altera vero ſimplex Canonicus; ſi in utraque ſit ſimplex Canonicus, debere dicere officium Eccleſiæ dignioris, etiamſi Beneficium alterius Eccleſiæ ſit pinguius, quia temporalia cedunt ſpiritualibus; quod ſi Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poſſe eligere officium, quodcumque voluerit, ſi fuerit ab utraque abſens, ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debere ſe conformare illis, cum quibus converſatur. Secunda ſententia dicit, prædictum teneri recitare officium illius Eccleſiæ, in qua tenetur facere reſidentiam, & ſi ad nullius reſidentiam tenetur, debere ſe conformare illi, in qua ſe reperit, tametſi in ea nullum habeat Beneficium, & hæc ſententia eſt probabilior, & a nobis probatur, dummodo tamen ſimul recitet de Titulari, & Dedicatione Eccleſiarum, in quibus habet Beneficia, a quorum celebratione nullatenus excuſari valet.

LIV. Quæres 6. num teneatur recitare dumtaxat de Titulari, & Dedicatione Eccleſiarum, in quibus habet Beneficium, an vero etiam de officiis aliis particularibus, quæ in dictis Eccleſiis haberi poſſunt, vel ratione Reliquiarum inſignium, vel ratione particularis indulti, aut legitimæ conſuetudinis?

LV. ℞. Primo certum eſſe, prædictum Beneficiarium, qui ſequitur morem Eccleſiæ, in qua reſidet, nec teneri, nec poſſe recitare officia propria Diœceſis, quæ in Eccleſiis ſui Beneficii recitantur, aut hiſce competunt vel ratione dominii, aut ſtatus, intra cujus confinia dictæ Eccleſiæ ſitæ ſunt; cum enim indulgeat officiis hujus rationis, quæ competunt Eccleſiæ, in qua reſidet, non eſt, quomodo aliis valeat indulgere, quæ vere propria non ſunt Eccleſiarum ſui Beneficii, ſed his etiam aliunde, ratione ſcilicet locorum, competunt. Et quidem ſi omnium prædictorum officiorum recitatio haberi deberet, nimia profecto officiorum, quæ a Beneficiario dici deberent, copia exurgeret, quæ e medio tolleret conſonantiam illam cum ceteris accolis, ob quam Beneficiarium ſequi debere morem Eccleſiæ domicilii aſſeritur, præſertim relate ad eum, qui plura poſſidet Beneficia.

LVI. ℞. 2. Certum itidem eſſe, teneri recitare de omnibus Titularibus, & Dedicationibus Eccleſiarum, in quibus habet Beneficia, videlicet etiam de iis illarum Eccleſiarum, quæ Eccleſiis ſuorum Beneficiorum aliquo ex ſuperius recenſitis modis unitæ ſunt; id enim evidenter oſtendunt, quæ ſupra data ſunt in explanatione præſentis Decreti.

LVII. ℞. 3. Nec teneri, nec poſſe recitare officia, quæ Eccleſiis ſuorum Beneficiorum particulariter competunt vel ratione Reliquiarum, vel particularis indulti, vel legitimæ conſuetudinis, hæc enim officia per accidens competunt Eccleſiis, adeoque haudquaquam ſpectant ad Titulum Beneficii. Beneficiarius itaque, qui apud nullam Eccleſiam ſuorum Beneficiorum reſidet, de nullis hujuſmodi officiis recitare valet; qui vero apud aliquam reſidet, poterit officium facere de iis omnibus hujuſce rationis, quæ recitantur in Eccleſia ſuæ reſidentiæ, cum hujus officia ſequi debeat, non autem de aliis, quæ in ceteris Eccleſiis ſuorum Beneficiorum inſtituuntur.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XXVII.

Epiſcopus, quando reperitur in aliquo Oppido ſuæ Diœceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſam, poteſt licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, ſeu ex conceſſione Sacræ Congregationis, eo quod ſint Patroni, ſeu Titulares, in eiſdem Oppidis recitatur, & ſic præcepto de recitando officio ſatisfacit. S. R. C. 14. Martii 1643. Ex Merato *ſect. 8. cap. 5. num. 4.*, & in noſtro Indice datur ſub num. 347.

I. Refert Meratus hocce Decretum *ſect. 8. cap. 5. numer. 4.*, ubi & promittit ſe illud daturum in Appendice ad Indicem Decretorum, verum fas eſt, ab ejuſdem profecto memoria deciderit, dum præfatum Indicem congeſſit, quoniam in eo illud haud eſt reperire. Ejuſdem autem Decreti prius mentionem egerat Paſcuccius *in Compend. ad Conſult. Canonic. Jacobi Pignatelli par. 2. tit. de Ritibus*, & ex hoc retulerat Pittonus *in ſua Collectione pro Epiſcopis, & Abbatib. num. 1048., necnon in Deciſ. pro Sacris Ritib. numer. 664.*

II. Beneficiarium quoad officii recitationem ſequi debere conſuetudinem Eccleſiæ ſui Beneficii, apud quam reſidet, vel reſidere tenetur, ex communiori, & probabiliori ſententia dicebamus in Commentis noſtris in præcedens Decretum, additis ſolummodo officiis de Titulari, & Dedicatione aliorum Beneficiorum, ſi quæ alibi poſſidet, quod verum itidem eſt, quantumvis ad breve tempus eidem accidat extra locum Eccleſiæ ſuæ reſidentiæ commorari, quemadmodum univerſim de cunctis alicui Eccleſiæ adſcriptis, & apud eam continuo degentibus etiam firmabimus in Cap. de Qualitate officii. Quantum vero ad Epiſcopum attinet, certius hoc quidem eſt, quoniam per Sacram Congregationem 11. Junii 1605. deciſum extitit, quod *Epiſcopus Regularis debet recitare officium juxta ritum ſuæ Diœceſis, non vero ſui Ordinis.* Quod ſi Epiſcopus ille, qui ex proprio Regulari Inſtituto proprium habet Breviarium, hoc deſerere debet, ut ſequatur illud Eccleſiæ, ad cujus Epiſcopatum evectus fuit, teneturque Kalendario hujuſce Eccleſiæ penitus ſe conformare, perinde ac ſi

ac ſi ipſe Regularis minime foret; quis non videt Epiſcopum quemcumque quoad rationem officii in omnibus & per omnia debere uniformitatem tenere cum ſua Eccleſia Cathedrali, quam primario, & principaliter reſpicit Titulus ſui Beneficii? De hacce Epiſcoporum obligatione, etiam quando ad breve tempus a propria Eccleſia iiſdem abeſſe contingit, agemus in Decreto IV. memorati Capitis, ubi Lectorem remittimus, qui ſuper hoc plene inſtrui exoptat.

III. Quæ cum ita ſe habeant, exortum eſt dubium, num quando Epiſcopus reperitur in aliquo Oppido ſuæ Diœceſis ob viſitationem, ſeu aliam ob cauſam, poſſit licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Robricarum, ſeu ex conceſſione Sacræ Congregationis, eo quod ſint Patroni, ſeu Titulares, in eiſdem Oppidis recitatur, & ſic præcepto de recitando Officio ſatisfacere. Cui quæſito, cum in Sacram Congregationem productum extitiſſet, reſponſum fuit affirmative, ut videre eſt in allegato Decreto.

IV. Io præſentiarum itaque ſit Epiſcopo facultas, ſeu hanc eidem competere declaratur, recitandi de Officiis Sanctorum, quæ in Oppidis ſuæ Diœceſis celebrantur, non quidem quando apud Cathedralem ſuam Eccleſiam reſidet, ſed quando in iiſdem Oppidis contingit eumdem adeſſe ob viſitationem, vel aliam ob cauſam: quæ cauſa cum haudquaquam exprimatur, ſed abſolute, & ſimpliciter pronuncietur, fit, quod quacumque de cauſa in dictis Oppidis reperiatur, præfata officia licite valet recitare.

V. Si hujuſmodi verba, quæ tenet Decretum, præciſe attendantur, *Poteſt licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, ſeu ex conceſſione Sacra Congregationis in eiſdem Oppidis recitatur*, licitum apparet Epiſcopo de quibuſcumque Officiis, quæ in dictis Oppidis vel ex Indulto Apoſtolico, vel ex conceſſione Rubricarum celebrantur, recitare. Aſt res nequaquam ita ſe habet, addit enim, *eo quod ſint Patroni, ſeu Titulares*, per quæ verba utique exprimitur facultas, quæ Epiſcopo competit, neque reſtricta declaratur ad Officia Patronorum, ſeu Titularium, denotaturque inſimul de aliis feſtis, ſi quæ inibi haberentur, integrum eidem haud eſſe Officium inſtituere. Feſta Patronorum, ac Titularium in loco admodum celebria eſſe ſolent, non ſic vero aliorum Sanctorum ſaltem regulariter, ideoque apprime quidem congruum erat, Epiſcopum, qui cum totius Diœceſis Epiſcopus, & Caput ſit, Epiſcopatus, & primatus jura & tenet in aliorum Oppida intra Diœceſis terminos ſita, io celebratione dictorum feſtorum primariorum cum ſubdito ſibi Clero poſſe convenire, non autem in recitatione aliorum, quæ cum ſolemnia haud ſint, haudquaquam digna videntur, quo ejuſdem Epiſcopi conſonantiam quoad Officium cum nobiliori, & potiori Cleri portione valeant infringere.

VI. Etſi tamen Patronos, ac Titulares Decretum dumtaxat nominet, non ita id limitative putamus eſſe intelligendum, ut Decretum & locum non habeat in Dedicatione Eccleſiæ, ſiquidem adnexorum, & correlativorum idem eſt judicium, & eadem diſciplina, & de uno diſpoſitum trahitur ad alterum *l. fin. de accept. l. fin. c. de indicta viduit. tollend. &c.* quinimmo & in ſolemnibus quibuſcumque feſtis, quæ inibi celebrarentur, diſpoſitio quoque procedit; parium enim eadem eſt juris diſpoſitio, *cap. inter corporalia, cap. ſicut ergo de translat. Epiſcopi*; & de quibus eſt eadem ratio, eſt pariter eadem juris diſpoſitio, *l. illud, ff. ad leg. Aquil. l. poſtulaverit*, §. 2. *ff. ad leg. Jul. de adulter. &c.*

VII. Per *Patronos* autem veniunt Patroni loci, & per *Titulares* Titulares Eccleſiæ primariæ, vel quarumcumque Eccleſiarum, quæ ibi ſolemniter celebrarentur, quinimmo & Patroni, aut Titulares, nedum principales, ſed etiam minus principales, qui item aſſolent eſſe ſolemnes, favores etenim ſunt ampliandi, *l. cum quidam, ff. de liber., & poſthum.*, *cap. odia, de regulis juris in 6.*, qua utique de cauſa etſi Oppidum locus cinctus mœnibus verius forſitan ſit, adhuc pro quocumque loco Diœceſis, licet mœnibus haudquaquam cincto, non dubitamus in præſentiarum eſſe accipiendum, cum pro omnibus præſertim indifferenter Diœceſis locis ratio diſpoſitionis procedat.

VIII. Ex eo, quod Decretum ut ſupra Epiſcopo facultatem tribuat recitandi Officium de Titularibus, de quibus in Oppidis ſuæ Diœceſis recitatur, nonnemini videri poſſet, quod ad totum juriſdictionis locum extendatur feſtum Titularis Eccleſiæ Parochialis contra id, quod præſertim in Capite primo nos decretum fuiſſe docuimus; in prædictis enim Oppidis utpote quæ de Diœceſi ſupponuntur, nulla poteſt eſſe Cathedralis Eccleſia, cujus Titularis feſtivitas ad totum locum extendatur, ſed quælibet Eccleſia eſt vel Parochialis, vel Collegiata, Sæcularis, vel Regularis; ergo opus eſt, quod non ſolius Eccleſiæ Cathedralis feſtum Tituli ultra Eccleſiam ipſam protendatur, quoniam hic ſermo eſt de Titulo Eccleſiæ Oppidi in Diœceſi ſiti, de quo a toto ipſo Oppido recitatur: *De quibus in eiſdem Oppidis recitatur*.

IX. Verum haudquaquam res ita ſe habet; tum quia Decretum non aſſerit, *De quibus in toto Oppido recitatur*, ſed *De quibus in eiſdem Oppidis recitatur*; bene autem dicitur aliquid fieri in Oppido, quod fit in aliqua Eccleſia, & præſertim ſi ſit primaria ejuſdem Oppidi, quinimmo & ab omnibus, qui eidem Eccleſiæ vel per Beneficium, vel per Chorum reperiuntur addicti. Tum quia Decretum ut ſupra diſponens aſſerit, *De quibus ex forma Rubricarum, ſeu ex conceſſione S. Congregationis recitatur*, quorum verbum illud *ex forma Rubricarum* ſupra Patronos locorum cadit, quorum Officium ad totum locum vi Rubricarum extenditur, nec ad id exigitur conceſſio aliqua, adeoque verba illa, *Seu ex conceſſione Sacræ Congregationis*, quæ ſequuntur, nullatenus præfatos Patronos valent attingere; hinc cum ſuperfluitas quæcumque in omni diſpoſitione quammaxime ſit vitanda, fas eſt, quod dicta vera Titulares reſpiciant, quorum officium revera vi Rubricarum non excedit limites ſuæ Eccleſiæ, & nonniſi ex conceſſione ulterius protenditur. Ex hoc itaque Decreto haudquaquam erui poteſt, quod contendebatur, ſed magis oppoſitum.

X. Quæ de Epiſcopo dicta ſunt, applicanda itidem veniunt Superioribus Regularibus, dum viſitationis gratia, aut quacumque de cauſa reperiuntur in Conventu aliquo ſui Ordinis, ita quod poſſint ſe conformare cum Conventu illo in celebratione feſtorum ſolemnium, quæ inibi celebrari evenirent. Verum de iſtis, quomodo ſe gerere poſſint, & debeant, jam ſatis agitur io Decreto III. Cap. de Qualitate officii, unde non ſunt ulteriora adjicienda.

XI. Applicanda ſunt quoque Abbatibus, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſibi ſubditam obtinent Diœceſim; quinimmo extendi & poſſunt ad Archiepiſcopos Provinciam pro viſitatione obeuntes, non autem dum alia de cauſa in eadem reperirentur; quia Archiepiſcoporum nulla eſt quoad ſacra extra actum viſitationis juriſdictio in Provinciam, habetque quilibet ex Archiepiſcopis ſuam propriam, ac particularem Diœceſim, extra cujus limites haudquaquam eorumdem juriſdictio protenditur, niſi ad ſummum in Epiſcoporum ſuffraganeorum defectu, aut in caſu appellationis ab ipſis.

XII. Huc attinere ſimiliter poſſunt, quæ in præcedenti Decreto dedimus de Beneficiario alicujus Eccleſiæ, qui, cum de ejuſdem Titulari, & Dedicatione recitare non valeat, eo quod eſt obſtrictus Choro alterius Eccleſiæ, cujus proinde Kalendarium omnimode, etiam in abſentia, ſequi tenetur, adhuc in caſu, quo idem in feſto principali dictæ Eccleſiæ præſens adinveniatur, ex ibidem traditis, & depromptis ex Guyeto licite poteſt de tali feſto recitare; tunc enim ratione ſolemnitatis feſti, cui aſſiſtit, & ad cujus officium vi Beneficii alioquin teneretur, diſpenſatur a ſequela officii juxta Kalendarium Chori, cui eſt addictus, & congrue recitat de feſto Principali propriæ Eccleſiæ.

XIII. Liceat nobis præſens Decretum etiam ad Parochum extendere relate ad Eccleſias filiales, quoties in earumdem ſolemnioribus feſtis præſens reperitur, & Divinis Officiis una cum aliis Choro aſſiſtit, ne cum maximo incommodo aliud Officium repetere cogatur; haud credimus tamen id locum habere, quando ſolum feſto, non autem Choro præſens conſtituitur, alioquin cum generaliter hujuſmodi feſtis ſoleat intervenire, generaliter de feſtis principalibus Eccleſiarum filialium poſſet recitare; quod cum evenire non poſſit abſque quamplurimis incommodis, quæ in præcedenti Decreto recenſita fuere, abſolute haudquaquam venit admittendum. Hujuſmodi autem incommoda, ut conſideranti ſatis conſtans fiet, non habent locum in Epiſcopis, & aſſertis Beneficiariis, ideo etſi horum ſola habeatur præſentia, utique ut ſupra recitare valent, tametſi Choro minime interſint. Et quidem ſi ſola præſentia in loco, quæ ſufficit in Epiſcopo, ſufficeret & in Parocho, cum Parochus ſemper in Parochia reſideat, ſemper de Titulis cunctarum ſuarum Eccleſiarum filialium valeret Officium facere; quantum autem id abſurdum, & exorbitans ſit, ex eo evidens fit, quod nec id Epiſcopus poteſt, qui cum in Civitate reſidet, non ideo de Titularibus aliarum Eccleſiarum a Cathedrali valet recitare.

XIV. Ceterum admodum diſpar in propoſito caſu adhuc eſt ratio, quia Beneficiarius agit Officium, ad quod alias vi Rubricarum teneretur; Parochus vero recitaret de feſto, de quo nulla ſibi competit facultas recitandi. Quod vero ad Epiſcopum attinet, cuilibet puto eſſe compertum maximum diſcrimen, quod intercedit inter hujus juriſdictionem in omnes Diœceſis Eccleſias, & illam Parochi in Eccleſias intra Parochiam conſtitutas.

XV. Quod autem cum Epiſcopis, dum *in locis ſuæ juriſdictionis reperiuntur*, conceſſum ſit, fit, quod Epiſcopis ipſis extra loca ſuæ juriſdictionis haud licet recitare de feſtis ſolemnibus, licet Titularibus, vel Patronis locorum, in quibus adinveniuntur, ac conſequenter generalis exurgit regula, per quam firmatum remanet, quemlibet, etſi extra Diœceſim, dummodo id eveniat per paucos dies, & ibi non figatur domicilium, vel quaſi domicilium, commoretur, teneri quoad Officium Divinum ſe conformare Eccleſiæ ſuæ, nec poſſe ſequi conſuetudinem locorum, in quibus reperitur, adhuc in occurſu feſtorum primariorum. Quod quoad ceteros id verum eſt, quantumvis intra Diœceſim, ad quam attinent, reperiantur; quod enim ratione juriſdictionis Epiſcopis licet, iiſdem defectu juriſdictionis utique illicitum evadit. Quæ juriſdictio cum Epiſcopis ipſis deſit relate ad Eccleſias Regulares, idcirco ſi apud Eccleſiam aliquam Regularem in Oppido ſuæ Diœceſis conſtitutam hoſpitarentur, non crederem ipſis licitum eſſe, recitare de Titulari, vel alio principaliori feſto, quod apud eamdem ſolemne haberetur. Aſt quid ſi apud Eccleſiam Monialium ſibi ſubjectarum? Adhuc nequaquam, quia juriſdictio, quam in Monialium habent Eccleſias, non eſt ordinaria, ſed delegata. Idipſum dicito, ſi id eveniret de Eccleſia aliqua Sæculari exempta ab Ordinarii juriſdictione.

XVI. Dum Titularem Decretum nominat, plurale uſurpat

vocabulum *Titulares*: hinc celebrem nos excitat ad quæſtionem, videlicet, an plures dentur, vel dari queant Patroni, ſeu Tituli ejuſdem Eccleſiæ. Quæ quæſtio tripliciter poteſt accipi; An plures ſimul? An plures ſucceſſive? Et an ii plures, ſive ſimul, ſive ſucceſſive ſint æquales?

XVII. Reſpondetur itaque primo. Patronum, ſeu Titulum, ſub cujus nomine ædificatur, ac dedicatur Eccleſia, debere eſſe unicum; aut ſi plures ſint, nonniſi per modum unius, ideſt ſub uno, eodemque feſto, puta SS. Joannis, & Pauli, SS. Coſmæ, & Damiani &c., quorum ſcilicet feſtivitas una ſimul recurrit, & una ſimul celebratur. Probat id Guyetus *lib. 1. cap. 8. quæſt. 3.*, tum quia in omnibus Rubricarum textibus *Titulus Eccleſiæ* ſemper in ſingulari numero pronunciatur. Tum quia Eccleſiæ quælibet nonniſi unam ſortiuntur appellationem; ergo unicum quoque Titulum agnoſcunt, aut ſi plures, nonniſi ſub ratione unius, uti explicatum fuit. Tum denique quia Dedicationem Eccleſiæ nonniſi in unius Sancti honorem, ſeu plurium ſub ratione unius fieri debere, indicant formulæ ipſæ in Pontificali deſcriptæ, in quibus legitur ſemper in ſingulari numero, *In honorem Sancti N., ad nomen, & memoriam Sancti N.*

XVIII. Evenit tamen alicubi haberi ejuſdem Eccleſiæ plures Patronos, ſeu Titulos, etiam diviſim, nempe quorum feſta eadem die ſimul non recurrunt, ſed diviſim celebrantur, uti Romæ recenſetur Eccleſia SS. Silveſtri, & Martini, item SS. Blaſii, & Caroli, quam in exemplum adducit Gavantus, *ſect. 3. cap. 12. num. 3.*, additque Guyetus, Pariſiis haberi item Eccleſiam SS. Lupi, & Ægidii, & alias alibi, licet paucas admodum, inter quas liceat nobis enumerare Eccleſiam Metropolitanam Januenſem, quam Kalendarium ejuſdem Diœceſanum in Titulares ſimul habere Sanctum Syrum Epiſcopum, cujus feſtivitas die ſeptima Julii recurrit, necnon Sanctum Laurentium Martyrem, manifeſte deſignat, eoſdemque tamquam Titulares ejuſdem æque principales cum Officio primæ claſſis, & cum Octava diſtinguit. Accedit denique, quod Sacroſancta ipſa Lateranenſis Baſilica in nomine Salvatoris, & utriuſque Joannis Præcurſoris, & Evangeliſtæ dedicata reperitur, unde in Oratione, quæ ab eadem in ſuffragiis uſurpatur: *Omnipotens, & ſempiterne Deus, qui hanc Sacratiſſimam Conſtantinianam Baſilicam in tuo, & utriuſque Joannis nomine dedicatam &c.*

XIX. Reſpondeo ſecundo, contingere poſſe, quod ſucceſſive dentur plures Tituli, ſeu Patroni ejuſdem Eccleſiæ, & hoc contingit, quando Eccleſiæ jam dicatæ, ac de Sancti alicujus nomine appellatæ, Patronus alter, ſeu Titulus ſuperveniat, a quo ipſa nomen aliud, ſive relicto, ſive retento priore, accipiat. Hujuſce rei quamplurima utique ſuppetunt exempla, & præſertim in antiquioribus, & primariis Eccleſiis, quæ cum ſint Sancto alicui antiquitus nuncupatæ, invecto poſtea in eaſdem Corpore Sancti alterius miraculorum gloria percelebris, aut in iiſdem detecta Imagine aliqua Chriſti, vel B. Mariæ opitulationum gratia admodum inſigni, factum eſt, ut populis eorum opem, ac ſubſidium frequenti concurſu reclamantibus, hi quoque in Patronos adſcititios dictarum Eccleſiarum evaſerint, quinimmo quod Eccleſiæ ipſæ, obliterato, ſaltem apud vulgus, priori Titulo, de eorum nomine communiter deinceps appellatæ fuerint. Plura Guyetus affert exempla, & primum eſt in Eccleſia Turonenſi, quæ a S. Martino ſub Titulo S. Mauritii primum fundata, illato in eam poſtmodum S. Gatiani Prædeceſſoris ſui, ac primi illius Sedis Antiſtitis Corpore, ſuppreſſo deinceps S. Mauritii Titulo, appellata eſt, & etiam appellatur vulgo S. Gatiani. Pariſiis itidem Eccleſia S. Germani a Pratis ſub Titulo S. Vincentii fundata fuit, & repoſito in ea deinceps ipſius S. Germani Corpore, nomen quoque ipſius aſſumpſit, uti & Eccleſia S. Genovefæ a Clodoveo Francorum Rege, illius Sanctæ Virginis ſuaſu, in honorem SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli erecta, clarior poſtea præfatæ Virginis in ea quieſcentis virtutibus, ac miraculis facta, de ejus quoque nomine appellata fuit. Nec deſunt alia itidem exempla Eccleſiarum, quæ deperdito apud vulgus penitus nomine prioris tituli, a Fundatore Religionis, cui Eccleſiæ illæ traditæ fuerunt, denominationem deſumpſerunt; ſic Bergomi Eccleſia S. Euphemiæ nominatur S. Franciſci, eo quod Minoribus Conventualibus ejuſdem Sancti cura dictæ Eccleſiæ tradita fuit, & eadem de cauſa Cremonæ dicitur Eccleſia S. Auguſtini illa, quam inhabitant Patres Auguſtiniani, tametſi S. Jacobi Majori Apoſtolo fuerit dedicata. Numquam finis foret, ſi in recenſendis hujuſmodi exemplis vellemus indulgere; hinc apprime ad rem habet Ceremoniale Monaſticum Congregationis S. Mauri *lib. 4. cap. 16.*, ubi agitur de Feſtis Patronorum: *Patronus Eccleſiæ alius eſt Titularis, alius non Titularis: Titularis eſt, ſub cujus nomine Monaſterium a principio ſuæ fundationis eſt dedicatum; non Titularis vero, qui ſuccedente tempore fuit in Patronum ex devotione Populi, vel aliis cauſis cooptatus.*

XX. In priori caſu plurium ſimul Titularium ſe habentium per modum unius, & eadem die occurrentium, celebrantur omnes hujuſmodi Titulares ſub uno, & eodem feſto ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava per modum pariter unius de Communi vel Martyrum, vel Confeſſorum, prout illis convenit; & hoc modo ſunt omnes æque principales; ceterum non conſiderantur tamquam plures, ſed tamquam eſſet unus, & idem Titularis, nec dubium ullum eſt, quod plures hujuſmodi dari queant, ac haberi.

XXI. Non ſic autem eſt de pluribus diviſim; quo in caſu vult Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 6.*, officium quidem ſingulorum diebus ſuis eſſe duplex, ut innuitur in Rubrica de Duplici *num. 1.*, ſed octavam, & feſtum primæ claſſis non concedi, niſi feſto Principalis Titularis, ac conſequenter alterum dumtaxat eorumdem conſiderandum eſſe tamquam Patronum, ac Titularem principalem, alios vero tamquam Patronos, vel Titulares minus principales. Guyetus vero *loco cit.* reſolvit, quod prędicti Sancti diviſim Titulares ejuſdem Eccleſiæ, æquales in omnibus omnino ſunt, nihilque diſcriminis intercedit, niſi quod in pronunciandis nominibus alterum alteri preferre neceſſarium eſt, cum utrumque ſimul pronunciari non poſſit; unde de utroque Titulari prędicto admittit diviſim officium primæ claſſis cum octava.

XXII. Verum a Gavanti potius, quam Guyeti nos partibus ſtamus; de Titulari enim Eccleſiæ, qui ejuſdem Patronus eſt, diſcurrendum omnino ducimus, quemadmodum in ſequenti Capite de Patrono loci dicturi ſumus, quapropter uti ibidem duplicem Patronum principalem dari non poſſe conſtabit relate ad eumdem locum, ſed ſemper alter eorum eſt principalior, ejuſque feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebratur, alii vero ſunt minus principales, & eorumdem feſtivitas ſub ritu duplici majori ſine octava recolitur, ita quoties eadem Eccleſia plures Patronos, vel Titulares habet, alter eorum principalior erit, ejuſque feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava recolendum, ceteri vero tamquam Patroni, aut Titulares minus principales habebuntur cum officio dumtaxat duplici majori de iiſdem; quod enim eſt loci Patronus, idem eſt Eccleſiis Titulus, qui & Patronus dicitur. Si autem queras, uter ex illis principalis cenſeri debeat? Uſus ipſe loquendi per ſe definit. Ille igitur principalior erit, qui prior eſt in nominatione, & prius Eccleſiam a ſeipſo denominat.

XXIII. Haud imus tamen inficias, quod ſi ex annoſo uſu ante Bullam Pii V. introducto Eccleſia aliqua plures Patronos habeat, de quibus officium ut de Patronis principalibus æque perſolvat, in ſuo queat legitime perſeverare uſu, & de omnibus officium primæ claſſis, & octavam celebrare; omnia enim officia, quæ antecedenter ad prefatam Bullam originem agnoſcunt, & poſtmodum fuerunt ſemper cuſtodita, ac obſervata, in valido eſſe ſtatu, ac continuari poſſe dicemus juxta plurium Decretorum diſpoſitionem.

XXIV. Quinimmo quia Titularis Eccleſiæ eſt ejuſdem Patronus, & ſe habet inſtar Patroni loci, & patrocinium gerit nedum Eccleſiæ materialis, quam denominat, ſed etiam formalis, ut diximus in preliminaribus Capitis, haud poſſumus reluctari, quod continuari poſſet uſus agendi de altero Sancto tamquam de principali item Patrono, ſeu Titulari, dummodo talis uſus foret introductus, atque receptus ante diem 23. Martii 1630. quemadmodum dicemus in Decreto ſecundo ſequentis Capitis, agentes de Patronis locorum, de quibus quæ ibi dicuntur, applicanda ſunt itidem Patronis, ſeu Titularibus Eccleſiarum, ſua ſervata proportione.

XXV. Quoad plures vero Patronos ut ſupra ſucceſſive habitos, Guyetus aſſerit, quod ſi de qualitate in ratione Tituli agitur, prior omnino, immo ſolus vere Titularis eſt is, ſub cujus primum nomine dedicata fuit Eccleſia; ſi autem agitur de qualitate quoad celebritatem in Choro, ſeu rationem officii, ambos pares eſſe cenſet, primæ ſcilicet claſſis; & quod ſi denique agitur de celebritate in foro, ſeu apud vulgum, tunc ut plurimum hac in parte poſterior tempore ſolet prior eſſe fama, nominiſque pervagatione, & ſic in prædicta Turonenſi Eccleſia nominatior eſt Sancto Mauritio Sanctus Gatianus, Pariſiis Sancto Vincentio Sanctus Germanus &c.

XXVI. Hæc tamen nobis haudquaquam arrident; quidquid enim ſit de celebritate quoad forum, & apud vulgum, quæ pro libito a quopiam inſtitui valet, non putamus id procedere de celebritate quoad Chorum, cum poſt Bullam Pii V. nemini liceat nova officia introducere, & ſi quæ inducta ſunt, ſint omnino ſupprimenda, ut id clare deciſum apparebit in Decret. I. Cap. VI. de Addit. &c. Poſt dictam igitur Bullam ſolummodo ea officia de novo induci valent, quæ per Rubricas Breviarii Romani permittuntur; cum autem hæ quoad rationem Tituli attinet, ſolum permittant officium de Sanctis Titularibus, & illi, qui de novo ut ſupra additi ſunt, non ſint vere, Guyeto ipſo teſte, Titulares, ſed ſolum Sanctus ille, in cujus honorem primitus conſtructa fuit Eccleſia, idcirco de iis, qui poſtmodum adjecti ſunt, licet Eccleſiam denominent, haud arbitramur officium eſſe inſtituendum, adeoque ubi de iis officium agitur, immemorialis vi dumtaxat conſuetudinis ante Bullam Pii V. introductæ poſſe ſuſtineri, & de novo haudquaquam poſſe induci. Uſus etiam ante diem 23. Martii 1630. inductus agendi de Titularibus adjectis tamquam de Patronis continuari poſſe videtur ex dicendis in expoſitione memorati Decreti II. ſequentis Capitis. Verum rectius tunc Sancti illi nuncupantur Patroni, quos etiam per uſum induci tunc temporis diſciplina ferebat, non autem Titulares, quia hi vere ſunt illi, ſub quorum nomine fundatur Eccleſia, & nonniſi nova accedente Eccleſiæ Dedicatione mutari queunt, vel novi adjici.

XXVII. Agendum hic foret de Sociis, quibus quandoque in Breviario, vel Martyrologio uniti reperiuntur Sancti illi,

Digitized by Google

illi, quos in Titulares, vel Patronos Eccleſiarum, vel locorum contingit aſſumi. Aſt quoniam ſuper hujuſcemodi rem peculiare inſtitui debet Caput, idcirco de dictis Sociis modo agere abſtinemus.

DECRETUM VI. CAP., IN ORDINE XXVIII.

In Titularibus Eccleſiis ſub Invocatione S. Marię Angelorum (apud Minores S. Franciſci) non de Dedicatione, prout in Feſto Portiunculę, ſed de S. Maria Eccleſię Titulari, prout in Feſto S. Marię ad Nives faciendum eſt officium, & lectiones ſecundi Nocturni ſumendę ſunt ex ſecundo nocturno Nativitatis ejuſdem, mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*. S. R. C. 10. Junii 1690. *in una Ord. Minor. Obſerv.* Ex Merato ſect. 8. cap. 5. num. 4. & in Indice Decretor. Brev. num. 162.

I. G*eneratio Electorum*, S. Antoninus *4. part. tit. 15. cap. 24.* §. 3. ita ſcribit, *Eccleſiæ Beatiſſimam dicit Virginem ex multitudine Eccleſiarum dedicatarum ſub Titulo ejus per totum Orbem: Quæ Civitas, quod Caſtrum, quæ Villa eſt, quæ non habeat Eccleſiam & ſolemniorem in ejus nomine fabricatam? Certe nec in nomine Salvatoris, nec in honorem aliquorum Sanctorum reperiuntur in tanto numero.* Et quidem refert Andreas Fulvius *lib. de Antiquitatibus Urbis*, in ſola Urbe Romę olim extitiſſe ad uſque quadringentas Eccleſias B. Marię nomine inſignitas, & vero etiamnum hodie recenſentur ſex, octove ſupra quadraginta. Neapoli quoque circiter ſeptuaginta numerat Antonius Spinellus *tract. de Feſtis, ac Templis Deiparæ*. Nec reperire eſt ullam Civitatem paulo celebriorem, in qua quinque, ſex, pluresque hujuſce nominis non inveniantur Eccleſię. Et quidem adeo multę ſunt, ut licet varii, ac multiplices ſint Tituli, quorum occaſione, vel in quorum memoria Eccleſię ędificari, & B. Marię queunt dicari, ex quibus id commodi accidit, ut alię ab aliis diſcernantur, adhuc pluribus in locis ob earumdem diſtinctionem eas appellare neceſſe ſit a loco, a forma, vel ab accidenti aliquo, quales ſunt *S. Maria in Via lata, in Campo ſancto, in Caſtro, a Quercu, ab Ulmo, a Caſtanea, S. Maria Coronata, Rotunda*, & alię ſimiles innumerę, quas recenſere noſtri non eſt inſtituti, cum ſub his Titulis haudquaquam B. Marię ędificentur Eccleſię, ſed ſolummodo his jam ędificatis, ad diſtinctionem a ceteris nuncupationis hujuſmodi adhibeantur.

II. Tituli vero, ſub quibus Beatiſſimę Virgini dicari poſſunt, ac dicantur Eccleſię,, tametſi omnes de facili recenſeri non valeant, ad quinque Capita revocari poſſe putamus; ſunt autem *Myſteria, Excellentia, Reliquiæ, Prodigia, & Favores*.

III. Primum itaque Caput conſtituunt Myſteria in Beatiſſimę Virginis perſona completa, videlicet *Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annuntiationis, Viſitationis, Purificationis, & Aſſumptionis*, ſub quorum ſingulis multę paſſim intitulatę reperiuntur Eccleſię. His addenda veniunt alia Myſteria, ſeu actiones ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, de quibus in univerſali Eccleſia, vel in particularibus quibuſdam locis jam ſolemnis introducta eſt feſtivitas, puta *Deſponſationis, Expectationis Partus, Septem Dolorum, Pietatis, ſeu Compaſſionis, Gaudiorum, Roſarii*, quod omnia Chriſti, Virginiſque Matris Myſteria ſuo circuitu involvit, aliaque ſimilia Myſteria, ſeu actiones.

IV. Secundum Caput Titulorum deſumitur ab Excellentia ipſiuſmet B. Mariæ, cujuſmodi ſunt *Matris Domini, B. Maria Angelorum, ad Martyres*, & ſi alii occurrunt ejuſmodi Tituli, qui B. Mariæ excellentiam, ac prærogativam aliquam præſeferant, ac oſtentent; prior enim ille denotat maximam B. Mariæ dignitatem, videlicet ejuſdem Maternitatem, poſterior vero deſignat, eam eſſe Reginam Angelorum, Martyrum &c.

V. Tertium Caput conficiunt Reliquiæ, ſive quæ pars Corporis ejuſdem Beatiſſimæ Virginis aliqua fuerunt, ut Lac, ac Capilli, ſive quæ ex ſacro ipſius contactu cultum, ac reverentiam promerentur, cujuſmodi ſunt induſia, togæ, zona, vela, vittæ, annuli, chirothecæ, pecten, fuſus, glomus, lectus quoque, ac domus ipſa; funeralia item, nempe ſudarium, feretrum, ſepulcrum; ſive denique ea, quæ ad Chriſti filii obſequium, ſuis ipſa manibus vel tractavit, vel confecit, qualia ſunt præſepium, cunabulum, panni, faſciæ, interula linea, tunica inconſutilis, & alia hujuſmodi. Quæ Reliquiæ omnes variis in locis religioſiſſime aſſervantur, ut refert Spinellus *cap. 29. numer. 48. & ſeq.* & complures iiſdem extructæ reperiuntur Baſilicæ: Qualis ea fuit, quam ab Pulcheria Auguſta Conſtantinopoli in Chalcopratejo, in honorem venerandæ Zonæ, ſacrarumque Chriſti Faſciarum erectam fuiſſe refert Nicephorus *lib. 14. c. 2. & c. 49. lib. 15. c. 14.*, & eodem teſte, quæ ab eadem Auguſta, & Marciano Imperatore ipſius conjuge in Blachernis, ad venerationem ſepulcralium ejuſdem Virginis Faſciarum magnificentiſſime fuit extructa; necnon quæ a Leone Imperatore hujuſce nominis primo, ibidem in Blachernis ad maris littus, pro reponenda, quam recens acceperant, Deiparæ veſte ſacratiſſima, forma rotunda ædificata fuit, eodem teſte Nicephoro. Romæ quoque Eccleſia ipſa, quæ S. Mariæ Majoris, communiter dicitur, a Præſepi etiam, quod in ea ſervatur, *S. Mariæ ad Præſepe* nomen ſortita eſt. Nedum autem ſub ejuſmodi Titulis extrui poſſunt Eccleſiæ, ubi aliqua ex prælatis, vel iis ſimilibus cuſtodiuntur Reliquiis, ſed etiam ubi nulla earumdem aſſervatur, quapropter ad hocce caput ſpectare credimus Eccleſias illas, quæ ſub titulo *S. Mariæ Lauretanæ*, vel alio ſimili reperiuntur dicatæ, referuntur enim ad Domum ipſius B. Virginis, quæ Angelorum miniſterio in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ tranſlata fuit, in quaque Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis.

VI. Quartum Caput deſumitur a Signis, ac Prodigiis, quæ in certis locis cælitus edita fuerunt, puta Apparitio aliqua ipſiuſmet Deiparæ, ut quæ Zanettæ facta fuit Caravaggii in Agro Mediolanenſi, & ibidem in ejuſdem memoriam magnificum extructum fuit Templum, ac quotannis die 26. Maii ſolemne inſtituitur officium; quæ item facta extitit Sanctis Petro Nolaſco, & Raymundo de Pennafort, necnon Jacobo Aragoniæ Regi pro inſtitutione Ordinis Religioſorum, quibus cura incumberet Captivos, e Turcarum tyrannide liberandi, quæ Beato Simoni Stok, cui & ſacrum Scapulare exhibuit; necnon quæ S. Monicæ in ſtatu viduali magnopere exoptanti juxta formam, qua poſt mortem Filii Deipara induta proceſſerat, veſtiri, & de ſui habitus forma ab eadem Deipara edoceri. Ex quibus apparitionibus originem poſtea cœpere feſtivitates illæ *S. Mariæ de Mercede, de Carmelo, de Sacro Cingulo*, quæ & *Conſolationis* dicitur, quia ſemper conſolationem exhibuit in vita, morte, & poſt mortem iis, qui ad ejuſdem honorem Sacra Zona præcincti proceſſerunt, quemadmodum fuſe a nobis oſtenſum fuit in libro de S. Cingulo S. Mariæ de Conſolatione. Ab his autem nominibus nuncupatæ ſunt ſatis notæ Confraternitates, necnon Eccleſiæ nonnullæ reperiuntur appellatæ, atque ſub iiſdem extructæ. Ejuſdem generis ſunt manatio lacrymarum, aut ſanguinis ab aliqua ejuſdem Beatæ Virginis ſtatua, vel imagine, qualiter contigit Lucæ in Imagine quadam apud Patres Auguſtinianos aſſervata, quæ a perdito Aleatore ſaxo percuſſa, Filio, a dextera in Levam tranſlato, & Impio, dehiſcente terra, in Inferno ſepulto, miram ſanguinis effuſionem dedit, cujus ampulla adhuc ſervatur. Inſigne quoque Nivium miraculum occaſionem dedit extruendi Romę Baſilicam S. Marię Majoris, cujus feſtivitas die quinta Auguſti in Romano Breviario recolitur, & a dicto miraculo dici conſuevit *S. Maria ad Nives*.

VII. Huc attinere videntur etiam appellationes illę *S. Maria de Victoria, Succurſus &c.* hinc a S. Pio V. die 7. Octobris inſtituta fuit Commemoratio Beatę Marię de Victoria, ob inſignem victoriam bello navali ejuſdem Dei Genitricis auxilio a Chriſtianis ad Naupactum ea die de Turcis reportatam anno 1571. & Gregorius XIII. Dominica prima ejuſdem menſis ob eamdem cauſam celebrandam decrevit annuam Solemnitatem Roſarii ipſiuſmet B. Virginis, cujus interceſſioni attribuuntur etiam quamplures alię victorię ſuper Turcas pręter expectationem conſecutę. Eccleſia item Pariſienſis diem quartam Auguſti ſub officio duplici celebrat, pro Commemoratione inſignis Victorię Regis Philippi Pulcri de Flandris rebellibus ope B. Virginis reportatę anno 1304. & Carnutenſis ſolemnem B. Marię Commemorationem affixit diei 15. Martii, ob Civitatem ea ipſa die ſingulari ejuſdem Virginis pręſidio obſidione quoque liberatam anno 1568. Miraculoſa pariter liberatio Viennę in Auſtria ab arcta obſidione Turcarum occaſionem dedit inſtituendę feſtivitatis in honorem SS. Nominis B. Marię, cui reperiuntur in catholico Orbe quamplurimę dicatę Eccleſię.

VIII. Quintum Caput efformant Favores, & Dona, quę ejuſdem interceſſione in nos aſſolent derivare, ut ſunt vulgares illę appellationes, *S. Maria de Auxiliis, de gratiis, de Donis, de virtutibus, de Pace. Patrocinii, Conſolationis, Refugii*, & alię pleręque, quę paſſim innoteſcunt. Hęc ſunt pręcipua Capita, ad quę revocari facile poſſunt Tituli omnes, ſub quibus dicatę reperiuntur Eccleſię B. Marię, pręter Eccleſias abſolute, & ſimpliciter *S. Mariæ* dicatas, aut quibus facta eſt appellatio quędam a loco dumtaxat, vel ab accidenti aliquo petita, quę nihil attinet ad rationem Tituli, nec reddit Eccleſiam ſub aliquo particulari Titulo B. Virgini conſecratam, ſed ſolummodo ad diſtinctionem unius Eccleſię ab alia invecta eſt, atque deſervit.

IX. Celebre autem eſt, quod ex Monumentis authenticis habetur, factam videlicet fuiſſe ab Abbate Benedictino Montis Subaſii Sancto Franciſco conceſſionem cujuſdam parvę Eccleſię ſub Titulo B. Virginis Angelorum, quę Eccleſia *Portiuncula* nomen aſſumpſit ex quadam Villa ipſi contigua; eumdemque Sanctum Franciſcum in prędicta Eccleſia preces ad Deum fudiſſe, ut plenaria daretur indulgentia peccatorum illis, qui rite, & recte peccata confeſſi, eam viſitaſſent; Deumque ejus exaudiſſe orationem, ita tamen, ut inſtare deberet penes Honorium III. tunc Romanum Pontificem pro indulgentia impetranda; ipſumque Romanum Pontificem, cum intellexerit, Divinam eſſe voluntatem pro indulgentię conceſſione, eam tandem plenariam, licet hoc eſſet contra tunc temporis diſciplinam, liberam, & perpetuam indulſiſſe anno 1223. ſed uno dumtaxat die naturali cujuſcumque anni, hoc eſt, a veſpera Calendarum Auguſti uſque ad veſperam ſequentis diei, qui eſt anniverſarius dies Conſecrationis memoratę Eccleſię. Narratio hęc Teſtibus innititur, qui eam audiverunt vel ab ipſo S. Franciſco, vel ab ejus ſociis, probaturque paſſim ab Hiſtoricis, ut refert Eminentiſſ. Lambertini, nunc Pontifex Maximus *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 7. numer. 7.* In cujus inſignis Beneficii commemorationem facta

eſt

eſt officii conceſſio Ordini Franciſcano cum lectionibus propriis, in quibus ſupra recenſita exponuntur, necnon indulgentia præfata ad totius ejuſdem Ordinis Eccleſias per Romanos Pontifices benigne protenſa fuit.

X. Habet itidem idem Ordo diverſas alias Eccleſias in variis locis ſub invocatione S. Marię Angelorum erectas, de quibus ſubinde ortum eſt dubium, quodnam officium foret inſtituendum, an de Dedicatione Eccleſię, quemadmodum fit die 2. Auguſti pro Eccleſia memorata S. Marię Angelorum Aſſiſienſis, an magis de B. Maria, quę dictarum Eccleſiarum Titularis eſſe videtur; & quatenus hoc, ex quanam feſtivitate ejuſdem Beatiſſimę Virginis officium deſumi deberet, quod in ea die recitaretur. Quod dubium in Sacra Congregatione pro declaratione propoſitum extitit, a qua reſponſum prodiit, prout in ſuperiori Decreto.

XI. Decretum autem firmat duo, & alterum fieri permittit, ſeu approbat. Primum, quod firmat; eſt, quod *in Eccleſiis Titularibus ſub invocatione S. Mariæ Angelorum (apud Minores) non de Dedicatione Eccleſiæ, prout in Feſto Portiunculæ, ſed de S. Maria Eccleſiæ Titulari faciendum eſt officium.* Et hoc quidem ſatis evidens eſt. Tum quia in Feſto Portiunculę fit officium de Dedicatione, quia ea die non occurrit Feſtum Tituli, ſed feſtum Conſecrationis Eccleſię Angelorum Aſſiſienſis, unde in Breviario ipſo Minorum die 2. Auguſti ita notatur, *Conſecratio Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum*; in aliis vero Eccleſiis dicti Ordinis ſub invocatione S. Marię Angelorum extructis non agebatur de inſtituendo feſto Conſecrationi earumdem, ſed de feſto Titularis, & ideo non de Dedicatione faciendum erat Officium, ſed de S. Maria, quę prędictarum Eccleſiarum vere eſt Titularis. Tum quia in ejuſmodi Eccleſiis alias bis fieret de earumdem Dedicatione, die ſcilicet, qua contigit, & die, qua coli deberet Feſtum Tituli; hoc autem diſſonum penitus eſt a Rubricarum diſpoſitionibus, & praxi Eccleſię. Tum denique quia Eccleſia proclivior eſt in ſubrogando officium Tituli feſto Dedicationis, quam e contra, ut videre eſt in Feſto Dedicationis B. Marię ad Nives, & Dedicationis S. Michaelis Archangeli, in quibus non de Dedicatione, ſed de titularibus ipſis agitur, nullum vero eſt exemplum adducibile in oppoſitum.

XII. *Apud Minores* addit Decretum, non quia apud ceteros de Dedicatione, & non de B. Maria officium faciendum ſit, ſed quia pro Minoribus particularis quædam adeſſe poterat videri ratio, ob quam officium de Dedicatione inſtituendum eſſet, videlicet, aut præfatæ Eccleſiæ, quæ die 2. Auguſti de ſuo Titulari officium agere conſueſcunt, uniformitatem tenere poſſent cum reliquo Ordine, qui ea ipſe die officium recitat de Dedicatione Sanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſienſis, in hujuſque memoriam feſtivitatem apprime ſolemnem agit, ad quam turmatim accedit Populus Officium, & Miſſam de ea auditurus, conceſſamque Indulgentiam lucraturus. Quod ſi his haudquaquam obſtantibus ſtatutum extitit, Minores non de Dedicatione, ſed de S. Maria officium agere debere, multo quidem magis id præſtare debebunt quicumque alii, apud quos haud militant congruæ præfatæ rationes; hinc & Meratus ipſe ubi *ſect. 8. cap. 4. num.* 4. Decretum, prout ſupra datum eſt, exhibet, in ſuo Indice numer. 162. in uſum univerſalis Eccleſiæ ſub his terminis abſolute, & ſimpliciter illud proponit: *In Eccleſiis Titularibus S. Mariæ Angelorum, officium cum Miſſa faciendum eſt, ut in Feſto S. Mariæ ad Nives, ſed lectiones 2. nocturni ſumendæ ſunt a ſecundo Nocturno diei Nativitatis ejuſdem B. M., mutato verbo* Natali *in verbum* Feſtivitate.

XIII. Haud quidem nos latet, quod in præfato Indice admonet, videndum eſſe Decretum emanatum 14. Maji 1707. *in Pariſien. ad 2., & 3. Dubium*, in quo *dict. ſect.* 8. aſſerit, *re maturius perpenſa aliquid additum extitiſſe*. Quænam ſit hujuſmodi additio, ipſe nullibi profert, nec adducit ipſum Decretum *in Pariſienſi* editum, unde illa dignoſci queat; quapropter in obſcuris utique remanet, ſed credibile apparet, quod ea unice facta ſit in uſum Ordinis Minorum, de quibus dumtaxat procedit adducta ratio; cæterum quod pro Eccleſia univerſali abſolute Decretum intelligi debeat, prout modo ex ejuſdem Indice protulimus, tanquam certum tenendum venit, alias quis non videt grave peccatum a memorato Merato fuiſſe commiſſum in proferendo Decretum pro Eccleſia univerſali ſub terminis, ſub quibus minime deſervit, vel ſaltem non adducendo additionem ipſam, ſub qua uſurpandum venit? Quid enim profuiſſet poſuiſſe Decretum, niſi ad deceptionem, ſub terminis, ſub quibus non currit? Quid monuiſſe de additione, cujus terminos, & vim reticet? Non tenebatur autem additionem illam proferre, quæ pro particulari Ordine Minorum unice facta eſt, & pro Eccleſia univerſali minime deſervit, quoniam ejuſdem ſcopus non eſt, quæ in particularem uſum ſunt, ſed in univerſalem, in medium afferre; hinc ubi Decretum cum clauſula illa *Apud Minores* adducit, *re maturius perpenſa aliquid additum extitiſſe*, etiam pronunciat; in Indice vero, in quo in uſum Eccleſiæ univerſalis illud memorat, nihil prorſus habet de hujuſmodi additione, ſed ſolum Lectorem admonet, videre Decretum in *Pariſienſi* editum, ne ſi forte ex Ordine Minorum fuerit, illud, ut ibi, uſurpet, ſed cum additione, quæ eidem facta fuit, licet poſtea eam minime deſignet, tum quia in uſum Eccleſiæ nullatenus deſervit, tum quia eidem tamquam propria, & particularis facile nota eſſe poteſt, & in Breviario ipſo annotata. Cæterum cum in Rubricis ipſis Minorum, in quibus dictum Decretum ſub num. 174. adducitur, nihil habeatur de præfata additione, nos opinamur, aut nullam additionem reipſa factam extitiſſe, vel factam additionem ſenſum Decreti haudquaquam variare, ac conſequenter pro Eccleſia univerſali præſertim, prout ſuperius traditum extitit, Decretum eſſe legendum, & in adductis terminis ad executionem demandandum.

XIV. Alterum, quod firmat Sanctio, eſt, quod *officium cum Miſſa faciendum eſt, ut in feſto S. Mariæ ad Nives*. Cetera Officia, quæ in Breviario Romano habentur de Beata Virgine, aliquid continent feſtivitati, de qua agitur, proprium, ut videre eſt in Feſtis Purificationis, Viſitationis, Pręſentationis, Nativitatis, & Aſſumptionis, unde minus quidem proprie in aliis feſtivitatibus ejuſdem valent uſurpari. Officium Nativitatis etiam quadrare poſſe haud imus inficias, mutato dumtaxat *Nativitatis* nomine in *Feſtivitatis*, & reipſa hac facta dumtaxat mutatione uſurpatum extitit in Feſtia Conceptionis, & Deſponſationis ejuſdem Beatiſſimæ Virginia. At proculdubio magis appoſite quadrat officium S. Mariæ ad Nives utpote quod nihil continet, quod omnibus B. Virginis feſtivitatibus non valeat bene convenire; & ſe habet veluti Commune ejuſdem B. Mariæ, ac propterea ex eodem ſuppletur, quidquid proprium deficit in quibuſcumque ejuſdem feſtivitatibus, quemadmodum evenit in Feſtis SS. Nominis B. Mariæ, Roſarii, Patrocinii, de Monte Carmelo, Præſentationis, de Mercede, S. Mariæ in Sabbato, & in aliis quibuſcumque apud particulares Ordines, aut loca celebratis, ut in Feſto B. Mariæ Conſolationis apud Auguſtinianus, & in aliis ſimilibus apud alios. Miſſa itidem, quæ dicitur in Feſto S. Mariæ ad Nives, in iiſdem uſurpatur feſtis, ac ea ipſa eſt, quæ in Sabbatis per annum dici præſcribitur, ac quotieſcumque per annum quis de B. Virgine vult Miſſam celebrare; hinc & Guyetus *lib. 3. cap. 56. quæſt.* 2., & Gavantus *ſect. 7. cap.* 12. *num.* 1. officium B. Mariæ ad Nives in feſtis particularibus B. Mariæ magis dicendum laudat, *eo vel maxime*, ut ait Guyetus, *quod in eo opus non eſt ullis mutationibus*, quæ fieri deberent, ſi officium Nativitatis aſſumeretur, *Cantantes ſæpe, ſeu recitantes interturbantibus*.

XV. *Et lectiones ſecundi Nocturni*, ſubiicit Decretum, *ſumendæ ſunt ex ſecundo Nocturno Nativitatis ejuſdem, mutato verbo* Natali *in verbum* Feſtivitate. Lectiones ſecundi Nocturni, quæ leguntur in feſto S. Mariæ ad Nives, propriæ ſunt, ac continent miraculum nivis, ac alia, quæ cauſam dedere dictæ feſtivitatis inſtitutioni, & ideo congrue in aliis feſtivitatibus omitti præſcribuntur, & earumdem loco deſumendæ, quæ in Feſto Nativitatis ejuſdem Beatiſſimæ Virginis aſſignantur, quæ in iiſdem mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate* omnibus quadrat B. Mariæ feſtivitatibus. Id prius expreſſe docuerat Gavantus loco ubi ſupra aſſerens: *Certe melius, ut in Feſto ad Nives, cum lectionibus 2. nocturni de Nativitate B. Virginis, mutato verbo* Natali *in* Solemnitate, & Guyetus *ſalvis lectionibus ſecundi nocturni, quarum loco ſumi poſſunt, indicante Gavanto, vel ipſamet de Feſto Nativitatis, vel aliqua ex Octavario*.

XVI. Dices, ex mutatione, quę in officio Nativitatis fieri debet, minus congruum viſum eſt, illud uſurpare in aliis Beatæ Mariæ feſtivitatibus, ergo ſi etiam in dictis lectionibus mutatio aſſerta venit facienda, minus congrue fuerunt aſſignatæ.

XVII. ℟. Diſparem eſſe rationem, quoniam ſi officium Nativitatis uſurpandum eſſet, frequentes admodum evenirent dictæ mutationes, in lectionibus memoratis nempe, in Antiphonis, & Oratione, & etiam minus congrue retineretur Evangelium cum ejuſdem Homilia, quæ ſunt de Genealogia Salvatoris. In noſtro autem caſu unice mutantur lectiones ſecundi nocturni, & in his unici verbi mutatio contingit, videlicet ubi dicitur, *Tantæ Virginis illuſtrata Natali*, dicendum eſt, *Tantæ Virginis illuſtrata feſtivitate*. Cetera autem cuncta prorſus immutata, ac invariata remanent. Quis igitur hac de cauſa contendere valet, commodius haud eſſe officium S. Mariæ ad Nives, quam Nativitatia ejuſdem?

XVIII. Id autem, quod Decretum fieri permittit, ſeu approbat, eſt, quod cum Feſtum Eccleſiarum S. Mariæ Angelorum dicatarum apud Minores die 2. Auguſti ſoleat celebrari, nihil innovandum diſponit, quinimmo cum ſolum loco officii Dedicationis officium S. Mariæ ad Nives ſubrogandum ſtatuat, conſequenter approbat illud idem quoad diem retineri poſſe, & ſolum quoad qualitatem officii eſſe corrigendum. Ex quo generalis exurgit regula, de qua ſtatim infra dicemus, ſcilicet a particularibus Eccleſiis optime retineri diem celebrationis feſti alicujus, quod ſtata die apud Eccleſiam univerſalem, vel in Matryrologio Romano minime recurrit, quæ eidem celebrando in particularibus uſibus aſſignata fuit, cum congruam ob rationem ſupponatur aſſignata, ſi tale feſtum ſub ea ratione contingat earumdem eſſe Titulare.

XIX. Remanet igitur modo ad ſingula ſuperius recenſita deſcendamus Capita, ex quibus depromuntur Tituli, ſub quibus Eccleſiæ B. Mariæ dicatæ inveniuntur, & in caſu quodnam officium, & quanam die inſtituendum ſit, declaremus. Et primo certum eſt, quod in Eccleſiis ſub Titulo S. Mariæ dicatis faciendum eſt Feſtum Tituli tam quoad qualitatem officii, quam quoad aſſignationem diei, prout habetur in Breviario Romano, quoties ſub aliquo Myſterio, vel Titulo, de quo in eodem Breviario officium habetur, præfatæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ dicatæ reperiuntur, ut Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis,

Puri-

Purificationis, Aſſumptionis, & ad Nives. Quibus nunc addi debent Tituli SS. Nominis ejuſdem B. Mariæ, Roſarii, Septem Dolorum, de Monte Carmelo, & de Mercede, quorum feſta in Breviarium Romanum invecta fuere. Quæ enim feſta ſunt Breviarii Romani, ſingulos adſtringunt ritui romano addictos, nec iiſdem licet aliud officium uſurpare in eorumdem celebratione, tametſi præcedenter, quam illa in Breviarium Romanum inveherentur, ex peculiari indulto fuerint cum officio proprio, & alio die celebrata, quemadmodum inferius non ſemel dicetur, & id deciſum implicite extitit per Sacram Congregationem 17. Junii 1684., quæ per Innocentium XI. conceſſo recitari per univerſam Eccleſiam Feſto SS. Nominis Beatæ Mariæ in Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem, declaravit ceſſare debere officium, & Miſſam propriam pro die 17. Septembris, quo ex peculiari conceſſione in aliquibus locis præcedenter celebrabatur, & ubicumque eſſe recolendum quoad diem, & qualitatem officii prout in memorato Indulto Innocentii XI. Falleret hoc tamen, ſi aliquod ex dictis Feſtis alia die, vel alio officio recoli uſus ferret præcedenter uſque ad Bullam Pii V. introductus, quemadmodum ſuo loco dicetur.

XX. His accedunt Tituli illi, ſub quibus Feſta jam inſtituta ſunt, & a Sede Apoſtolica pluribus in locis, & ferme per univerſalem Eccleſiam recitari conceſſa, cujuſmodi ſunt Feſta Deſponſationis, Expectationis, Translationis Almæ Domus Lauretanæ, & Patrocinii Beatæ Mariæ; in Eccleſiis enim ſub his Titulis erectis ſequenda videtur dies dictorum Feſtorum, cui congruam utique ob rationem ſupponuntur affixa, quoad feſtivitatis celebrationem, quinimmo & quoad qualitatem officii, quoniam etſi officia particularibus locis conceſſa, non poſſint ab aliis continuo uſurpari, ea tamen vel non continent, niſi officia jam pro univerſali Eccleſia indulta, & ab aliis feſtivitatibus univerſalibus excerpta, cujuſmodi eſt Feſtum Patrocinii, & forſitan etiam Deſponſationis, vel ratione multiplicum conceſſionum de iiſdem pro particularibus locis factarum, cenſentur ab ea regula excepta, & quaſi pro univerſali Eccleſia in occurrenti caſu uſurpari permiſſa, qualia ſunt officia Expectationis Partus, & Translationis Domus Lauretanæ.

XXI. Verum cum diverſa in diverſis uſibus ſit dictorum feſtorum celebratio, ut de Patrocinio Beatæ Mariæ, quod communius quidem celebratur Dominica ſecunda Novembris, ſed aliquibus in locis Dominica tertia ejuſdem menſis, & alibi in aliis diebus, idcirco in hujuſmodi caſibus quoad diem magis ſequendum laudarem uſum loci, quam uſum aliorum locorum, licet forte communiorem. Ubi autem nullus eſt hujuſmodi uſus, ſed de novo induci debet, uſus communior videtur præferendus. Item non unum eſt in omnibus locis officium dictorum feſtorum, hinc Guyeto teſte loco ſuperius laudato Nannetenſis Eccleſia in Feſto Deſponſationis a ceteris diſcrepat tam quoad diem, quam quoad qualitatem officii, cum illud recolat die 15. Januarii, & officio toto proprio ex aliis ejus officiis hinc inde collecto; & quando etiam in qualitate officii nulla foret diſonantia, adhuc ea officia uſurpari dumtaxat poſſunt iis in locis, quibus ſunt conceſſa, & nullatenus licitum eſt extra dicta loca præfata officia recitare, ut ſuo loco inferius dicetur.

XXII. Quoad qualitatem igitur iſtorum officiorum non minus ſequendus eſt uſus loci, ſi in eo conceſſa ſint recitari; ſin autem, locum habebit diſpoſitio præcedentis Decreti, quod ſubrogat officium S. Mariæ ad Nives. Hæc dicta ita ſunto, ut non excludant recitari officium Patrocinii, ſi lubet, quod in particularibus locis recitatur, utpote quod non eſt compactum, niſi ex officio S. Mariæ ad Nives, & lectionibus ij. nocturni deſumptis ex die iv. infra octavam Nativitatis Beatæ Virginis, adeoque ex lectionibus jam pro Eccleſia univerſali approbatis. Idipſum dicendum videtur de officio Deſponſationis Beatæ Mariæ, quod ex officio Nativitatis ejuſdem decerptum eſt, ſalvis lectionibus ſecundi, & tertii nocturni, loco quarum ſubrogari poſſunt, quæ juxta præſens Decretum in Feſto Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum dicendæ præſcribuntur. Officium autem Translationis Almæ Domus Lauretanæ pro Titulo ejuſdem non quadrat, & aliunde proprium eſt, uti & officium Expectationis, & ideo ab eorumdem uſu foret abſtinendum, & prout in Feſto ad Nives recitandum.

XXIII. Quoad Eccleſias vero abſoluta, & ſimpliciter *S. Mariæ* dicatas, licet exinde ad ſecernendam unam Eccleſiam ab alia iiſdem obvenerint appellationes aliquæ a loco, vel ab accidenti aliquo depromptæ, quæ ad Tituli rationem minime pertinent, non putamus peculiare feſtum eſſe inſtituendum, ſed quantum ad diem, & quantum ad qualitatem officii ſervandum eſſe arbitramur Feſtum Aſſumptionis ejuſdem, in quo una recolitur tranſitus, ſeu depoſitio ipſius, exemplo ducto ab aliis Titularibus, quorum feſtivitas in die tranſitus, ſeu depoſitionis celebratur, & ſi hic in Breviario Romano jam recolitur, non propterea quia Titulares ſunt, peculiaris inſtituitur feſtivitas, ſed idem feſtum & pro officio per Breviarium præſcripto, & pro Titulo apprime bene deſervit, uti manifeſte patens redditur ex Octavario ipſo Romano, quod in eo caſu ſolum elevat præfatum feſtum ad ritum duplicem primæ claſſis, eique concedit octavam. Huic autem noſtræ aſſertioni ſuffragatur communior ipſe uſus Eccleſiarum ſic dicatarum, nec aliter quidem faciendum eſſe ſuadet ratio, quoniam præfatæ Eccleſiæ non ſunt ſub peculiari aliquo Titulo extructæ, ex quo peculiarem feſtivitatem queant expoſcere.

XXIV. Non ideo tamen improbandus venit uſus illarum Eccleſiarum, quæ Nativitatem ejuſdem pro Titulo recognoſcunt, præſertim ubi ſunt plures hujuſmodi Tituli, quoniam ſic Feſta ejuſmodi ſe mutuo minime impediunt, & ſingula ſolemnius, ac commodius queunt celebrari. Non eadem autem eſt ratio de Nativitate Beatæ Mariæ, ac aliorum Sanctorum, quippe hi culpæ originali naſcuntur obnoxii, ubi Nativitas illius ab omni labe extitit immunis. Hoc autem privilegium tanti fit ab Eccleſia, ut pro recolendis meritis S. Joannis Baptiſtæ, cujus Nativitas peccato originis caruit, celebriorem voluerit diem Nativitatis ejuſdem in hanc lucem, quam in vitam æternam, ac propterea & Eccleſiæ, quæ eidem S. Joanni dicatæ reperiuntur, non pro Titulo Decollationem, ſed Nativitatem ejuſdem agnoſcunt, & ſolummodo Decollationem celebrant, quæ ſub particulari Decollationis nuncupatione fuerunt extructæ. Non minus itaque congrue pro Titulo Nativitatem celebrant Eccleſiæ illæ, quæ B. Mariæ ſimpliciter, & abſolute dicatæ extitere.

XXV. Contendere quis poſſet, idem dicendum eſſe de Conceptione ejuſdem Beatæ Mariæ, utpote quæ ſingulariori privilegio, nullibi alteri ex creaturis conceſſo, ab originali peccato extitit præſervata. Verum res ita haudquaquam procedit; Tum quia certa, ſaltem de fide non eſt memorata præſervatio; Tum etiam quia, quando conſtaret, & de dicta præſervatione, quam ego indubiam cum communiori ſententia, & procliviori Eccleſiæ ipſius ſenſu teneo, adhuc dicta feſtivitas non admodum apta videtur, ut ab Eccleſiis ſimpliciter ſub Titulo S. Mariæ erectis, pro Titulo aſſumi queat, quoniam etſi tunc ſupremum beneficium Deus Mariæ contulerit, adhuc quia quoad nos non fuit donum illud perfecte collatum uſque ad ejuſdem Virginis Nativitatem, idcirco quoad nos, & quoad exteriorem lætitiam ſolemnior Conceptione eſt ejuſdem Nativitatis feſtivitas, quemadmodum eadem de cauſa ſolemnior eſt Nativitatis Chriſti Domini feſtivitas, quam ejuſdem Incarnationis, tametſi in hac ſupremum beneficium Deus hominibus contulerit, & maximum omnium mirabilium ſuorum operum fecerit.

XXVI. Eccleſiæ vero, quæ ab aliqua actione, vel virtute ejuſdem Beatiſſimæ Virginis intitulatæ reperiuntur, uti ſunt Eccleſię in memoriam dolorum, vel gaudiorum, aut humilitatis, vel cujuſcumque alterius virtutis ejuſdem Virginis erectæ, pro Titulo celebrare debent feſtivitatem illam, quæ in univerſali Eccleſia, vel in particularibus locis, intra quorum confinia ipſæ ſitæ ſunt, de præfatis actionibus, vel virtutibus poſſet eſſe inſtituta; unde quæ in memoriam Dolorum ædificatę ſunt, feſtum Septem Dolorum in univerſali Eccleſia pro feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis celebratum; quę in memoriam Gaudiorum, feſtum eorumdem Gaudiorum, ſi inibi ex conceſſione celebraretur, & ſic de reliquis, pro Titulo recognoſcere deberent. Ubi autem non adſit nec in univerſali Eccleſia, nec in particularibus locis, in quorum finibus dictę Eccleſię conſiſtunt, feſtivitas aliqua inſtituta, in qua prę-fatę actiones, vel virtutes recolantur, vel ad eamdem reduci queant, particularis inſtitui debebit feſtivitas cum officio a feſto Sanctę Marię ad Nives ut ſupra deſumpto; cum enim hujuſmodi Eccleſię Beatiſſimam Virginem, non abſolute, vel ſub aliqua ratione in aliis jam inſtitutis ejuſdem feſtivitatibus exculta inſpiciatur, ſed ſub particulari alia ratione, idcirco nullę ex ejuſdem jam inſtitutis ſolemnitatibus aptę ſunt, quę pro Titulo earumdem aſſumantur, ſed particularis inſtitui debebit feſtivitas, in qua particularis illa ratio recolatur, exemplo ducto a pręſenti Decreto, quod ob hanc ipſammet rationem particulare feſtum pro Titulo Sanctę Marię Angelorum faciendum eſſe deſignat.

XXVII. Idipſum dicendum venit de Titulis ab Excellentia ejuſdem Deiparę depromptis, quapropter Eccleſię illę, quę ſub Titulo *Matris Domini* eſſent erectę, Annunciationem, in qua ipſa Maternitatem aſſecuta eſt, pro Titulo recolere deberent, unde in Concilio Toletano X. *Cap.* 1. Annunciatio per antonomaſiam feſtum Divinę, ſeu Dominicę Matris appellatur; *nam quod* (ait) *feſtum Matris eſt, niſi Incarnatio Verbi?* Et ita diſcurrendum ſimiliter eſt de aliis ſimilibus Titulis, ſi quis eorumdem vel ad feſtivitatem aliquam in univerſali Eccleſia, vel in iis locis jam inſtitutam queat revocari. Sin autem, particularis feſtivitas erit inſtituenda juxta diſpoſitionem pręcedentis Decreti, quod in caſu hujuſmodi Titulorum ab excellentia petitorum reipſa noſcitur emanatum.

XXVIII. De Eccleſiis, quę in memoriam alicujus Reliquię ejuſdem B. Marię ibidem aſſervatę, vel deportatę, fuerunt conſtructę, eſt modo ſermo inſtituendus, & in his cum diſtinctione procedendum eſſe arbitramur; vel enim hujuſmodi Reliquię ſunt ex iis, quę in uſum Filii primario deſervierunt, licet & ad Virginem Matrem attineant, quatenus ab hac fuerunt vel confectę, vel pertractatę, cujuſmodi ſunt faſcię, panni, interula linea, tunica inconſutilis, cunabulum, & alia hujuſmodi, quę involvendo, vel tegendo Corpore Chriſti, vel in hujus obſequium adhibitę fuerunt; & quamvis aliquę ex his reducantur ad Myſterium aliquod Chriſti, & in eo recolantur, ut faſcię, & panni, quibus ipſe involutus fuit, & cunabulum, in quo poſitus, & alia hujuſmodi, ad Nativitatis Myſterium, ad quod ſpectant tamquam appendices

quę-

quædam ejuſdem; attamen certum eſt, quod in hiſce Myſteriis illæ recoluntur, quatenus ad Chriſtum ſpectant, non autem quatenus ad Virginem Matrem, cum officium de Chriſto, & non de Maria in dictis Myſteriis inſtituatur. Cum itaque Eccleſiæ B. Mariæ ſub titulo aliquo a Reliquiis deſumpto fabricatæ, pro Titulo recognoſcant Mariam, & non Chriſtum, idcirco & dictas Reliquias inſpiciunt, quatenus ad Mariam, & non quatenus ad Chriſtum ſpectant, quapropter cum ſub hacce ratione in prædictis Chriſti Myſteriis minime recolantur, in iiſdem quoque minime recolitur ratio illa particularis, ſub qua Eccleſiam intitulant, & conſequenter ſi non attineant etiam ad aliquam aliam feſtivitatem ejuſdem B. Mariæ jam inſtitutam, peculiaris de eadem B. Maria iſtitui debet feſtivitas, in qua ipſa incolatur ſub particulari iſta ratione, ſeu cum reſpectu ad memoratas Reliquias, prout ad ipſam attinent, & præfatas Eccleſias denominant, officio deprompto a Feſto S. Mariæ ad Nives juxta præſentis Decreti diſpoſitionem.

XXIX. Vel ſunt Reliquiæ, quæ ad Chriſtum nullatenus ſpectant, ſed ad ſolam Mariam, & ab hac reverentiam unice depromunt; & ex his aliæ ſunt reducibiles ad aliquod ejuſdem Myſterium, vel feſtivitatem jam inſtitutam, & pro Eccleſiis, quæ Mariam ſub hoc reſpectu tamquam Titularem agnoſcunt, non eſt inſtituenda peculiaris aliqua feſtivitas, vel Myſterium illud, vel feſtivitas, ad quam illæ tamquam appendices ſpectant, vel reducuntur, pro Titulari aſſumetur. Hujuſmodi ſunt Faſciæ, & Panni, in quibus ipſa Deipara involuta fuit, Cunabulum, in quo poſita, Catinus, in quo vix nata fuit abluta, & alia hujuſmodi, quæ ad ejuſdem Nativitatem revocantur: Annulus pronubalis ad Deſponſationem; Diſcus, in quo par Turturum, aut duo Pulli Columbarum oblati fuerunt, & Sycli, quibus in ea occaſione e manibus Sacerdotum Jeſus fuit redemptus, ad Purificationem; Sudarium, quo profluentes lacrymas in morte Filii terſit, ad Feſtum Dolorum: Feretrum, ſepulcrum, & alia funeralia ad Depoſitionem, ſeu Aſſumptionem attinent, & ſic de reliquis. Pro his itaque, & aliis ſimilibus non eſt peculiaris inſtituenda feſtivitas, ſed ea, ad quam reducuntur, & in qua una ſimul recoluntur, apprime bene deſerviet, nec alio propterea officio, quam ejuſdem feſtivitatis proprio celebrabitur.

XXX. Aliæ vero ſunt, quæ ad nullam feſtivitatem ſunt commode reducibiles, ut Induſia, Togæ, Vela, Vittæ, Pecten, Stratum, & alia hujuſmodi, & in his locum habebit præſens Decretum, quod peculiarem inſtituendum edicit feſtivitatem cum officio S. Mariæ ad Nives. Idem pronunciari debet de iis Reliquiis, quæ fuerunt pars aliqua Corporis ejuſdem B. Mariæ, ſcilicet Capillis, & Lacte ejuſdem; etſi enim Lac ſpectare videatur tamquam quid conſequens ad Maternitatem, tamen non ſpectat ad eam, quatenus conſideratur in conceptione, quo pacto in Annunciatione recolitur Maternitas Mariæ, ſed quatenus concipitur in partu, cum ſit quid conſequens ad partum ipſum, & a natura ſubminiſtratum cauſa alendi Filii nati, non concepti. Spectaret itaque ad Feſtum Dominicæ Nativitatis, ſed cum hocce Feſtum in obſequium Chriſti nati fuerit dumtaxat inſtitutum, nec in eo colantur Reliquiæ ullæ, quatenus ad Matrem attinent, ſed ad Filium, propterea, ut ſuperius dicebamus, neceſſarie evadit peculiaris feſtivitas pro Eccleſiis, quæ ſub hoc Titulo forent erectæ, puta Mariæ lactantis, vel ſimili.

XXXI. Ad caput Titulorum ex Prodigiis, & ſignis, hora jam eſt deſcendamus, & cum hujuſmodi Tituli in nulla ex Feſtivitatibus B. Mariæ inſtitutis recolantur, nec ad eam revocari queant, idcirco pro eorumdem celebratione opus eſt, propria inſtituatur feſtivitas cum officio ut ſupra Sanctæ Mariæ ad Nives, ſi tamen iis in locis, in quibus dicta evenero prodigia, & ſigna, non habeatur officium aliquod proprium ex particulari indulto, quo in caſu hoc officium uſurpari deberet etiam ab Eccleſiis in eorumdem memoriam dicatis; dum enim præſens Decretum officium S. Mariæ ad Nives dicendum aſſignat, illud aſſignat pro caſu defectus officii proprii ſpecialiter induti, nec intendit præfatas Eccleſias ſpoliare jure utendi officio ſibi particulariter indulto, vel locis, in quibus ipſæ ſitæ ſunt.

XXXII. Hoc tamen obſervari utique debet, quod ſi præfata Signa, Prodigia, Apparitiones, & alia hujuſmodi generis approbata minime fuerunt, nedum in lectionibus ſecundi nocturni nulla mentio haberi poterit de dicta Apparitione, vel prodigio, ad quod faciendum, etiam in caſu approbationis, ſpecialis facultas neceſſaria eſt, cum iis, quæ integrant Divinum Officium, inconſulta Sacra Congregatione nulla additio fieri valeat, ſed nec in iiſdem lectionibus loco *Feſtivitate* dici poterit *Apparitione*, uti nec Antiphona ad Magnificat in primis Veſperis. Hæc eſt œconomia, quam Sacra ipſa Congregatio ſervat in indulgendo officio pro caſu Apparitionum, prodigiorum, & ſimilium non approbatorum, & ſufficienti probatione deſtitutorum: hinc cum Civitas Dertuſana glorietur Apparitione quadam Beatiſſimæ Virginis apud ſe facta anno 1178. cum conſignatione cujuſdam Cinguli, quod ait ipſa Virgo a ſe manufactum, ut in ſui pignus amoris remanere apud Dertuſanos, & anno 1725. apud eamdem Congregationem inſtaret pro conceſſione officii proprii, in quo memoria fieret prædictæ Apparitionis, eadem Sacra Congregatio officium quidem indulſit cum lectionibus deſumendis ab aliquo ex Sanctis Patribus arbitrio Eminentiſſimi Ponentis, reliquo autem officio deſumpto ex officio Beatæ Mariæ ad Nives; quod & præſtitit in aliis ſimilibus caſibus, & ſi quandoque conceſſit, ut Prodigii, vel Apparitionis memoria fieret, narrationem per clauſulam, *ut fertur*, vel *ut pie creditur*, vel aliam ſimilem temperavit; per hanc enim viam procedendo ſervatur cultus, indulgetur pio Supplicantium affectui nec approbata remanet pura Apparitio, quæ ſufficienti approbatione eſt deſtituta; unde etſi certum ex authenticis monumentis ſit, Virginem Mariam, dum in humanis ageret, fuiſſe zona præcinctam, adhuc quia non ita eſt Apparitio Beatæ Virginis, quæ contigiſſe dicitur Sanctæ Monicæ, in meo Ordine Auguſtiniano minime recitatur Officium proprium in commemorationem Sacræ Zonæ, & præfatæ Apparitionis, cui innititur inſtitutio feſtivitatis, ſed tantum officium de communi ex officio Sanctæ Mariæ ad Nives depromptum cum lectionibus ſecundi nocturni deſumptis ex Sermone S. Joannis Damaſceni, in quibus nullum ſit verbum Apparitionis, cujus Apparitionis nomen nec ſubſtituitur in Antiphona primarum Veſperarum ad Magnificat loco *Feſtivitatem*.

XXXIII. Cum itaque patens ſit, quod inſtitutio hoc pacto officii in memoriam Apparitionum, vel prodigiorum, licet non approbatorum, haud adverſetur ſenſui Sacræ Congregationis, videre non eſt, cur ab Eccleſiis in eorumdem memoria extructis fieri non poſſit. Nec dicas id quidem ita eſſe, ſed ad id exigi ſpeciale Indultum, quo proculdubio non caruerunt allegatæ officiorum inſtitutiones; etſi enim verum ſit, quod expoſtuletur particulare Indultum, quoties agitur de dicto officio inſtituendo, de quo titulus ejuſdem inſtitutionis in Rubricis Breviarij Romani non habetur, ut evenit in adductis caſibus, in quibus proceſſerunt allegatæ conceſſiones, quia alias propria auctoritate induceretur officium aliquod, quod fieri rigoroſe pluries inhibitum fuit, non ſic tamen eſt, quando titulus ejuſdem inſtitutionis in iiſdem Rubricis habetur; tunc enim propria auctoritate non inducitur officium aliquod, ſed ſolum officium, quod fieri mandant Rubricæ ipſæ Breviarii, quapropter tunc ſolum exigitur, quod officium induci debet, ſit ex officiis, quæ minime reprobantur, ſed fieri permittuntur, qualiter eſt officium ut ſupra inſtitutum in memoratis caſibus. Titulus autem, qui ex Rubricis in caſu noſtro petitur, eſt titulus Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, qui eſt titulus ſecundum earumdem mandata præceptivus officii.

XXXIV. Adhuc tamen in hujuſmodi caſu nulla mentio Apparitionis, vel Prodigii facienda eſt in lectionibus ſecundi nocturni, licet cum clauſula illa *ut fertur*, vel *ut pie creditur*, vel alia ſimili, quia in divino officio nihil legi poteſt, quod non fuerit expreſſe approbatum, & expreſſe inhibitum eſt fieri additionem aliquam, ut infra ſuo loco dicemus: Omnia ergo legenda erunt de communi juxta diſpoſitionem Decreti præcedentis.

XXXV. Quintum Caput Titulorum ex Favoribus, & Donis, quæ ejuſdem B. Virginis interceſſione in nos derivant, remanet examinare, & cum in hiſce Titulis particularis quædam ratio, ſub qua inſpicitur Maria, effulgeat, quæ ad nullam ex ejuſdem jam inſtitutis feſtivitatibus facile, accommode reduci valet; præcedens utique Sanctio, quæ pro Eccleſiis ſub Invocatione Sanctæ Mariæ Angelorum erectis peculiarem nos edocet inſtituendam eadem de cauſa eſſe feſtivitatem, conſequenter etiam admonet pro dictis Titulis recolendis peculiaſe feſtum eſſe faciendum cum officio ut ſupra ad Nives.

XXXVI. Quærit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 14., an ſic Eccleſia in honorem Sancti alicujus dedicari queat ut non perſonæ ipſius, ut ita dicatur, immediate adſcribatur, ſed vel in memoriam egregii alicujus facinoris, aut miraculi; aut Reliquiæ; ſeu rei cujuſcumque ad ipſam pertinentis, primario veluti conſecrata præſumatur? Et reſpondet: *Poſſe omnino ſic Eccleſiam dedicari, ut non tantum nomen ab ejuſmodi Titulo, ſeu actione, vel re ad Sanctum ipſum pertinente deſumat, ſed etiam præcipuam ſuam feſtivitatem ipſo die recolat, quo vel actio illa contigit, vel res ad ſe tranſmiſſa eſt; ut patet exemplis S. Petri ad Vincula, Converſionis S. Pauli, S. Joannis ante Portam Latinam, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, & ſimilibus: quibus ſane Titulis poſſe inſcribi Eccleſias, colligitur ex ipſo Octavario Romano Gavanti opera edito, in quo pro ejuſmodi feſtivitatibus habentur lectiones per octavam, ad uſum videlicet earum Eccleſiarum, quarum Titulares ſunt.* Ita in terminis præfatus celeberrimus Auctor. Quis itaque ambigere valet, quod & id præſtari poſſit de Beata Maria, ac conſequenter quod Eccleſiæ præfatis ſub Titulis extructæ, particulare officium, ac feſtum inſtituere queant, nec ſuum Titulum recolere debeant in aliqua ex aliis ejuſdem feſtivitatibus.

XXXVII. Errant itaque quotquot ex Eccleſiis, quę, cum ſub aliquo ex dictis Titulis reperiantur ędificatę, continuo pro ſuo Titulari Aſſumptionem B. Marię, vel aliam ejuſdem feſtivitatem excolunt; & adhuc turpius errant Eccleſię illę, quę aliquam ex dictis feſtivitatibus pro Titulari agnoſcunt, cum tamen ex peculiari conceſſione habeant feſtum ejuſdem Beatiſſimę Virginis ſub ea ratione, ſub qua ipſę ſunt ędificatę, ac intitulatę. Hujuſmodi ſunt Eccleſię Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini quę ſunt dicatę ſub Titulo S. Marię Conſolationis; cum enim dictę Eccleſię ex peculiari

Indul-

Indulto facto per Apoſtolicam Sedem toti Ordini habeant, & celebrent proprium Feſtum S. Mariæ Conſolationis Dominica prima poſt Feſtum ejuſdem S. Patris, profecto non video, quomodo pro Titulari excolere queat Aſſumptionem, vel Nativiratem Beatæ Mariæ, & non potius Feſtum prædictum S. Mariæ Conſolationis, ſub quo intitulatæ reperiuntur, & denominationem ipſam deſumunt. Idipſum proculdubio dicendum venit aliis ſimilibus caſibus.

XXXVIII. His, quæ attinent ad peculiaris feſti, & officii inſtitutionem, expeditis, difficilius ſupereſt ſtabilire, quanam id die fieri debeat: & aliquibus videri poſſet, aſſumendam eſſe diem, in qua occurrit Feſtum S. Mariæ ad Nives. Primo quia Decretum ſtabilit aſſumendum eſſe officium S. Mariæ ad Nives. 2. quia alias deficerent quandoque lectiones pro aliqua die infra octavam, cum Octava S. Mariæ ad Nives integra non ſit in Octavario Romano ratione occurrentium in ea feſtorum. 3. quia alioquin neſciretur, quanam die faciendum foret feſtum occurrentis Titularis, ut S. Mariæ Miſericordiarum, Gratiarum, & ſimilium Titulorum, qui nulla ſtata die fundate ſtatui valent occurrentes.

XXXIX. Verum ſi Decretum ſerio, & exacte perpendatur, tantum abeſt, quod ſtatuat, aſſumendam eſſe diem Feſti S. Mariæ ad Nives, ut magis ſupponat, & implicite ſtabiliat, alia die præfatos Titulos eſſe recolendos; in eo enim ſermo non eſt de feſto Titularis Eccleſiarum ſub invocatione S. Mariæ Angelorum ſtatuendo, ſed de officio, quod in illius celebratione debet recitari, & ſancitur, in dicto Feſto non eſſe faciendum officium de Dedicatione, ſed de S. Maria Eccleſiæ Titularis, & recitandum eſſe, prout in feſto S. Mariæ ad Nives; quapropter haudquaquam ſtabilit; Feſtum S. Mariæ ad Nives in eo caſu cenſendum eſſe Titulare, & in eo celebrandos eſſe dictos Titulos, ſed potius ſupponitur alia die recolendos eſſe, licet poſtea cum officio ſumpto ex Feſto S. Mariæ ad Nives 2. Ea dies haud ſane apta eſt, & commoda, ut in ea dicti Tituli celebrentur; certum eſt enim, quod Feſtum S. Mariæ ad Nives, quod ad recolendum particulare prodigium quoddam inſtitutum fuit, aptum haud eſt, ut in eo ſimul recolantur aliis Tituli omnino diſparati, & impertinentes, & ex alia ratione inſtituti; quapropter ſi in ea die de præfatis Titulis agendum foret, neceſſe eſſet, Feſtum S. Mariæ ad Nives, ad aliam diem transferti; quis autem aſſerere unquam poteſt, aot excogitare, celebrationi dictorum Titulorum particularium, qui nulla ſtata die occurrunt, & quacumque anni die recoli apti nati ſuot, bene fuiſſe proviſum cum incommodo tranſlationis alterius Feſti ejuſdem Beatæ Mariæ in Eccleſia univerſali apprime ſolemnis, & celebris?

XL. Ad primum autem in contrarium ſupra productum, jam dictum eſt, per Decretum ſolummodo ſtatui in Feſto dictorum Titulorum recitandum eſſe prout in Feſto S. Mariæ ad Nives, quapropter magis concluditur contra intentum arguentis.

XLI. Ad 2. ob pluralitatem modo feſtorum novem lectionum jam conceſſorum tum Eccleſiæ univerſali, tum particularibus locis admodum difficulter evenire poſſe, quod per lectiones octavæ Sanctæ Mariæ ad Nives non ſit ſatis proviſum celebrationi dictorum Titulorum; lectiones enim ſecundi nocturni habentur pro omni die, tertii vero nocturni habentur per quinque dies; quod ſi deſint pro aliis tribus diebus, proviſionem præſtat Rubrica Generalis Breviarii Romani, quæ de Octavis *num.* 4. in defectu lectionum propriarum, vel de communi, repetendas eſſe ſtatuit lectiones diei Feſti; *Infra octavas vero Patroni, vel Titularis Eccleſiæ, ſi non habentur propriæ, & approbatæ lectiones, pro II., & III. nocturno infra octavam repetantur lectiones poſita in Communi Sanctorum, ſi de Sanctis fiat octava, alioquin lectiones diei feſti.*

XLII. Tertium autem ex propoſitis argumentis nos vocat ad videndum, quanam die officium ſit ſtatuendum, atque faciendum de præfatis Titulis, ſub quibus Eccleſiæ S. Mariæ aſſolent dedicari; & ut certa ab incertis ſeparemus, ſupponimus, quod Tituli illi, qui vel ſuot Myſterium aliquod, vel Feſtivitas ejuſdem Beatæ Mariæ in Breviario Romano jam inſtituta, vel ad eam reducuntur, celebrari debeant eadem ipſa die, qua in prædicto Breviario recurrunt, quinimmo illud idem Myſterium, vel Feſtivitas debet cenſeri Titularis, adeoque per diem feſtum, & officium ſimul ſatisfit & celebrationi Tituli, & Feſti, quod in dicto Breviario occurrit. Quoad Eccleſias dicatas ſub Titulo, de quo ſi non in univerſali Eccleſia, ſaltem in pluribus locis jam feſtivitas eſt inſtituta, jam diximus ſequendum eſſe uſum loci, vel Eccleſiæ, ſi inibi quoque, vel jam celebretur; ſin autem, uſum, communiorem, ut probari videtur per præſens Decretum, dum pro Feſto S. Mariæ Angelorum ſolum qualitatem officii recitandi ſtabilit, & quoad diem celebrationis uſum ſequendum eſſe approbat, ſeu permittit. Eccleſiæ quoque abſolute, & ſimpliciter S. Mariæ dicatæ habent ſtatum diem, quo ſuum recolaot Titulum, dum in Feſto, & per Feſtum Aſſumptionis, vel Nativitatis ex ſuperius dictis jam ſatis illum celebrant.

XLIII. Titulos ex prodigiis, vel ſignis petitos celebrandos eſſe in die ipſa, in qua contigere, ex eo evidens ſit, quod ſunt in eorumdem commemorationem inſtituti; quapropter eadem ipſa die paſſim recoluntur, ubi eadem evenere, & ex conceſſione celebrantur; quapropter Feſtum Tituli S. Mariæ lacrymarum inſtitui debet in illa die, in qua Imago, vel Statua ejuſdem dedit lacrymas; Apparitionis, in qua Beata Virgo ſe inſpiciendam exibuit, de Victoria, in qua ejuſdem interceſſione Victoria obtenta fuit, & ſic de reliquis. Quod ſi hujuſmodi diei notitia ex hominum memoria exciderit, applicanda erunt, quæ ſtatim dicemus de illis Titulis, qui nulla ſtata die anni occurrunt.

XLIV. Pro Eccleſiis ſub Titulo ex Reliquiis petito, ſi non reducantur ad Myſterium aliquod, vel feſtivitatem jam inſtitutam, ſolemnis haberi poterit dies, in qua illæ ad ſe tranſmiſſæ ſunt, vel receptæ, recuperatæ, tranſlatæ, vel elevatæ; & ſic jam invaluit dicta Feſta celebrandi, & Reliquias excolendi ubique conſuetudo, ut fuſiori calamo dicemus in Capite de Reliquiis.

XLV. Tituli autem petiti ex excellentia, vel actione aliqua, aut ex favoribus, & donis, ſeu ex quacumque alia ratione, de quibus certo ſtatui non poteſt ſtata aliqua dies, vel hæc ex memoria excidit, celebrari poterunt, & debebunt eo die, quem Conſecrator in actu Conſecrarionis ſtatuet pro eorumdem celebratione; uti enim in actu Conſecrationis ſtatuere valet alium diem pro recolendo Anniverſario Dedicationis, ita ſtatuere poterit diem pro recolendo Titulari, ſi hic jam non habeat ſtatum diem, in quo recurrat. Ceterum Ordinarius quilibet etiam extra actum Conſecrationis, & quotieſcumque contigerit, habet facultatem aſſignandi diem pro prædictorum Titulorum celebratione, quemadmodum etiam extra actum Conſecrationis poteſt aſſignare diem pro Anniverſario ejuſdem, quoties conſtat de conſecratione, & ignoratur dies, ut ſancitum vidimus in Decreto V. Cap. I., & id univerſim verum eſſe in quocumque ſimili caſu, in quo juxta Rubricas, vel Congregationum Sanctiones faciendum eſt officium aliquod, ſed neſcitur dies, quo fieri debeat, ibidem curſim diximus, & fuſiori calamo proſequemur in Decreto VIII. Cap. IV.

XLVI. Videat igitur Lector, quæ in eorumdem Decretorum expoſitione exarata veniunt, ex quibus & habebit uberem ſolutionem quorumcumque, quæ in oppoſitum adduci queunt, atque ſimul ediſcet, etiam Prælatos Regulares admodum probabiliter gaudere memorata facultate ſtatuendi diem pro celebratione dictorum Titularium relate ad ſibi ſubjectas Eccleſias.

DECRETUM VII. CAP. IN ORDINE XXIX.

De Sancto Roccho, licet ejus Feſtum ſervetur ex devotione, attamen non poteſt de eo recitari officium, & celebrari Miſſa, niſi in propriis Eccleſiis eidem Sancto dicatis, ex conceſſione S. R. C. die 4. Junii 1629., & clarius die 20. Novembris ejuſdem anni 1629., & tunc dicendum eſt officium ſub ritu duplici primæ claſſis. Ita S. R. C. 10. Januarii 1693. *In una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 183.

I. CUm ea, quæ ſpectant ad Officium, & Miſſam de S. Roccho dumtaxat celebrandam in Eccleſiis in ejuſdem Sancti honorem erectis, uberem in primo Decreto hujus Capitis ſuſceperint diſquiſitionem, ab onere in eorumdem confirmationem hic ulteriora addendi nos utique liberant; hinc de duobus ſolummodo Lectorem monendum eſſe putamus, quorum primum eſt, quod per præſens Decretum ea, quę ibidem diximus, amplam ſortiuotur confirmationem. Secundum vero, quod eadem vera ſuot, tametſi Feſtum S. Rocchi alicubi ex devotione Populi feſtivari contingat: *Licet ejus Feſtum ſervetur ex devotione, attamen non poteſt &c.* Feſtivatio ad forum unice ſpectat, officium ad Chorum, & hæ proculdubio ſunt duæ rationes, quarum neutra alteram infert, poteſque æque bene quęvis ex iiſdem abſque alia adinveniri. Hujus non eſt loci hanc queſtionem exagitare, de qua non ſemel preſertim in Cap. de Diebus feſtivis, & de Additione Breviario fieri inhibita ſermo habebitur; Ceterum ſi ex eo quod Feſtum aliquod ex devotione Populi, vel adhuc ex precepto ſervaretur, continuo foret licitum etiam de eodem Officium inſtituere, cum integrum Populo ſit, quemlibet Sanctum ex devotione feſtivare, & per Urbanam Conſtitutionem Epiſcopis revera adempta non ſit facultas indicendi feſta de præcepto, jam integrum etiam foret Populo, & Epiſcopis, de quolibet Sancta officium invehere contra repetitas Apoſtolicas Conſtitutiones, ac iterata Decreta Congregationis quibuſcumque locorum Ordinariis officiorum additiones Kalendariis etiam propriis diſtricte vetantia, ac uni Sedi Apoſtolicæ, vel Sacræ eidem Congregationi reſervantia.

II. Ab his, quæ præſertim in Capite de Addirione Breviario fieri inhibita late examinanda ſunt, expediti, præſens volumus nobis ſit Decretum in occaſionem ſaltem curſim recenſendi nonnulla, quę de Patrono, vel Titulo Eccleſię, adhuc adnotanda, vel recolenda ſunt. Et in primis ex dictis jo pręliminaribus Capitis ſupponimus Deum, & Chriſtum, ac quodlibet Myſterium, vel rem divinam, aut ſacram ad Deum, vel Chriſtum attinentem in Patronum, vel Titularem Eccleſię poſſe aſſumi. Idipſum patet eſſe ſentiendum de B. Maria ex iis, quę in precedentibus Decretis dedimus, quod extendi pariter debet ad Apoſtolos; communi enim omnium Eccleſiarum conſenſui in ipſo Eccleſię exordio tum B. Marię, tum Apoſtolis cultus delatus eſt, uti ponderat Mabillon *in Præf.*

ad Sa-

ad Sæculum V. Ord. S. Benedicti §. *6. num.* 92., & quidem quoad B. Mariam, per quam Auctorem vitæ ſuſcipere meruimus, ejus cultus adeo celebris erat in Eccleſia ante uſque Sæculum quartum, ut coacta fuerit coercere immodicum cultum eorum, qui illi tanquam Deæ Sacrificium uſque offerebant, teſte Sancto Epiphanio *hær.* 79., ubi dictum errorem refellit ſæpius repetendo: *Sit in honore Maria, Dominus adoretur.*

III. Quantum ad Martyres ſpectat, in hunc modum nos edocet Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 20. tom. 3. Controverſ. *Certum eſt, Martyres cœpiſſe publice invocari, & eorum nominibus dies feſtos coli, & Baſilicas erigi ab initio plane Eccleſiæ*; & idipſum demonſtrant fere innumera Scriptorum antiquorum teſtimonia, quæ cum cuilibet facile obvia eſſe queant, ab eorum recenſione arbitramur abſtinere, hoc uno D. P. Auguſtini *lib.* 22. *de Civit. cap.* 10. contenti: *Nos autem Martyribus noſtris non Templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus fabricamus.* Et quidem plerumque in ipſis locis, in quibus paſſi fuerant, aut ubi eorum Corpora repoſita jacerent, erigi conſueverant. Admodum ad rem eſt teſtimonium illud ejuſdem Sancti Doctoris *Serm.* 310. *alias* 113. in Natali Cypriani Martyris, ubi laudat Menſam in loco, ubi ille obierat, extructam: *Quæ Menſa dicitur Cypriani, non quia ibi unquam eſt Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſe immolatione ſua paravit hanc Menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur, ſed in qua Sacrificium Dei, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur.*

IV. Hinc Eccleſiæ apud Eccleſiaſticos ſcriptores triplex ſortitæ reperiuntur nomen, dictæque olim frequentiſſime, vel *Martyria*, vel *Memoria*, vel denique *Baſilicæ Martyrum*, quod videlicet in Martyrum honorem erigi conſueviſſet.

V. Laudatus Bellarminus de Confeſſoribus autem ſubdit; *Confeſſores autem multo ſerius hunc honorem in Eccleſia meruiſſe*, honorem ſcilicet, quem Martyribus ibi tribuerat, & ſitus erat in eorumdem publica invocatione, in erectione Baſilicarum, ac celebratione feſtorum in eorumdem memoriam, ac honorem. *Confeſſoris* vox apud antiquos Scriptores ſæpe Martyrem ſignificat, ſive illum, qui in tormentis Fidem Chriſtianam confeſſus fuiſſet, ſive tantum coram Judicibus publice Chriſti doctrinam profeſſus eſſet, & ex his uterque a S. Cypriano *Epiſt.* 21. dicitur *Floridus Confeſſor*, ideſt coronatus. Confeſſor item dicitur Cantor, ſeu Pſalmiſta, ideſt primæ Tonſuræ Clericus, & in hoc ſenſu intelliguntur in Oratione Feriæ VI. majoris hebdomadæ verba illa: *Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus*; & eumdem utique ſenſum pariter habent verba illa Concilii Toletani I. Cap. 9. *Nulla profeſſa, vel Vidua, abſente Epiſcopo, vel Presbytero, in domo ſua Antiphonas cum Confeſſore, vel Servo ſuo faciat.* Non in hoc utique ſenſu de Confeſſore, ſuperius adducta verba Bellarminus pronunciat, nec in ſenſu, quo Martyrem reddit, vocem *Confeſſoris* uſurpat, cum de Confeſſore agat, quatenus a Martyre diſtinguitur, de quo in præcedentibus verbis locutus fuerat; ſed eamdem accipit, prout hodie communiter ſuſcipitur, videlicet pro eo, qui pie, ſancteque vivendo, in Domino ſuos claudit dies, & in Catalogo Sanctorum ab Eccleſia numeratur, qua in acceptione in Concilio Toletano IV. S. Leucadia *Confeſſor* appellata fuit, & in Codice R dradi nomen Virginis, & non Martyris legitur Titulo *Confeſſæ*, ſic; *Miſſa in Natali Confeſſæ.* Quicumque igitur ex Sanctis utriuſque ſexus, qui Martyr non eſt, venit appellatione *Confeſſoris.*

VI. De his itaque Confeſſoribus a primis uſque Eccleſiæ ſæculis multa cum laude SS. Patres locuti reperiuntur, unde S. Cyprianus lib. de Zelo, & livore; *Non enim Chriſtiani nominis Corona una eſt, quæ tempore perſecutionis accipiatur. Habet & pax coronas ſuas, quibus de varia, & multiplici congreſſione victores, proſtrato, & ſubacto adverſario, coronentur. Libidinem ſubegiſſe, continentiæ palma eſt; contra iram, contra injuriam repugnaſſe, corona patientiæ eſt. De avaritia triumphus, eſt, pecuniam ſuperare. Laus eſt fidei, fiducia futurorum, mundi adverſa tolerare*; verum concors ſententia eſt, tunc temporis eoſdem haudquaquam cultum in Eccleſia obtinuiſſe, & licet poſteriorum temporum uſus cultum iiſdem præſtiterit, quo tamen præciſe tempore id fieri cœperit, admodum incertum eſt, nec pervium indagare.

VII. Thomaſinus *de Dier. feſt. celebr. lib. cap.* 6. *num.* 11. recenſita auctoritate quadam Concilii Moguntini anni 813., in qua nonnullorum Confeſſorum feſtivitates obſervandæ decernuntur, ſubdit: *Exhiberi hic videmus Confeſſores publice colendos in generalioribus Conſtitutionibus, quum antea eorum cultus niteretur moribus, & decretis quarumdam Eccleſiarum.* At hunc non bene ſentire ponderant alii, eo quod inter hæreticos condemnatos in Synodo Atrebatenſi relata apud Mabillon. *Sæculo V. Benedict.*, illi recenſentur, qui aſſerunt, ſolis Apoſtolis, & Martyribus venerationem ab Eccleſia eſſe impendendam excluſis Confeſſoribus; *Hi quippe ajunt, etiamſi non ſenſerint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digno Martyrio non privantur, quia Martyrium non ſolum effuſione ſanguinis, ſed abſtinentia peccatorum perficitur, & ipſi gloria Martyrum non carent, quia & voto, & virtute, & potuerunt eſſe Martyres & voluerunt.*

VIII. Victon. *cap.* 5. *& cap.* 6. concludit, nonnullis Sanctis Virginibus, & Confeſſoribus ſolemnem, & publicum cultum fuiſſe exhibitum tempore Pontificatus S. Silveſtri. Author tractatus de Canoniz. ad Card. Montis Regalis 3. *par. cap.* 7. hæc verba tenet: *Ergo conſtat ab initio Eccleſiæ etiam Confeſſores Sanctis adſcriptos, ſed tamen ſolorum Martyrum ratio haberi videtur, tum quia horum ſunt magni exercitus; illi pauciſſimi, tum quia illi ſunt celebriores ob gloriam confeſſionis, & ſanguinis pro Chriſto effuſi; unde Martyrologia ab ipſis dicta ſunt, & Euſebius hiſtorias Martyrum ſcripſiſſe dicitur.* Ut id autem probent, exempla proferunt de cultu primis Eccleſiis ſæculis exhibiti B. Mariæ, Sancto Joanni Evangeliſtæ, & Lucæ, necnon Sanctis Annæ, & Joſepho. Verum quoad B. Mariam, quæ a Divo Hieronymo pluſquam Martyr appellatur, nullum utique dubium eſt; quoad Sanctos vero Joſeph, & Annam, ſuo loco ſermonem inſtituere reſervamus. Quantum denique attinet ad Sanctum Joannem Evangeliſtam, & Lucam, primus inter Martyres recenſendus eſt, licet in pace quieverit, & ex ferventis olei dolio, in quo fuit immiſſus, divina protegente gratia, incolumis evaſerit, de ipſo enim Dominus prædixerat, ab eo bibendum eſſe calicem Paſſionis, qua de cauſa & Eccleſia die 6. Maii cum cultu Martyris honorat, & colit. Lucam etiam Martyribus adſcribunt S. Gaudentius Brixianus, aliique permulti. Cæterum quando etiam in Catalogo Martyrum haud forent numerandi, communi omnium conſenſu titulo Apoſtoli decorantur; Apoſtolis autem in ipſo Eccleſiæ exordio cultum delatum eſſe indubium a nemine ponitur.

IX. Communis itaque memoratæ diſciplinæ initium ad ſæculum IV. referendum eſſe arbitrantur Auctores; unde Innoc. III. *lib.* 3. *de Myſter. Miſſæ c.* 10. ait: *Eccleſia poſt tempus Beati Silveſtri cœpit Sanctorum Confeſſorum memoriam venerari*; & Card. Bona *Rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 12. habet, *Monumenta Eccleſiæ trium primorum Sæculorum de cultu Confeſſorum ſilere*; & idem Bona, aliique ex eo, quod in Canone Miſſæ non fiat mentio Confeſſorum, arguunt, eumdem antiquiorem eſſe ſæculo quarto.

X. Quærit Thomaſinus *de Dier. feſt. celebr. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 10. Quinam ex Confeſſoribus prior obtinuerit Eccleſiaſticum cultum, & reſpondet: *Unius Hilarii ſolemnitas in Eccleſia Pictavienſi cum S. Martini feſto die in Turonenſi de antiquitatis gloria certare poſſet. Attamen S. Martinus aliis quibuſvis Confeſſoribus, quos Eccleſia univerſa ſolemniter coluit, palmam præripit. Nam Provinciæ plurimæ, ac Regna illius ſolemnitatem celebrarunt, aliorum Diœceſes quædam, quibus præfuerant.* Et quidem S. Martinus ſolus ex Confeſſoribus eſt, qui officium proprium habet in vetuſtiſſimis Breviariis teſte Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 3., cui adhæret Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritib. tom.* 4. *cap.* 30. *num.* 3.; quocirca Concilium Turonenſe primum habitum anno 461. loquitur de ejuſdem celebritate, tamquam antea introducta, & vulgata. Admodum itaque probabile apparet, quod S. Martini, qui labente Sæculo IV. obiit, feſtivitas ſtatim coli cœperit; unde & Guyetus *lib.* 1. *cap.* 5. *qu.* 6. meminit Baſilicæ Turonis in honorem S. Martini a Briccio ejus Succeſſore, ſtatim a præfati S. Pontificis obitu, nempe anno ad ſummum 402. excitatæ.

XI. Utcumque tamen hæc ſint, ratum illud eſt, Confeſſores, de quorum ſanctitate legitime conſtat, jamnum, perinde ac Martyres, in Eccleſiarum Patronos aſſumi poſſe; quod & probatur a præſenti Decreto, dum approbat Eccleſias in honorem S. Rocchi erectas, quem conſtat poſt virtutum heroicarum exercitium in pace quieviſſe.

XII. Circa Beatorum eligibilitatem in Patronos Eccleſiarum nonnulla libavimus in Decreto primo præſentis Capitis, atque potiora adhuc dabuntur in Decreto primo ſequentis, ad quæ ſe ſinat Lector remitti. De Sanctis Angelis, & Sanctis veteris Teſtamenti remaneret inquirendum; verum de his in propriis reſpective Capitibus, tamquam in opportuniori loco ſermo habebitur.

XIII. Quæſtionem excitat Guyetus *lib.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 15. ſuper Animabus Purgatorii, num ſub earumdem Titulo fundari poſſint Eccleſiæ, & quoniam illam admodum eleganter, atque diſerte reſolvit, ejuſdem reſponſionem nobis hic placet tranſcribere; *Eo fine, ut ii*, ſcilicet Fideles Defuncti, *quodammodo honorentur, aut invocentur, nullatenus licitum eſt. Quantumcumque enim certi ſint de ſua ſalute, quorum Animæ in Purgatorii pœnis detinentur; immo nec incredibile putet Bellarminus de Purgatorio lib.* 2. *cap.* 15., *eos etiam pro nobis orare, & impetrare; cum tamen nec poſtremum hoc certum ſit, refragante D. Thoma* 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. *ad* 3. *nec ſi eſſet, in eo ſint ipſi ſtatu, cui honor ab Eccleſia, cultuſve publicus tribuatur: citra dubium omne eſt, nihil hujuſmodi, niſi cum ſumma temeritate, in uſum induci poſſe. Quare, ſi quæ ſint alicubi Cappellæ magis, quam Eccleſiæ, hoc modo in memoriam Defunctorum erecta, non is eſt Titulus, quo Defuncti ipſi honore afficiantur, ſed ſatisfactorius potius, ſeu impetratorius, quo pro illis preces, & ſacrificia Deo ſpeciatim offeruntur; non enim, inquit S. Thomas, ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro iis. Immo ſi Collegiata ſit, aut Parochialis Eccleſia, quæ Titulum hujuſmodi obtineat, haud dubie illa alio inſuper ſive Sancti, ſive Myſterii alicujus Titulo inſignietur.*

XIV. Quæres 1.; an illi Dei Servi, de quorum ſanctitate legitime conſtat, ſed eorum nomen ignoratur, in Eccleſiarum Patronos valeant aſſumi?

XV. ℟. affirmative: Cum enim certi ſimus de eorumdem ſalute, & quod apud Deum in Cælis regnant, certi & ſumus,

quod

quod & nos, & Eccleſias patrocinari valent, quapropter ex capite patrocinii difficultas non eſt, quod Eccleſiarum Patroni eſſe queunt. Ex parte Tituli nonnihil utique difficultatis inſurgit, quandoquidem cum eorumdem nomen proprium in abditis maneat, apti haud eſſe videntur, ut ex iiſdem Eccleſiæ intitulentur, ac denominentur, quod eſt alterum ex muneribus, quod præſtat Titulus, vel Patronus. Verum cum hujuſmodi Sancti vice nominis proprii vulgare aliquod Epithetum conſequantur, quo nominantur, ac nomine veluti proprio ab aliis ſecernuntur, non eſt, cur ex eodem etiam Eccleſiæ denominari non poſſint. Cum itaque ab iiſdem poſtremum hoc munus per appropriata Epitheta æque bene, ac per proprium nomen, præſtari queat, & aliunde Eccleſia ipſa in eorumdem honorem in Breviario Romano plura habeat feſta ſub memoratis Epithetis inſtituta, ut SS. Innocentium, SS. Quadraginta Martyrum, SS. Septem Fratrum, SS. Quatuor Coronatorum, S. Adaucti &c., non eſt, cur & Eccleſiæ ſub memoratis Titulis erigi nequeant. Nec deſunt hujuſmodi Titulorum exempla; unde Baronius *in Notis ad Martyrol. ad diem 8. Novembris* de SS. Quatuor Coronatis habet: *Honorius Papa eiſdem Martyribus Eccleſiam erexit, ut conſtat ex Libro de Rom. Pontif. Vetus fuit Romæ, & adhuc eſt Titulus nomine Sanctorum quatuor Coronatorum, cujus mentio habetur apud S. Gregorium in Regiſt. lib. 4. Indic. 13. c. 44. in fine*: & ad diem 9. Martii de SS. Quadraginta Martyribus: *Erexit Baſilicam Conſtantinopoli in honorem prædictorum Martyrum Tiberius Imp., quam Mauritius ejus ſucceſſor abſolvit. Hiſt. Miſcel. lib. 17. anno S. Mauritii Imp.* De tribus quoque Paſtoribus ita ſcribit Beda, vel quicumque ſit Auctor Libri de Locis Sanctis cap. 8. *Ad Orientem in Turre Gregis mille paſſus a Bethlehem Civitate ſegregata, eſt Eccleſia trium Paſtorum Divinæ Nativitatis Sociorum monumenta continens.* Sub nomine itidem Septem Fratrum Martyrum, ac SS. Innocentium, ac plurium aliorum innominatorum paſſim ædificatæ reperiuntur Eccleſiæ; & id fieri licitum eſt nedum ſub Titulo plurium ex eiſdem, ſed etiam unius dumtaxat, puta Sancti Latronis cum Chriſto Domino Cruci affixi, qui ſub appellatione Sancti Latronis officium habet in Religione Patrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ex conceſſione Sixti Papæ V., & a Congregatione Patrum Piorum Operariorum in ſpecialem Patronum, & Advocatum electus fuit, eo quod experti hi fuerint multas peccatorum converſiones ejus interceſſione factas fuiſſe in Sacris Miſſionibus; qua de cauſa etiam ſupplicaverunt Sacræ Congregationi, & obtinuerunt ſub die 23. Septembris 1729. extenſionem præfati officii.

XVI. Quæres 2.; an idem dici debeat iis de Sanctis, quorum ſanctitas certa eſt, & de nomine certe non conſtat, cum aliqui iiſdem unum, alterum alii nomen adſcribant, ita ut Eccleſiæ denominationem depromant a nomine illo, quod certum non eſt, puta S. Dimæ, cujuſmodi eſt nomen, quod aliqui probo Latroni attribuunt?

XVII. ℞. affirmative; de ſanctitate enim in caſu nulla habetur dubitatio, & nomen etſi certum non ſit, nihil ponit in eſſe, quia non uſurpatur, niſi ad denotandam perſonam, quæ deſignari intenditur, quapropter etſi reipſa tale non fuerit nomen probi Latronis, ſed magis improbi, aut ſceleſti alterius hominis, adhuc Eccleſia intelligitur, non improbo Latroni, aut ſceleſto alteri homini, qui ita fuerit nuncupatur, ſed probo Latroni dicata; nomen enim numquam ſignificat contra, vel ultra intentionem proferentis. Scribit autem ad rem noſtram Baronius *in Notis ad Martyrol. ad diem 25. Maji* de probo Latrone: *Dimam hunc plerique appellant, ſed quoniam id ab Apocryphis proditur, ea de cauſa hic nomen proprium prætermiſſum videtur &c.. Reperiuntur autem Sancti Dimæ Latronis nomini nonnulla Sacella dicata, & Memoria erectæ eodem Titulo*. In Collectaneis vero, quæ Bedæ falſo adſcribuntur, nomen *Matia* imponitur bono Latroni, & malo nomen *Joca*; in Hiſtoria Xaveriana *pag.* 480. alter dicitur *Vicimus*, alter *Juſtinus*; in Evangelio apocrypho infantiæ Chriſti *cap.* 23. alter *Titus*, alter *Dumachus*: & in Evangelio Pſeudo-Nicodemi *cap.* 9. nomen probo eſt *Dimas*, improbo *Geſtas*.

XVIII. Quæres 3., an ex Sanctis in Kalendario, vel Martyrologio ſimul deſcriptis poſſit unus disjunctim in Patronum aſſumi?

XIX. ℞. utique; & id conſtat aperte ex Rubrica poſita ſub Tabula Occurrentiæ, quæ *ſub num.* 8. ita firmat, *Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantum de Patrono, vel Titulari, abſque commemoratione aliorum. Qui ſi in dicto Kalendario deſcripti ſint ſub officio duplici, vel ſemiduplici, transferuntur in primam diem ſimili officio non impeditam, & de eis fiat officium ſemiduplex, niſi tamen ſint de majoribus Feſtis, quia tunc de translato quoque fiet officium duplex, ac ſi propria die celebraretur. Si vero in Kalendario omnes ſint tamquam Feſtum ſimplex, de illis nihil fit.* Verum quoniam multiplex eſt unio, qua Sancti poſſunt eſſe conjuncti, & juxta ejuſdem diverſitatem diverſimode forſitan loquendum venit, idcirco ſuper hujuſcemodi rem ad videnda ea, quæ in Capite de Separatione Feſtorum tradentur, ſe ſinat Lector remitti.

XX. Quæres 4. an ſub Titulo plurium Sanctorum collective poſſint Eccleſiæ dicari?

XXI. ℞. Nihil eſſe, quod obſtet; & revera id uſu communi probatur, unde Eccleſiæ ſub Titulo Omnium Sanctorum paſſim reperiuntur extructæ, nec deſunt aliæ ſub Titulo Apoſtolorum, aut Martyrum. De Templo in honorem Apoſtolorum per Conſtantinum Magnum Conſtantinopolis erecto meminit Euſebius Cæſar *lib. 4. Vitæ illius cap.* 58., illudque creditur eſſe, quod Nicephorus Gregoras inter Templa a Joanne Duca Imper. reſtaurata recenſet ſub Titulo 12. Apoſtolorum, & Chriſti Diſcipulorum. Venetiis itidem non deeſt Eccleſia SS. Apoſtolorum nomine inſignita, & de Templo omnium Martyrum mentionem habet Ignatius Monachus in Vita S. Tataſii Patriarchæ Conſtantinopolitani; & nos ipſi in Decreto ultimo præcedentis Capitis obſervavimus famoſum Romæ Pantheon a Bonifacio Papa IV. in honorem Dei Genitricis, omniumque Sanctorum Martyrum fuiſſe conſecratum. Quod autem de Sanctis Apoſtolis, aut Martyribus factum legimus, pari ratione de SS. Confeſſoribus, aut Virginibus fieri licet.

XII, Quæres 5., quodnam officium, & quando facere deberent de ſuo Patrono Eccleſiæ illæ, quæ ut ſupra pluribus Sanctis collective forent dicatæ?

XXIII. ℞. Quod Eccleſiæ ſub Titulo Omnium Sanctorum jam per officium, & Feſtum, quod una cum Eccleſia univerſali die 1. Novembris celebrant, proprio etiam ſatisfaciunt Patrono. Ceteræ autem Eccleſiæ, quæ pro Titulo omnes Apoſtolos, aut Martyres, vel Confeſſores &c. agnoſcerent, non ideo omnium Apoſtolorum Feſta, quæ in Breviario recurrunt, aut reſpective Martyrum, vel Confeſſorum, debent ſub ritu duplici 1. claſſis, & cum octava recolere; hoc enim nimis exorbitans foret, ac a Rubricis Romanis prorſus alienum, quæ, ut ſuperius dicebamus, & in ſequenti Capite dicturi ſumus, multiplicitatem Patronorum, ſaltem Principalium, abhorrent, eaque de cauſa de Patrono Eccleſiarum, atque Locorum in numero ſingulari ſemper conſulto profantur. Et revera, ſi res mature attendatur, in caſu Patronus non ſunt Apoſtoli, aut Martyres diviſive, ſed collective ſumpti, adeoque nec officium, quod eidem correſpondet, debet eſſe de Apoſtolis, aut Martyribus diviſive, ſed collective ſumptis, ut officium Feſtivitati reſpondeat. Debebit igitur Inſtitui Feſtum aliquod de omnibus Apoſtolis, vel Martyribus, ſumendo officium de reſpectivo Communi ac de Octavario Romano, illudque, celebrari ſub ritu duplici 1. claſſis, & cum octava. Si quæras, qua die? Reſpondemus, ut in præcedenti Decreto, quod Epiſcopi erit, vel Prælati Regularis diem determinare. Videantur, quæ ibi curſim adnotata ſunt, & fuſiori calamo dantur in Decreto V. Cap. I., necnon in Decreto VIII. Cap. IV.

XXIV. Quæres 6., quid faciendum veniat, quoties Eccleſia dicata eſt Sancto alicui, qui plures alios cognomines habet, & dubium eſt, vel neſcitur, utri illorum extiterit conſecrata?

XXV. ℞. Standum eſſe uſui pridem recepto, nec ab eo ullatenus eſſe recedendum, niſi ubi conſtaret de manifeſta deceptione; quo in caſu reſtitui deberet veri, ac legitimi Patroni cultus. Quod ſi alicubi etiam contingat, utrumque Sanctum nominis ejuſdem, uti Patronum obſervari; morem hunc quoque retinendum eſſe puto, eo quod indicio eſt, utrique forte ex æquo dedicatam primum fuiſſe Eccleſiam; & reipſa multæ ſunt Eccleſiæ *S. Joannis*, v. g. nuncupatæ, quæ Joannem utrumque ſeu Baptiſtam, ſeu Evangeliſtam tamquam Patronum venerantur. At quid, ſi Eccleſia ſit ex derelictis, & nullus jampridem fuerit Patroni cultus, & e memoria exciderit prioris obſervantia uſus? Reſpondeo, antiquum uſum, ſi de eo memoria habeatur, aut aliqua ſuperſint ejuſdem monumenta, eſſe innovandum; ſin autem, Ordinarius poterit in nova Conſecratione, vel adhuc extra eam alterutrum eligere, eritque in caſu nova veluti Patroni electio, & ideo etſi poſtmodum prior Patronus innoteſcat, non credimus propterea ejuſdem cultum eſſe reſumendum.

XXVI. Quæres 7. quæ ſit ratio e Sanctis eligendi unum in Patronum, ſeu Titularem alicujus Eccleſiæ?

XXVII. ℞. Multiplicem eſſe poſſe quæ tamen, ut plurimum ex triplici Capite petitur ſcilicet vel a loco, vel a beneficio, vel ex pio eligentis affectu. *A loco*, ubi Martyr aliquis paſſus eſt, aut Confeſſor ex hac vita migravit, vel olim natus eſt, ſeu habitavit, dum viveret, ſive eximium aliquod, ac præclarum facinus edidit, vel inſigni aliqua virtutum, ac miraculorum operatione in vita, vel poſt mortem ſe illuſtrem reddidit, vel ubi Myſterium peractum fuit, aut Apparitio, vel quid aliud ſimile contigit, ſive demum ubi Corpus integrum, vel inſignis aliqua Reliquia aſſervatur.

XXVIII. *A beneficio* petitur occaſio Eccleſiæ conſtruendæ in honorem Sancti alicujus, cum hujus interceſſione beneficium, aut favor aliquis divinitus acceptus fuit, puta, quia ejus ope lues extincta extitit, aut idem in publicis, vel privatis diſcriminibus, & calamitatibus per liberationem a morbis, vel a periculis, aut per aliam ſuæ opitulationis probationem validum ſuum oſtendit patrocinium; vel ſi factum non fuit, id in opportunitatibus factum iri, ac haberi poſſe ſperatur.

XXIX. *Ex pio eligentis affectu* ducitur ratio altera, & pendet ex mero arbitrio ejus, vel eorum, qui fundant Eccleſiam, & licet quandoque originem trahat a beneficio aliquo Sancti ejuſdem ope, vel interceſſione accepto, nonnumquam tamen, immo perſæpe ex propenſa erga ipſum peculiari aliqua devotione tantummodo procedit,

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De Patronis Locorum.

I. A Patronis, ſeu Titularibus Eccleſiarum gradum facimus ad examen Patronorum communium, ac generalium Locorum, in quibus Eccleſiæ particulares ſitæ ſunt; in eo autem hi differunt ab illis, quod Patroni Locorum magis extenduntur, quam Patroni Eccleſiarum, quoniam Patroni Eccleſiarum ad unam dumtaxat proprie pertinent Eccleſiam, ubi Patroni Locorum ad plures, ſeu ad omnes, quæ in eo loco reperiuntur; Locus enim, inquit Gavantus *ſect. 3. cap. 12. numer. 2.*, accipitur pro multitudine Cleri, & Populi, ſeu potius pro multis Clericis, ac Populis in uno loco, puta Civitate, aut Diœceſi, per diverſas Eccleſias conſtitutis.

II. Ultra communem Loci alicujus, puta Civitatis vel Diœceſis, Patronum dantur & Patroni generaliores, & univerſaliores, ſcilicet Provinciæ, Regni, ſeu Ditionis ſupremi alicujus Principis, aut Reipublicæ, intra cujus terminos ſitus eſt Locus ille, Civitas, vel Diœceſis; unde Civitas v. g. Mediolanenſis, quæ in particularem ſuum Protectorem Sanctum Ambroſium agnoſcit, tamquam Patronum univerſalem, totius nempe Dominii Catholici, Sanctum Joſeph Deiparæ Sponſum veneratur.

III. Hujuſmodi autem Patroni tam univerſales, quam particulares in duas ſinduntur claſſes, aliqui ſunt Principales, alii minus Principales; quapropter memorata Civitas Mediolanenſis, quæ ut ſupra pro Patronis principalibus in univerſalem S. Joſeph, & in particularem S. Ambroſium veneratur, patrocinium minus principale univerſale in Sancto Januario Epiſcopo, & Martyre, & particulare in SS. Gervaſio & Prothaſio Martyribus indigenis recognoſcit. De his vero omnibus, aliiſque ſimilibus impræſentiarum ſermo procedit.

IV. Nomen Patroni ſtricte, & rigoroſe ſumitur, prout videlicet accipitur in Rubricis, cum paſſim legitur, *Patronus Loci, vel Eccleſiæ*; non autem prout vulgo jactatur, pro iis Sanctis, qui quod in loco aliquo floruerint, dum viverent, aut ibidem eorum memoria in aliqua veneratione, quacumque tandem de cauſa, habeatur, protinus tanquam Loci illius Patroni circumferuntur, nam is ſenſus nihil ad Chorum, Officiumque divinum (qui unus inſtituti noſtri ſcopus eſt) pertinet. Sed dicitur proprie Patronus loci is Sanctus, qui ſive perpetuo uſu ac traditione a Majoribus accepta, ſive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum Interceſſor, propriuſque Suffragator ab univerſo Loci illius Clero, ac Populo colitur, & obſervatur. Definitio hæc, dum traditionem, uſumque immemorialem adjicit, diſcrepare videtur ab ea, quam ſuggerit Gavantus *loco cit. num.* 1., ubi ſola electione unum e Sanctis in Patronum innuit recenſeri; Verum factæ a nobis additionis prædictæ cauſa patebit ex infra dicendis præſertim in Decreto II.

V. Patronus Loci differt etiam a Patrono Eccleſiæ, quod hic Eccleſiam, cujus eſt Patronus, denominat, quare a S. Petro dicitur Eccleſia S. Petri, & ob banc intitulationem Patronus præfatus dicitur & Titulus. Patronus autem Loci regulariter nomen non imponit ei Loco, cujus eſt Patronus, quapropter videre eſt, Civitates, vel Provincias a ſuis Patronis non ſolere denominationem depromere, unde uſus non eſt, talem Patronum *Titulum Loci* nuncupare. Diximus *Regulariter* quia dantur aliqua loca, quæ de nomine Patroni ſui indigitantur, ut Sergiopolis a S. Sergio; & hoc frequentius evenit in Oppidis, aut Pagis, quæ a Sancto, in cujus honorem eorum Eccleſia erecta eſt, non ſemel denominantur, ut Oppidum S. Rocchi a S. Roccho &c. Aſt tunc verius Sanctus ille non Loci proprie ſed ipſiuſmet Eccleſiæ Patronus eſt, ſeu Titulus, licet & ab eodem Locus ipſe denominetur, niſi reipſa Sanctus ille adhuc in Patronum Loci juxta inferius dicenda rite electus foret. Regionibus itidem recens ad fidem converſis nonnumquam reperitur ab aliquo Myſterio, vel Sancto nomen impoſitum, quem etiam ut principalem Patronum venerantur.

VI. Patronus denique Eccleſiæ ex Fundatorum ſolummodo, vel aliorum beneplacito, aut arbitrio conſtitui poteſt; Patronus Loci ab unius, quicumque ille ſit, arbitrio dumtaxat pendere non valet, ſed eligi debet a Populo per ſecreta ſuffragia, accedente conſenſu Epiſcopi, & Cleri illius loci, uti late conſtabit ex dicendis in ſequenti Decreto.

VII. Licet nobis denique admonitionem brevem quamdam facere, ſcilicet, quod quamvis Patroni Locorum rite ad diſtinctionem Patronorum, ſeu Titularium particularium Eccleſiarum, de quibus in præcedenti Capite egimus, vocentur Sancti illi, qui in Locorum Patronos aſſumuntur, adhuc & Eccleſiarum Patroni recte dici valent, ſumpto Eccleſiæ vocabulo, non prout in ſuperiori Capite ſumebatur, ſcilicet quatenus ſignificat particularem aliquam tantum Eccleſiam, ſed in latiori, quam vere patitur, ejuſdem ſignificatione prout nempe ſignificat omnes Eccleſias alicujus Loci, vel Provinciæ, quo in ſenſu dicitur Eccleſia v. g. Cremonenſis, Eccleſia Gallicana, aut Anglicana; in hac enim Eccleſiæ acceptione non eſt, quod Lectorem moneamus, quod qui Patroni Locorum ſunt, rite & Eccleſiarum reſpective dici valeant.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XXX.

Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos a Sacra Rituum Congregatione de Ordine SS. D. N. Urbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martii 1630.

Sacra Rituum Congregatio annuente SS. Domino Noſtro in electione Patronorum mandavit, infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure.

Primo, quod eligi poſſint in Patronos ii ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundo, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a Populo, mediante conſilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolum, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci.

Idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia a Populo ſingularum Civitatum Provinciæ.

Et quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.

Et tertio, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum, cauſa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum Decretum imprimi, & publicari mandavit.

Hoc Decretum habetur apud Gavantum ſect. 3. cap. 12. num. 2., & indicatur a Merato in ſuo Indice Decret. Brev. num. 71, & in noſtro Indice datur ſub num. 348.

I. QUamplurima proculdubio, ut rite, & recte, ac valide Sanctorum in Patronos tranſeat electio, hic ſancte reperiuntur ſtatuta, ad quorum examen priuſquam deſcendamus, operæ pretium eſt, præmittantur nonnulla, quæ ad ejuſdem Decreti explanationem uberiorem apprime deſerviunt.

II. Eſt itaque Decretum *ſuper electione Sanctorum in Patronos*, adeoque obſervandum nedum in electione Patronorum principalium, verum etiam minus principalium; utrique enim ſunt vere Patroni, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, præſertim cum ex lege ipſa, vel aliunde nulla ſuppetit diſtinguendi ratio; hinc Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num.* 2. ſcribit: *Decretum comprehendit etiam Patronos minus principales*; & numquam ſatis laudatus Eminentiſs. Lambertini, ad Summi Pontificatus apicem nunc merito evectus, *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 14. num.* 5. ſimiliter habet: *Porro cum titulus Decreti a Sacrorum Rituum Congregatione editi die* 23. *Martii* 1630. *ſequentibus ſit verbis conceptus*, Super electione Sanctorum in Patronos, *hinc eſt, quod præſcripta in eodem Decreto debent obſervari ſive agatur de electione Sanctorum in Patronos Principales, ſive de electione Sanctorum in Patronos minus Principales*. Quapropter revera videmus hujuſmodi electiones etiam in Sacram præfatam Congregationem paſſim pro confirmatione deduci, quæ propterea, tametſi plures Sancti eligi queant in Patronos minus principales, quia tamen in ſimilibus electionibus, quæ fiebant in Civitate Neapolitana, perturbationes exoriebantur, ſub die 22. Auguſti 1699. etiam ſtatuit, non eſſe amplius admittendas inſtantias dictæ Civitatis pro approbatione electionis Sanctorum in Patronos; idque Decretum fuit confirmatum die 12. Septemb. 1716. occaſione, qua petebatur confirmatio electionis S. Mariæ Magdalenæ in Patronam minus principalem ejuſdem Civitatis Neapolitanæ.

III. Præmittendum eſt ſecundo, quod præſens Decretum a Sacra Rituum Congregatione editum fuit de ordine Urbani Papæ VIII. eodemque annuente, & inſuper ab Alexandro VIII. approbatum extitit *in ſuis Decretis de cultu Beatorum editis die 27. Septemb. 1659.* in quibus ſic legitur; *Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur*; quapropter nec dubium eſt, quod Apoſtolicæ innititur firmitati, perindeque eſt, ac ſi immediate ab Apoſtolica Sede fuiſſe emanatum.

IV. Præmittendum eſt tertio, quod quæ per dictum Decretum in electione Patronorum obſervanda mandantur, ſolum procedunt pro electionibus poſt Datam ejuſdem Decreti faciendis, non autem pro iis, quæ præcedenter alicubi factæ eſſe poſſent, quarum propterea validitati nequaquam obſtat, tametſi in eo obſervatu præſcripta, nullatenus executioni mandata extitiſſent; id enim diſerte denotat verbum illud Decreti *In poſterum*, per quod evidens fit, Decretum non habere vim, niſi a die, quo latum fuit, quemadmodum obſervat laudatus Lambertini *num.* 9. ac prius ipſo his verbis *lib. 1. c. 7. quæſt.* 10. adnotaverat celeberrimus Guyetus: *Decretum ejuſmodi vim non habet, niſi in poſterum, ab eo videlicet die, quo ipſum latum eſt; adeoque, quibus in locis certi jampridem, ac determinati habentur Patroni, nihil prorſus eſt innovandum.*

V. Præmittendum eſt 4. quod ſtatuta electioni forma ita in poſterum obſervanda præſcribitur, ut declaretur, *quod aliter facta electio nulla ſit ipſo jure*; quapropter ſi dicta forma adamuſſim cuſtodita non venit, vitio proculdubio non

non caret electio, adeoque nulla eſt, ac irrita ipſo facto, perinde ac ſi facta non extitiſſet; & quidem tametſi per Sacram ipſam Congregationem, vel immediate per Sedem Apoſtolicam confirmata fuerit, dummodo in litteris confirmatoriis expreſſe non ſuppleatur ſuper defectum, qui contigit, vel ſuper inobſervantiam præſentis Decreti. Hinc cum Carolus II. Hiſpaniarum Rex elegiſſet in Patronum principalem ſuorum Regnorum Sanctum Joſeph, ac a venerabili ſervo Dei Innocentio XI. ſub die 19. Aprilis 1679. factæ electionis confirmationem obtinuiſſet, exorta ſubinde controverſia ſuper hujuſce Pontificis Brevi, ipſaque delata ad Sacrorum Rituum Congregationem, reſponſum prodiit ſub die 31. Auguſti 1680. *Breve idem non ſuffragari, attenta inobſervantia Decretorum*, quod eſt idem, ac dicere, eo quia in electione Sancti Joſeph in Patronum non fuit ſervata forma præſcripta per præſens Decretum, nec huic Decreto per dictum Breve derogatio facta fuerat *ſuper defectu conſenſus Cleri, & Populi*. Nec ulla qualiſcumque, licet præſcripta, ac centenaria conſuetudo celebrandi feſtum Patroni defectuoſe electi ſuffragari valet ad illud continuandum, ut fuſiori calamo exarabitur in expoſitione ſequentis Decreti. His adnotatis ad expendenda, quæ per Decretum ipſum in Patronorum electione ſervari præſcripta ſunt, nunc opus eſt tranſeamus.

VI. Statutum eſt itaque primo, quod *in Patronos ii ſolum eligantur, qui ab Eccleſia univerſali coluntur titulo Sanctorum, non autem Beatificati dumtaxat*. Ante hujuſmodi Decretum non modo Sancti, ſed etiam Beati, ſeu Beatificatione formali, ſeu Beatificatione æquipollenti paſſim in Patronos aſſumebantur: a Carnotenſibus etenim B. Hugolinus, ab Habitatoribus Oppidi Montajonis in Etruria B. Vivaldus, a Civitate Verſaviæ B. Ladislaus, a nonnullis Regni Luſitani B. Ægidius, aliique ab aliis in Patronos electi fuere, uti legitur in Actis Bollandianis *tom. 3. menſis Martii, tom. 1. menſis Aprilis, tom. 1. 2. & 5. menſis Maii*. In vita etiam Beatæ Michaelinæ Tertii Ordinis Minorum dicitur, eam fuiſſe electam in Patronam Civitatis Piſauri, & B. Hoſannam Tertii Ordinis Prædicatorum fuiſſe antiquioribus temporibus electam in Patronam Status Mantuæ teſtatus eſt Henricus Epiſcopus Mantuæ in litteris ad Summum Pontificem ſcriptis 2. Februarii 1690.

VII. Quæ Beatorum in Patronos electiones tunc temporis factæ, non ſemel etiam ab ipſamet Sacra Rituum Congregatione approbationem obtinuere; die ſiquidem 2. Maii 1619. uti referunt Bollandiani *tom. 3. menſis Maii*, præfata Congregatio Miſſam, & officium duplex cum octava Martitenſibus conceſſit in honorem B. Iſidori tamquam Patroni, die 18. Aprilis 1622. Miſſam, & officium Provinciæ S. Joſeph in honorem tunc Beati, nunc S. Petri de Alcantara itidem tamquam Patroni, & die 26. Februarii 1628. exhibito memoratæ Congregationi inſtrumento electionis in Protectorem Civitatis Panormitanæ tunc Beati, nunc autem S. Laurentii Juſtiniani, electionem ipſa confirmavit, & approbavit, & fieri officium conceſſit juxta Rubricas.

VIII. Nunc per præſens Decretum hujuſmodi fieri vetitum fuit, atque ſtatutum, *in Patronos ſolum illos eligi poſſe, qui ab Eccleſia univerſali coluntur titulo Sanctorum, non autem Beatificatos dumtaxat*. Duas hujuſce Sanctionis Gavantus loco citato affert rationes, quarum prima eſt, quia Beati eſſe non poſſunt Titulares Eccleſiarum, quarum ædificatio conceditur in honorem Canonizatorum tantum in Bulla Canonizationis; multo itaque minus eligendi ſunt in Patronos, quorum gradus nobilior eſt, quam Titularium. Hic illationi haud aſſentitur Guyetus *lib. 1. cap. 7. quæſt.* 10. quam dubiam eſſe aſſerit, nec a falſo procul alienam alibi demonſtrat, vult enim, quod gradus Titularium nobilior ſit, quam gradus Patronorum, de qua re nos inferius agemus.

IX. Secunda, quia Beatificatis dari non ſolet aliud officium, quam duplex minus per annum; Patronis autem duplex primæ claſſis. Profecto conſimilis eſt hujuſmodi ratio illi, quam producit Alexander Papa VII. dum in ſuis Decretis de cultu Beatorum editis die 27. Septembris 1659. præſens Decretum confirmat; habet enim, *Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalitia cum octava celebrentur &c.*

X. Alteram adjicit validam rationem laudatus Eminentiſſ. Lambertini, videlicet, quia non eſt uſquequaque conveniens, ut quæcumque cultus ſpecies Beatis exhibeatur, ut aliquid ſcilicet ſuperſit ipſis tribuendum, quando in Album Sanctorum ſolemniter referentur.

XI. Duæ tamen primæ rationes, ſi bene earumdem vis perpendatur, ſolummodo evincunt, Beatos aſſumi non poſſe in Patronos principales, quibus juxta Rubricas debetur officium duplex primæ claſſis, & cum octava, non autem in Patronos minus principales, quorum officium in claſſe duplicium dumtaxat majorum, & ſine octava recenſetur. Cum itaque, ut ſuperius dictum eſt, Decretum etiam Patronos minus principales comprehendat, potior, ſeu magis adæquatior ultima per celeberrimum Lambertini producta videtur ejuſdem eſſe ratio.

XII. Etſi tamen in allegato Decreto univerſim vetitum ſit, quod Beatificati dumtaxat in Patronos eligantur, extraordinariæ quædam conceſſiones poſt Decretum ipſum factæ ſunt ex nonnullis ſpecialibus circumſtantiis. Roſa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici fuit Beatarum numero adſcripta a Clemente IX. Sanctarum autem a Clemente X. ſed antequam fieret ejuſdem Canonizatio, inſtantibus, & ſupplicantibus Carolo Rege Hiſpaniarum, & Mariana Regina, Clemens Papa IX. dictam B. Roſam in Patronam principaliorem Civitatis Regum, ſeu Limanæ, & totius Regni Peruviani cum omnibus prærogativis, quæ Patronis principalioribus debentur, auctoritate Apoſtolica elegit, ac declaravit; tum iiſdem Regibus rurſus inſtantibus, Clemens Papa X. eamdem B. Roſam elegit pariter, ac declaravit in univerſam, & principaliorem Patronam omnium, & ſingularum Provinciarum, Regnorum, Inſularum, & Regionum Terræ firmæ totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum cum clauſula, *Non obſtante Decreto de non eligendis in Patronos Beatis*, quemadmodum diſerte legitur in Conſtitutione decima ejuſdem Clementis Papæ X. Conſimilis conceſſio facta fuit a memorato Clemente X., dum ſub die 10. Januarii 1674. tunc Beatum, nunc Sanctum Stanislaum Koſtka in principaliorem Patronum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, eiſque adjunctarum Provinciarum cum omnibus, & ſingulis prærogativis, quæ principalioribus Patronis competunt, declaravit; & hoc *quamvis*, ut idem profatur Pontifex, *Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Decreta Congregationis Cardinalium die 23. Martii 1630. ſuper ordinatione ſervanda pro Patronis eligendis emanata, electionem Beatorum in Patronos fieri vetent, eoſque ſolum, qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificatos dumtaxat eligi poſſe declarent*.

XIII. A Sacrorum itidem Rituum Congregatione confirmata fuit electio in Patronos facta a Civitate Licienſi Orontii, Juſti, & Fortunati, qui licet Sancti appellentur, revera tamen cultum tantummodo immemorabilem obtinent, ideoque Beati dicendi eſſent Beatificatione æquipollenti. Similiter ſub die 31. Auguſti 1715. approbante Sanctiſſimo ſub die 7. Septembris ejuſdem Anni confirmata manſit electio B. Chunegundis, cujus cultus immemorabilis jam fuerat approbatus, in Patronam principalem Regni Poloniæ, ac Ducatus Lithuaniæ. Nec deſunt quamplurimæ aliæ hujuſmodi conceſſiones, a quarum recenſione, ne tædio ſimus Lectori, abſtinendum eſſe ducimus.

XIV. Notatu autem in adductis exemplis dignum apparet, quod in duobus primis B. Roſæ, & B. Stanislai interceſſit derogatio hujus Decreti, non in duobus ſecundis, videlicet Beatorum Orontii, Juſti, & Fortunati, ac Beatæ Chunegundis, quare nec in Decretis harum confirmatoriis derogationis ullius mentio habetur, bene vero in Litteris illos in Patronos eligentibus, vel declarantibus. In priori autem caſu revera interceſſit derogatio Decreti, quia qui fuerunt in Patronos aſſumpti, tunc temporis erant Beatificati dumtaxat, nec ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colebantur, & aliunde eorumdem electio poſt emanationem ejuſdem Decreti contigit; in ſecundo vero caſis haudquaquam interceſſit, quia etſi confirmationes emanato jam Decreto factæ fuerunt, electiones tamen Decretum ipſum longe præceſſerant; Decretum autem, ut ſuperius dictum eſt, tantummodo irritas declarat aliter factas *in poſterum* electiones, non autem quæ præcedenter factæ fuerant, quapropter ulla abſque læſione memorati Decreti electiones illæ approbari potuerunt, quinimmo, & ulla abſque approbatione, haudquaquam nutabant, ſed in valido reperiebantur ſtatu.

XV. Hinc duo notanda ſequuntur, quorum primum eſt, per allegatas Conſtitutiones, dum præſenti Decreto pro illis caſibus fit derogatio, pro ceteris cunctis confirmationem accipere; ſecundum vero, quod præſens Decretum *in poſterum* dumtaxat vim habet, nec irritat electiones aliter præcedenter factas, quinimmo quod hæ ulla abſque derogatione ejuſdem Decreti etiam ſubſequenter poſſunt confirmationem accipere, quodque abſque confirmatione ipſæ habent, unde ſeſe tueantur, ut magis in ſequenti Decreto conſtabit.

XVI. Supereſt modo perquirere, num per præſentem Sanctionem ita Beati ab electione in Patronos maneant excluſi, ut nullus, qui canonizatus non eſt, in Patronum aſſumi queat? Qua in parte videri poteſt, nonnullas profecto Decretum pati limitationes, vi quarum nihil ſit, quod vetet, quod aliqui Servi Dei, licet vere numquam canonizati extiterint, locorum Patroni eſſe poſſint.

XVII. Primo autem ſe offerunt Beati illi, qui licet a nullo Pontifice canonizati noſcantur, adhuc tamen ab univerſali Eccleſia titulo Sanctorum coluntur, & titulo Sanctorum a Summis Pontificibus ipſis, ac a Sacris Congregationibus paſſim appellati reperiuntur. Hujuſmodi eſt B. Rocchus, cujus canonizatio licet a nullo Pontifice peracta extiterit; ut liquet ex fuſe dictis in primo Decreto præcedentis Capitis, nihilominus in univerſali Eccleſia titulum Sancti ſibi vindicat, & tamquam Sanctus ab omnibus honoratur, eique Templa, quæ in honorem dumtaxat Canonizatorum ædificantur, & Altaria dicata paſſim adinveniuntur, quinimmo & in Diplomatibus ipſis Pontificiis, ac Sacrarum Congregationum Decretis *Sancti* nomine appellatur, ut videre eſt in modo laudato Decreto præcedentis Capitis, necnon in aliis cunctis ibidem recenſitis; hinc de facto præfatus S. Rocchus tamquam Patronus, ſaltem minus principalis, in pleriſque cultus obſervatur Eccleſiis, inter quas ſunt Eccleſia Januenſis, & aliæ.

XVIII. Ad eamdem claſſem attinere videntur Sancti illi, qui cum non fuerint in Album Sanctorum relati, nec juxta ſolum antiquiorem, nec juxta ſubſecutam diſciplinam, apud

Eccleſiam tamen univerſalem ſunt in pacifica cultus immemorabilis poſſeſſione, & cultus tamquam Sancti, cujuſmodi ſunt S. Bernardus Florentinus Epiſcopus Parmenſis, & forſitan S. Petrus Igneus, S. Raynaldus Civitatis Nucerinæ Epiſcopus, ejuſdemque principalis Protector, S. Anſelmus Abbas Nonantulanus &c. ad quorum etiam, ſaltem plurimorum, officium concedendum iis pro locis, qui inſtantias adduxerunt, Sacra ipſa Congregatio innixa non fuit, niſi præfato notorio cultui immemorabili. Ratio autem horum omnium eſſe videtur, quia Decretum non exigit, quod ſint Sancti canonizati, ſed ſolum, quod *ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colantur*. Cum igitus S. Roccus, & reliqui, de quibus agimus, etſi canonizati non fuerint, titulo Sanctorum per univerſalem Eccleſiam ſupponantur exculti, idcirco ab electione in Patronos a Decreto non videntur excluſi.

XIX. Nec dicas memoratum Sanctorum titulum eſſe illegitime iiſdem tributum, ac ab Apoſtolica Sede reprobatum, adeoque non eſſe juxta ſenſum Decreti, ac conſequenter vi ejuſdem non poſſe valide Sanctos illos, qui eumdem aſſequuntur, in Patronos aſſumi; falſum enim omnimode hoc eſt; quandoquidem *Sanctorum*, vel *Beatorum* tituli, quibus ab immemorabili gaudent aliqui Servi Dei, licet nec beatificati, nec canonizati extiterint, numquam reprobati, ſed expreſſe approbati per Sedem Apoſtolicam fuerunt. Et quidem dubitatum olim extitit; num, cum Tereſia, & Sancia Moniales Ordinis Ciſtercienſis vulgo *S. Regina* ab immemorabili appellarentur, appellatio iſta retinenda foret, & S. Congregatio die 30. Maii 1705. juſſit dictam appellationem retineri. Idem quoque præſtitit in cauſa Peregrini Latioſi, necnon Agnetis de Monta Politiano, qui cum ab immemorabili titulo *Beati* decorati extitiſſent, a Secretario S. Congregationis primus dictus fuit *Servus Dei Beatus nuncupatus*, & ſecunda ſimpliciter *Serva Dei*, cui loquendi modo obnitentibus Poſtulatoribus eo obtentu, quod ab immemorabili tempore fuerint ſimpliciter *Beati* denominati, per eamdem S. Congregationem reſponſum fuit pro retentione nominationis antiquæ, pro illo ſub die 9. Decembris 1702. & pro ſecunda ſub die 9. Maii 1705. Quæ S. Congregationis Deciſiones concordes utique ſunt Decretis ſuper cultum Beatorum editis, in quibus Summus Pontifex expreſſe declarat, ſe per dicta Decreta præjudicare in aliquo non velle neque intendere iis, qui per immemorabilem temporis curſum coluntur.

XX. Secundo ſe offerunt Sancti illi, de quorum legitima canonizatione, quia per illegitimos Pontifices peracta, a nonnullis dubitatur, a nullis tamen legitimis Pontificibus impugnata fuit, immo tacito conſenſu tolerata. Hujuſmodi eſt Carolus Magnus quondam Romanorum Imperator, qui a Paſchali Antipapa canonizatus fuit, poſt cujus ſolemnem canonizationem nedum in Eccleſia Aquiſgrani, ſed etiam in pleriſque aliis Galliæ, Belgii, atque Germaniæ ſanctitatis titulo coli cœpit, in ejuſque honorem Templa, & Altaria dicata fuiſſe dicuntus, inter quæ Bollandiani *tom. 2. Februarii* ex Athenæo Oſnabrugenſi *Schemate 9.* referunt quintum Altare Eccleſiæ Patrum Societatis Jeſu. Etſi enim cultus hic ſuam originem habuerit a Pſeudopontifice, quia tamen tot ſubſequentes Pontifices legitimi id ſciverunt, nec improbarunt, ſed per tolerantiam admiſerunt, & interceſſit longiſſima temporis obſervantia, nihil deeſſe videtur ex requiſitis, quæ neceſſaria ſunt pro validitate dicti cultus.

XXI. Ad quam item claſſem reducendi veniunt Sancti illi, qui titulo Sanctorum in univerſali Eccleſia coluntur quidem ſcientibus, & tolerantibus Summis Pontificibus, ſed tamen de eorum canonizatione plene non conſtat, eamdem aliquibus affirmantibus, negantibus aliis. Hi etenim cum Sanctorum titulum in univerſali Eccleſia pacifice obtineant, & cultum, non videntur, unde ab electione in Patronos expelli queant.

XXII. Quæ uſque modo dicta ſunt, etſi forſitan omnimoda firmitate non gaudeant, ea tamen haudquaquam deſtituuntur, quæ modo dicenda arbitramur de Sanctis illis, qui licet per ſententiam definitivam a Summo Pontifice prolatam, ſervata forma judicii, in Sanctorum Catalogum adſcripti non ſint, adhuc tamen cum forent in antiqua cultus poſſeſſione, & de eorumdem heroicis virtutibus, aut martyrio, & miraculis conſtans eſſet Hiſtoricorum fide dignorum communis aſſertio, & continuata prodigiorum fama non deficeret, per Summum Pontificem in univerſa Eccleſia juſſi ſunt coli per Officii, ac Miſſæ recitationem, & celebrationem determinato aliquo die, cujuſmodi ſunt S. Romualdus, Norbertus, Bruno, aliique, quos recenſet Eminentiſs. Lambertini *de Canon. lib. 1. cap.* 41. hi enim etſi per formalem canonizationem canonizati non ſint, bene tamen per æquipollentem, quæ etiam nunc eoſdem præſtat effectus, ac formalis ipſa.

XXIII. His adjungendi nonnullis videri poſſent Servi illi Dei, qui licet Beati tantummodo ſint, & in Beatorum Catalogo ſolummodo adſcripti, adhuc eorumdem cultus non eſt coarctatus intra aliquam Provinciam, Diœceſim, Civitatem, vel Religioſam Familiam, ſed ex Pontificia conceſſione extenſus ad univerſam Eccleſiam. Hujuſmodi cultum habet in Eccleſia Dei Beatus Joannes Bonus Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, de quo Sixtus IV. in Bulla Beatificationis ejuſdem ſequentia verba pronunciat: *De Fratrum Noſtrorum conſilio, & aſſenſu, authoritate Apoſtolica concedimus, quod ipſe Beatus Joannes Bonus, ut pie inter Sanctos in ſuperna Patria collocatus, ad laudem & Divini Nominis, & Altiſſimi gloriam, qui in Cælis habitat, & humilia reſpicit, ſine haſitatione, & conſcientiæ ſcrupulo, vel Canonis Divini incurſu poſſit pro Beato in omnibus, & ſingulis Civitatibus, Terris, & Locis, ac Monaſteriis, & Eccleſiis venerari, & ad eum, ut Beatum preces porrigi, & ſuffragia ejus implorari, donec aliud per Nos, vel Sedem prædictam fuerit ſolemniter ordinatum.* Quæ verba Sixtini Diplomatis ſunt apud Raynaldum *ad annum Chriſti* 1250. *num.* 51. Clemens pariter Papa X. antequam ad ſolemnia Canonizationis Beatæ Roſæ Limanæ deveniret, die 27. Auguſti 1670. per ſuas Litteras Apoſtolicas indulſit Univerſo Clero Sæculari, ac Regulari, Orbis Catholici, ut de eadem Beata Roſa Miſſam celebrare poſſet per anni circuitum ſive ex voto, ſive ex libera devotione juxta Rubricas Miſſalis Romani. Cum itaque hujuſmodi Beati ad differentiam ceterorum habeant cultum non proprium Beatorum, qui ſemper intra limites alicujus Loci, Provinciæ, vel Religioſæ Familiæ coercitus eſt, ſed cultum proprium Sanctorum, utpote ad totam univerſalem protenſum Eccleſiam, de iiſdem pariformiter, ac de Sanctis, loquendum eſſe videri poſſet, ac conſequenter ab electione in Patronos nequaquam excludi; in cujus rei confirmationem adduci poteſt exemplum Eccleſiæ Mantuanæ, quæ tamquam Patronum minus principalem præfatum Joannem Bonum excolit, & die 23. Octobris ſub ritu duplici majori de eodem officium peragit.

XXIV. Dices, quod quantumvis Beata Roſa Limana ex iis eſſet Beatis, qui præcedenter ad canonizationem in univerſali Eccleſia cultum ſunt aſſecuti, nihilominus dum ſuperius memorati Clemens IX., & X. in Patronam principalem dictorum Locorum eam confirmant, ac eligunt, illam ponunt clauſulam. *Non obſtante Decreto de non eligendis in Patronos Beatis*, ergo per præſens Decretum inhibita etiam eſt electio in Patronos illorum Beatorum, qui in Eccleſia univerſali cultum ſibi vindicant.

XXV. ℞. quod a Clemente IX. ſub die 2. Januarii 1669. & a Clemente X. ſub die 11. Auguſti 1670. Beata Roſa in Patronam memoratorum Locorum declarata fuit; tunc autem in univerſali Eccleſia cultum haudquaquam habebat, cum illum ſolummodo per Litteras Apoſtolicas ſub die 27. Auguſti 1670. expeditas ſortita fuerit, adeoque in præfatis litteris dicta clauſula *Non obſtante Decreto &c.* bene poſita fuit, quæ tamen nullatenus inſerta extitiſſet, ſi dictæ Litteræ poſt conceſſum univerſalem præfatum cultum expeditæ fuiſſent.

XXVI. Ad hanc eadem claſſem revocandi videri poſſent Beati illi, qui etſi in univerſali Eccleſia cultum haud habeant, ſed ſolummodo in particularibus Locis, illum tamen inibi habent in præcepto, & non in ſola permiſſione; iſti enim a regula Beatorum, qui cultum permiſſum, non præceptum generaliter habent, utique diſcedunt, & ad Sanctorum regulam accedunt, eorumdemque naturam quodammodo participant, adeoque a ceterorum Beatorum turba ſecernendi videntur. Non deſunt quamplurima hujuſmodi exempla, inter quæ ſufficiat in medium afferre illud Beatæ Hoſannæ Patritiæ Mantuanæ, de qua Leo X. in ſua Conſtitutione 8. Januarii 1616. ita proloquitur: *Et interim ut de ipſa Hoſanna in die ejus Natali, qua ſcilicet ab hac mortali vita ad cæleſtem Patriam (etiam in Miſſis aliorum dierum) migravit, in primis, & ſecundis Veſperis, ac in Matutino, & aliis Divinis officiis ejuſdem diei in Civitate, & Diſtrictu Mantuano, ſicut in Natali aliarum Sanctarum Virginum ſolet fieri, & celebrari, commemoratio libere, & licite fieri poſſit, concedimus, & a quibuſcumque Sacerdotibus Religioſis, & aliis Chriſtifidelibus fieri mandamus.* Quæ autem modo dicta ſunt, confirmata veniunt ex praxi, & electione Eccleſiæ Mantuanæ, quæ die 18. Junii de memorata Hoſanna tamquam de Patrona minus principali ſub ritu duplici majori officium quotannis agit.

XXVII. His tamen haudquaquam obſtantibus nos arbitramur, quod tam Beati illi qui in univerſali Eccleſia cultum obtinent, quam illi, qui in particularibus locis præceptum, & non tantum illum habent permiſſum, ab electione in Patronos per Decretum maneant expulſi; illi quidem, quia etſi in univerſali Eccleſia cultum aſſequantur, illum tamen habent tamquam Beati, & titulo Beatorum dumtaxat coli ſupponuntur, cum tamen Decretum exigat, quod *titulo Sanctorum* in univerſali Eccleſia colantur, hi autem tum quia in particularibus illis locis, in quibus eorumdem cultus eſt in præcepto, tamquam *Beati* itidem ſolummodo honorantur, tum quia adhuc in univerſali Eccleſia cultum non obtinent; Decretum autem exigit & quod *titulo Sanctorum*, & quod *in univerſali Eccleſia* colantur.

XXVIII. Nec huic noſtræ credimus officere aſſertioni electionem in Patronos, & praxim Eccleſiæ Mantuanæ in Divinis officiis agendis tamquam de Patronis de Beatis Joanne Bono, & Hoſanna: hujuſmodi enim electiones, & praxes radices habent prævias ad emanationem præſentis Sanctionis; & quod ad Beatum Joannem Bonum attinet, alia etiam ex ſuperius recenſitis rationibus adeſſe poteſt, quod videlicet quantumvis numquam vere canonizatus extiterit, adhuc *Sancti* titulum in univerſali Eccleſia ab immemorabili forte tenet, & ſub *Sancti* nomine paſſim ab Auctoribus nuncupatur, & ab Eccleſiis colitur: unde & in ipſo Kalendario Mantuano die 22. Octobris in Martyrologio legendum ſignatur: *Mantuæ Sancti Joannis Boni*, ubi die 17. Junii in eadem lectione dicendum notatur; *Mantuæ B. Hoſannæ Virginis*.

XXIX.

XXIX. Eadem pronuncianda veniunt de illis Dei Servis, qui titulo Sanctorum, non in univerſali Eccleſia, ſed in particularibus locis coluntur; & quidem tametſi illum titulum inibi ſibi vindicent etiam ex permiſſione Apoſtolica, ac ex Pontificio indulto, vel Sacræ Congregationis Divinum officium recitetur; Decretum enim expreſſe expoſtulat, quod ſub titulo Sanctorum *ab univerſali Eccleſia* colantur. Dum autem de Sancto aliquo, qui poſſeſſionem antiquam habet tituli *Sancti*, dictam denominationem per Sedem Apoſtolicam permittitur retineri, non fit augmentum cultus, nec extenſio ad univerſalem Eccleſiam, ſed adhuc coercitus remanet intra eadem loca, prout antea; quod & tantummodo ſequitur ex conceſſione officii Divini pro particularibus locis, per quam, ſi conceſſio eſt pro iiſdem locis, in quibus cultum habebat, nulla fit extenſio, ſed ſolum augmentum cultus, quatenus inibi permittitur coli cum officio Divino, quæ cultus ſpecies antecedenter non erat permiſſa; ſi autem conceſſio eſt pro aliis locis, fit quidem etiam extenſio, ſed non ad univerſalem Eccleſiam, ſed ſolummodo ad ea loca, quæ in dicta conceſſione reperiuntur expreſſa. Præfati itaque Servi Dei, qui memoratam cultus ſpeciem, etiam ſub titulo Sanctorum, alicubi ſortiuntur, *Sancti* vere dici non poſſunt, utpote quorum cultus non eſt intra aliqua loca coercitus, ſed ad univerſam extenſus Eccleſiam, ſed ad ſummum ſunt Beati beatificatione æquipollenti, atque adeo ſi per ea Decreti verba *Non autem Beatificati dumtaxat* Beati beatificatione formali excluſi cenſentur, multo magis Beati beatificatione æquipollenti, quæ inter beatificationum ſpecies minor eſt, expulſi veniunt exiſtimandi, quantumvis Sanctorum titulum alicubi ſortiantur.

XXX. Dubium modo exurgit iis de Servis Dei, qui per communem Eccleſiæ conſenſum cultum obtinent, num ſcilicet hi Patronos aſſumi poſſint?

XXXI. Ad quod dicendum videtur quod ſic; qui enim habent cultum per communem Eccleſiæ conſenſum, non ſunt illi Servi Dei, qui cultum obtinent in particulari quadam Eccleſia, conſentiente hujus Epiſcopo, annuente Clero, & majori parte Fidelium ejuſdem Diœceſis ipſum Dei Servum colente, ſed qui publicum cultum habent, niſi in toto Orbe Catholico, ſaltem in majori illius parte; vox enim *Eccleſiæ* in Decreti Urbani VIII. minime de particulari, ſed de univerſali accipitur Eccleſia, uti perpendit Pignatellus *Conſult.* 244. *tom.* 1., & ſequitur Bordonus *Controv.* 13. *num.* 46.. Et quidem ſi ſermo ſit de iis, qui ante factam cauſarum beatificationis, & canonizationis Sedi Apoſtolicæ ſervationem occubuerunt, indubium eſt, cum illi juxta eorumdem temporum diſciplinam inter legitime canonizatos recenſeantur; Si autem ſermo ſit de iis, qui poſtmodum ad cæleſtem tranſiere Patriam, utique refragamur, ſi titulo Beatorum dumtaxat fuerint ut ſupra exculti, quoniam Decretum expoſtulat, quod *Sanctorum titulum* habuerint. Si autem præfati *titulo Sanctorum* exculti fuerint, nihil deſiderari videtur, quominus a memorata electione exploſi cenſeantur, præſens ſiquidem Sanctio utique non expoſcit, niſi quod *in univerſali Eccleſia titulo Sanctorum colantur*.

XXXII. Verum cum Servi illi Dei, qui per communem Eccleſiæ conſenſum cultum obtinent, neceſſe non ſit, quod in omni, & quacumque Orbis Catholici Eccleſia dictum cultum habeant, ſed ſufficiat, quod in majori ſaltem ejuſdem parte illum ſortiantur, non videntur in eo caſu verificari omnes conditiones a præſenti Sanctione exactæ, niſi ſint ex illis, quæ in omni omnino Eccleſia titulo Sanctorum venerantur; præſens enim Sanctio uſurpat vocem *In univerſali Eccleſia*, quæ vox *Univerſalis* omnem, & quamcumque porro comprehendit Eccleſiam; quamobrem in Dictatu Sancti Gregorii VII. *can.* 2. legitur, ſolum Romanum Pontificem jure dici univerſalem, utpote cum nulla ſit in Orbe Catholico Eccleſia, quæ ejus auctoritati non ſubjiciatur; & ante Sanctum Gregorium VII. Sanctus Gregorius Magnus Joannem Jejunatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui ſe *œcumenicum* Patriarcham nominaverat, in Litteris ad Mauritium Imperatorem, ad Conſtantiam Auguſtam, atque ad Anaſtaſium Antiochenum ſeveriſſime exagitavit, ut videre eſt *lib.* 4. *Regeſti Epiſt.* 32. 34., 36. 38., *&* 39.

XXXIII. Potior itaque urget difficultas iis de Servis Dei, quorum nomina deſcipta reperiuntur in Martyrologio Romano. Pro cujus apertiori reſolutione notandum ducimus primo, quod in Martyrologio Romano deſcripta manent nomina Sanctorum tam juxta antiquam, quam præſentem Eccleſiæ diſciplinam canonizatorum. Deſcripta itidem in eo ſunt nomina quorumdam dumtaxat Beatorum, quinimmo & nonnullorum, qui nullatenus canonizati nec beatificati fuerunt, ſed tamen eorumdem cultus ab immemorabili fuit in Dei Eccleſia receptus, ſemperque in ea cuſtoditus. Sunt item, qui notant 2., quod titulus Beatorum, & Sanctorum promiſcue in eo nonnumquam uſurpatur, ita ut titulus Beati dumtaxat quandoque Canonizatis ipſis tributus reperiatur, & e contra.

XXXIV. Si ſermo ſit de Canonizatis, dubium eſſe non poteſt, quod in Patronos eligi queunt, quantumvis in Martyrologio *Beatorum* nuncupationem tantummodo haberent; per hoc etenim haud deſinunt eſſe Sancti, nec in univerſali Eccleſia Sanctorum cultum, nec titulum deperdunt, ſed ullo abſque eorumdem præjudicio *Beatorum* denominationem ſubeunt, uti etiam communiter fit in collectis officii divini, in quibus Sancti fere omnes, licet & per formalem canonizationem Sanctorum numero cooptati, quinimmo & Deipara ipſa, *Beatorum* vocabulo nominati inveniuntur, ſumpto hujuſmodi vocabulo, non quidem in ſenſu excluſivo Canonizationis, ſed quatenus dicit Dei Servum cæleſti beatitudine perfuſum, cujuſmodi ſunt æque tam qui in Sanctorum catalogo, quam qui in Beatorum dumtaxat reperiuntur adſcripti.

XXXV. Idem dicendum venit de iis Dei Servis, qui cum nullatenus fuerint canonizati, in univerſali tamen Eccleſia Sanctorum titulo coluntur; & quidem tametſi tantummodo de iiſdem tamquam de Beatis in Martyrologio mentio inſtituatur; quæ enim ſuperius ponderavimus de Decreto dumtaxat exigente, quod eligendi in Patronos *titulo Sanctorum ac cultu in univerſali gaudeant Eccleſia*, abunde demonſtrant, eoſdem eligi poſſe, quantumvis in Martyrologio Romano non Sanctorum, ſed Beatorum titulum ſortiantur; hujuſmodi enim deſcriptio ab iiſdem nullatenus aufert Sanctorum titulum, quem univerſalis iiſdem præſtat Eccleſia, quemadmodum, ut modo dicebamus, Sancti canonizati, licet quandoque in dicto Martyrologio ſub Beatorum titulo deſcripti habeantur, in univerſali tamen Eccleſia Sanctorum cultum, & titulum minime deperdunt. Accedit, quod ex dicendis in Decreto ſecundo ſequentis Capitis, ubi plura huc attinentia examinantur, neceſſe nullatenus eſt, quod eligendi in Patronos in Martyrologio Romano habeantur deſcripti, & revera nihil hujuſmodi præſens expoſcit Decretum; quapropter eorum, qui deſcripti in eo ſunt, non eſt attendenda deſcriptio, ſed potius an concurrant conditiones omnes a memorato Decreto exactæ, ad hoc ut in Patronos eligi queant.

XXXVI. Si autem ſermo ſit de iis, qui tantummodo Beati ſunt, & in Martyrologio tamquam Beati itidem nominati, cum Decretum expoſtulet, quod *Sanctorum titulo colantur*, proculdubio manent excluſi; deſcriptio ſiquidem in Martyrologio Romano, quamvis cultum importaret, ac ad totam illum protenderet Eccleſiam, de quo non eſt hujus loci inveſtigare, utique non ultra verborum deſcribentium vim, ac proprietatem, adeoque cum hæc præfatos tamquam Beatos ſolummodo notent, titulum non Sanctorum, ſed Beatorum in univerſali Eccleſia dumtaxat haberent, ac conſequenter carerent conditione per Decretum exacta ad paſſivam in Patronos electionem.

XXXVII. Reſtringitur itaque difficultas ad eos Beatos, qui cum Beati reipſa tantummodo ſint, in dicto Martyrologio titulo Sanctorum honorantur; & de his ſi qui ſunt, videtur dicendum in Patronos eligi non poſſe, quoniam per deſcriptionem eorumdem ſub titulo Sanctorum in Martyrologio Romano proculdubio haudquaquam Eccleſiæ univerſali proponuntur tamquam Sancti excolendi, nec iidem a Beatorum tranſeunt ad claſſem Sanctorum, vel Canonizatorum, alias ſequeretur abſurditas, nimirum quod Sancti, ſeu ſimul Canonizati, aut Sancti declarati, iterum canonizarentur; hujuſmodi enim Beatis, uti non ſemel fieri contingit, nihil vetat per formalem Canonizationem in Sanctorum album referri. Quemadmodum enim etſi dictum Martyrologium Sanctos quoſdam ſolummodo Beatos appellet, non propterea Eccleſia in eorumdem cultu tamquam præciſe Beatorum procedere debet, ſed adhuc eoſdem ut Sanctos valet excollere, ut ſuperius dicebamus, & notat Baronius *in Notis ad Martyrol. ad diem* 27. *Maii*, ubi Sanctus Beda ſolummodo *Venerabilis* ſignatur, & tamen nihilominus tamquam Sanctum, uti revera eſt, aſſerit eſſe colendum; ita tametſi nonnulli Beati tamquam Sancti in Martyrologio appellantur, adhuc cultus Sanctorum iiſdem minime debebitur; hujuſmodi enim perſæpe appellationes his ob particulares quaſdam rationes Martyrologium dumtaxat tribuit, quæ tamen eoſdem a claſſe, in qua revera ſunt, nullatenus extrahunt.

XXXVIII. Verum cum ex ſuperius dictis ad paſſivam in Patronos electionem non requiratur niſi titulus, & cultus Sanctorum, non videmus, cur hujuſmodi Beati eligibiles non ſint; ſi qui enim eorumdem tamquam Sancti in Martyrologio notati reperiuntur, hoc profecto non erit, niſi quia in Eccleſia univeſali titulum, & cultum Sanctorum aſſecuti fuerunt; quis enim alius titulus unquam excogitari, poteſt? Nec ad præfatum titulum prædictis abſolute, & ſimpliciter præſtandum ſufficiens eſt cauſa titulus, aut cultus Sanctorum, quem in particulari quadam Eccleſia obtinuiſſent, quoniam Martyrologium Romanum in uſum univerſalis Eccleſiæ deſervit; quapropter memorata de cauſa ad ſummum limitate, & ſecundum aliquam reſtrictionem *Sancti* notari debuiſſent, alias facilis, & exuberans in eorumdem cultu eveniret univerſalis Eccleſiæ deceptio, cum tamen Urbanus VIII. in ſæpe memoratis Decretis de Beatorum cultu, in horum veneratione admodum limitate procedendum eſſe ſanciat, & nonniſi juxta terminos verbales indultorum, quos nullatenus quis excedere valet, & ſolum in exceptis poſiti fuere Beati illi, qui ab immemorabili cultum ampliorem habuerunt, quem tamen adhuc ſolummodo *ubi*, *&* *a perſonis*, apud quas præcedenter vigebat, præſtari licitum eſt, & nullatenus valet extendi, nec de loco ad locum, nec de perſonis ad perſonas; quanto autem minus ab Eccleſia particulari ad Eccleſiam univerſalem? Si itaque Eccleſiæ univerſali in Martyrologio, ad cujus uſum deſervit, Beati illi, tamquam *Sancti* proponuntur, profecto fas eſt, quod ex illis fuerint, qui in Eccleſia univerſali titulum, & cultum Sanctorum habebant. Hos autem, cum reipſa Sancti, ſeu canonizati non ſint, etſi Sancti appellentur, & Sanctorum cultum in Eccleſia univerſali obtineant, nihil vetat canonizari; quapropter in nihilum abit argumentum illud, quod in oppoſitum ſuperius adducebatur.

XXXIX. Non ſic autem eſt in Sanctis in Martyrologio ſub Beatorum vocabulo expreſſis, quoniam hi re vera Beati etiam ſunt, unde in eorumdem veneratione nullus, & numquam exuberans, contingit error; vel ſi quis, quatenus ſolummodo tamquam Beati, cum Sancti reipſa ſint, haberentur, profecto minimus eſt, ac in fere nulla conſideratione tenendus, utpote qui ſemper inter terminos licitos coercitus eſt, & aliunde etiam facilis correptionis ob advertentiam, quam ſtatim ingerit Eccleſiaſtica conſuetudo Beatos nominandi, adhuc in collectis, & officio divino, illos, quos cuilibet patens eſt inter Sanctos fuiſſe adſcriptos; hæc enim cuilibet obvia, & quotidie obſervata conſuetudo nos hoc ipſo monitos facit de ulteriore inquiſitione facienda, quoties caſus evenit, ac urget, circa qualitatem cultus præſtandi iis, quos Beatos cernimus appellari, num ſcilicet cultum Beatorum dumtaxat, an etiam Sanctorum. Beati vero, ut dicebamus, Sancti reipſa, ſeu Canonizati non ſunt, & tamquam Sanctos eoſdem venerari vetitum eſt, unde ſi tamquam Sancti in Martyrologio proponerentur, daretur occaſio erroris, qui vere error eſt, ac illicitum iiſdem cultum preſtandi, quinimmo error ille facilis non foret correptionis, cum Beatis, qui Sancti non ſunt, aut in hujuſce tituli legitima poſſeſſione, Sanctorum denominationem tribuere in uſum nullibi habeat Eccleſia, quinimmo refugiat, ac diſerte inhibeat.

XL. Non eſt itaque ullatenus dubitandum, quod, Eccleſia, quæ in ſuis Reſolutionibus admodum caute, & ponderate procedit, quoties abſolute cum titulo Sanctorum in Romano Martyrologio Beatos probat deſcribi, hi revera vel Sancti ſint, vel ſaltem apud Eccleſiam univerſalem in legitima poſſeſſione tituli, & cultus Sanctorum; hinc licet ſtrenue peteretur, ut nomen Beatæ Zitæ in Romano Martyrologio cum titulo *Sanctæ* deſcriberetur, adhuc Sacra Congregatio deſcriptione ejuſdem cum titulo dumtaxat *Beata* annuit, ut refert Eminentiſs. Lambertini, nunc in Cathedra Petri ſedens *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 17. numer. 14.*, & hoc quia forſitan non ſatis conſtabat de præfati rituli poſſeſſione apud Eccleſiam univerſalem, cum tamen plures alios, qui tali ad tenorem Decretorum Urbani VIII. gaudebant poſſeſſione, cum *Sanctorum* titulo idem Eminentiſſimus proferat in Martyrologio de ejuſdem Congregationis conſenſu fuiſſe deſcriptos.

XLI. Quod autem dictum eſt de deſcriptione Sancti Bedæ cum titulo tantum *Venerabilis*, nullam errandi affert occaſionem; tum quia particularem habet cauſam, quam diverſimode inſinuant Auctores, & aliunde ex littera ipſa, ſeu deſcriptione ſatis conſtat inter Sanctos eumdem recenſeri, dum *ſanctitate, & eruditione celeberrimum* extitiſſe pronunciat; tum quia inter Martyrologii tabulas Venerabilium dumtaxat Dei Servorum nomina inducere in uſum non habet Eccleſia, quæ vix in eodem Beatos deſcribi permittit, quinimmo non ſemel, & hos inſeri vetuit, & tantum Canonizatos nominari poſſe ſancivit.

XLII. Ex eo autem, quod dicebamus de deſcriptione permiſſa cum titulo *Sanctorum* de iis Beatis, qui juxta Decreta Urbani VIII. in præfati tituli legitima extant poſſeſſione, non continuo quis inferat in præfata non exiſtere poſſeſſione, quotquot cum *Beatorum* dumtaxat titulo in eodem deſcripti inveniuntur, quoniam Beatorum titulus, uti ſuperius advertebamus, etiam Sanctis ipſis canonizatis in Martyrologio nonnumquam applicatur, & etiam Sanctis ipſis optimo quadrat; quapropter ex eo, quod v. g. Sanctus Rocchus titulum dumtaxat *Beati* in Martyrologio aſſequatur, invalidum argumentum deſumitur ad inſinuandum, quod non ſit ex iis, qui titulum, & cultum Sanctorum non habent.

XLIII. Hæc dicta ſint, quatenus deſcriptio in Romano Martyrologio cultum non importet; ſi enim cultum invehit, patens fit, quod qui in eodem cum titulo *Sanctorum* deſcripti ſunt, Sanctorum & prærogativas quaslibet ſtatim ſibi vindicant.

XLIV. Hæc itidem, quæ de paſſiva Beatorum qui in univerſali Eccleſia *titulo Sanctorum* coluntur, electione hucuſque tradita ſunt, cum omni ſint dicta præſentis reverentia, & veneratione Decreti, quod dum ſubdit, *Non autem Beatificati dumtaxat*, dictos Beatos, utpote qui adhuc *Beatificati* dumtaxat ſunt, & non canonizati, excludere videtur a memorata eligibilitate. Ceterum quia de Beatificatis, qui præcedentem ab eodem exaratam non habent qualitatem, ſcilicet cultum cum titulo Sanctorum in univerſali Eccleſia, expoſitionem optime ſuſtinent ea verba Decreti, idcirco improbabile nos haud arbitramur, eoſdem dictæ eligibilitatis minime eſſe incapaces, præſertim quia viſum eſt in Decreto primo præcedentis Capitis, a Sacra Congregatione gradum Titularis Eccleſiæ, qui æquiparatur gradui Patroni locorum, S. Roccho, & conſequenter & aliis ſimilibus Beatis, minime contendi, ſed aperte concedi.

XLV. Statutum eſt ſecundo, quod *de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a Populo, mediante conſilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab officialibus ſolum*. A Perſona eligenda gradum Decretum modo facit ad Perſonas eligentes, ac ad modum, ſeu circumſtantias electionis, & firmat primo quod de *Patrono Civitatis electio fieri debet per ſecreta ſuffragia*, quapropter quicumque aliter eligendi modus manet proſcriptus; *per ſecreta* autem *ſuffragia* fieri præſcribitur, ut eligentium libertas ſit uſquequaque illæſa. Sorte itaque, aut vivæ vocis oraculo, aut per ſchedulas, in quibus eligentium nomina ſint deſcripta, aut quocumque alio eligendi modo, qui electores non ſervat occultos, ac undequaque liberam non facit electionem, Patroni eligi non poſſunt; fit autem electio *per ſecreta ſuffragia*, nedum quæ fit mediis calculis clam datis, verum etiam quæ fit mediis ſchedulis, aut tabellis ſecretis, continentibus ſcilicet dumtaxat nomen electi, non autem eligentium, at quæ quocumque altero modo fit, qui electionem teneat ſecretam, & plene eligentium libertatem cuſtodiat.

XLVI. *A Populo* autem, *& non ab Officialibus ſolum* dicta, fas eſt, fiat electio; electio enim Patroni, ſaltem principalis, importat nuncupationem voti, quo Populus ſe obligat ſub peccato diem ejus feſtum ſervare, uti bene argumentatur Pignatellus *conſult. 79. num. 9. tom. 4.* Deinde Patroni eliguntur vel ob beneficia accepta, vel quæ eorumdem interceſſione accipienda ſperantur, ac conſtituuntur ſpeciales veluti mediatores apud Deum, & adjutores in tribulationibus, in neceſſitatibus, quapropter æquum fuit, non ab Officialibus tantum, qui ad particularia ſua accepta, vel accipienda beneficia reſpicere poſſent, & non ad ea Communitatis, ac ferri in Sanctum aliquem, ad quem communis Populi devotio haudquaquam tendit, communes Patronos eligi, ſed magis per ipſam Communitatem; hinc apprime bene ſtatutum fuit, *a Populo* præfatam electionem eſſe faciendam; *Populi* autem appellatione veniunt omnes Nobiles, & Plebeji, & ſic univerſi Cives, connumeratis etiam Patriciis, & Senatoribus, quemadmodum pluribus allegatis notat Barboſa *de appell. verb., appell.* 205.

XLVII. Et a Populo fieri debet *mediante Conſilio generali illius Civitatis, vel loci*, a quo fit electio; hinc invalida foret Patronorum electio facta per Conſilium dumtaxat nobilium, aut cujuſcumque alterius generis perſonarum, quod in nonnullis Civitatibus, vel locis fieri ſolet, ſed ut valide procedat, fieri debet *per Conſilium generale*, ſeu in quo quibuſcumque Civibus, aut Accolis indifferenter datum ſit intervenire; genus enim omnes ſpecies comprehendit, & expreſſio generis continentis ſpecies operatur idem, ac ſi ſingulæ ſpecies eſſent expreſſæ, *l. ſi chorus, ff. de legatis* 3. Alexand. *conſ.* 233. *Ponderatis num. 16. lib. 6.* Federic. de Senis *conſ. 84. In puncto, in princ., & conſ. 85. Statuto Civit. num. 2., & 3. &c.*

XLVIII. Non requiritur autem, quod omnes Cives, vel Accolæ, aut major eorumdem portio reipſa intervenerint, ſed valida adhuc erit electio facta a majori parte illorum, qui intervenere, dummodo cunctis indifferenter datum fuerit intervenire; qui enim, cum poſſent, intervenire noluerunt, cenſentur ratum habere, quod a majori parte ſancitur: nec a Decreto exigitur, quod omnes de Populo, aut major ejuſdem pars interveniant, ſed ſolummodo, quod dicta electio fiat a Populo *mediante Conſilio generali illius Civitatis, vel loci*; Conſilium autem alicujus Civitatis, vel loci *generale* eſt, ac cenſetur, hoc ipſo quod cunctis indiſcriminatim in illud patuit aditus; ſi enim Conſilium generale comprehendere deberet omnes omnino de loco, vel majorem portionem, vel admodum difficilis, vel fere impoſſibilis redderetur Patronorum electio, & in paucorum poteſtate ſitum foret, præfatam electionem impedire, vel retardare; diſpoſitio autem, quamtuvis generalis, non extenditur ad non veriſimilia, neque ad ea, quæ ſpecialiter quis non expreſſiſſet. Federicus de Senis *conſ. 124. num. 1.* Curr. jun. *conſ. 267. num. 3.*, Com. *conſ. 176. num. 1. lib. 2, &c.* Conſilium itaque *generale* eſt, quando cunctis Perſonarum generibus, vel ſpeciebus, earumdemque individuis loci alicujus integrum eſt ad illud accedere, ac in eo ſuffragium ferre: Qui autem non intervenere, tenentur ad factam electionem, ac ad ſervandum diem feſtum Patroni electi, ſi Patronus principalis eligatur, cujus feſtum per Urbanam Conſtitutionem præceptivum eſt, tum quia cenſentur ratum habere, quod in eo Concilio ſtatutum eſt, tum quia cum poſſent, ſua culpa non acceſſere.

XLIX. Ad dolum quemcumque arcendum, ac ad jus ſuum cuique cuſtodiendum, cum juxta Gloſſ. *qui debent in c. Quia propter, de elect.* omnes, qui habent jus eligendi, ad electionem faciendam ſint ſimul vocandi, quoties alicubi fieri debebit Patronorum electio, omnes de Populo vocari debebunt, non quidem ſingillatim, ſed ſufficiet eoſdem per edictum vel per vocem publice citare, aut per campanam, dummodo Vocales prius fuerint admoniti, quod tali die, & hora per campanæ ſonum ad electionem vocabuntur. Facta autem publice vel per edictum, vel per vocem Populi citatione, ac admonitione, ſine vitio tranſibit electio, tametſi ad aliquem de Populo electionis faciendæ notitia non pervenerit, ac proinde eidem intereſſe non potuerit; hoc enim ipſo, quod publica citatio facta eſt, ac admonitio, ſupponitur ad aures cujuslibet perveniſſe, ac propterea nemo agere poteſt de contemptu.

L. Et hæc dicta ſint de citatione Populi præſentis, abſentem etenim ad Patronorum electionem citari haud opus eſſe arbitramur, vel per publicam cujuſcumque citationem factam in loco ſufficienter vocari, alioquin impoſſibilis redderetur electio, ſi ad eam quilibet de Populo, etiam abſens, de neceſſitate ſingillatim citandus foret, ut conſideranti facile conſtabit.

LI. Iiſdem de cauſis ſtatutum eſt tertio, quod *idem ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia a Populo ſingularum Civitatum Provinciæ.*, ſcilicet median-

mediante Concilio generali ut ſupra facto ſingularum Civitatum Provinciæ, & *quod Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos*. Subdit vero, *Niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum*, quapropter etſi Repræſentantes Regnum, vel Deputati Provinciæ, vel Officiales Civitatis haberent generale, ac amplum mandatum, non poſſent valide ad electionem Patronorum procedere, ſupponuntur ſiquidem hujuſmodi mandata tantummodo eſſe pro rebus politicis, minime vero pro rebus ſpiritualibus; quinimmo nec valida foret electio præfata ab iiſdem attentata, quantumvis generali mandato pro rebus etiam ſpititualibus forent inſtructi, niſi in eodem facultas etiam eligendi Patronos faceretur, ac exprimeretur, requiritur ſiquidem a Decreto *ſpeciale mandatum*, adeoque mandatum etiam de electione Patronorum facienda expreſſe facultatem tribuens, ut bene Barboſa *de Dictionibus uſu freq. dict.* 381. Hoc autem ipſo quod dicta electio fit a Repræſentantibus ut ſupra ſpeciali mandato inſtructis, valida profecto eſt, perinde ac ſi a Populo ipſo fieret, quia dicti Officiales ad memoratam electionem non procedunt, niſi in vi ſpecialis poteſtatis ſibi factæ a Populo, qui propterea dicitur ipſe in eo caſu eligere, dum nomine ſuo, & facultare ſpecialiter in iiſdem facta Repræſentantes, vel Officiales eligunt.

LII. In faciendo autem, aut probando hujuſmodi ſpeciali mandato congregari debebit Conſilium generale, perinde ac ſi facienda foret electio ipſa Patronorum, ac ſervari forma pro dicta electione fieri præſcripta. Quæ forma ſervari itidem debebit ab Officialibus electis, qui propterea ad electionem Patronorum non procedent, niſi per ſecreta ſuffragia, ſive ſermo ſit de electione Patroni alicujus Civitatis, vel Regni, aut Provinciæ, ſeu cujuſcumque alterius loci, ſubrogatum ſiquidem ſapit naturam illius, a quo, & in cujus locum ſubrogatur.

LIII. Ut autem tum electio ipſa Patronorum, Immediate per Populum facta, tum pars ad id faciendi mandatum ſubſiſtant, ſat eſt, ut major portio votorum concurrat, alias cum ſint diverſa hominum ſtudia, vel admodum difficilis, ſi plura, vel fere impoſſibilis, ſi omnium vota exigerentur, redderetur electio. Ut igitur electio ipſa Patronorum, vel eorum, quibus ad id fieri debet ſpeciale mandatum, valida ſit, ſufficiet concurſus majoris partis votorum, vel ſuffragiorum a Vocalibus intereſſentibus præſtitorum, licet Vocales intereſſentes non conſtituant majorem partem Vocalium, ſeu votum in electione habentium; hoc enim ipſo quod omnes Vocales legitime vocati fuerunt ad electionem, & non omnes veniunt, tunc venientes, etiamſi non faciant majorem partem, ſed longe minorem, poſſunt valide eligere, abſque eo, quod non venientes poſſint agere de contemptu, ut probat Panorm. *in cap. in cauſis* 30. *de elect.* ex Innoc. *in cap.* 1. *de major., & obed., & in cap. 3. de no. ope. nun.*, & ex communi ſententia Canoniſtarum per Gloſs. *in Clem. quod circa de elect.* dicentem, abſurdum eſſe in numero computare illos, qui vocati venire noluerunt; per contumaciam enim particularium non debent impediri, vel retardari negotia Communitatis, adeoque non venientes, cum ſe alienos faciant, & extraneos, in numero Vocalium non ſunt computandi.

LIV. Patronus Regni a Populo *ſingularum Civitatum Provinciæ* juxta Decretum debet eligi, adeoque ejuſdem electio minime ſubſiſtit, etiamſi a majori parte Civitatum Provinciæ fiat, ſi reliquæ, vel una minime eligant; dictio enim *ſinguli* attribuit actum cuilibet in ſolidum, juxta notata per Surd. *deciſ.* 278. *numer.* 5. Hac de cauſa ſi Repræſentantes Regnum, Provinciam, Civitatem ſpeciali ut ſupra mandato inſtructi, ſingillatim deberent eligere, ad validitatem electionis ſingulorum exigeretur electio, ſecus vero ſi fiat, ut faciendam eſſe putamus, ab iiſdem collective, & collegialiter congregatis, tunc etenim ſat eſt, quod major pars votorum concurrat, quemadmodum major pars votorum Civitatum Provinciæ ſufficeret, ſi Populum earumdem ad Patronorum electionem faciendam poſſibile foret ſimul congregari, & reipſa ſufficit in electione Patronorum alicujus Civitatis, vel loci, dum a Populo ejuſdem ſimul congregato perficitur.

LV. Diximus a Repræſentantibus Regnum, Provinciam, vel Civitates ſimul congregatis electionem Patroni Regni expleri debere; quod enim per Populum ſingularum Civitatum hic facienda præſcribitur, hoc ideo eſt, quia impoſſibile eſt, Populum cunctarum Civitatum Regni ad dictam electionem faciendam ſimul convenire, ac congregari; quod ſi id poſſibile foret, nec dubitamus, quod ita faciendum eſſe maneret præſcriptum, quemadmodum revera id fieri debere in electione Patroni Civitatis manet ſancitum, quia Populi particularis Civitatis in unum congregatio poſſibilis eſt, nec admodum difficilis. Cum itaque apte poſſibile ſit, nec admodum difficile, quod dicti Repræſentantes ſimul conveniant, ac congregentur, ita faciendum eſſe arbitramur, & per ſecreta ſuffragia ad electionem Patroni Regni ab iiſdem eſſe procedendum, uti reipſa fieret a Populo, ſi ſimul congregari poſſet, & de facto fit a Populo cunctarum Civitatum in electione Patroni Regni, vel earumdem Civitatum.

LVI. Quoniam vero *Civitatis* appellatione ſaltem in materia favorabili veniunt etiam Suburbia ex Cravet. *conſ.* 297. *numer.* 1., & Abb. *conſ.* 52. *numer.* 6. *lib.* 2. ubi ait, quod natus in Continentibus, & Suburbiis, dicitur natus in Civitate, idcirco cum ex Decreto Patronus Regni a Populo cunctarum Civitatum Provinciæ, & Patronus Civitatis a Populo ejuſdem Civitatis eligi debeat, evidens ſit, quod & Populo Subutbiorum ingreſſus in Conſilium indifferenter patere debet; quinimmo & Populo Partis adjectæ Civitati ex ampliatione factæ, Comitatus, & Territorii, cum itidem in favorabilibus Civitatis appellatione ex Abb. *conſ. 62. col.* 8. *in princ. numer.* 16. *verſ. ad idem*, Card. Tuſch. *tom.* 1. *litt. c.* 280. *numer.* 14. veniat pars præfata ut ſupra Civitati adjecta, necnon ex Roman. *conſ.* 435. *In re præſenti col.* 2. *numer.* 6. Neviz. *in ſua Sylva nupt. lib.* 4. *numer.* 8., Abb. *conſ.* 53. *numer.* 3. *lib.* 2., & aliis, etiam Comitatus, & inſuper Territorium per Gloſs. *Ego Ludovicus*, 63. *diſt.*, Bal. *conſ.* 357. *Nota pro Duce in princ. lib.* 5. quem citat, & ſequitur Card. Tuſch. *de concluſ.* 280. *numer.* 9. 10., & 11. apud Barboſ. *de Dict.*

LVII. Limita hoc tamen pro Patrono Regni, ſi Pars adjecta, Territorium, & Comitatus attineant in ſpiritualibus ad Epiſcopalem Sedem ejuſdem Regni, non autem ſi ad Epiſcopalem Cathedram ad idem Regnum haudquaquam ſpectantem; quemadmodum enim Patronus electus, & quantum ad obſervantiam ejuſdem Feſti, & quantum ad recitationem officii de eodem duntaxat adſtringit Populum, & Clerum, qui in ſpiritualibus ſubditur Sedi Epiſcopali ejuſdem Regni, ita ſolummodo ad Populum, & Clerum in ſpiritualibus ſubjectos Eccleſiæ Epiſcopali ejuſdem Regni debet ſpectare electio. Videantur dicenda in Cap. de Qualitate Officii, ac de Diebus feſtivis.

LVIII. Si autem ſermo ſit de Patrono Civitatis, eadem quoque limitatio profecto adhibenda venit, & inſuper, ut id ſolum procedat pro Populo, & Clero dictorum locorum, qui principalem proprium non habent Patronum; in locis enim proprio, & particulari gaudentibus Protectore principali, nihil de Patrono Civitatis juxta Decretum hujus Capitis ſextum.

LIX. Quia vero e contra Diœceſis cuncta, licet extra confinia Regni, vel Civitatis poſita quoad obſervationem feſtorum, & Divini officii recitationem ſequi debet Sedem Epiſcopalem, cui ſubjicitur, ut ſtabilitum dilucide obſervabimus in memoratis duobus Capitibus: Idcirco Populo dictæ Diœceſis Concilio generali, in quo electio dictorum Patronorum fieri debet, æquum eſt, datum ſit poſſe intereſſe, maxime cum Civitatis appellatione in ſpiritualibus, & favorabilibus etiam veniat ejuſdem Diœceſis juxta Ferretum *conſ.* 232. *numer.* 5. & Bart. *in l.* 2. *col. fin. de verb. ſignif.*, & alios. Limita hoc tamen, dummodo Diœceſis non habeat Patronum proprium, quia in eo caſu in Diœceſi nihil fit de Patrono Civitatis juxta idem Decretum VI. hujus Capitis. Ratio autem omnium horum eſt, quia tunc Patronus electus cunctos præfatos tangit, ac ut ſupra obligare debet, ac per conſequens etiam ad ejuſdem electionem cuncti debent concurrere.

LX. Statutum eſt 4., quod *accedere debeat conſenſus Epiſcopi Civitatis pro validitate electionis Patroni Civitatis, & cunctarum Civitatum Provinciæ pro legitimitate electionis Patroni Regni*. Conſenſus Epiſcoporum adeo ex mente Sacræ Rituum Congregationis expoſcitur, ut facta cum omnibus requiſitis in quodam Oppido Belgii electione Sancti Franciſci Xaverii in Patronum, accedente etiam auctoritate Vicariorum Capitularium Audomarenſis, & Hyprenſis, quorum juriſdictionis Oppidum ſubjectum erat, eadem Sacra Congregatio noluerit approbare, & confirmare electionem, quamvis de juriſdictione Vicariorum Capitularium, Sede Epiſcopali vacante, non dubitaverit, ſed reſponderit die 4. Decembris 1682. *Expectandam eſſe electionem Epiſcoporum, de quorum ſubinde conſenſu doceretur*; Patroni enim electio referenda eſt inter res ſpirituales, & ideo æquum haud eſt, quod conſenſum Epiſcopi, qui regimen ibi circa ſpiritualia primarium habet, ſubterfugiat.

LXI. Statutum eſt 5., ut *intercedere etiam debeat conſenſus Cleri* reſpectivæ Civitatis, vel cunctarum Civitatum Provinciæ juxta electionem faciendam. Electiones in Patronos fiebant olim a Deputatis Civitatum, nullo requiſito conſenſu Epiſcopi, & Cleri; unde in Inſtrumento electionis in Patronum tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Avellini facta a Deputatis Civitatis Neapolitanæ mentio quidem fit licentiæ obtentæ a Vicario Generali Cardinalis Decii Caraffæ tunc Archiepiſcopi Neapolitani, ſed cum clauſula, *Ad majorem cautelam*, nec ullum habetur verbum de conſenſu Cleri. Per præſens autem Decretum apprime bene etiam neceſſitas conſenſus Cleri inducitur; Omnia enim ſuperius adducta, quæ electionis præfatæ per Populum faciendæ congruentiam demonſtrant, cum æque procedant pro Clero, etiam hujus conſenſum neceſſarium expoſtulant, & eo vel maxime, quod dicta electio inter res ſpirituales refertur, & ulterius Clerus Patroni feſtum debet cum officio, & Miſſa excolere.

LXII. Dubium autem inſurgit, num neceſſe ſit, conſenſus etiam Cleri Regularis interveniat, an vero ſufficiat conſenſus Cleri Sæcularis? Et reſpondet Eminentiſſ. Lambertini, nunc Benedictus Papa XIV. *lib.* 4. *de Canoniz. part.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. ex praxi introductum eſſe, ut intercedere debeat etiam conſenſus Cleri Regularis.

LXIII. Nos vero Cleri Regularis, non minus quam Sæcularis conſenſum neceſſarium eſſe arbitramur, quia enim Clerus,

& Populus ſunt duo diſtincta Communia, ex quibus Civitas; vel Regnum conſtituitur; ultra conſenſum Populi etiam exigitur conſenſus Cleri, ne unius votum, vel lex alterum obliget, cum igitur & Clerus in duo findatur genera, Sæcularem ſcilicet, & Regularem, & hic non minus ſit locorum nobilis portio, & a Cleri Sæcularis juriſdictione plene exemptus, quinimmo & ab Ordinarii poteſtate, cui ſubjicitur Clerus Sæcularis, non eſt, cur eadem de cauſa etiam conſenſus Cleri Regularis accedere non debeat, quinimmo potiori jure, quia loco conſenſus Cleri Sæcularis ſupplere quodammodo poſſet conſenſus Epiſcopi, cui ipſe eſt plene ſubjectus, non autem loco conſenſus Cleri Regularis, cum hic quamcumque ad Ordinarium loci ſubjectionem reſpuat.

LXIV. Clerus ſimiliter Regularis tenetur diem agere feſtivam, & recitare officium de principali Patrono loci, & ex quadam convenientia recitat ut plurimum officium, & celebrat Miſſam de Sanctis etiam electis in Patronos minus principales; quidni igitur & hujus conſenſus non minus, ac ille Cleri Sæcularis exigetur?

LXV. Deinde Decretum expoſcit conſenſum *Cleri* ſimpliciter, & abſolute; *Cleri* autem nomine etiam Clerum Regularem venire denominatio ipſa Sole clarius denotat; & maxime in materia indifferenti, & favorabili, & etiam ipſos tangente, ut bene ex communi Doctorum ſenſu docet Barboſa *de Appell. verb. appell.* 51.

LXVI. Quæ vero ſuperius dicta ſunt de Populo quoad conſenſum media electione præſtandum, ut electio memorata ſubſiſtat, itidem de Clero procedere arbitramur, ita quod ſufficiat conſenſus majoris partis ejuſdem ex illis, qui intervenere, dummodo cunctis indiſcriminatim datum ſit intervenire, nec ſat ſit conſenſus, licet communis Cleri nobilioris, vel ſanioris, quoniam conſenſus Cleri abſolute per Decretum exigitur. Si tamen Decreti verba ſevere attendantur, non videtur neceſſarium, quod Cleri conſenſus per ſecreta ſuffragia capiatur, quoniam ipſum conſenſus Cleri acceſſionem dumtaxat expoſtulat; accedere autem poteſt dicti Cleri conſenſus, licet non per ſecreta ſuffragia capiatur. Per hæc tamen ſuffragia capiendum eſſe proculdubio, eadem, quæ de Populo dicta eſt, expoſcit ratio, ut ſcilicet conſentientium libertas ſit uſquequaque illæſa.

LXVII. Conſenſus Populi, Epiſcopi, & Cleri copulative a Decreto patet exactus, & ideo alterius dumtaxat diſſenſus factam electionem irritat, & quia ab Epiſcopo diſtincte conſenſus exhiberi debet non poteſt Epiſcopus in conſilio Cleri votum habere, Quoniam vero conſenſus Cleri Sæcularis, & Regularis diſtincte haudquaquam neceſſitas ad validitatem electionis per Decretum indicitur, ſed Cleri abſolute, legitima tranſiret electio, altero licet refragante, dummodo major Cleri pars conſenſum præberet, Clerus itaque Sæcularis, & Regularis in caſu dictæ electionis faciendæ debet una convenire, & ſtante pluralitate votorum ſtabit electio; ſin autem, decidet. In dictum conſilium debet cunctis, etiam de Clero Regulari, indifferenter aditus patere, & non tantum eorumdem Prælatis, cum quilibet particularis de Clero Regulari non minus Cleri appellatione veniat, & in cunctos non minus præfata debeat obligatio derivare; nec Cleri Sæcularis arbitrio datum ſit aliquem de Clero Regulari favore illo ſpoliare, quem & Sanctio ipſa, atque identitatis ratio eidem concedunt. Non dubitamus tamen, quod adhuc legitima foret electio, etſi Cleri Regularis Prælati tantummodo intercederent, nec ceteris conceſſum foret intereſſe, dummodo id vetitum ipſis veniret per ejuſdem Prælatos, qui totum Commune repræſentant, atque in ſpiritualibus obligare poſſunt, ſicuti inferius dicetur.

LXVIII. Quemadmodum autem electio per Populum fieri valet mediis Repræſentantibus Regnum, Deputatis Provinciarum, aut Officialibus Civitatum, dummodo hi ad id habeant ſpeciale mandatum, ita & a Clero per quemcumque ſibi bene viſum conſenſus præſtari poterit, dummodo eidem dictum ſpeciale mandatum fecerit. Proportione quoque ſervata, quæ ſuperius dicta ſunt de Populo relate ad electionem Patronorum, applicari etiam debent ad Epiſcopum, & Clerum relate ad conſenſum præſtandum in dicta electione.

LXIX. Statutum eſt 6., quod *cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari*. Cujus conditionis, ait Gavantus, ea ratio eſt, quia *ſæpenumero ſine cauſa, arbitrio Principum, vel arte aliorum minus legitime extorquentur vota Conſiliariorum, & Epiſcoporum. Romæ vero cenſura eſt liberior, & ob auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſecurior, & ſanctior*.

LXX. Hujuſmodi rationi haudquaquam nos refragamur, ſed adhuc liceat ſuper hocce ſtatutum aliquas facere ponderationes, ac adjectiones. In primis itaque dicitur *Novorum* Patronorum, per quod datur intelligi id, quod in principio hujus Decreti vi verbi illius *In poſterum* ponderabamus, videlicet Patronos præcedenter ad Datam præſentis Decreti electos, in valido ſtatu eſſe, tametſi forma ab eodem præſcripta minime obſervata extiterit, ac conſequenter de præfatis Patronis non eſſe ulterius inquirendum, ſed in ſua poſſeſſione eſſe manutenendos, qualiter & videbimus deciſum in ſequenti Decreto, ubi ſuper hoc ſpecialis habebitur ſermo. Comprehendit itaque Decretum ſolummodo *Novos* Patronos, ſeu quorum electio poſt datam præſentis Decreti contigit, aut ſi prius, non fuit recepta. Videatur ſequens Decretum.

LXXI. 2. Indicatur nobis per verba illa *Cauſæ electionis*, quod ad faciendam Patronorum electionem debet Populus *cauſas* habere, nec eidem licet ex animi levitate potius, quam cauſa aliqua ad Patronorum electionem devenire, inſtabilis enim, ac nimis inconſtans, atque volubilis Populus exiſtit, & ideo nonnumquam poſſet nimis levibus cauſis inniti, & priori Patrono principali cum abſurditate derelicto, alterius principalis ſibi proviſionem facere, & ex minus principalibus adeo multos adjicere, ut præexiſtentibus præjudicium inferatur, & ob Patronorum copiam eorumdem cultus vileſcat potius, atque decreſcat, quam augmentum capiat. Hac itaque de cauſa ſtatutum fuit, quod *cauſæ electionis debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, & novviſſ cauſa cognita*, valida ſcilicet, ac ſufficienti, *ab eadem Congregatione approbari, & confirmari*.

LXXII. 3. In Patronorum electione naſcuntur perſæpe, uti experientia compertum eſt, in Populo perturbationes plurimæ, ſcandala ac lites, quæ non ita facile ſedantur, atque tolluntur, & per potentiorem partem, quæ quandoque minor numero eſt, in Patronos intruduntur aliqui, qui Communitati pro Patronis minus arrident, ac attenta votorum pluralitate nullatenus ſunt electi. Contingunt etiam non ſemel alii defectus, ob quos electio ipſo jure nulla eſt, ac irrita, ac quandoque, ut electio capta maneat, furtive fit, ac debitis non præmiſſis Populi citationibus, ac monitionibus, aut cum præventione horæ pro electione ſtatutæ, ac publicatæ, unde aliqui contempti remanent. Ut igitur quilibet de contemptu agere poſſit, ac ſuper defectibus querelam facere, ac ad qualſcumque contentiones tollendas, atque ſedandas, electionis factæ approbationem, ac confirmationem ſibi reſervavit Sacra Congregatio, ne iiſdem incommodis, ad quæ tollenda præſens diſpoſitio unice facta eſt, hæc adhuc ſubjiceretur, & ut qui pro communi Protectore electus eſt, communibus etiam votis reciperetur.

LXXIII. Cum itaque Civitas Neapolitana Patroni eſſet ſufficienter proviſa, cum pluſquam novem Sanctorum patrocinio gaudeat, ac in Patronorum electionibus in Populo perturbationes fierent, ac contentiones Sacrorum Rituum Congregatio die 22. Auguſti 1699. ſtatuit, non eſſe amplius admittendas inſtantias dictæ Civitatis pro approbatione electionis Sanctorum in Patronos; & die 12. Septembris 1716., cum peteretur confirmatio electionis Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Patronum minus principalem ejuſdem Civitatis Neapolitanæ, hujus inſtantias rejecit, atque, non admittendas eſſe exiſtimavit. A Carolo *item* II. Hiſpaniarum Rege cum ſuorum Regnorum in Patronum pro peculiari ſua devotione S. Joſeph electus eſſet, ac hujuſmodi electio ab Innocentio XI. ſub die 19. Aprilis 1679. confirmata fuiſſet, adhuc ſuborta controverſia ſuper Brevi hujuſce Pontificis, a Sacrorum Rituum Congregatione Reſponſum prodiit. *Dictum Breve non ſuffragari, attenta inobſervantia Decretorum ipſius Sacræ Congregationis*, eo quod ſcilicet præfatus S. Joſeph a Populo dictorum Regnorum, ac cum eorumdem conſenſu Epiſcoporum, & Cleri electus non fuerat, prout præſens mandat Decretum. Hinc Lector duo colligat, quam ſcilicet Sacræ Congregationis cordi ſit hujuſce obſervantia Decreti, & quam merito ob ſuperius dicta, & ad omnes controverſias eliminandas, reſervatio confirmationis electionis Sanctorum in Patronos ſibi facta fuerit.

LXXIV. Ponderandum poſtremo remanet; quod facta Sancti alicujus in Patronum electione, etiam rite, & recte, ac cum omnimoda hujuſce obſervantia Sanctionis, non continuo licet de Patrono electo juxta Rubricas divinum officium facere, nec ejuſdem, ſi Patronus principalis ſit, diem feſtivam ex præcepto agere, ſed ad hæc omnia præſtanda expectandam eſſe confirmationem Sacræ Congregationis, quæ uſquedum non habetur, Sanctus in Patronum electus, Patronorum prærogativis nullatenus gaudet, nec Patronus cenſendus eſt, perinde ac ſi minime electus fuiſſet.

LXXV. Statutum eſt ultimo, quod *ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit allegari, ſupradictum Decretum imprimatur, & publicetur*. In hujuſmodi autem ſtatuto tantummodo vult Sacra eadem Congregatio, quod a ſe factum Decretum typis mandetur, ac publicetur, ut ad cunctorum notitiam deveniat, & apud omnes inviolabilem obſervantiam ſortiatur, & ne inpoſterum, ad quod unice reſpicit dictum Decretum, ejuſdem Decreti ignorantia *ullo unquam tempore* poſſit allegari pro retentione Patronorum, qui aliter, quam hic ſtatutum eſt, poſſent eſſe electi, ac vi conſuetudinis, quæ tamquam reprobata in nihilo ſuffragatur, in prærogativarum Patronis debitarum poſſeſſione pacifica.

LXXVI. Hæc eligendi Sanctos in Patronos Civitatum, atque Regnorum forma præſcripta, ſervari quoque debet proportione ſervata in quibuſcumque Oppidis, Locis, vel Pagis, & a quibuſcumque Patronorum electionem fieri contingeт, eſt ſiquidem titulus Decreti abſolute *ſuper electione Sanctorum in Patronos*: & licet ſpecialiter de Patronis Civitatum, & Regnorum in corpore ejuſdem ſermo reperiatur inſtitutus, hoc ideo dumtaxat factum eſt, quia de iiſdem regulariter tantummodo accidit fieri electionem. Ceterum & in corpore quidem eamdem formam ſervandam eſſe in electione alio-

rum

rum Patronorum, qui nec Civitatum, nec Regnorum ſunt,
non ſemel indicat; hac enim de cauſa dum in ſecundo ſtatuto
ageret de electione Patroni Civitatis, aſſeruit faciendum illum
eſſe a Populo, mediante Conſilio generali illius Civitatis, *vel*
loci, quæ particula *loci* poni non debuiſſet, ſi indicare non
voluiſſet, quod Patronus Civitatis a Populo Civitatis, &
Patronus alterius loci, qui Civitas non eſt, a Populo ejuſdem
loci fieri debet; ſufficienter enim per ea verba *mediante Con-*
ſilio generali illius Civitatis fuerat indicatum, quod Patronus
Civitatis a Populo Civitatis eſt eligendus, nec ea verba *vel*
loci erant addenda.

LXXVII. Quæ dicta ſint, niſi mavis dicta verba ſub dis-
junctione poſita ita intelligere, ut ſi Patronus Civitatis ſit iti-
dem Patronus Territorii, vel Diœceſis, in Conſilium, in quo
dicta ſit electio, cunctis de Territorio, & Diœceſis indifferen-
ter pateat ingreſſus, ſi autem ſit futurus Patronus ſolus Civi-
tatis, eo quod Territorium, vel Diœceſis ſuum Patronum ha-
beant, ſolummodo iis de Civitate integrum ſit in dictum Con-
ſilium intervenire. Quæ expoſitio conſonat iis, quæ nos ſupe-
rius dedimus.

LXXVIII. Indicant id pariter verba illa, *& quod Repræ-*
ſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat
facultas eligendi Patronos, per quæ videtur dari intelligi, præ-
ſcriptam formam etiam eſſe ſervandam in electione Patrono-
rum Provinciæ. Verum id exponi poteſt, & quod ibidem ſta-
tuatur, quod Repræſentantibus Provinciam nulla competat fa-
cultas eligendi Patronos Regni, de quibus antea locutum fue-
rat Decretum, atque ſtatuerat, quod eligi debent a Populo
cunctarum Civitatum Provinciæ.

LXXIX. Melius itaque id probatum venit, ut ſupra aſſere-
bamus, ex titulo generali, ac ſimpliciter prolato, quem ha-
bet Decretum, *Super electione Sanctorum in Patronos*, ex quo
evidens fit, præfatæ Congregationis mentem eſſe, generalem
diſpoſitionem in Patronorum quorumcumque electione ſervan-
dam facere; in corpore autem Decreti, dum tantummodo Pa-
tronorum Civitatum, & Regnorum mentionem habet, in Pa-
tronis, qui regulariter, fiunt, exemplum ponit, ut inde digno-
ſcatur, ac generalis exurgat regula, tenenda in ceterorum Pa-
tronorum electionibus, quæ non ita frequentes ſunt, atque
vulgares.

LXXX. Generalem itidem reddit præſentem diſpoſitionem
ratio, ob quam diximus eamdem eſſe factam, quæ cum in ce-
teris etiam Patronorum electionibus indubie militet, & pro iis
latam eſſe oſtendit. Confirmat id pariter Eccleſiarum praxis,
ac Auctorum ſenſus, quocirca de ejuſdem univerſalitata nulla-
tenus eſt dubitandum.

LXXXI. Conſenſum Epiſcopi loci, in quo fit electio, ad
hujus validitatem neceſſarium eſſe vidimus, quapropter ſi Pa-
tronorum electionem in Oppidis, Pagis, aut locis, in quibus
non reſidet Epiſcopus, fieri eveniat, ille Epiſcopus conſenſum
præbebit, qui in ſpiritualibus ea loca regit, tametſi in tem-
poralibus ſubjiciantur alicui alteri Civitati, quæ ab alio re-
gitur Epiſcopo; electio enim Patronorum inter res ſpiritua-
les referenda eſt, ac conſequenter ab eo, qui dictorum loco-
rum ſpirituale habet regimen, conſenſus peti, ac præſtari de-
bet. At quid faciendum erit, ſi inibi nullus regat Epiſcopus?
Conſenſum præbebit, qui primariam, ac ordinariam juriſdi-
ctionem inibi tenet, qui propterea locum Epiſcopi occupat, &
tamquam Epiſcopus illius loci cenſetur.

LXXXII. Si autem Epiſcopalis Sedes vacans eſt, ſufficiet
conſenſus Vicarii Capitularis, qui loco Epiſcopi in juriſdictio-
ne ſuccedit, nec opus erit expectare Epiſcopi electionem pro
conſenſu habendo. Nec officit ſuperius adductum exemplum,
in quo rite facta S. Franciſci Xaverii electione in Patronum,
ac habito conſenſu Vicariorum Capitularium, a Sacra Con-
gregatione reſponſum extitit, *expectandam eſſe electionem E-*
piſcoporum, de quorum ſubinde conſenſu doceretur; non enim,
ut ſuperius dicebamus, hoc factum fuit, quia de Vicariorum
Capitularium juriſdictione Sacra Rituum Congregatio dubita-
ret, ſed ad denotandam reverentiam, quam Epiſcopis eligendis
conveniens erat adhiberi in negotio, quod non adeo urgebat,
ac dilationem in ſui expeditione optime pati poterat.

LXXXIII. Contingit aliquando in Civitate, vel Oppidis,
aut locis, in quibus Patroni fit electio, duos juriſdictionem
habere Epiſcopos, & tunc certum eſt, ab ambobus debere con-
ſenſum exquiri, atque requiri. Hoc ex mox adducto exemplo
patet, in quo duorum Vicariorum Capitularium, ſcilicet Au-
domarenſis, & Hyprenſis, quorum juriſdictioni illud Oppidum,
quod in Patronum S. Franciſcum elegerat, ſubjectum erat,
conſenſus exquiſitus fuit, & Sacra Congregatio reſpondit, *Ex-*
pectandam eſſe electionem Epiſcoporum, de quorum ſubinde con-
ſenſu doceretur, non unius ſcilicet dumtaxat, ſed amborum,
per quod amborum conſenſum neceſſarium eſſe indicatur. Hu-
juſmodi autem Patroni ſunt Patroni Patriæ, & ideo ad eorum-
dem electionem debet itidem Populus totius Patriæ, vel loci
convenire, quantumvis diverſis ſit Epiſcopis ſubjectus. Idem
dicito de conſenſu Cleri.

LXXXIV. Supereſt modo nonnulla dicamus de electionibus
Patronorum totius alicujus Regularis Ordinis, vel Provinciæ
Regularis, quæ nonnumquam apud Regulares fiunt; & in his
etiam præſentem Sacræ Congregationis diſpoſitionem ſervandam
eſſe arbitramur, ita tamen ut in hujuſmodi electionibus ſuffi-
ciens ſit, quod Patroni eligantur a Deffinitorio, vel ab iis ſi-
mul congregatis, qui totum Commune repræſentant, atque ob-

ligare queunt, nec neceſſe ſit, quod ceteri, qui vigore voti obe-
dientiæ ſuam voluntatem in Superioribus integre repoſuerunt,
per ſua vota, aut conſenſum concurrant. Loco autem Epiſco-
pi Prior Generalis Ordinis conſenſum præſtabit. Hoc modo
Ordo Minimorum elegit in ſui Patronum Sanctum Michaelem
Archangelum, quem Sanctus Franciſcus de Paula ejus Inſti-
tuor habuerat pro ſuo primario Patrono, & ejus electio con-
firmata fuit a Summo Pontifice Clemente X. die 16. Auguſti
1670.

LXXXV. Quoniam vero accepimus nonnullis in locis adhuc
quandoque non ſervata forma per præſens Decretum ſtatuta,
Sanctos aliquos in Patronos aſſumi, ea monita volumus, quod
Sancti ita electi ex devotione quidem tamquam Patroni venera-
ri poterunt, & eorumdem dies tamquam feſtiva celebrari, ac
cum pompa exteriori, ac extrinſeca ſolemnitate coli; nihil e-
nim hujuſmodi fieri per præſentem Sanctionem vetitum eſt, ſed
quilibet ſuæ devotioni poteſt, prout magis placuerit, indulge-
re, & in ea erga Sanctos quoslibet abundare. Patroni tamen
ſic electi, non erunt vere Patroni in Rubricarum, ac Decre-
torum ſenſu, ac per conſequens nullatenus licitum erit illas
prærogativas, quæ juxta Romanas Rubricas, ac Sacrarum Con-
gregationum, ac Summorum Pontificum Decreta Patronis debi-
tæ ſunt, iiſdem adhibere. Non poterit itaque de hujuſmodi
Patronis ita electis officium divinum inſtitui, nec eorumdem
dies, licet in Patronos principales aſſumpti ſint, ex præcepto
Eccleſiæ erit feſtiva, nec de iiſdem commemorationem inter
ſuffragia Sanctorum integrum erit adjicere, nec quæcumque a-
lia, ſi quæ ſunt, ſimilia peragere, ſed ab hujuſmodi penitus
temperandum erit, perinde ac ſi minime tamquam Patroni ha-
berentur. Quod autem diximus de officio Divino de præfatis
Patronis recitari inhibito, intelligendum eſt de Officio Divino,
quod ſit ſatisfactorium præcepti horarum canonicarum; ſi enim
quis perſoluto juxta Rubricas curranti penſo, vellet ex pro-
pria devotione etiam de præfatis Patronis aliud officium re-
citare, hoc facere haudquaquam inhibetur, eſt ſiquidem hujuſ-
modi opus laudandum magis, quam damnandum, nec Sacra
Congregatio per præſens Decretum opera ſupererogatoria impe-
dire intendit. Fallor utique tamen, ſi quis ex Clero hujuſmo-
di afficiatur devotione.

LXXXVI. Neque ex devotione tamen de dictis Patronis
Commemorationibus communibus Sanctorum, ſeu Suffragiis in-
tra divinum officium dici ſolitis addi poſſet, uti nec divino
officio, commemoratio, eſt ſiquidem ſevere inhibita quæcum-
que additio, vel appoſitio inter ea, quæ integrant officia cu-
juſvis diei, per Decretum S. R. C. 10. Junii 1690., de quo
in Cap. de Additione Breviario fieri vetita. Extra autem di-
vinum officium quilibet pro ſuo arbitrio de iiſdem comme-
morationem facere poterit.

LXXXVII. Etſi autem nec officium divinum, nec comme-
moratio aliqua ut ſupra de dictis Patronis fieri valeat, Miſ-
ſam tamen votivam de iiſdem dici nullatenus inhibitum eſt,
dummodo dies, in quibus eorumdem natalitia recurrunt, juxta
Rubricas, atque Decreta Miſſas votivas non reſpuant; qui-
nimmo & inter Miſſam diei currentis de iiſdem commemora-
tio fieri poteſt iis diebus in quibus id fieri non vetat magna
feſti alicujus ſolemnitas; hujuſmodi enim fieri nuſquam veti-
tum eſſe agnovimus, quinimmo diſerte permiſſum, cum quali-
bet die juxta propriam devotionem poſſit quilibet Miſſam vo-
tivam, vel commemorationem intra Miſſam currentem de San-
cto ſibi bene viſo facere, dummodo non ſit ex diebus, quæ
Miſſas votivas, & dictas commemorationes intra currentem
Miſſam abnuunt. Falleret hoc tamen, ſi Servus Dei, qui in
Patronum eſſet ut ſupra aſſumptus, eſſet ſolummodo beatifica-
tus, & nullo modo canonizatus, ſiquidem de Beatis Miſſas,
ac publicas preces fieri, per plura Decreta prohibitum eſt,
niſi in iis locis, & ab iis ſolummodo perſonis, quibus Sedes
Apoſtolica ſpecialiter indulſit.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XXXI.

Uſus ſemel introductus, & receptus in Eccleſia Cathedrali ce-
lebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Sancto tanquam de
Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Patronis
Eccleſiæ, vel in Breviario Romano de eo non fiat officium,
S. R. C. 15. Martii 1608. *in Sempronen.* Ex Merato in
Indice Decretor. Brev. num. 32.

I. PAtronus loci proprie, & preſſe dictus, prout impræſen-
tiarum ſumitur, juxta Gavantum *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.*
1., ille eſt, quem Epiſcopus cum Populo eligit ob rationes
quas ipſemet ibidem inſinuat, juxta Guyetum vero *lib.* 1. *cap.*
7. *quæſt.* 1. qui ſive perpetuo uſu, ac traditione a Majoribus
accepta, ſive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum
Interceſſor, propriuſque ſuffragator, ab univerſo loci illius
Clero, & Populo colitur, & obſervatur. In eo autem dum-
taxat diſcrepant hi duo percelebres Auctores, quod ubi Gavan-
tus ſola electione aliquem e Sanctis in Patronum recenſeri aſ-
ſerit, Guyetus traditionem, uſumque immemorabilem adjicit,
quia antiquitus Patroni locorum magis ex uſu, & traditione
colebantur ut tales, quam ex electione, ſive is uſus primum e-
lectione aliqua inductus fuerit, ſive aliqua alia ratione, pu-
ta unius, vel alterius arbitrio, aut tacito plurium conſenſu,
ſeu ſecreta quadam Dei inſpiratione, prout fuſius declarat
quæſt. 9.

II. Por-

II. Porro utrique deferenda eſt ratio, ſed Guyeto potior; etſi enim poſt latum Decretum 23. Martii 1630. Patroni locorum ſola electione valide, ac legitime fiant, negari tamen haudquaquam valeat, quod antiquitus etiam per ſolum uſum inducebantur, qui uſus per præſens utique Decretum indicatur, ac approbatur, dum *uſus ſemel introductus, atque receptus in Eccleſia Cathedrali celebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Sancto, tamquam de Patrono, continuandus indicitur*. Nec hujuſmodi uſus per memoratum Decretum 23. Martii 1630. reprobatus manet, ſed potius confirmatus, ac approbatus; dum enim ſtatuit, *Patronos ſola electione eſſe faciendos*, adjicit clauſulas illas *In poſterum*, & *Novos Patronos*, per quas, ut in ejuſdem expoſitione ponderabamus; aperte denotatur, præfati Decreti diſpoſitionem vim ſolum habere ab eo die, quo ipſum latum eſt, adeoque quibus in locis certi jampridem, ac determinati habentur Patroni, nihil prorſus eſſe innovandum, quemadmodum fere ubique reipſa nihil innovatum extitit, ſed qui habebantur Patroni, licet ſolo uſu, vel traditione, & non media electione inducti, adhuc ut tales excolantur, ac obſerventur. Cum itaque Patronis univerſim definitio per Gavantum tradita minime quadret, ſed ſolummodo iis, qui poſt dictum Decretum 23. Martii 1630. instituti fuerunt, deferenda profecto venit, eaque Guyeti amplectenda, quæ cunctis Patronis indiſcriminatim competit.

III. Ut autem eorum, quæ modo dicebamus, plenam teneat Lector notitiam, atque inſimul diſertam habeat Decretorum præſentis, & præcedentis conciliationem, unicum ſufficit figat obtutum ad eorumdem Datam Decretorum; præſens enim emanatum dignoſcitur ſub die 15. Martii 1608., & Patronos probat ſola conſuetudine inductos, atque receptos, præcedens vero prodiit ſub die 23. Martii 1630., adeoque poſterius eſt illo annis circiter vigintiduobus, & reprobat Patronos ſolo uſu induci, præſcribitque ſola electione eſſe faciendos, ita tamen ut ſolum in poſterum reſpiciat, non autem in præteritum, adeoque Patronos illos, qui præcedenter per uſum fuerunt inducti, in ſua poſſeſſione relinquit, atque confirmat. Non ſunt igitur hujuſmodi Decreta contraria, ſed ſolummodo poſterius qualificat, ac limitat prius editum, ita quod hoc ſolum habeat locum in Patronis per conſuetudinem inductis ante diem editionis illius, ſcilicet ante diem 23. Martii 1630., non autem poſt editionem ejuſdem Decreti, per quod ſtatutum eſt validis de cauſis, quas ſuperius tradidimus, *in poſterum Patronos ſola electione eſſe faciendos*, atque declaratum *quod aliter facta electio nulla eſt ipſo jure*. Ut itaque continuetur celebratio feſti de aliquo, tamquam de Patrono, per uſum inducta, atque recepta, debet eſſe introducta, atque recepta ante memoratam diem 23. Martii 1630.

IV. *Accidit ab aliquibus*, ſunt verba Guyeti lib. 1. cap. 13. quæſt. 6., *qui Breviario Romano adſtricti ſunt, induci in uſum feſta, ſeu officia nonnulla contra jus, hoc eſt contra quod Rubricis præſcribitur; ac deinde poſtquam per aliquot annos ab iis ita factitatum fuit, cauſantibus cautum id eſſe Rubricis, ne ſic fiat, audacter ipſi conſuetudinis clypeum prætendunt, eoque ſe ab omni obtrectatione tutos ſatis eſſe putant. Qua vero inducti ratione dicant, ſi habent. Ego contra ipſos firmiter pronuncio, conſuetudinem iſtam nec eſſe rationabilem, nec poſſe præſcribi; quæ duæ ſunt conditiones requiſitæ ab omnibus tam canonicis, quam civilis Juris Doctoribus, ad hoc ut conſuetudo aliqua valeat contra legem, & habetur* Cap. ultimo de conſuetudine.

V. Hæc eadem ego pronuncio contra eos, qui continuationem Feſti de aliquo Sancto, tamquam de Patrono, poſt diem 23. Martii 1630. introductam, atque receptam, vi conſuetudinis proſequi poſſe contenderent. Hujuſmodi etenim conſuetudo non eſt rationabilis, tum quia eſt contra legem expreſſe ipſam damnantem, receptam, & uſitatam, cui contravenire, ſaltem neſciente, vel reſiſtente Superiore, uti vere reſiſtit, peccati damnant Sylveſter *verbo conſuetudo num.* 12., Azorius *lib.* 5. *cap.* 18. *quæſt.* 8., & alii Doctores communiter, videlicet eſt contra memoratum Decretum 23. Martii 1630. editum, ac ab Urbano VIII., pluribuſque aliis Summis Pontificibus confirmatum. Tum quia licet excuſetur a peccato, non tamen fundatur in ulla juſta ratione; devotio enim, vel quodlibet aliud, quod afferri poteſt, ſuperſtitio magis dici debet, aut proprii judicii præſumptio, quam juſta ratio diſcedendi a tam expreſſo mandato Sacræ Congregationis, ac Summorum Pontificum.

VI. Quod autem non ſit præſcripta, ſeu quaſi præſcripta, et eo evincitur, quod omnis omnino conſuetudo contraria per dictum Decretum manet extincta, dum formam eligendi Patronos *in poſterum* ſtatuit, & inſuper declarat, quod *aliter facta electio nulla eſt ipſo jure*; conſuetudo enim ſemel lege reprobata, non poteſt amplius induci, ut poſt Panormitanum ait Sylveſter *loco cit. num.* 10., & inferius a nobis dicetur, agentibus de Feſtis ex conſuetudine; in nihilo igitur conſuetudo ſuffragari valet, quæ in caſu prætendi poſſet inducta, recepta, atque præſcripta.

VII. Non ſic tamen eſt, quemadmodum ſuperius dicebamus, de continuatione Feſti de aliquo Sancto, tamquam de Patrono, quæ inducta eſſet, atque recepta ante prædictam diem 23. Martii 1630., uti præſens diſponit Decretum: tunc enim vetitum haudquaquam erat Feſta de Patronis per uſum induci, immo taliter ejuſdem temporis diſciplina ferebat, ideo etiamnum continuari proculdubio poterit, cum nec poſtmodum, videlicet per Decretum 23. Martii 1630., quod ſolum pro poſtero tempore diſponit, & Patronorum celebrationes qualitercumque præcedenter factas haudquaquam irritat, ſed probat, unquam reprobata fuerit, aut damnata.

VIII. Fateor, quod prima fronte nonnihil difficultatis quidem ingerit, dum Decretum exigit, quod *uſus præfatus ſit ſolum ſemel introductus, atque receptus, ut continuari valeat*, neque expoſtulat, quod debeat eſſe præſcriptus. Hæc difficultas profecto animadverſionem illorum, qui dubium in Sacra Congregatione propoſuerunt, ſubterfugere non valuit, quæſiverunt ſiquidem, *num dictum Feſtum de Sancto tamquam de Patrono continuandum foret, licet non eſſet de antiquis Patronis Eccleſiæ*. Verum præfata facile penitus evaneſcit difficultas; Patronos enim per conſuetudinem induci, ac conſequenter conſuetudo celebrandi feſtum de aliquo tanquam Patrono, tunc temporis non erat contra legem, cum lex id prohibens nondum condita foret, quinimmo erat juxta illorum temporum diſciplinam, licet poſtmodum ob rationes in præcedenti Decreto allegatas pro futuris temporibus id fuerit inhibitum; conſuetudo autem, quæ non eſt contra legem, præſcriptione non indiget, ut docet Azorius *lib.* 5. *cap.* 17. *quæſt.* 9. & Felinus *cap.* 1. *de Tregua, & Pace, & alibi*, quia videlicet lex non exiſtit, contra quam ſit opus præſcriptione. Nam quod jure canonico requiritur ſpatium 40. annorum, & decem jure civili, ad hoc ut conſuedo valeat, intelligendum eſt ad abrogandam legem contrariam, non autem ad hoc ut conſuetudo in uſum inducatur, & inducta currat, adhuc poſt legem, ſi lex inducta jam conſuetudine ſuperveniens eam minime abroget, cujuſmodi eſt Decretum 23. Martii 1630., quod ſolum, ut dicebamus, diſponit pro cetero, quid in Patronorum electione ſervandum ſit.

IX. Fit itaque, quod conſuetudo celebrandi feſtum de aliquo tamquam de Patrono, ante Decretum 23. Martii 1630. inducta, atque recepta, quantumvis præſcripta non fuerit, valida ſit, atque etiam nunc obſervari queat; conſuetudo autem cum talis non ſit, niſi ex uſu ipſo, & praxi actuum, antedictam Sanctionem 23. Martii 1630. talis uſus, & praxis actuum præcedere debuit, ut ex his cenſeri poſſit efformata. Quot vero præcedere debuerint, ſi quæras? Reſpondeo cum Sylveſtro *cit. num.* 9., & Azorio *loco eiidem laudato*, non ſufficere unum, aut duos, ſed tres ut minimum requiri, quia cum, ut dictum eſt, conſuetudo fiat ex actibus identidem repetitis, plures eſſe oportet, qualis non eſt unus, immo nec duo, niſi in quibuſdam caſibus a Silveſtro recenſitis; tres vero etſi ad præſcribendam conſuetudinem non ſufficiant, valent tamen ad inducendam, ut colligitur ex Cap. *Cum Eccleſia, De cauſa Poſſeſſ., & prop.* Tres igitur præceſſiſſe actus neceſſarium exiſtimamus, ut celebratio dicti Feſti de Sancto, tamquam de Patrono, juxta præſens Decretum continuari queat, quod ad id exigit, *ut uſus ſit introductus, atque receptus*; quocirca ſi tales non præceſſiſſent actus, a celebratione dicti Feſti temperandum eſſe arbitramur, hoc ipſo enim locum habet Decretum 23. Martii 1630., quod Patronos ſtabilit eſſe ſola electione faciendos, irritatque eorumdem electionem, quæ in poſterum aliter fieret; parcitque dumtaxat Patronis præcedenter juxta tunc temporis diſciplinam factis, quos in ſua poſſeſſione vult eſſe manutenendos; quapropter cum Patroni illi, quorum celebratio per unum, vel duos dumtaxat actus præceſſit dictum Decretum, præcedenter non fuerint legitime facti, cum ut dicebamus, ad inducendam conſuetudinem ad minus tres requirantur actus, & edito dicto Decreto inhibente ut ſupra actus, qui poni poſſet, & foret neceſſarius ad introductionem conſumatam dictæ conſuetudinis, non ſit amplius validus, utpote ab eodem Decreto reprobatus, hinc fit quod dicti Patroni præcedenter non fuerunt per conſuetudinem facti, nec ſubſequenter amplius ita fieri poſſunt, ſed ſola electione, ac per conſequens a celebratione Feſti de iiſdem tamquam Patronis eſt penitus abſtinendum, cum iiſdem deſit titulus ille, qui tale officium tueri poſſet, videlicet legitimus Patronatus.

IX. Dices, quod per dictum uſum ut ſupra introductum, atque receptum ſit additio officii Breviario Romano contra diſpoſitionem plurium Decretorum referendorum in Cap. de Feſtis ex conſuetudine, & de Additione Breviario fieri inhibita, ſolum approbantium officia ex conſuetudine, quæ radices uſque habent ante Bullam Pii V., & reprobantium, quæ poſt dictam Bullam forent invecta, licet centenaria, & immemorabili conſuetudine ſuffulta; cujuſmodi proculdubio ſunt officia inducta per uſum nondum præſcriptum antecedenter ad Decretum 23. Martii 1630.

X. ℞. Poſt Bullam Pianam inhiberi additionem quorumcumque officiorum, ſed cum clauſula, *Niſi ſint ex iis, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*, ut diſerte loquitur Decretum ejuſdem Congregationis 28. Apr. 1628. Cum itaque officia de Patronis principalibus, & minus principalibus ſint ex officiis a Rubricis Romanis, & a Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceſſis, idcirco eorumdem additio non eſt ex additionibus vetitis. Solum itaque videre ſupereſſet, num præfata officia Patronorum per uſum ut ſupra inducta, forent legitime invecta. At id jam ſuperius affirmative ſtabilitum extitit, eo quod eorum temporum ſic diſciplina ferebat, deinde correpta

qui-

Digitized by Google

quidem, ſed non abrogata quoad præteritum, ſed ſolum quoad futurum; quo de cauſa in Decreto inſerta fuere ea verba, *Licet in Breviario Romano de iis non fiat officium*, videlicet licet in Corpore Breviarii Romani nullibi reperiatur aſſignatum eorundem officium.

XI. Dices : Decretum, ut dicta Feſta de Patronis continuentur, exigit uſum; ergo titulus eorumdem ſubſiſtentiæ unice innititur conſuetudini, qua non ſtante corruunt, atque nutant.

XII. ℟. Exigere quidem conſuetudinem, quia non ſtante præfata officia ruerent, atque conciderent, ſed non tamquam titulum, ex quo firmitatem habeant, atque conſiſtentiam, ſed tamquam unam ex conditionibus tunc temporis requiſitis, ad habendum Patronatum, qui eſt titulus in Rubricis, atque Decretis ſolidum habens fundamentum, ac validus ad dicta officia tuenda, atque firmanda; quocirca cum præfata officia haud nitantur conſuetudini in ſua conſiſtentia, ſed hæc ſit ſolum conditio ad habendum titulum legitimum, unde illa depromunt ſuam firmitatem, ideo etſi prædicta conſuetudo antiquior non ſit Bulla Piana, adhuc valida eſt, ſeu magis Patronatus ea ſtante obtentus, ſufficiens eſt ad eadem officia tuenda, inſtar electionis, quæ modo eſt neceſſaria ad habendum Patronatum, qui ea ſuppoſita eſt titulus validus ad dicta officia firmanda, licet poſt Bullam Pianam tantummodo quoque introducantur.

XIII. Nedum exigit Decretum, quod præfatus uſus ſit introductus, ſed ulterius, quod ſit *receptus*, ut continuari valeat; hinc inquirendum venit, quod importet hujuſmodi requiſita receptio; & dicimus, quod ut uſus inductus valeat, non ſufficit, quod tres, vel quatuor ejuſdem actus interceſſerint, ſed ulterius exigitur, quod illi actus communiori conſenſu in uſum fuerint inducti; ſi enim media auctoritate Primicerii, vel ejus, ad quem ſpectat directio Chori, factitati illi eſſet reluctantibus ceteris, vel ſaltem majori eorumdem portione, haud validi forent ad ſuſtinendam continuationem celebrationis de Sancto tamquam de Patrono; numquam enim potuit, nec conveniens fuit, commiſſum eſſe unius, vel alterius arbitrio contra univerſaliorem diſſenſum communem Patronum eligere; ſed quæ Communitatem aliquam tangunt, cujuſmodi ſunt Patroni, vel a tota Communitate, vel ſaltem a majori ejuſdem parte debent approbari; ſat autem eſt quod approbentur vel formali, vel tacito conſenſu, quod in caſu noſtro eveniret, ſi dum inducitur ab aliquo uſus celebrandi de aliquo, tamquam de Patrono, ceteri de Collegio haudquaquam refragarentur; hoc ipſo enim cenſentur conſentire, & in electionem, quæ attentatur, Patroni ultro concurrere. In communiori ergo conſenſu tacito, vel expreſſo ſita eſt illa receptio, quam poſtulat Decretum, ut uſus præfatus ſemel inductus, continuari valeat.

XIV. De uſu introducto, atque recepto *in Eccleſia Cathedrali* proloquitur Sanctio, & ideo evidens fit, quod dictus uſus in Eccleſia eadem Cathedrali continuari debet, & eadem de cauſa in ceteris Diœceſis Eccleſiis continuandus venit, ſi præfatus uſus in Eccleſia Cathedrali introductus, atque receptus, ſenſim dilatatus in iiſdem foret, introductus, atque receptus. An autem id etiam, ſi dictus uſus extra parietes Cathedralis minime protenſus fuerit, vel ſi hos parietes tranſegit, an in iis Eccleſiis, quas haudquaquam penetravit? Quæſtio hæc eſt, ad quam ex verbis ipſis Decreti negative reſpondendum eſſe videtur; non enim *continuari* poteſt uſus, ubi numquam fuit inductus.

XV. His tamen minime obſtantibus nos cum diſtinctione reſpondendum eſſe arbitramur; vel enim dum præfatus uſus in Cathedrali inducebatur, ceteræ Diœceſis Eccleſiæ, vel major earumdem pars electioni attentatæ Patroni reſtitere, vel non reſtitere. Si reſtitere, cum tali introductioni formalem diſſenſum præbuerint, non crederem Sanctum illum, utpote a majori loci portione pro Protectore reprobatum, ejuſdem loci communem Patronum cenſeri poſſe, ac conſequenter niſi ſaltem conſenſum deinde præbeant, vel illum recipiant ante diem 23. Martii 1630., quo prodiit Decretum ſtatuens in poſterum Patronos ſola electione eſſe faciendos, & aliter factos nequaquam ſubſiſtere, nec per conſenſum deinde præſtitum, nec acceptionem, quæ poſtmodum fieretur, in Patronum ille remaneret aſſumptus, ſed ad id neceſſaria foret electio juxta formam Decreti. Si autem Patronus ille non eſt, jam ceſſat titulus recitandi de eo.

XVI. Si autem non reſtitere, cum poſſent, & ageretur de cauſa eaſdem etiam tangente, jam hoc ipſo conſenſum præbuiſſe cenſentur, ac conſequenter Sanctus ille juxta eorumdem temporum diſciplinam in Patronum remanet rite aſſumptus, per introductionem videlicet ejuſdem ab Eccleſia Cathedrali factam, & per tacitum aliarum Eccleſiarum conſenſum; patens eſt autem, quod hoc ipſo uſus ille introductus recitandi ut ſupra de eo, ubi eſt inductus, continuandus eſt, ubi autem inductus non eſt, introduci utique debet, quia Patronatus, quo in caſu gaudet Sanctus ille, eſt titulus legitimus juxta Rubricas recitandi de eo officium, ac per conſequens introduci etiam deberet poſt diem 23. Martii 1630., ubi inductus non foret, quoniam non agitur de inducendo novo Patrono aliquo, quod tunc fieri non liceret, niſi media formali electione, ſed ſolum de tribuendo officium Sancto illi, qui jam in Patronum rite aſſumptus fuit, ac proinde nonniſi de exetutione Romanarum Rubricarum, quæ de Patronis officium fieri mandant.

XVII. Huc reſpexiſſe arbitror præſens Decretum, dum pro præfati uſus continuatione exegit, quod etiam eſſet receptus: *Introductus atque receptus*, videlicet quod uſus ille per communiorem formalem Canonicorum (ut hujuſmodi uſum introduci duntaxat poſſe in Eccleſia Cathedrali, & recipi, credibile apparet) conſenſum probatus foret, a ceteris autem Eccleſiis, ſi non per formalem, per tacitum ſaltem; ab his autem, ut ſuperius dicebamus, tacite cenſetur approbatus, hoc ipſo quod ſcientes, quod Eccleſia Cathedralis, quæ eſt Matrix ceterarum, per dictum uſum intendit communem loci Patronum inducere, ac cunctas ceteras Eccleſias de Protectore providere, ipſæ haudquaquam reluctarentur. Nec pro tacito in caſu conſenſu minime præſtito ſuffragari poſſet allegatio ignorantiæ de introductione præfati uſus; cum enim hujuſmodi uſus in Cathedrali, nonniſi per plures, ac repetitos, non privatos, ſed publicos actus, atque ſolemniter exercitos ſufficienter ad effectum valeat introduci, inveriſimile omnimode apparet, quod eorumdem notitia ad ceteras Civitatis, & Diœceſis Eccleſias non devenerit, ſeu ſaltem ad majorem earumdem portionem, adeoque attenta juris diſpoſitione ignorantia, quæ allegari poſſet, poſthabenda venit, ac contemnenda.

XVIII. Hujuſmodi ignorantia, quæ prætendi poſſet, & qua ſtante irreſiſtentia pro tacito conſenſu haberi nequiret, Sacræ Congregationis haud aufugit cognitionem, atque idcirco conſulto pro continuatione præfati uſus, ac in ceteras Eccleſias introductione, in præſenti Decreto clauſulam illam addidit *Solemniter*, qua, ut facile conſideranti patebit, datur intelligi, quod, ut continuandus ſit ille uſus, debet eſſe in Eccleſia Cathedrali cum ſolemnitate introductus, ideſt cum omnibus ſolemnitatibus, quæ Patronis vi Rubricarum debentur, necnon vi conſuetudinis in loco inductæ, & præcipue illis, quæ in introductione novorum Patronorum adhiberi communiter conſueſcunt. Sunt autem hujuſmodi Solemnitates publica officii recitatio ſub ritu duplici 1. claſſis, & octava, vel ſub ritu duntaxat majori, prout qualitas Patroni eligendi expoſcit, feſtiva ultra ſolitum Campanarum pulſatio, cum pompa exteriori ſolemni apparatu feſti celebratio, aliæque ſimiles ſolemnitates, quæ tam in officio, quam in Miſſa, & in Feſto Patronorum adhiberi ſolent, & præcipue in eorumdem introductione. Quæ ſi in Eccleſia Cathedrali fiant, & iterato, quemadmodum ad intentum neceſſe eſt, omnimode quidem inveriſimile eſt, ne dicam impoſſibile, quod eorumdem notitia ad Eccleſias ſaltem Civitatis non perveniat, & ſenſim ad ceteras Diœceſis, ac conſequenter Patroni, & præfati uſus, qui inducuntur, ignorantia, quæ credatur, allegari queat; non enim evulgari poteſt ab iis de Cathedrali aliarum Eccleſiarum deceptionem, quod eæ ſolemnitates ad alienum finem adhibentur, & diriguntur, ſed quod adhibitæ veniunt, & factitatæ ad celebrandum feſtum de eo Sancto *tanquam de Patrono*, ut proloquitur Decretum, alioquin nequaquam valerent ad Patronum legitime inducendum, nec pro continuatione Feſti inducti, a cujus celebratione ab ipſa quidem etiam Cathedrali Eccleſia, & a ceteris, quæ talem uſum recepiſſent, abſtinendum foret, ſi major ejuſdem loci Eccleſiarum portio præfatæ introductioni reluctaretur; tunc etenim cum Sanctus ille in Patronum ſaltem per conſenſum tacitum non remaneret aſſumptus, non haberet legitimum titulum, quo ſe in Divino officio tueri poſſet. Nec ad id valeret uſus in dictis Eccleſiis introductus, & receptus, quia pura conſuetudo non habet vim tuendi officia, niſi antecedenter ad Bullam Pii V. radices habeat, ut dictum eſt ſupra, & infra magis dicetur in Capite de Feſtis ex conſuetudine. Quæ hic dicta ſunt, ſerio attendantur, ut juxta ea intelligantur, ac limitentur, quæ dicta ſunt ſupra.

XIX. De uſu introducto, & recepto *in Eccleſia Cathedrali* revera profatur Decretum, dum præſentem elicit diſpoſitionem; aſt tamen id haudquaquam limitative venit accipiendum, ita quod ſi talis uſus in aliis Eccleſiis, quæ non ſunt Cathedrales, inductus, atque receptus ſit, continuari minime debeat. Eccleſiam Cathedralem merito quidem nominat Sanctio, quia ejuſdem uſus pro regula, ex qua dignoſci queat, quinam ſint Diœceſum Patroni, & quæ illorum inter ſe comparatio, apptime bene deſervit, quemadmodum more ſuo egregie inſinuat Guyetus *lib. 1. cap. 7. quæſt. 6.*, ubi ut ſupra quæritans, *unde dignoſci queat, quinam ſint Diœceſum Patroni, & quæ illorum comparatio*, per ſequentia verba reſpondet: *Cum Eccleſia Cathedralis Caput ſit, & Matrix omnium Eccleſiarum totius Diœceſis, non poſſe proinde certiorem de his, quam ab ejus uſu peti regulam: adeoque Sanctos illos omnes, qui ut Patroni ab omni ævo in ea coluntur, imo & fore ſemper in foro etiam obſervantur, pro Patronis quoque Loci, ſeu Diœceſis communiter eſſe habendos, & quidem pro principalibus, qui principales, pro minus principalibus, qui minus principales, prout videlicet majori, vel minori cum ſolemnitate in ipſa celebrari conſueverunt*. Locis etiam duntaxat, quæ Cathedralem habent Eccleſiam, ut plurimum accidit peculiares habere Patronos, & cetera Loca, Oppida, aut Pagi regulariter in Patronos habent, quos ut tales veneratur Eccleſia Cathedralis, cui ſubſunt, vel intra cujus juriſdictionis limites poſita ſunt, & hac de cauſa etiam Cathedralis duntaxat Eccleſiæ præſens mentionem habet Sanctio.

XX. Non eſt itaque id limitative intelligendum, ita quod præfatus uſus, qui ſolum in Eccleſia Cathedrali invectus eſt, continuari queat, non autem, qui in aliis Eccleſiis, quæ Cathedrales non ſunt, reperiretur inductus. In primis enim lo-

cum

cum iidem habet iis in Locis, quæ cum nulli Epiſcopali Sedi ſubdantur, Eccleſiam Cathedralem non habent, ſi quid ſimile in primaria ejuſdem Eccleſia eveniſſet; ea enim Eccleſia, etſi revera Cathedralis non ſit, inſtar Cathedralis ſe habet, & eamdem juriſdictionem, quam Cathedralis habet, in ſibi ſubditas tenet Eccleſias, quarum proinde non minus Caput eſt, ac Matrix.

XXI. Secundo. Idipſum dicendum videtur iis in Oppidis, Pagis, aut locis omnibus, quibus datum eſt proprios, atque diſtinctos ab iis Cathedralis poſſe habere Patronos, ſi in primaria eorumdem Eccleſia uſus præfatus introductus, & receptus ſit; quod enim pro locis habentibus Cathedralem præſens diſponit Decretum, etiam in dictis Oppidis, & locis identitas rationis faciendum eſſe ſuadet; cæterarum enim loci Eccleſiarum *juxta Clem. 1. de ſent. excomm.* primaria illa Eccleſia Matrix eſt, a qua etſi ceteræ, niſi tamquam a Parochiali, ſi talis eſt, & in caſu etiam ſolummodo eæ, quæ intra limites Parochiæ ſitæ ſunt, haudquaquam dependeant, nec illa in eaſdem ulteriorem juriſdictionem habeat, inficias tamen iri non poteſt, quod a cunctis loci Eccleſiis honor illi debetur, ac reverentia, ob quam ex Decreto Concilii Lateranenſis *ſeſſ. 11. ſub Leone X.*, & Sacræ Rituum Congregationis ſub die 10. Decembris 1703. prima & pulſatio Campanarum in Sabbato Sancto ad eamdem ſpectat. Verum quoniam primariæ hujuſmodi Oppidorum Eccleſiæ nullam ſacram, vel hierarchicam in ceteras habent juriſdictionem, vel ſi quam habent, non ſupergreditur eam, ſi parochiales ſunt, quam important jura parochialia, ſi quis ſecus, ac modo dicebatur, de uſu præfato in memoratis Eccleſiis introducto ſentiret, me nequaquam refragatorem haberet; quemadmodum enim ex repetitis Decretis defectu juriſdictionis, quam Cathedralis habet Eccleſia, non poſſunt præfatæ Eccleſiæ, licet Parochiales ſint, ſua principaliora feſta, & officia, Titularis ſcilicet, & Dedicationis, ad ceteras loci Eccleſias tranſmittere, ita nec iiſdem licebit ceteras de Patrono providere, nec ex earumdem uſu officium Sancti alicujus tamquam de Patrono loci demandate, niſi dictus uſus in ceteris etiam loci Eccleſiis memoratarum ad exemplum Eccleſiarum introducatur, & recipiatur, quo in caſu Sanctus ille per talem communem acceptationem in Patronum juxta antiqui temporis diſciplinam remaneret rite aſſumptus, nec enim formalis diſſenſus a ceteris loci Eccleſiis minime præſtitus in caſo introductionis Sancti illius in Patronum, pro tacito earumdem conſenſu haberi poteſt, cum talis introductio attentata veniret a nullam in ipſis ſacram juriſdictionem habentibus, vel ſaltem ad intentum haudquaquam validam, ſed ad alia jura ſpectantem.

XXII. A fortiori id dicimus, ſi talis uſus introductus foret in aliqua ſubdita Eccleſia, ad quam abſque dubio non pertinet, nec pertinere valet, communem Patronum eligere, niſi tamen præfatus uſus ad ceteras generatim loci Eccleſias, vel ad majorem earumdem partem ſenſim dilatatus eſſet, ac ab iiſdem receptus, tunc ſiquidem per talem acceptationem Sanctus ille cum in Patronum juxta tunc temporis diſciplinam rite remaneret aſſumptus, legitimum titulum haberet pro continuatione ſui officii, licet hoc originem non habuerit in Cathedrali, vel primaria loci Eccleſia.

XXIII. In iis autem locis, quibus conceſſum non eſt proprios, ac particulares Patronos habere, indubium utique eſt, quod ſi dictus uſus introducatur, proſequi haudquaquam valet; ſi enim ipſa, etſi velint, proprios Patronos eligere non poſſunt, multo minus id facere valebunt per uſum ut ſupra inductum, quantumvis ab omnibus loci Eccleſiis reciperetur. Quænam autem ſint hujuſmodi loca, ex inferius in hoc Capite dicendis conſtabit.

XXIV. Nunc remanet dumtaxat adnotandum, quod ſi præfatus uſus ut ſupra introductus, atque receptus celebrandi Feſtum ſolemniter continuandus eſt, ſequitur eamdem ritus omnimodam ſolemnitatem eſſe retinendam, ita ut ſi præcedenter celebrabatur ſub ritu duplici majori, vel primæ claſſis, adhuc ſub eodem ritu ſit celebrandum, & ſi cum octava, adhuc cum octava, nulla penitus facta innovatione, ſed fideli præcedentis conſuetudinis ſervata cuſtodia; id enim faciendum eſſe diſerte denotat verbum illud *Continuandus eſt*.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XXXII.

In Patronorum, ſive Protectorum præcedentia ſervandus eſt Ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & inter Ordinem Hierarchicum attendenda eſt anterioritas in Electione. S. R. C. 11. Martii 1690. *in Lycien.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 161.

I. EX Patronis alii principales ſunt, alii minus principales, & utriuſque rationis & univerſales, & particulares eſſe poſſunt. Ex minus principalibus, ſive univerſalibus, ſive particularibus, plures ubique jure ordinario haberi queunt, ex principalibus vero non item, ſed horum dumtaxat univerſalis unus, qui ſcilicet Domini, Regni, aut Provinciæ Protector ſit, particularis alter, qui nempe Civitatis, vel particularis loci patrocinium gerat. Ex hiſce tamen adhuc plures haberi queunt, & alicubi reipſa habentur, vel ex Apoſtolico indulto, vel ex priſco, & annoſo uſu; & ubi eoſdem haberi contingit, ibidem omnes ſibi vindicant officium duplex 1. claſſis, & octavam apud Clerum Sæcularem, apud Regularem dumtaxat officium 1. claſſis, non tamen octavam, quam nec pro arbitrio valet celebrare. Etſi tamen prærogativæ omnes, quæ ad officium ſpectant, Patronis principalibus per Rubricas exhiberi præſcriptæ, iiſdem deferri debeant, eorumdem adhuc omnium dies feſtivæ ex præcepto Eccleſiæ haberi non poſſunt, ſed duorum dumtaxat, *unius videlicet ex principalioribus in quocumque Regno, vel Provincia, & alterius ſimiliter ex principalioribus in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit*, ut loquitur Urbana Conſtitutio, adeoque unius dumtaxat univerſalis, & alterius particularis. Hæc intellige regulariter, & de jure ordinario, & ſecluſo Apoſtolico particulari indulto, quo ſtante & ceterorum principalium dies queunt eſſe feſtivæ, immo & minus principalium, quorum officium, ſive univerſales, ſive particulares hi ſint, ſub ritu duplici majori ſine octava Rubricæ, atque Decreta indicunt, in præcepto apud Clerum Sæcularem, non tamen Regularem, qui tamen poteſt, immo convenit, præfatos Patronos minus principales ita excolere.

II. Hæc, cum certa, atque indubia reddantur ex ſuperius dictis, & inferius dicendis, curſim libata fecimus, ut ea ſub oculos Lector habeat, quatenus ad præſentem expoſitionem valent deſervire. Sunt autem diverſi caſus, in quibus de Patronorum præcedentia poteſt lis exoriri, queuntque plures Patronorum comparationes fieri, juxta quarum diverſitatem exhiberi neceſſe eſt diverſam & reſolutionem; hinc per diverſa quæſita rem proponendam eſſe arbitramur, ut planum ſenſum, atque intentum ſortiatur Congregationis Reſponſio.

III. Quæri igitur poteſt primo de præcedentia Patronorum in concurrentia; & certum eſt, quod hæc peti non valet ex ordine hierarchiæ eccleſiaſticæ, & intra hunc ordinem ex anterioritate in electione, & ad id demonſtrandum haud opus habemus diutius immorari, cum Congregatio id diſerte deciderit in duobus Decretis de die 17. Julii 1684., in Capite de concurrentia explanandis, in quorum primo in concurrentia S. Baſilii Epiſcopi, & S. Antonii Patavini Confeſſoris pro Civitate Panormitana, ubi ambo ſunt Patroni minus principales, Veſperas integras neutri debere, ſed dimidiandas eſſe ſtabilitum manet, tametſi S. Baſilius, utpote Confeſſor, & Epiſcopus, in ordine hierarchico dignior ſit S. Antonio, qui Confeſſor tantummodo eſt; in ſecundo autem lis de concurrentia Patronorum antiquiorum, ac recentiorum per hæc verba dirimitur. *Concurrente Sancto antiquiore Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda eſt ratio de poſterioritate Patronatus, unde veſperæ dimidiandæ ſunt.*

IV. Controverſia itaque de Patronorum præcedentia in concurſu, dirimenda utique venit ex generali regula, quam in concurrentia Sanctorum tenendam eſſe infinita propemodum Decreta, atque dilucida Rubricarum mandata nos edocent. Eſt autem, quod unice petatur ex majoritate ritus, quo unius officium præ illo alterius decoratur, & gaudet, & in paritate ritus attendenda tantummodo ſit ad rem, & effectum, de quo agitur, dignitas perſonarum, ac feſtorum ſolemnitas, quas recenſet Rubrica *de Concurr. num. 2. verſu Inter feſta*; in ceterorum autem Sanctorum feſtivitatibus ſemper ſervanda ſit Veſperarum diviſio, ac nulla habenda ſit ratio majoris dignitatis, quam habet in ordine hierarchico Martyr præ Confeſſore, Confeſſor præ Virgine, aut majoris ſolemnitatis illius, vel attinentiæ, quam Sanctus indigena, aut particularior habet præ alienigena, vel univerſaliori, ſeu majoris antiquitatis feſti unius præ altero. Hæc, cum alibi diſerte ſtabilita appareant, & fuſiori calamo ſint pertractanda, non ſunt hic ad alterius examen vocanda, ſed prout Patronorum comparatio fit, unice curſim applicanda.

V. Fit igitur primo, quod ſi ſermo ſit de Patronis principalibus, quicumque illi ſint, univerſales ſcilicet, vel particulares, relate ad minus principales, principalibus præcedentia debetur, cum hi ritu duplici 1. claſſis, illi ritu duplici dumtaxat majori potiantur.

VI. Fit 2. quod facta comparatione inter ſe ſe plurium Patronorum principalium univerſalium, aut plurium principalium particularium, locum habet Veſperarum diviſio, niſi obſtet in eorumdem alterutro major dignitas ex recenſitis a Rubrica *Inter feſta*, quo in caſu digniori Veſperarum deberetur integritas. Et quidem ita hæc omnia, tametſi unius ex iiſdem dies tantum ex præcepto Eccleſiæ haberetur feſtiva, quemadmodum nos edocet Decretum XVI. Cap. I., per quod in concurſu Patroni principalis, cujos dies feſtivatur, cum Dedicatione Eccleſiæ Veſperæ dividi præſcribuntur, & in concurſu Dedicationis cum S. Joanne Baptiſta, huic integræ tribuuntur ratione majoris dignitatis, ad nihilum ſuffragante majori ſolemnitate, quam inibi Dedicatio præ S. Joanne forſitan habet; utpote quæ non attenditur in conſpectu alicujus ex dignitatibus per Rubricam *Inter feſta* recenſitis, ſicuti in ejuſdem Decreti expoſitione dicebatur. Idipſum dicendum venit eadem de cauſa de pluribus Patronis minus principalibus univerſalibus, vel particularibus comparatis inter ſe ſe, quinimmo quodammodo id apparet deciſum ex memoratis Decretis 17. Julii 1684.

VII. Fit 3., quod Patronis principalibus particularibus concur-

Digitized by Google

currentibus cum Patronis principalibus univerſalibus, illis præcedentia debetur vi majoris ſolemnitatis, qua iidem in propriis Locis celebrantur juxta allegatam Rubricam *Inter Feſta*, ubi præferentia ſuper cetera tribuitur Feſtis illis, *quæ in Propriis Locis, & Eccleſiis ſolemniter celebrantur*: Falleret hoc tamen, ſi etiam inibi Patroni univerſales eſſent æque ſolemnes, vel Patronus particularis non admodum ſolemniter celebraretur, quo in caſu cum deſit ratio præferri faciens, aut utrobique æque habeatur, locum haberet Veſperarum diviſio, niſi ob majorem ſolemnitatem, quæ adhuc in propriis locis ex ſe Patronis particularibus debita eſt, mavis nihilominus, Patronis univerſalibus particulares eſſe præferendos, quod non admodum refragamur, & non obſcure indicari videtur per Rubricam particularem poſitam in Feſto S. Petri, in qua in concurſu S. Petri, & ſequentis Commemorationis S. Pauli in propria Eccleſia integræ S. Paulo tribuuntur Veſperæ abſolute, & ſimpliciter, & nulla facta ſolemnitatis ſuppoſitione, & quidem quantumvis S. Petrus in univerſali Eccleſia feſtivetur, & admodum ſolemnis habeatur, adeoque ſolummodo vi ſolemnitatis, quæ S. Paulo in propria Eccleſia ex ſe debetur, Veſperarum tribuitur integritas, qua propterea ſpoliari non debet, etſi ejuſdem feſtivitatem alicubi cum ſolemnitate per accidens non celebrari contingat.

VIII. Fit 4., quod in concurſu Patronorum minus principalium univerſalium cum particularibus item minus principalibus, ratione majoris, quam modo memorabamus, ſolemnitatis, qua particulares præ univerſalibus ex ſe gaudent in propriis Locis, & Eccleſiis, particulares univerſalibus venirent præferendi: aſt quoniam Feſta Patronorum minus principalium non admodum in Locis celebria eſſe ſolent, non credimus præfatam ſolemnitatem adeo relevare, ut locum non debeat habere Veſperarum ſecatio.

IX. Fit 5., quod ſi tamen aliqua in Eccleſia univerſales Patroni magna ſolemnitate præ particularibus celebrarentur, vigore cujus feſtis ita celebratis præferentiam alibi videbimus in concurſu per Decreta Sacræ Congregationis præſtari, tunc univerſalibus præ particularibus in paritate ritus præferentia denegari non poſſe videtur, ſive poſtea ii ſint Patroni principales, ſive minus principales; ubi ſiquidem reperitur ratio præferri faciens, neceſſe eſt etiam habeatur præferentiæ effectus.

X. Quæri poteſt 2. de præcedentia Patronorum quoad repoſitionem, quoties eorumdem plurium Feſta ſimul transferri contingit; & ſimiliter indubium eſt, quod locum non habet præſens Decretum, cum ex infinitis quaſi Decretis, & Rubricarum diſpoſitionibus compertum ſit, priorem repoſitionem in diſpari translatione non concedi, niſi Feſtis pollentibus altiori ritu, aut ſtante æqualitate ritus, habentibus dignitatem aliquam ex recenſitis a Rubrica *Inter Feſta*; in cæteris autem ſemper prius reponendum eſſe feſtum, quod prius tempore translatum eſt, nulla habita ratione majoris dignitatis illius exiguæ, qua Martyr verb. gr. pollet præ Confeſſore, aut attinentiæ, particularitatis, vel antiquitatis. Quæ Decretorum, & Rubricarum diſpoſitiones ſervari indubie debent etiam in Patronorum repoſitione; quapropter ut unico verbo quæſtionem abſolvam, quæ ſuperius dicta ſunt de concurrentia, militant quoque de repoſitione, itaut ea Feſta Patronorum, quæ in concurſu præferantur, præferenda itidem veniant in repoſitione, quantumvis in translatione ſint poſteriora. Nonnulla quidem difficultas exurgit circa repoſitionem Patronorum, qui vi ſolemnitatis in concurſu præferuntur, qui cum in caſu translationis eadem non gaudeant, nec cum ea recolantur, extra proprium diem ratione præferri faciente videntur deſtituri, ac conſequenter juxta priorem translationem in repoſitione regulandi; verum ex iis, quæ univerſim de hujuſce rationis feſtis ſuo loco dabuntur, prædicta difficultas dirimenda relinquitur.

XI. Quæri poteſt 3. de præcedentia Patronorum in occurrentia; & extra dubium ponitur, quod hæc debetur primo iis, qui altiori pollent ritu, adeoque quibuſcumque Patronis principalibus relate ad minus principales. 2. Iis ex principalibus, vel minus principalibus in paritate ritus, qui, & juxta ordinem, quo recenſentur a Rubrica *Inter Feſta*, ſive univerſales, ſive particulares illi ſint. 3. Principalibus particularibus comparative ad Principales univerſales, quod itidem currit de minus Principalibus particularibus relate ad minus Principales univerſales. 4. Iis ex principalibus, ubi plures habentur, cujus feſtivitas juxta Conſtitutionem Urbanam eſt in præcepto quoad forum; & hoc pariter extendendum venit ad minus principales, ſi horum aliqui ex peculiari Indulto ſibi vindicent feſtivationem ratione ſcilicet majoris ſolemnitatis, quod feſtum de præcepto quoad forum habet ſuper feſtum, quod feſtivationem non habet. Hæc omnia ſupponuntur ex alibi paſſim dictis, & dicendis, & præcipue in Cap. de Occurrentia Feſtorum.

XII. Quoad Patronos principales particulares, quorum dies feſtiva non eſt, inter ſe ſe, ubi plures habentur, ſicuti & inter Patronos principales univerſales ejuſdem rationis, nec non inter Patronos minus principales particulares, vel univerſales, locum habere videtur Decretum; cum enim eorumdem feſta ſint ejuſdem ritus, & ſi ſimul occurrant, unum eorumdem neceſſe ſit dimitti juxta Rubricas, ratio utique expoſtulat, quod transferatur illud, quod in ordine hierarchico inferiorem occupat locum, & quod retineatur illud, quod in eodem tenet digniorem; in caſu enim omnimodæ paritatis in occurſu, in quo alterum ex feſtis neceſſario eſt dimittendum, nec utrique ex feſtis occurrentibus officium per partes diſtribui valet, in conſiderationem cadit etiam diſparitas illa, quæ alias non attenditur, & in concurrentia, in qua Veſperæ per æquas partes ſecari queunt, negligitur.

XIII. Ordo autem hierarchicus ſervandus eſt juxta Litaniarum ſeriem, ſecundum quam Sanctorum nomina in iiſdem deſcripta inveniuntur, ita ut priorem locum teneat Chriſtus, poſtea Deipara, Angeli, Joannes Baptiſta, Apoſtoli, Evangeliſtæ (& hi ſunt ex ut ſupra privilegiatis a Rubrica *Inter feſta*) Martyres, Pontifices, Confeſſores, Virgines, Viduæ. Martyr ſimul & Pontifex præcedit Martyrem, qui Pontifex non eſt, Papa Epiſcopum, Virgo Martyr ſolum Virginem, & quæ ſolum Virgo eſt, tantum Viduam. Juxta hunc ordinem etiam in Breviario Romano diſpoſita inveniuntur Sanctorum Communia, & eorumdem nomina quoque in Martyrologio recenſentur, & in hujus Rubricis recenſenda dicitur memoria eorum Sanctorum, qui in particularibus locis coluntur, & in Martyrologio non ſunt deſcripti: *Poſt Sanctos in Martyrologio deſcriptos legi poterunt ordine ſuo, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines.*

XIV. Subdit Decretum, *& inter ordinem hierarchicum attendenda eſt anterioritas in electione*, per quod diſpoſitionem facit pro caſu, in quo dicti Patroni ad eumdem ordinem hierarchicum attineant, vultque in hoc caſu præcedentiam illi præſtari, qui *anterior eſt in electione*, ſcilicet antiquiori juxta Regulam 54. in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, non quidem tempore, quo Sanctus unus præ alio extitit, ſed tempore *electionis*, qui ſcilicet prior in Patronum aſſumptus eſt, ac habuit officium, vel jus ad officium; major enim antiquitas diſparitatem aliquam inducit inter feſta, nec æquum eſt, quod feſtum illud, quod in aliquem diem jus antiquius habet, ac poſſeſſionem, ab eo extrudatur cauſa in eumdem intrudendi feſtum aliud ejuſdem ritus, dignitatis, & ordinis, ac modernæ conceſſionis.

XV. Hæc utique ubertim examinata veniunt in Cap. de Occurentia, ubi nonnullæ iiſdem adhibentur limitationes, quæ itidem militant pro Patronorum præcedentia. Sunt autem, ut nec ordo hierarchicus, nec major antiquitas attendi debeant, ſi ex Sanctis occurrentibus alter inibi majorem aliquam celebritatem, vel ſolemnitatem ſibi vindicet, aut ad eam Eccleſiam ſpeciali aliqua de cauſa particularius attineat, puta quia ſit indigena, quia ibi martyrium paſſus, aut aliquam dignitatem, puta Epiſcopi, aſſecutus, aut moram traxit, vel miraculis, ac virtutum operationibus admodum eamdem illuſtravit, vel verbo Dei pavit, aut adhuc ab Idolis ad cultum veri Dei induxit, quia Populus ejuſdem Sancti devotione apprime afficitur, ad eum colendum turmatim accurrit &c.

XVI. Quæri poteſt 4. de Patronorum præcedentia quo ad eorumdem invocationem in publicis precibus: & in hac locum habet Decretum; uti enim in iis, quæ ad officium Patronorum ſpectant, Decreta, & leges officii ſervandas eſſe ſuperius ſtatuimus, ita in iis, quæ ad eorumdem invocationem attinent, leges pro Sanctorum invocatione veluti præſcriptæ, in uſum debent deduci, ejuſmodi autem ſunt Sanctorum Litaniæ, quæ cum juxta ordinem hierarchicum Sanctos recenſeant, juxta eumdem ordines Sanctos quoſcumque in publicis precibus invocandos eſſe denotant, & intra eumdem ordinem hierarchicum juxta anterioritatem in electione, vi cujus ſtante undique omnimoda paritate in ſua ſunt poſſeſſione, vel jure manutenendi, præſertim cum nec difformis exulat Litaniarum praxis.

XVII. Fallere hoc tamen videtur in Patronis principalibus relate ad minus principales; illos enim prius invocandos eſſe, tametſi his in ordine hierarchico inferiores, primatus ipſe Patrocinii, quem iis in locis tenent, abunde demonſtrat. Prius itaque invocandus videtur Patronus principalis, & ſi plures hujuſmodi fuerint, ille, utpote principalior, cujus dies vi Urbanæ Conſtitutionis eſt feſtiva & ceteri juxta ordinem a Decreto præſcriptum, qui ordo etiam obſervari debebit in recenſione Patronorum minus principalium, utpote qui ſunt omnes æquæ Patroni, nec unus præ alio principalior.

XVIII. Aſt quid ſi Patroni univerſales ſint ſimul invocandi? Credimus, Patronis principalibus univerſalibus poſt Patronos principales particulares locum eſſe concedendum, uti & minus principalibus univerſalibus poſt minus principales particulares, tametſi in eorumdem recenſione ordinem hierarchicum minime eveniret obſervari; particularium enim patrocinio cum fidentius ſe ſe crediderit locus ſupplex, æquum eſt, & eoſdem priori invocatione honorent. In recenſendis vero Patronis univerſalibus ordo ſervari debet, quem dicebamus pro recenſione particularium.

XIX. Monitum hic tamen Lectorem volumus, quod, dum hæc ſtatuimus, haud loquimur de invocatione Patronorum in Litaniis habenda; his enim, ut ſuo loco dicetur, nulla valet fieri additio vel mutatio: quare in iiſdem tantum invocari queunt Sancti illi, quorum nomina in iiſdem deſcripta ſunt, & juxta ordinem, quo in iiſdem ſunt deſcripta, licet eveniret Patronum principalem invocari poſt minus principales, vel adhuc nullatenus invocari. In ceteris itaque precibus, quæ aliqua de cauſa publice inſtituerentur, locum duntaxat habent, quæ a nobis ſuperius tradita ſunt.

XX. Quæri poteſt 5. de Patronorum præcedentia quo ad eorum Statuas collocandas, vel Picturas faciendas; & in hac parte

te ordinem eumdem, quem ſervandum eſſe diximus in Patronorum invocatione in publicis precibus habenda, tenendum etiam eſſe arbitramur in eorumdem ſtatuis collocandis, & picturis faciendis. Diximus *in publicis precibus*, & loquimur de Statuis, vel Picturis, quæ in Eccleſiis ad publicum cultum ſunt exponendæ; nam in privatis precibus, ac ſtatuis, vel picturis, quæ ad privatum uſum debent deſervire, reſpective fundendis, collocandis, vel faciendis poteſt quilibet ſuæ particulari devotioni indulgere, ac in proprio ſenſu, & arbitrio abundare.

XXI. Antiquus ferebat uſus, ut pars læva dignior haberetur, de qua re diſerte Leo Allatius *lib. 1. de Eccleſ. Occident. & Orient. perp. Conſenſ. Cap. 6.*, hinc factum eſt, quod in plumbis, & in variis antiquis picturis a parte dextera habetur collocatio D. Pauli, & a ſiniſtra D. Petri, & etiam eorumdem Apoſtolorum capita in antiquis, argenteiſque ſtatuis ſupra Ciborium Lateranenſis Eccleſiæ adhuc extant conſervata, ita ut S. Petri Effigies ad ſiniſtram, & S. Pauli ad dexteram collocatæ ſint. Uſque ad præſens maximæ æſtimationis habetur ſiniſtra inter Græcos, & nos prius ſiniſtrum Altaris cornu, quam dexterum incenſamus; modo tamen univerſaliter uſus obtinuit, ut dextera dignior locus cenſeatur, & juxta hanc receptam conſuetudinem ſunt ſtatuæ collocandæ, ac picturæ faciendæ, & hac de cauſa in Bullis Pontificiis non amplius in parte dextera Divus Paulus, ſed Divus Petrus collocatur.

XXII. Lepida non minus (*liceat hic nobis Hiſtoriam quamdam ad hanc rem aliquantiſper attinentem adducere, quam ex Matth. Pariſ. Odoric. Rinaldus refert*:) quam ingenioſa fuit Ottonis tit. S. Nicolai in carcere Cardinalis, Apoſtolicique Legati inventio, ad ſedandam præcedentiæ differentiam inter duos Angliæ præcipuos Epiſcopos in Concilio Londinenſe de anno 1637. ortam, ubi Eboracenſis Præſul a gravamine præcedentiæ ſe appellaverat, quia Cantuarienſis Compræſul ad dexterum ejuſdem Legati latus ſe collocarat, is amborum Archiepiſcoporum differentiam ſedavit, eleganter eis oſtendens, quod in Bulla Papali Petrus ad Pauli ſiniſtram collocatur in ſignum humilitatis, quod præcipue imitari Eccleſiaſtici debent.

XXIII. Refert Eminentiſs. Lambertini *de Canoniz. lib. 1. cap. 36. §. 4.*, quod quoties plures Beati inſimul canonizandi erant, per ordinem antiquitatis in eorumdem canonizationem procedebatur, & ita reipſa proceſſum fuiſſe a Gregorio XV. in canonizatione quinque Sanctorum ab ipſo peracta, in qua primum locum obtinuit Sanctus Iſidorus, utpote antiquior, etſi ex Clero Regulari, & inter Profeſſos Laicos eſſet adſcriptus. Temporibus Clementis X., qui pariter quinque Beatos in Sanctorum numero adſcripſit, exorta fuit controverſia ſuper ordine retinendo, de qua cum actum fuiſſet in Sacrorum Rituum Congregatione, hæc ſub die 29. Novembris 1670. cenſuit: *Servandum eſſe ordinem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & ſi plures fuerint eodem ordine, præferendum diem mortis, ac conſequenter in caſu, de quo agebatur, præferendos illos de Clero Sæculari*. Huic Decreto Patres tum Ordinis Prædicatorum, tum Servorum B. Mariæ reclamaverunt, humillime inſtando, ut tantum attendi deberet tempus obitus Beatorum juxta morem antiquiorem; ſed Sacra Congregatio die 24. Januarii 1671. ſtetit in deciſis cum declaratione, quod *præcedens Decretum intelligi deberet abſque præjudicio principis loci de jure, aut conſuetudine competentis, tum Ordini Prædicatorum, tum Ordini Servorum in omnibus, & quibuſcumque actibus publicis, & privatis*; Quæ Decreta ab eadem Congregatione ſub die 16. Aprilis 1737. approbata fuere cum hac declaratione, *quod ſi inter plures ejuſdem Status, & Ordinis reperiatur unus, qui ſit Fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis, aut alterius hujuſmodi Inſtituti ſive Clericalis, ſive Regularis a S. Sede approbati, præferatur aliis, qui hanc qualitatem Fundatoris non habent, licet ante in Domino obdormiverint*.

XXIV. Quærit poſtea idem celeberrimus Auctor *de Canoniz. lib. 4. p. 2. in Additionib.*, num ſi Fundator hujuſmodi nec eſſet Clericus, nec Sacerdos, præponendus adhuc foret aliis ejuſdem ordinis, & ſtatus, qui Sacerdotali charactere eſſent inſigniti; & reſolvit negative exemplo ducto a Canonizatione Sanctorum celebrata ab Alexandro VII., in qua primo loco fuerunt nominati Beatus Joannes de Capiſtrano, & Beatus Joannes de Sancto Facundo, & poſt eos Beatus Joannes de Deo, licet Fundator Ordinis Fratrum Infirmis in Hoſpitalibus inſervientium, habita ratione temporis mortis ipſorum. Verum etſi hoc ita nos eſſe putemus, ex dato exemplo id tamen non ſatis evinci arbitramur, eo quod tunc temporis nondum emanatum erat Decretum illud 16. Aprilis 1737., in quo prærogativa dictæ præcedentiæ Fundatoribus facta fuit.

XXV. Fit itaque, quod in canonizationibus peragendis præcedentia debetur Beato illi, qui in eccleſiaſtica hierarchia elevatioris ordinis eſt, & intra eumdem ordinem, qui prius in Domino obdormivit, nulla tamen habita ratione hujuſmodi prioris obdormitionis, ſi inter eos adſit aliquis, qui ſit de Clero Sæculari, qui licet poſterior in obitu ſit, intra eumdem ordinem præcedentiam adhuc habet ſuper illos de Clero Regulari. Inter eos autem ejuſdem ordinis hierarchici, qui ſunt de Clero Regulari, attenditur dies obitus eorumdem nullo habito reſpectu ad præcedentiam Regularis Inſtituti, quod in vita profeſſi ſunt, & ſi eorumdem adſit aliquis Ordinis, vel Religionis Inſtitutor, ſuper cæteros, licet in obitu anteriores, præcedentiam habet, dummodo tamen Sacerdos ſit, quoniam ordo hierarchicus exigit, ut Sacerdos quilibet præferatur non Sacerdoti, Diaconus Subdiacono, & ſic de reliquis juxta digniorem ordinem, quo fuerunt inſigniti, & demum quilibet de Clero Laicis, quemadmodum edocet Bordonus *tom. 4. in Theatro præcedentiæ, & majoritatis*, & Sacram Congregationem id deciſiſſe aſſerit. Eadem de cauſa Regularis Sacerdos præferendus venit non Sacerdotibus de Clero Sæculari, & ſic de reliquis juxta modo dicta, ita ut qui ſunt de Clero Sæculari, præferentiam non habeant ſuper eos de Clero Regulari, niſi ſtante omnimoda paritate in ordine hierarchico.

XXVI. Hæc tamen præſtanda ſolummodo ſunt in Canonizationibus Beatorum peragendis, non autem in officiis divinis, in quibus ordo hierarchicus attenditur juxta dignitatem Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Pontificum, Confeſſorum &c., prout in Breviario diſpoſita inveniuntur Sanctorum Communis, nec Sacerdos ſupra Martyrem non Sacerdotem præferentiam habet, nec diſtinguitur Sacerdos a non Sacerdote, nec Regularis a non Regulari, quapropter nullo habito reſpectu ad hujuſmodi in divinis officiis præcedentia debetur Sanctis, qui in dicto ordine hierarchico digniorem tenet locum, & intra eumdem ordinem hierarchicum iis, quorum feſtivitas prius inſtituta eſt, prout præſens mandat Decretum, niſi eorumdem aliquis titulum vel majoris ſolemnitatis, vel quemcumque alium ex ſuperius recenſitis, & infra recenſendis teneat, qui eidem præferentiam præbeat. Si autem ageretur de novis feſtis inſtituendis, haud inficias imus, quod dictis feſtis eadem die occurrentibus, Sacerdoti ejuſdem ordinis dies natalitia deberetur, non Sacerdote ad aliam diem deſtinato. An autem idem dicendum ſit de non Regulari relate ad Sanctum Regularem, non credimus ob inferius dicenda.

XXVII. Idem ipſe ordo ſervandus eſt, quando in publicis precibus invocantur Patroni, ita ut exceptis Patronis principalibus ob primatum Patronatus prius invocandis, iidem recenſeri debeant juxta aſſertum ordinem hierarchicum, & intra eumdem ordinem ii prius, qui tempore alios præcedunt in electione in Patronos, quemadmodum dicto ordine recenſent Sanctos Litaniæ Sanctorum, quæ prius invocant eoſdem juxta prædictum ordinem hierarchicum, & intra eumdem ordinem illos Sanctos, qui prius tempore extiterunt; ubi autem agitur de Patronis, loco anterioritatis in tempore ſuccedit anterioritas in electione, quemadmodum in officiis Sanctorum ſervatur major antiquitas, non temporis, quo Sancti extitere, ſed officii, illorum ſcilicet, quorum officium prius fuit conceſſum, ac inſtitutum. Non refragamur autem, quod in eodem ordine Sacerdos habere queat primum locum relate ad non Sacerdotem, bene vero, quod non Regularis præcedat Regularem, vel Inſtitutor Religionis non Inſtitutorem, qui anterior illo ſit in electione, quia hæc Litaniis non attenduntur, uti eaſdem conſideranti manifeſtum fiet.

XXVIII. Quoad picturas vero & ſtatuas reſpective faciendas, vel collocandas, ſi Patronos principales excipias, locum eiſdem concedimus juxta dictum ordinem hierarchicum Martyris, Pontificis, Confeſſoris &c., & intra eumdem ordinem illi, qui Sacerdos eſt, ſupra non Sacerdotem, & in paritate antiquiori in electione. Quæ major antiquitas in electione & obſervari debebit, ſi unus Patronorum Regularis ſit, de Clero Sæculari alter, & ejuſdem ordinis hierarchici, quemadmodum mandat Decretum, quoniam ſi quæſtio inſtituenda foret, patens eſt, quod præcedentia deberetur Regulari, tum ratione majoris antiquitatis in Clericatu, qui prius fuit in Regularibus, videlicet in Apoſtolis, qui fuerunt Clerici Regulares, & non Sæculares, & voverunt ſecundum D. Thomam 2. 2. *quæſt. 88. art. 4. ad 3.* Navarrum *tom. 2. Comment. 4. de Regul. num. 30. §. 2. &c.*, unde in primitiva Eccleſia Clerici nihil proprii habebant, Panormit. *in cap. Poſtulaſti, de reſcr.*, ſed in communi vivebant *cap. 2. 12. quæſt. 1. cap. 5., & 6. eod.*, vovebant *cap. ſcimus 9. eod.* Tum ex comparatione ſtatus utriuſque, nam ſtatus Religioſorum eſt perfectior ſtatu Clericorum, & Parochorum etiam, quia modo nobiliori, & perfectiori inſerviunt Deo, & fidelibus, atque præterea ſeipſos, & bona ſua Deo dicant, quod non faciunt Clerici Sæculares, D. Thomas 2. 2. *quæſt. 184. art. 4.* Tum ex tranſitu, nam Religioſus non tranſit ad ſtatum Clericorum, ſicut is ad ſtatum Regularem, *cap. Clerus 19. qu. 1. cap. Duo 19. qu. 2.*, tranſitus autem regulatus fit a minori dignitate ad majorem, *cap. fin. de Tranſlat. Prælator. cap. legimus 23. diſt. 93. l. ut gradatim, ff. de muner., & oner.* Tum a qualitate ſtatus, nam ſtatus Regularis ſtrictus, arduus, & magni momenti, nec melioris conditionis, *gl. v. Monachi, cap. cum ad noſtram 37. de elect.* unde & perfectiores ſunt Clericis, *gl. Bonum, cap. Legi 36. 16. qu. 1.*, & hoc nomen *Religioſus* ſignificat perſonam bonæ famæ, *gl. v. eodem cap. 5. de purgat. Canon.* & dicitur vir perfectus, *cap. etſi Chriſtus 26. de jurejur.* Tum quia Religioſi dicuntur tenere figuram Apoſtolorum, *cap. ex Auctoritate 24. 16. qu. 1.*, & dicuntur ſuccedere in locum Apoſtolorum, *gl. v. Apoſtolorum, cap. Videntes 16. 2. qu. 1.* Tum ex nomine ipſo, quo appellatur Clerus Sæcularis, ut docet Panor. *in cap. Licet, de off. ordin.* illis verbis: *Nota gloſſam, quare Clerici, qui non ſunt alicujus Religionis, dicuntur Clerici Sæculares, participant enim Religioſis, & in hoc appellantur Clerici; item participant Laicis, &*

hoc

hoc reſpectu vocantur Sæculares. Clerus igitur Sæcularis cum de Laicis participet, utpote proprium itidem habens, non debet præcedere Clerum Regularem. Tum a labore, & actibus virtutis, nam illi ſunt ceteris digniores, qui nobiliores actus exercent, Burſat. *Conſil.* 343. *numer.* 11. *lib.* 4. Capic. *deciſ.* 27. *numer.* 23. M. Antonius *lib.* 1. *reſolut.* 81. *numer.* 2., *&* 4., conſtat autem apud omnes, Religioſos actus heroicos longe perfectiores, & laudabiliores efficere ſcribendo ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ, confutando hæreſes, tuendo Fidem Catholicam, convertendo Infideles, & frequenter ponendo vitam ipſam pro dilatatione Evangelii; Clerici vero, qui in prædictis ſe occupant, rari ſunt. Tum ex majoribus privilegiis, quibus carent Clerici; & ſi quæ habent, illis etiam gaudent Religioſi, qui ſub nomine Clericorum veniunt in favorabilibus, *arg. cap. ſtatutum, de elect. in 6., cap. quia periculoſum, de ſent. excomm. in 6.*, Sylv. *v. Clericus*, Sanchez *lib. 7. cap. 13. numer. 33., & 46.*, Peyrinus *in ſuo Formul. tit. P. cap. 16. numer. 4.* Verum abs re eſt hujuſmodi diſcutere.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XXXIII.

Feſtum Patroni principalis loci, tenentur omnes cum officio de eodem, etiam Regulares celebrare, ſed iſti ad octavam non tenentur. S. R. C. 27. Martii 1628. *in Pictorien.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 63.

I. DE Patrono dumtaxat principali loci ſermonem præſens inſtituit Sanctio, & de eo firmat, quod *ejuſdem feſtum tenentur omnes cum officio de eodem celebrare*; hinc duo in præcepto videntur poſita, ſcilicet *celebratio Feſti Patroni principalis, & recitatio officii de eodem*; etſi enim perſæpe *Feſtum* pro officio accipiatur, hic tamen pro officio proculdubio ſtare non poteſt, alioquin nimis abſurdum loquendi modus, quem ſervat Decretum, redderet ſenſum, perinde ſiquidem foret, ac ſi diceretur: *Officium Patroni principalis loci tenentur omnes cum officio de eodem celebrare*; Quænam autem profecto abſurdior locutio?

II. Per *Feſtum* itaque non venit officium ſed ſolemnitas, ſeu feſtivitas, & ſenſus eſt, quod omnes tenentur Patroni principalis loci feſtivitatem celebrare, & quidem cum rigoroſa feſtivatione, videlicet cum obligatione auditionis Miſſæ, & vacationis ab operibus ſervilibus, quemadmodum mandat Urbana Conſtitutio *Univerſa* de die 22. Decemb. 1642., per quam inter feſta de præcepto Eccleſiæ celebranda connumeratur *feſtum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſeu Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit*. Hinc, quamvis reipſa nos arbitremur, Decretum dumtaxat procedere de Patrono principali particulari, ſi quis tamen ad Patronum principalem univerſalem, Regni ſcilicet, vel Provinciæ, illud extenderet, nec nos refragamur, nec Decreti textus talem refugit explanationem, quippe qui habet *Loci*, & loci Patronus principalis itidem eſt Patronus univerſalis.

III. *Omnes* ait Decretum, nec id tota ſua amplitudine eſt accipiendum, ita quod omnes de Eccleſia Catholica Feſta de Patronis principalibus particulatium locorum feſtivare teneantur, ſed omnes reſpective, & relative, omnes videlicet degentes intra limites loci, cujus Sanctus ille principale gerit patrocinium, & quidem neque excluſis Regularibus, quantumvis ab Ordinariis locorum exempti ſint, *etiam Regulares*, qui ceteroquin cum ex mandato Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 12.* ad obſervantiam feſtorum ab Epiſcopis, quorum ſubterfugiunt juriſdictionem, indictorum teneantur, profecto a feſtivatione Patroni Principalis loci a Summis Pontificibus, quibus plene ſubſunt, indicta nequeunt ſe immunes reputare.

IV. Adhuc magis ſtricte, & limitate ly *Omnes* accipi debet, quatenus onus recitationis officii de Patrono Principali loci eidem imponitur, ita quod non omnes, adhuc intra limites loci, comprehendat, quaſi omnes etiam Sæculares ad Horas Canonicas minime adſtricti, ad recitationem officii de eodem teneantur, ſed accipi debet accomode, ita ut liget ſolummodo omnes de Clero illius loci, qui ad penſum Horarum Canonicarum manent obſtricti, ſicuti non ſemel dicemus exponentes nonnullas clauſulas in officiorum conceſſionibus aliquando apponi ſolitas, videlicet in quibus conceditur recitari officium aliquod, vel generatim *omnibus Chriſtifidelibus univerſalis Eccleſiæ*, vel ſpeciatim *omnibus Chriſtifidelibus alicujus Dominii, vel Eccleſia*, vel *in toto aliquo Regno*, *aut Dominio*, ſeu in quibus aliæ ſimiles habentur expreſſiones, quæ tamen concorditer ab omnibus intelliguntur, & fas eſt, intelligantur, ut obligationem officii non imponant, niſi iis de Clero, qui ad divinum officium ſunt adſtricti.

V. Sub quonam ritu hujuſmodi officium ſit celebrandum, Decretum revera non profert, cum ſolam ſubſtantiam præcipiat officii, & nihil habeat de modo, ſeu de ritu. Si tamen ritum non exprimit, *cum octava* ſaltem celebrandum eſſe indirecte pronunciat, dum a celebratione ejuſdem Regulares excipit, *ſed iſti*, ſcilicet Regulares, de quibus præcedenter loquitur, *ad octavam non tenentur*; exceptio enim firmat regulam in contrarium pro non exceptis, quapropter in conſequentiam venit profecto, quod omnes de Clero, qui ad Horas Canonicas tenentur, exceptis ſolis Regularibus, teneantur octavam de Patrono Principali loci celebrare.

VI. Regulares vero, etſi a celebratione octavæ maneant exempti, non tamen a celebratione Feſti, & officii, *Tenentur omnes, etiam Regulares*; dictio ſiquidem *etiam* eſt implicativa, & dumtaxat hic exprimit caſum magis dubitabilem, ſeu Perſonas, de quarum obligatione potior erat dubitandi ratio.

VII. Hæc curſim indicaſſe ſatis ſit, quatenus ad Decreti explanationem expoſcebantur; cum enim omnia ſint inferius minutatim digerenda, ulteriori diſquiſitione, ac ponderatione non indiguere.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XXXIV.

De Protectore principali Civitatis debet celebrari Officium cum octava per Civitatem, & Diœceſim. S. R. C. 23. Maji 1639. *in Caven.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 78.

I. PRæcedens firmat Sanctio, *ad Feſtum Patroni principalis loci teneri omnes cum officio de eodem*, & nihil directe ſaltem circa ejuſdem octavam ſtabilit, ſolummodo habens, *Regulares ad ejuſdem octavam non teneri*; unde poſtea non incongrue nos inferendum duximus, ad dictam octavam ceterum teneri Clerum, eo quod exceptio firmat regulam in contrarium pro non exceptis. Recte quidem; at quia adhuc ſatis aperte hujuſmodi non habebatur veritas, per præſens Decretum ſancitum fuit: *De dicto Patrono, ſeu Protectore principali debere celebrari officium cum octava*; habet enim Rubrica VII. de octavis numer. 1. *Fit de octava in Paſchate &c.: Item in Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & in Feſto principalis Patroni, & Titularis loci, vel Eccleſiæ*; hinc *ſect. 3. cap. 12. num. 4.* ſcribit Gavantus: *Tam de Patrono principali, quam de Titulari Eccleſiæ, fit officium, ut de duplici primæ claſſis, ut in Rubrica de commem. num. 3. Item fit octava de utroque in Rubrica de octavis num. 1.*

II. Quæ octava celebrari debet *per Civitatem, & Diœceſim*. Equidem *per Civitatem*, quoniam hic ſermo procedit de Patrono principali Civitatis; *per Diœceſim* vero, quia ſupponitur, quod qui Patronus principalis Civitatis eſt, talis itidem Diœceſis exiſtat; quare cum octava debeatur dicto Protectori ratione principalis Patrocinii, vi cujus ejuſdem feſtum evadit loci celebrius, ac omnium ſolemnius, utique per Civitatem, & Diœceſim octava ſpoliari non poteſt, quæ ad feſti celebritatem apprime deſervit, ejuſque ſolemnitatem maxime adauget.

III. Quæ licet ita ſint, ſuis tamen haudquaquam carent limitationibus, quarum prima eſt, quod a Clero dumtaxat Sæculari cum octava celebrari debet, ſecus autem a Regulari, quemadmodum in ſuperiori Decreto ſtabilitum vidimus, & in ſequentibus itidem pluries ſtatutum apparebit. Altera ex limitationibus eſt; quod per Diœceſim Patronus Civitatis cum octava coli debet, ubi non adſit proprius Loci Patronus, ſecus autem ubi colitur feſtum peculiaris Patroni, ſicuti aperte firmat Decretum hujus Capitis ſextum; harum autem fallentiarum rationes dabuntur in expoſitione ſuorum reſpective Decretorum.

IV. Dubium inſurgit, an ab addictis Breviario Romano facienda ſit octava de Patrono principali Loci, quando juxta uſum proprium ipſiuſmet Loci, ea non fit? Caſus accidit Mediolani, ubi Feſtum S. Ambroſii præfatæ Civitatis Protectoris principalis juxta ritum Ambroſianum, qui inibi obſervatur, non habet octavam; an videlicet apud Clerum ejuſdem Civitatis, & Diœceſis, qui ibidem ſecundum ritum Romanum recitat, octavam debeat habere? Affirmant aliqui, quibus magis aſſentitur Gavantus *ſect. 3. cap. 12. numer. 8.*, negant alii, quorum opinionem Guyetus *lib. 1. cap. 18. quæſt. 7.* æquiorem his verbis judicat: *Ego vero non illos damnaverim, qui ſic faciunt*, ſcilicet qui dictam octavam celebrant, *proprius tamen ab iis ſtabo, qui ſecus faciunt, ob hanc vel unam cauſam, quod aqua numquam altius ſua attollatur origine*. Affirmativam tamen ſententiam deſeri non poſſe nobis videtur; qui enim ibi Breviario Romano addicti ſunt, hujus & legibus manent obſtricti, atque adeo a celebratione octavæ de Patrono principali Loci, quæ a Romanis Rubricis mandata eſt, ſe eximere nequeunt: hinc revera a Clero Romano mox memoratæ Civitatis, & Diœceſis Feſtum prædicti Sancti Ambroſii cum octava recolitur, & cum octava itidem notatur in Kalendario ipſo, quod ad directionem ejuſdem Cleri Romani juſſu Archiepiſcopi quotannis efformatur. Nec relevat contrarius Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum uſus, hic etenim a quibuſcumque ſubditis Eccleſiis ſervari utique debet, aſt ſolum uſque ad aras, ſeu quoaduſque non ſit contrarius propriis particularibus legibus, quibus ipſæ ligantur, ratio enim dictare haudquaquam valet, quod quis propriis contemptis legibus ad alienas tranſeat, ſequaturque eas illius ritus, quem minime ſequitur.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XXXV.

Feſtum Patroni Principalis Civitatis a Clero Sæculari Civitatiſmet celebrandum eſt cum octava, a Regularibus vero ſine octava. In Diœceſi autem, ubi non adſit proprius Loci Patronus, ſimiliter cum octava, at ubi colitur Feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis; vel attenta conſuetudine ſub ritu duplici majori tantum ſine octava. S. R. C. 28. Septemb. 1658. *In Calagurітana*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 78.

I. IDem, quod præcedens, hæc firmat Sanctio, unaque illi binas, quas eidem noſmet dedimus, limitationes adhibet; vult enim Feſtum Patroni principalis Civitatis, quod a Clero Sæculari cum octava celebrandum indicitur, a Regularibus ſine octava eſſe colendum: *A Regularibus vero ſine octava*. Regulares ſunt ſatis occupati in propriis Religionis officiis, & adeo, ut vel cuncta officia apud aliquos intra annum ægre locum habeant, apud alios nullatenus, vel ſane ſaltem cum læthali ictu ferialis officii, ac fere totali diſpendio officii parvi B. Mariæ, officii Defunctorum, ac quaſi indiſpenſabili ſequela plurimorum incommodorum, ad quæ præcavenda etſi decens haud fuerit a celebratione feſtorum principalium locorum, quæ inhabitant, Regulares eximere, eorumdem tamen octavis, quæ celebrationi aliorum officiorum plurimum damnum inferrent, ac præfatis incommodis potiſſimam darent cauſam, gravari minime debuerant, nec decens erat, quemadmodum fuſiori calamo proſequemur in expoſitione Decreti IX. hujus Capitis. Hac utique de cauſa a celebratione octavæ de Dedicatione, ac Titulari Eccleſiæ Cathedralis, licet ad horum feſtorum obſervantiam teneantur, juxta pluries reſoluta alibi in ſuis reſpective locis, & adhuc infra referenda Regulares fuerunt exempti.

II. *In Diœceſi autem*, proſequitur Decretum, *ubi non adſit proprius Loci Patronus, ſimiliter cum octava*, ut enim dicebamus iis in locis Diœceſis, quæ peculiarem, ac proprium Patronum non habent diſtinctum ab eo Civitatis, hic dictorum locorum Protector principalis eſt, & ideo a Clero Sæculari ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & a Clero Regulari ſub ritu itidem duplici primæ claſſis, ſed ſine octava ejuſdem officium peragi debet, quemadmodum a Clero Civitatis fieri debere manet ſancitum.

III. *At ubi colitur* (en limitatio, quam dicebamus) *Feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis*. Hoc ipſo, quod peculiaris Patronus alicubi habetur, relate ad ea loca Patronus Civitatis patrocinium non gerit, ac conſequenter deperdit titulum, vi cujus officium ſibi vindicat; quapropter niſi aliunde eidem officium debeatur, nihil de Patrono Civitatis faciendum venit. Quod ſi Civitatis Patronus inter dictorum locorum Patronos annumeretur adhuc, utique non inter Patronos principales, cum unius loci plures hujuſmodi Patroni eſſe non valeant, ſed inter minus principales, & hoc in caſu de eo officium inſtituendum eſt ſub ritu duplici majori tantum ſine octava, quemadmodum *ſtante conſuetudine* faciendum eſſe præſens mandat Sanctio, ac de Patronis minus principalibus Romanæ præſcribunt Rubricæ.

IV. Quod autem *attenta conſuetudine* de Patrono Civitatis faciendum eſſe præſcribitur, intelligendum venit de legitima conſuetudine, ac valida ad ſuſtinenda Sanctorum officia: hujuſmodi autem eſt in primis conſuetudo ante Bullam Pii V. introducta, ut late dicetur in Cap. de Feſtis ex conſuetudine, necnon de Additione Breviario fieri inhibita; 2. talis itidem eſt conſuetudo celebrandi de aliquo Sancto tanquam de Patrono introducta, atque recepta ante diem 23. Martii 1630.; uti fert ſecundum hujus Capitis Decretum, & late oſtendunt, quæ in ejuſdem expoſitione dicebamus. Quæ duæ conſuetudines validæ etiam forent ad ſuſtinendum officium de Patrono Civitatis ſub altiori ritu, & cum octava, ut ſuis reſpective locis dictum veniet.

V. Altera vero item eſt conſuetudo, quæ licet introducta poſt Bullam Pii V., quinimmo & poſt memoratam diem 23. Martii 1630. adhuc quo tegeret, atque ſiſteret præfatum officium ſub ritu duplici majori, & ſine octava utique haberet, non autem ſub altiori ritu, & cum octava. Ejuſmodi conſuetudo foret, ſi alicubi cum tanquam Patronus principalis coleretur Patronus Civitatis, legitimam fieri contingeret peculiaris Patroni illius loci electionem; hoc enim ipſo cum ejuſdem loci duo principales Patroni eſſe non valeant, Patronus Civitatis, qui illius loci Protector principalis itidem erat, vel penitus deſinit eſſe ejuſdem loci Protector, adeoque nihil de eo faciendum venit, vel de principali Patrono evadit Patronus minus principalis; quod an res ita, necne ſe habeat, ex conſuetudine poſtmodum inducta celebrandi, vel non celebrandi officium de eo, diſerte dignoſcitur. Si itaque conſuetudo ferat de eo officium celebrari, ſignum eſt, quod tamquam Patronus minus principalis retentus extitit, adeoque de eo officium duplex majus, & ſine octava continuari poterit, quemadmodum de Patronis minus principalibus faciendum eſſe mandant Rubricæ. Hæc tamen conſuetudo ſequi non poſſet, ſed corrigi deberet, ſi officium ſub altiori ritu, & cum octava inſtituiſſet; cum enim de ſolo Patrono principali officium duplex primæ claſſis, & cum octava Rubricæ concedant, & Patronis minus principalibus officium ſolummodo duplex majus, & ſine octava, talis conſuetudo, utpote Rubricis difformis, ſuſtineri non poſſet, ſed juxta Rubricarum mandata corrigi deberet. Si autem ex conſuetudine ſtatim deſitum extitit a celebratione officii de Patrono Civitatis, cum jam deſierit ejuſdem patrocinium, deſinere & debet officium de eodem, adeoque apprime bene per Decretum ſancitum habetur, quod *non ſtante conſuetudine nihil in caſu de Patrono Civitatis, attenta vero conſuetudine ſub ritu duplici majori ſine octava*. Extra autem hunc caſum, vel alium ſimilem quæcumque conſuetudo, quæ alicubi poſt memoratam diem 23. Martii 1630. introducta eſſe poſſet recitandi de aliquo tanquam de Patrono ſub quocumque ritu, vel ſolemnitate, penitus tolli deberet, eo quod ei deficit tum antiquitatis titulus exactus uſque ante Bullam Pii V., tum patrocinii titulus, cum uſu, ac conſuetudine non amplius Patroni eligi queant; quapropter cum tale officium licet per conſuetudinem inductum, ſemperque continuatum, legitimum non haberet titulum, quo ſeſe tueretur, ab ejuſdem recitatione penitus ceſſandum foret.

VI. Etſi autem mutare locorum Patronos non habeatur unde inhibitum ſit, attamen, ut bene ponderat Guyetus *lib.* 1. *cap.* 7. *quæſt.* 11., eos mutari ſic, ut unus dimittatur prorſus, & alter aſſumatur, nec Sanctorum ipſorum gloriæ, quibus conſtans ſemper eſt ſuis nobis intercedſionibus ſuccurrendi voluntas; nec Populorum utilitati conducit, quorum ſolida debet eſſe pietas, & ab ejuſmodi mutandi prurigine aliena. Si vero de novis ad priſtinos addendis agatur, non abnuit idem Auctor, quantumvis aſſerat tentandum non eſſe ſine cauſa legitima, nec niſi ſervato in omnibus ſuperius producto Congregationis Decreto 23. Martii 1630., Si qui demum aliquibus in locis hominum incuria ex priſtino Patronorum gradu exciderint, eos ſuæ dignitati, ac juribus reſtituere, nedum illegitimum non eſt, ait ipſe, ut id etiam omni cura, ſtudioque proſequendum putem: nec ad hoc (veritate comperta) alia opus eſt, quam Superiorum loci auctoritate; non enim agitur de nova Patronorum electione, ut in ea ſervari debeat forma a dicto Decreto præſcripta, & ejuſdem cauſæ in Sacra Congregatione examinandæ, cognoſcendæ, & approbandæ, deduci, ſed de reſtitutione officii, & honoris Patronis illis jam rite electis debitorum, licet ab iiſdem indebite ablatorum, quare neceſſe non eſt, niſi quod Superiores loci, quibus inibi ſpiritualium principalis rerum cura incumbit, veritatem facti compertam teneant, ac approbent, ut in officio redintegrari valeant. De legitimitate autem hujuſmodi reſtitutionis plenius conſtabit ex dicendis in expoſitione Decreti IV. Cap. de Feſtis ex conſuetudine, quæ recolat Lector, ut ſuper his ſatis maneat inſtructus, & uſquequo ea progrediantur, probe dignoſcat.

VII. Inferes primo ex dictis, quod tametſi Patronus Civitatis regulariter ſit etiam Patronus totius Diœceſis, omniumque locorum intra ejuſdem confinia ſitorum, adhuc tamen nihil eſt, quod vetet, quo minus intra Diœceſim nonnulla Oppida, Pagi, aut Loca eſſe queant, quæ diverſos ab iis Civitatis Patronos habeant, uti ſatis colligitur ex verbis illis Decreti, *Ubi colitur Feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis &c.*, necnon ex Conſtitutione *Univerſa* Urbani VIII. 22. Decemb. 1642., in qua diem feſtum agi voluit *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit*. Ubi autem hujuſmodi diſtincti Patroni habentur, vel nihil in officio de Patrono Civitatis agetur, vel attenta conſuetudine ſub ritu duplici majori tantum ſine octava tamquam de Patrono minus principali, ut dicebamus, hujus tamen dies nullatenus ex præcepto erit feſtiva, ſed ſolum illa peculiaris Patroni, & quidem etiam ſtante antiqua feſtivandi conſuetudine, quoniam unius tantum principalioris Patroni in quocumque Oppido, vel Pago diem feſtivum coli præcipit memoratus Pontifex, & *ad reliquorum dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœceſi, aut Loco quomodocumque ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſtifideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri, auctoritate Apoſtolica decernit, & declarat* quemadmodum latius infra dicetur in Capite de Diebus feſtivis.

VIII. *Civitatem*, *Oppidum*, *& Pagum* Urbana Conſtitutio nominat dum Patronos habere poſſe pronunciat, quapropter ſcire operæ pretium adjudicamus, quibus locis hujuſmodi denominatio competat, ut inde pateat, quibus itidem diſtinctos Patronos ab iis Civitatis habere liceat. Non quæcumque igitur domorum collectio mœnibus cincta, *Civitas* dicitur, ſed illa ſolum, quæ Epiſcopum habet, ex Bartolo *in lege* 2. *ff. de verborum ſignificat. in fine*. Quæ autem Epiſcopo caret, *Oppidum*. Quæ ſine mœnibus eſt, *Burgum*, ſi plures ſint domus; *Pagus* vero, ſi pauciores, communiter appellatur. Si autem *Pagus* peculiares Patronos habere poteſt, utique a fortiori *Burgum*, quod populatior, ac nobilior nonniſi Pagus eſt.

IX. Burga autem, & Suburbia etſi vulgo *Borghi* appellentur, in hoc diſcrimen habent, quod illa ſunt Vici quidam pagani, ſeu Pagi pluribus domibus coagmentati, ſpatio aliquantulo ab Urbe remoti, hæc vero ſunt Vici Urbi contigui, ac adnexi, ac ſimul cum Urbe unum, & eumdem locum conſi-

conficere cenſentur, ac conſequenter cum ejuſdem loci non liceat diſtinctos Patronos haberi, iidem, qui Civitatis, Suburbiorum duoque erunt Patroni; & quidem tametſi dicta Suburbia mœnibus alicubi cincta reperiantur, & admodum protenſa exiſtant, atque ſpatioſa. Idem dicito de Vicis illis, qui Caſtellis, aut Terris muratis, aut aliis contigui ſunt, & *Borghi* vulgo, aut alio quocumque nomine nuncupantur.

X. Eadem de cauſa idipſum dicendum venit de Parœciis ejuſdem Civitatis, Oppidi, aut Pagi, cum enim omnes unum, & eumdem conſtent locum, nemini ex illis licet præter communem loci Patronum, alium peculiarem habere, ſed idem, qui totius loci Patronus eſt, erit quoque omnium ejuſdem loci Parœciarum.

XI. Adſunt & viculi, qui ſunt ruſtica aliquot ædificia conjuncta, aut certe ſpatio non ita magno a ſe invicem ſeparata, & iſti cum itidem cum Pago, ſeu Oppido, vel quocumque altero loco, cui in ſpiritualibus ſubduntur, unum locum conficiant, diſtinctum Patronum ab eo communi loci habere non poſſunt. Diximus, *cui in ſpiritualibus ſubduntur*, quia etſi nonnulla loca a diverſis Civitatibus, Oppidis, aut Pagis in temporalibus regantur, quoad officium divinum tamen, feſtivationem, Patronorum cultum, ac alia, quæ ad regimen Eccleſiaſticum attinent, ſequi non debent loca, quibur in temporalibus, ſed in ſpiritualibus ſubduntur, quæ etenim ad Polum ſpectant, vel reducuntur, ab eo, qui Poli, ſeu ſpirituale, quæ vero ad forum, ab eo, qui fori, vel temporale jus habent, regi debent.

XII. Inferes 2. ejuſdem loci plures non poſſe eſſe ſimul Patronos principales, ſed dumtaxat unum; ideo enim de Patrono Civitatis nihil faciendum eſſe præſcribitur in locis Diœceſis, ubi peculiaris habetur Patronut, vel dumtaxat ſub ritu duplici majori, & ſine octava, tamquam de Patrono minus principali. Verum ſuper hoc peculiaris habebitur ſermo in ſequenti Decreto.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE XXXVI.

Poſtulantibus Syndico, & Electis Terræ Aquavivæ facultatem celebrandi Feſtum S. Antonii Patroni dictæ Terræ cum octava, non obſtante, quod cum octava celebrarent in eodem Oppido Feſtum S. Euſtachii pariter Patroni; Sacra Rituum Congregatio reſpondit: *De principaliori dumtaxat Patrone celebrandum eſt cum octava*. Ita die 26. Martii 1639. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 78.

I. AQuaviva nobile Caſtrum eſt Regni Neapolitani in Bariana Provincia, diſtans 15. millibus paſſibus a Matera in Boream, & totidem a Bario in Meridiem. Excolebat Feſta S. Antonii, ac S. Euſtachil tamquam Patronorum, ſed illud S. Euſtachii ſolemnius celebrabat, ſub ritu videlicet primæ claſſis cum octava. Verum cum ejuſdem devotio non minus fereretur in S. Antonium, cujus validum patrocinium non ſemel experta fuerat, eumdem honorem, ac cultum, qui S. Euſtachio deferebatur, illi tribuere exoptans ſine ullo præjudicio præfati S. Euſtachii, per Syndicum, & Electos ejuſdem Terræ in Sacra Rituum Congregatione ſupplicari fecit pro facultate celebrandi Feſtum prædicti S. Antonii Patroni dictæ Terræ cum octava, non obſtante, quod cum octava celebraretur in eodem Oppido Feſtum S. Euſtachii pariter Patroni. Quæ Congregatio poſtulantibus ut ſupra generalem exhibuit reſponſionem, videlicet: *De principaliori dumtaxat Patrono celebrandum eſt cum octava*.

II. Hujuſmodi reſponſio de pluribus nos monitos facit, & primo quod Terræ, & Oppida particularem, ac proprium Patronum habere queunt diſtinctum ab eo totius Diœceſis; id enim profecto denotat, dum expoſitos Patronos non illi contendit, ſed ſolum de Principaliori celebrari poſſe octavam definit. Verum quoniam ſuper hujuſcemodi rem in ſuperiori Decreto ſermonem fecimus, non ſunt hic ulteriora verba habenda.

III. Secundum eſt, quod *de principaliori dumtaxat Patrono celebrandum eſt cum octava*. Quærit Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 6.*, ſi plures Patroni conceduntur, eritne eorumdem æquale feſtum, hoc eſt primæ claſſis cum octava? Reſpondet autem: *Officium ſingulorum duplex erit, ut dicitur in Rubrica de officio duplici num. 1., ſed octava non conceditur, ex Rubricis Breviarii de octavis num. 1. niſi feſto Principalis Patroni, immo neque primæ claſſis feſtum erit, niſi ſit ſolemne principale feſtum principalis Patroni, ut aperte in Rubrica de comm. num. 3., & 4., aliorum autem Patronorum officium erit duplex majus per annum ex Rubrica de concurr. num. 2. in fine: quod addidimus ante Tabellas in poſtrema recognitione Breviarii.* Ita ſcribit præfatus celeberrimus Auctor *loco cit.*, & *num. 7.*, quibus Meratus *ibidem num. 2.* ſubdit hæc verba: *Quamvis Patroni locorum plures eſſe poſſint, unus tamen tantum locum principalioris obtinet, regulariter loquendo, ita ut ceteri minus principales cenſeantur, de quibus non celebratur officium, niſi ſub ritu duplici majori, ut optime docet noſter Gavantus ſupra num. 7. ex Rubrica de concurr. num. 2. in fine. Quod ſi in aliqua Civitate, vel Diœceſi plures habeantur Patroni æquales, abſolute tamen dicendum eſt, neutram illorum Patronorum æqualium eſſe principalem, ſed omnes minus principales, quia Patronus magis principalis cum aliis æqualibus ſtare non poteſt, ait Guyetus lib. 1. cap. 7. qu. 5. & cap. 18. qu. 4.*

IV. Et quidem Guyetus *quæſt. 5. cit.* ita ſcribit: *Cum ex Rubrica de Octavis num. 1. unus dicatur principalis Patronus, conſequens profecto eſt, at ſi plures fuerint, reliqui ut minus principales habeantur. Non raro tamen contingit plures in una Diœceſi Patronos cenſeri æquales: uti Biturigibus S. Urſinum, & S. Sulpitium, Aureliis SS. Evurſium, & Anianum &c. Ex quo ne ſtatim arguas, neutrum illorum eſſe principalem, ſed ambos inſtar minus principalium dumtaxat habendos. Quam ego conſequentiam non abnuo, ſi eam ad ritum officii referas, ut videlicet ambo ejuſdem ſint qualitatis, puta duplicis majoris, aut minoris, non tamen primæ Claſſis (de quo diſputabitur ſuo loco inferius.) Quod ſi &c.* Quæſt. vero 5. capit. 18. ita habet: *Patronos vero loci itidem & Religionis duos, treſve, aut etiam plures non raro dari, noſtra fuit quidem aſſertio quæſt. 5. cap. 6., & quæſt. 3. cap. 13., hoc tamen ordine, ut unus dumtaxat principalis locum teneat, ceteri minus principalium; & illi quidem certum eſt ex hocce textu tribuendam octavam; iſtis vero non item, niſi alio ex capite corrogetur.*

V. In eamdem ſententiam ivit Eminentiſſ. Lambertini, nunc Pontifex Summus, dum *de Canoniz. Sanct. lib. 4. par. 2. cap. 15. num. 3.* ita pronunciat: *Unus tantum Sanctus eligi poteſt in Patronum principalem, contra plures Sancti eligi poſſunt in Patronos minus principales juxta auctoritates ſupra allegatas;* ſupra autem allegaverat Rubricas Breviarii *de officio duplici num. 1.*, *de octavis num. 1.* Caſtaldum *in Praxi Cæremon. lib. 2. ſect. 5. cap. 2. num. 5.*, Gavantum *ſect. 3. cap. 12.*, Quarti *ad Rubricas Miſſalis par. 1. tit. 1. dub. 2.*, qui poſtremus citatus Auctor loco cit. revera ita tenet: *Ubi notandum in Patronum principalem unum tantum eſſe eligendum, ut colligitur ex eiſdem Rubricis Breviarii tit. 7. de octavis num. 1. Patroni autem minus principales poſſunt eſſe plures.*

VI. Et quidem quod unus tantum Sanctus in Patronum principalem loci eligi queat, ſatis evincitur ex Bullis Pontificiis; cum enim graves, & ſcandaloſæ contentiones cum magno publicæ quietis, & animarum ſalutis diſpendio in Regno Navarræ excitatæ eſſent ſuper Patronatibus Sanctorum Firmini martyris, & Franciſci Xaverii Confeſſoris, delata fuit controverſia ad Sacrorum Rituum Congregationem, deinde ad Rotæ Auditorium, eademque in medio remanſit, cum judicatum fuerit, probationes hinc, & illinc allatas neutri partium ſuffragari, immo in pluribus deficere. Ad ſedandam autem hanc controverſiam, accedente conſilio Congregationis Sacrorum Rituum, ſanctæ memoriæ Alexander VII. omnibus Conſtitutionibus contrariis derogavit, juſſitque, ut Sancti Firminus Martyr, & Franciſcus Xaverius colerentur in Regno Navarræ tamquam Patroni æque principales cum officio, Miſſa, & octava, uti deſumitur ex Litteris Apoſtolicis ab eodem expeditis die 14. Aprilis 1657. Nec diſſimile eſt exemplum, quod deſumitur ex Litteris Apoſtolicis Innocentii XI. die 24. Septembris 1686., in quibus ad petitionem Joannis Poloniæ Regis illuſtris, & totius Regni, prævio conſilio Congregationis Sacrorum Rituum, Sanctum Hyacinthum Confeſſorem Patronum, & Protectorem Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ, eiſque adjunctarum Provinciarum eodem modo æque principalem, ac Beatum Stanislaum Koſtka, declaravit, derogando quibuſcumque, quæ in contrarium facere poſſent, tum ad fovendam pietatem Regis, & Regni, tum ad ſedandas controverſias ex præcedenti electione B. Stanislai in Patronum pincipalem exortas.

VII. Populus quoque Neapolitanus S. Dominicum Confeſſorem in totius Regni Patronum duxerat aſſumendum; cum tamen S. Januario digniori Patrono, utpote Martyri Pontifici, præferendum numquam aſſenſerat, proindeque S. Rituum Congregationi ſupplicaverat, ut debitas S. Januario Patronatus Regii præeminentias decerneret, & eadem Congregatio ſupplicationibus hiſce die 4. Auguſti 1663. benigne ſubſcripſerat. Ne vero exinde in eodem Regno devotio erga S. Dominicum decrementum aliquod pateretur, Populus prædictus Feſtum ejuſdem S. Dominici Patroni in toto Regno Neapolitano pariter de præcepto ſervari, ejuſque officium cum octava, ut hactenus, ab univerſo Clero inibi recitari ſummopere deſiderans, pro gratia ſupplicavit apud Alexandrum Papam VII., qui benigne omnia conceſſit *in Conſtit. ſua* Commiſſi nobis *de die 28. Junii 1664.* Ex his igitur diſerte abunde eruitur, quod unus dumtaxat eſſe poteſt Regnorum, vel Locorum, ac Civitatum principalis Patronus, quoniam alias ſpeciali Apoſtolico Indulto opus haudquaquam fuiſſet, ſi plures principales Patroni rite haberi quirent. Idipſum deduci poſſe videtur ex ſæpe laudata Conſtitutione *Univerſa* Urbani VIII. 22. Decembris 1642. in qua vult tantum celebrari poſſe tamquam feſtivum diem *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.* Liquet itaque, quod etſi plures Patroni haberi queant, unus tamen ſemper illorum principalior cenſendus eſt, & hic colendus cum feſtivatione, ritu duplici primæ Claſſis, & octava, non ſic tamen ceteri, niſi particulare habeatur Indultum.

VIII. Non ſolum tamen ex Indulto Apoſtolico dantur in aliquo Regno, Loco, vel Civitate plures Patroni principales, ſed etiam ex uſu antiquiſſimo, & inveterato alicubi coluntur plures Sancti tamquam Patroni æque principales, & eorumdem officium ibidem celebratur ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava: unde teſte Halden *part. 3. tit. 1.* in Diœceſi Brixinenſi non modo Sancti Ingenuinus, & Albuinus Epiſcopi, &

Con-

Confeſſores 5. Februarii, ſed etiam S. Caſſianus Epiſcopus, & Martyr 13. Auguſti tamquam Patroni principales Diœceſani officio, & ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebrantur, uti & in Diœceſi Conſtantienſi S. Pelagius Martyr 28. Auguſti, necnon S. Conradus Confeſſor, & Pontifex 26. Novembris. In Eccleſia itidem Cremonenſi tamquam Patroni principales ritum primæ claſſis, & octavam obtinent S. Petrus, & Marcellinus 2. Junii, S. Himerius Epiſcopus 19. Octobris, & S. Homobonus Confeſſor 13. Novembris. In Dominio quoque Sereniſſimæ Reipublicæ Januenſis ſimilem cultum aſſequuntur Sancti Georgius Martyr, Joannes Baptiſta, & Conceptio Beatæ Mariæ, & in Diœceſi Placentina Sanctus Antonius Martyr 4. Julii, necnon S. Juſtina Virgo, & Martyr 26. Septembris, quemadmodum & alibi fieri non ſemel obſervavimus.

IX. Hujuſmodi uſus utique legitimus eſt; atque retinendus, ſi ante Bullam Pii V. ſit introductus, ſemperque deinde cuſtoditus, quemadmodum ſancitum manſit per Decretum quoddam S. R. C. 6. Decembris 1608. in quo, ut videbimus in Cap. de octavis in Quadrageſimam incidentibus, laudat, ac probat continuari officium cum octava de S. Eulaia ratione ſolius antiquæ, & immemorabilis conſuetudinis; in cujus Decreti expoſitione, quæ dicta venient, recolat Lector, necnon quæ dicuntur in Cap. de Feſtis ex conſuetudine, ubi earumdem octavarum inconcuſſum firmitatis robur utique deprehendet. Non minus itidem legitimus erit, atque validus ad tuendas præfatas octavas, ſi introductus ſit, atque receptus ante diem 23. Martii 1630. in quo prodiit famoſum illud Decretum circa electiones Sanctorum in Patronos diſponens, quod primo loco in hocce Capite a nobis ſuperius expoſitum extitit; ut enim obſervabamus in explanatione Decreti ſecundi hujus Capitis, *uſus ſemel introductus, & receptus celebrandi feſtum ſolemniter de aliquo Sancto tamquam de Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Patronis Eccleſiæ*; ſi autem *continuandus*, utique cum eadem ſolemnitate, qua prius, adeoque cum ritu primæ claſſis, & cum octava, ſi hunc coltum præcedenter habebat; noluit enim Sacra Congregatio cultum illis Sanctis eſſe detrahendum, quem ex legitima tunc electione ſibi vindicarant; quapropter & in Decreto 23. Martii 1630. diſpoſitionem *in poſterum* ſolum obſervandam edidit. Videantur ſuperius dicta.

X. Præſens itaque Sanctio, in qua determinatur, quod *de principaliori dumtaxat Patrono celebrandum eſt cum octava*, ac conſequenter quod unus dumtaxat ex pluribus alicujus loci Patronis, principalis cenſeri debet, ceteri minus principales, limitanda venit, ac intelligenda, ut procedat ſecluſo in contrarium Apoſtolico indulto, aut uſu vel ante Bullam Pii V., vel ante Decretum Sacræ Congregationis 23. Martii 1630. introducto, atque recepto.

XI. Hujuſmodi tamen Patroni principales, qui ex Indulto Apoſtolico, aut ex præfato uſu alicubi celebrantur, non continuo feſtivandi ſunt, ſed unius dumtaxat eorum dies feſtiva erit, illius ſcilicet, qui inter eoſdem quodammodo principalior cenſetur; Conſtitutio enim Urbana ſupra laudata diem feſtivum agi vult unius dumtaxat principalioris Patroni in quolibet Regno, & alterius ſimiliter principalioris in qualibet Civitate, vel loco, non obſtante quacumque conſuetudine, præcepto, vel devotione: quocirca etſi uſus, de quo ſupra, ſuffragari valeat ad retinendum ritum elevatiorem, ac octavam, non tamen feſtivationem; hinc in Civitate Cremonenſi, quæ tres Patronos principales recolit, & Placentina duos, unius dumtaxat, prima videlicet S. Homoboni, ſecunda S. Antonini diem feſtivum agit, quemadmodum in ſimili caſu etiam ceteræ obſervant Eccleſiæ. Fallit hoc tamen, quoties in Indulto Apoſtolico feſtum itidem conceſſi alterius principalis Patroni de præcepto ſervari mandaretur, aut poſt dictam Urbanam Conſtitutionem Indultum aliquod Pontificium obtentum fuiſſet, quo feſta Patronorum principalium vi prædicti uſus retentorum in præcepto poſita venirent.

XII. Sunt tamen La Croix *tom. 4. lib. 4. num.* 1262., Halden *par. 3. tit.* 1., ac Paſqualigus *de Sacrific. nov. legis q.* 258. *num.* 5., qui aſſerunt, quod licet ordinarie unus tantum ſit Patronus principalis loci, poſſunt tamen etiam eſſe plures, & nituntur tum in exemplis multarum Eccleſiarum plurimos hujuſmodi Patronos colentium, tum quia juxta Gavantum *ſect. 3. cap. 12. numer.* 3. poſſunt ſine abſurdo eſſe plures Patroni Titulares æque principales alicujus Eccleſiæ, & de pluribus ut talibus fieri poteſt officium primæ claſſis cum octava, ut ibidem idem oſtendit exemplo Eccleſiæ SS. Blaſii, & Caroli Romæ, in qua ambo duo feſta tamquam Patronorum principalium ſub rito primæ claſſis, & octava celebrantur; non apparet igitur, cur non poſſint pariter eſſe ſimul plures Patroni principales alicujus loci. Verum quoad Eccleſias plures Patronos principales colentes, jam patet ex dictis, hoc ideo præſtari vel ex ſpeciali indulto Apoſtolico, vel ex uſu ante Bullam Pii V., vel ante diem 23. Martii 1630., quapropter in nihilo officit iis, quæ nos ſuperius dedimus. Quantum vero attinet ad plures Patronos Titulares principales ejuſdem Eccleſiæ, jam in præcedenti Capite diximus, Patronum ſeu Titularem principalem debere eſſe unicum, vel ſi plures, per modum unius, ut ſunt verb. gr. SS. Gervaſius, & Protaſius, Dionyſius, & Socii, aliique, quorum feſtivitas eodem die, ac officio ſimul recurrit, ac celebratur. Eccleſiæ autem, quæ plures habent ex dictis Patronis diverſa die recurrentes, ac de iiſdem diſtincta celebrant officia cum octava; hoc præſtant ex priſco, ac anneſſo uſu, vi cujus etiam plures Patronos principales ejuſdem loci haberi poſſe aſſerebamus. Videantur, quæ in præcedenti Cap. data ſunt in expoſitione Decreti quinti.

XIII. Ex his inferes primo plures dari poſſe Patronos principales ejuſdem loci per modum unius, qui ſcilicet ſub eodem die recurrant, & ſub uno feſto celebrentur, ut SS. Coſmas, & Damianus, Philippus, & Jacobus, aliique ſimiles; ii enim, etſi plures ſint, ac ſi unus eſſent, reputantur, ac per modum unius recoluntur.

XIV. Inferes 2. quod ſi alicubi plures haberentur Patroni, qui non ſint ex ſupra antiquis, ſemper tamen unus eorum cenſendus eſt dumtaxat principalis, & cum ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebrandus, ceteri vero minus principales & tamquam de Patronis minus principalibus eorumdem officium ſub ritu duplici dumtaxat majori ſine octava erit perſolvendum. Si autem quæras, quinam ex illis principalis cenſendus ſit, cum omnes undequaque æquales appareant, & ſub eodem ritu, & octava celebrati fuerint? Reſpondeo illum principalem cenſendum eſſe, qui cum feſtivatione celebratur: quemadmodum enim vi Conſtitutionis Urbanæ præcipientis, feſtivari diem unius dumtaxat Patroni principalioris in eodem loco, illi, & non alteri feſtivatio aliqua de cauſa conſervata extitit, atque tributa, idcirco eadem de cauſa ille principalior Patronus cenſeri debebit. Ceterum difficile admodum judicamus, quod titulus aliquis haudquaquam adſit, ex quo unus præ altero principalior dignoſci non poſſit; ad hoc enim apprime deſervire valet major Patronatus antiquitas, & in hujus defectu majoritas ſolemnitatis, qua feſtum unius præ altero celebratum ſemper extitit, qui enim poſterius in Patronum electus eſt, in Patronum minus principalem cenſetur electus, uti & illi, cujus feſtivitas generatim in loco ſemper extitit celebrior, Patrocinii primatus non videtur poſſe rite contendi.

DECRET. VIII. CAPITIS, IN ORDINE XXXVII.

Religioſi tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava Feſtum tam de Dedicatione, quam de Titulari Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur: & ſub eodem ritu duplici primæ claſſis tenentur recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum; ad octavam autem non tenentur, juxta pluries reſoluta: De aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in una Ordinis Minor. de Obſerv.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 125.

I. Quamplurimas profecto ſanctiones præſens comprehendit Decretum, quarum nonnullæ etſi ad alia proprius attineant Capita, adhuc hic ſaltem curſim, atque diſtincte ſunt a nobis examinandæ, ut Decreto plenam demus explanationem.

II. *Religioſorum* appellatione quantumvis in favorabilibus large veniant etiam Clerici Sæculares, ut per Gloſs. *verb. Religioſi, in cap. nullus itaque*, 1. *qu.* 1., & aliam *verb. Religioſos, in cap. præſens 9. qu.* 3. reſolvit Lambertinus *de jurepatron. lib. 1. part. 1. qu. 11. per totum*, impræſentiarum tamen certum eſt, venire tantummodo illos, qui ſtricte ſunt, & dicuntur Religioſi; hujuſmodi autem ſunt, ut *ibidem num.* 10. obſervat laudatus Auctor, qui promittunt tria vota ſubſtantialia Regulæ; quinimmo & ex his veniunt præſertim illi, qui Clauſtrales ſunt, ſeu qui in Conventu aliquo de more degunt, habet quippe Decretum, *Illius Conventus, in quo morantur*.

III. Quia vero Equites Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani, qui communiter Melitenſes Equites nuncupantur, ſunt vere, abſolute, & ſimpliciter Religioſi, utpote qui aliorum more tria vota ſolemnia emittunt ſub Regula ab Eccleſia approbata, idcirco indubium redditur, Decretum & de his utique procedere. Videatur Barboſa *de Appellat. Verbor. Appellat.* 133. *num.* 6., ubi congerit Auctores communiter aſſerentes, appellatione Religioſorum venire præfatos Equites, & quidem nedum in materia favorabili, ſed etiam odioſa.

IV. Idipſum dicendum venit de Monialibus cujuſcumque Regularis Ordinis, ſunt etenim veræ non minus Religioſæ, cum tria vota ſubſtantialia ſub Regula approbata profiteantur, ac Clauſtrales ſint, degantque in Monaſteriis. Nec officit, quod Sanctio habeat *Religioſi*, nam maſculinum concipit etiam fœmininum in iis, quæ ſunt adaptabilia, uti pluties diximus, hinc & appellatione *Monachorum* venire Moniales, quoad ea, quæ ſunt proportionabilia, docent Felin. *in Cap. de Monialibus, de ſent. excomm.*, Fulgoſ. *Conſil.* 121., Paul. Fuſc. *de viſitat. lib. 2. cap.* 18. *numer.* 62., Menoch. *de arbitr. caſu* 421. *num. ult.*, Flores de Mena *var. lib. 1. quæſt.* 10. *num.* 25.

V. In favorabilibus itidem venire Novitios, atque Novitias Regularium Ordinum communis eſt Doctorum opinio; aſt quoniam hic agitur de oneribus, ac præceptis imponendis, de obligatione ſcilicet recitandi officium prout ſupra, idcirco præfati cum neque vere, neque effectu Religioſi dici valeant, nam non habitus facit Monachum, ſed profeſſio, & vita Religioſa, *Cap. ex parte, de Regular. cap. quia ingredientibus, de teſtam.*,

ſtam.

Digitized by Google

ſtam., ex communi itidem Auctorum ſententia haudquaquam comprehenduntur. Poterunt quidem itaque iſti dicta officia recitare, ſed ad eorumdem recitationem minime tenebuntur hujus ſaltem vi Decreti, quando etiam ratione Beneficii Eccleſiaſtici, vel ſacri Ordinis ad Horas Canonicas manerent adſtricti.

VI. Primo igitur deciſum habemus, quod *Religioſi tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava Feſtum tam de Dedicatione, quam de Titulari Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur*. Eccleſia illius Conventus, in quo Religioſi morantur, eſt eorumdem propria Eccleſia, cujus Choro, ſi hunc habeat, ſunt addicti, & ratione habitationis adſcripti, ut alibi dicetur; propriæ autem Eccleſiæ Feſtum tum Dedicationis, tum Titularis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava in præcepto paſſim ponunt Rubricæ, & præſertim *I. de officio duplici num.* 1., *VII. de Octavis num.* 1., *IX. de Commem. num.* 3., *X. de Transl. num.* 1. *&c.*, & expreſſe dicta duo Feſta recenſentur in Tabella duplicium primæ claſſis.

VII. Secundo deciſum habetur, quod *ſub eodem ritu duplici primæ claſſis tenentur recitare de Patrono principali Loci*. Per infinita propemodum Decreta hoc idem determinatum extitit, ut videre eſt in Decretis IV., VI., *&* XIII. hujus Capitis, necnon in quamplurimis aliis tum hujuſce, tum aliorum Capitum, & cum Patroni principalis feſtum ſit itidem in præcepto quoad forum, id etiam ſancitum videtur per Decretum 5. Maji 1736. generaliter Regulares obligans ad officium de feſto quolibet, quod in Diœceſi eſt de præcepto quoad forum. Hoc autem Decretum datur, & exponitur in Cap. de Diebus feſtivis, ubi & reſoluta manent nonnulla, quæ in contrarium facere videri poſſent. Id etiam prius ſtatuerat Gregorius XIII. in ſua Conſtitut. *Paſtoralis officii* ſub die 30. Decembris 1573., ac unanimi voce clamant omnes, ſi paucos demas, Auctores, inter quos Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 5., Meratus *ibidem num.* 3., Guyetus *lib.* 2. *cap.* 13. *quæſt.* 3.

VIII. Hujuſce rei ratio quidem plurima eſt. Tum quia eſt ex præcipuis, ac primariis loci feſtivitatibus, adeoque ex iis, quæ ab omnibus loci Incolis decent cuſtodiri; ſi enim in hujuſmodi feſtis ad uniformitatem ſervandam voluit Urbanus VIII. in ſæpe laudata Conſtitutione omnes, etiam Regulares, & prius ipſo Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. ad feſtivationem teneri, utique eadem uniformitas exigit, ut etiam ad officium de iiſdem teneantur. Tum ne Populus, qui in dictis feſtis ad Regularium Eccleſias accedit, Miſſas, & Officia Divina de iiſdem auditurus, in ſua expectatione decipiatur, & ut ad pietatem erga Patronum ſuum non minus accedantur, quam ſi ad reliquas loci confluat Eccleſias, quemadmodum ponderat Gavantus *loco cit. num.* 5.. Tum quia cum totius loci Patronus ille ſit, Patronus eſt etiam Regularium in eo loco exiſtentium, ac commorantium; quapropter æquum eſt, ut ejuſdem celebrationi etiam iidem non minus incumbant; Regulares enim ad Patroni concurrunt electionem, eum ſuum debeant non minus, ac Clerus Sæcularis, conſenſum præbere, adeoque non minus debent eumdem tamquam Patronum excolere. Tum quia Feſtum Patroni loci juxta Romanas Rubricas eſt in præcepto, nec ex aliquem ab eiuſdem celebratione eximunt, quinimmo totum locum expreſſe obligant, ut Rubrica *IV. de Dominicis n.* 2., ubi de Feſto Patroni loci incidente in Dominicas 2. claſſis ita pronunciat; *Quia tunc de hujuſmodi feſto fit tantum in Eccleſia, vel Loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus*; cum igitur totius loci Patronus ſit, & quidem adhuc exempti ab Ordinarii juriſdictione, proculdubio in quocumque loco, licet exempto excoli debet; hujuſmodi enim obligatio ab Ordinarii juriſdictione minime promanat, ſed a Rubricis Romanis, quæ per Apoſtolicam auctoritatem tamquam leges conſtitutæ ſunt, adeoque ad eam ſolvendam haudquaquam exemptio ab Ordinarii juriſdictione Regularibus ſuffragari valet, qui Apoſtolicis Edictis obſtricti ſunt, ac plene ſubjecti.

IX. Tertio ſancitum habetur, quod *itidem Regulares de Titulari Eccleſia Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis recitare teneantur*, & hoc ſimiliter determinatum extitit 20. Martii 1683., & 20. Novembris 1683., licet poſtea hæc Decreta ritum, quo tale officium recitare teneantur, minime explicent, dantur autem hujuſmodi Decreta in Indice ſub num. 135., 147., & idipſum docent Meratus *loco cit.*, Guyetus ut ſupra itidem laudatus, aliique; & ratio pro Patrono principali loci ſuperius adducta, quæ ex uniformitate in præcipuis loci feſtivitatibus ab omnibus ſervanda petita eſt, pro Titulari etiam Eccleſiæ Cathedralis æque procedit, quemadmodum eadem de cauſa in Decreto IX. Capitis primi ad celebrationem officii de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis Regulares vidimus obſtrictos.

X. Fatemur tamen, quod in hujuſmodi diſpoſitione non deeſt difficultatis nodus aliquis, qui non ita facile extricabilis appareat; cur ſcilicet Regulares ad Feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis recitare teneantur, cum tamen ad Dedicationem ejuſdem Eccleſiæ ſub ritu duplici dumtaxat ſecundæ claſſis reperiantur conſtricti; & eo maxime, quod Feſtum Dedicationis præſtare generaliter Feſto Titularis ſententia eſt Gavanti *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 7., quam nec nos reprobavimus.

XI. Non deeſt tamen aliqualis ratio diſcriminis, & eſt, quod Dedicationis feſtum, etſi merito ſui præſtantius forſitan ſit feſto Titularis, adhuc tamen coli non aſſolet cum tanta ſolemnitate, ac cum tanto Populi concurſu, ut feſtum Titularis; quinimmo ut plurimum illud apud Populum fere nullam ſibi vindicat ſolemnitatem, ubi ad feſtivitatem Tituli turmatim aſſolet convenire. Accedit, quod Titularis Eccleſiæ tamquam Protector Populi communiter circumfertur, ac ut talis veneratur, quocirca ejuſdem feſtum non adeo, ut illud Dedicationis, ita ad materialem Eccleſiam coarctatur, ſed etiam ad formalem protenditur, & non tam Eccleſiæ materialis, quam formalis reputatur. Non mirum igitur eſt, ſi Feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, adhuc apud Regulares, ſub præcepto poſitum eſt, non ita autem feſtum Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, quemadmodum iiſdem de cauſis Feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava apud omnem Clerum Sæcularem Civitatis, & Diœceſis diſpoſitum eſt celebrari, ubi Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis apud ſolum Clerum Sæcularem Civitatis ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebratur, in Diœceſi vero ubique ſine octava, quinimmo & ſub ritu duplici minori, ubi ita celebrari illud ſolitum eſt, uti mandant Decreta VI., VII., & VIII. Capitis primi.

XII. Inferes ex his, Clerum Regularem, etiam in Diœceſi exiſtentem, ad Feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis non minus teneri, ac Clerum in Civitate commorantem, quemadmodum ad idem feſtum non minus tenetur Clerus Sæcularis Civitatis, & Diœceſis. Quod autem Clerus Regularis Diœceſis ad Feſtum Dedicationis Cathedralis nullatenus teneatur, ratio modo producta ſatis oſtendit, pro Titulari nequaquam concludere, quemadmodum ex eo, quod Clerus Sæcularis Diœceſis idem feſtum Dedicationis celebret ſine octava, & ſub ritu etiam dumtaxat minori, haudquaquam inferri licet, quod idem Clerus Sæcularis Diœceſis Feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſine octava, & ſub ritu ſolummodo minori celebrare valeat.

XIII. *Tantum* ſubdis Decretum, quæ dictio cum appellet ſupra feſta expreſſa, videtur quæcumque alia non expreſſa excludere, ſicuti ponderant omnes Doctores tractantes de effectibus, & vi præfatæ dictionis; quapropter in conſequentiam veniret, quod Regulares nequaquam tenerentur ad feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis contra id, quod pluries vidimus ſancitum agentes de Eccleſiæ Dedicatione. Verum dici poteſt, quod excludit quidem omnia alia hujuſmodi feſta, non univerſim, ſed ad quæ celebranda ſub ritu duplici primæ claſſis Regulares teneantur, de quibus profecto præcedens Sanctionis locutio profatur. Vel quod dictio *Tantum*, etſi taxativa, reſtrictiva, & limitativa ſit, non propterea excludit connexa, aut caſus ſimiles, quemadmodum pariter communiter docent Auctores apud Barboſam *de dictionib. dict.* 402. *num.* 6., *&* 8.; feſtum autem Dedicationis in Eccleſiis conſecratis connexum eſt cum feſto Titularis, quinimmo & feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis eſt ex feſtis loci præcipuis, & primariis non minus, vel æque quaſi, ac alia feſta a Decreto recenſita, ac conſequenter dictio *Tantum* in Decreto appoſita, dictum feſtum Dedicationis nequaquam excludit.

XIV. Quarto ſtatutum habetur, quod *ad octavam non tenentur*, dictorum ſcilicet feſtorum Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, & addit *Juxta pluries reſoluta*; de octava enim Patroni principalis loci id prius fuerat reſolutum in Decretis 27. Martii 1628., & 28. Septemb. 1658., ut liquet ex Decretis IV., & VI. hujuſce Capitis. De octava autem memorati Titularis antiquius præſenti Decretum nobis non ſuppetit, ſed ſolum in Indice datum ſub num. 135., quod emanatum noſcitur ſub die 20. Martii 1683., & quod datur in Indice ſub num. 147., quod editum fuit ſub die 20. Novembris 1683.; attamen dubitare non licet, quod aliquod hujuſmodi Decretum inhibitivum præcedenter emanatum extiterit, cum præſens Sanctio nos docet *Juxta pluries reſoluta*; non enim cuncta, quæ ex Decretis a Sacra prodiere Congregatione, in Regeſtis exarata extitere, nec omnia ex ipſis exaratis per Meratum in ſuum Indicem invecta fuerunt. Ceterum ad intentum ſatis faceret quæcumque Sanctio, quæ Regularibus univerſim Sanctorum Diœceſanorum octavas inhibitas declararet, quinimmo & eæ, quæ Patroni principalis octavam iiſdem inhibent: quæ enim principaliorem octavam vetant, & minus principales, cujuſmodi eſt octava Titularis Eccleſiæ Cathedralis, inhibere jure cenſentur.

XV. Si inſpiciatur ratio, quam ex Rubricis Feſtum Patroni principalis loci præcipientibus nos ſuperius produximus ad obligandos Regulares ad celebrationem feſti, ſeu officii de eodem, proculdubio pro obligatione eorumdem Regularium ad celebrandam etiam ejuſdem octavam valida videtur; aſt quoniam dicta ratio noſtram non debet ſubterfugere conſiderationem in Decreto IX. hujus Capitis, ubi deciſum videbimus, ly *non teneri ad octavas præfatas* etiam libitum excludere, & non ſolam obligationem, idcirco ad ibi dicenda Lectorem remittimus, ubi & ipſi videre licebit, quare diſpoſitum extiterit, ad præfatas octavas Regulares nequaquam teneri, immo nec poſſe eas recitare.

XVI. Quinto determinatum eſt, quod *de aliis Patronis minus principalibus non tenentur recitare*. Id docet Gavantus *loco cit. num.* 7., ubi hæc verba tenet: *Neque de his Patronis*

minus Principalibus tenentur Regulares officium recitare, quos nulla lex obligat. In contrarium tamen ſentit Guyetus loco qui ſupra, ubi loquens de feſtis, ad quæ celebranda tenentur Regulares, ita ſcribit; *Item Patronorum minus Principalium, ubi tales etiam coluntur*. Et revera Guyeti ſententiæ ſatis congrua non deſideratur ratio; Tum quia etiam Patroni minus principales ſunt Patroni loci, ac conſequenter omnium exiſtentium in eo loco, & ad eorumdem electionem non minus, ac ad eam Patroni principalis, concurrit aſſenſus Regularium; quocirca congruum utique videtur, eoſdem Regulares teneri ad eorumdem celebrationem medio officio. Tum quia officium Patronorum minus principalium inter officia de præcepto recenſentur recitanda in loco, in quo ut Patroni coluntur, unde in ſerie duplicium majorum a Rubricis collocantur.

XVII. Quæ licet ita ſint, adhuc officium dictorum Patronorum noluit S. Congregatio apud Regulares eſſe in præcepto; conſideravit enim, quod Feſta illorum non ſunt ex præcipuis, ac primariis locis feſtis, & quod ex eorumdem inobſervantia, quæ apud Regulares eveniat, exoriri non poſſunt vehemens ſcandalum, aut offenſio in Populo, qui ad horum confluit Eccleſias; hinc cum præfati Regulares aliunde ſint valde occupati in Sanctorum indigenarum celebratione, & adeo aliqui, ut intra annum cuncta, ad quæ tenentur, perſolvere nequeant Sanctorum officia, vel ſaltem ægre, & cum maximo incommodo ferialis officii, ſuppreſſione feriarum majorum, officii parvi B. Mariæ, Defunctorum &c. haud æquum exiſtimavit, quid ulterius oneris ſupta aſſerta primaria locorum feſta Regularibus imponere circa Sanctorum locorum, & Diœceſium, in quibus morantur, officia, ſed eoſdem, uti ab Epiſcopi loci juriſdictione exempti ſunt, ita a loci officiorum recitatione voluit exemptos, eos liberando a lege, ſi quæ eſt, Rubricarum, quæ eoſdem poſſet adſtringere.

XVIII. Quod ſi ad celebrationem Patronorum minus principalium Regulares haudquaquam tenentur, certum utique redditur, nec ad recitandum de ceteris locorum Sanctis teneri, ſunt etenim hi minus celebres, minuſque ad Regulares attinent, ut ii, qui ad Patronorum minus principalium officia non obligantur, ad illorum feſta teneri queant; hinc Guyetus *loco citato*, aliique paſſim Doctores a recitatione Feſtorum ſecundariorum Patronorum, Sanctorum Epiſcoporum, & aliorum loci naturalium, vel quæ vi Reliquiarum, ſive vicinitatis, aut affinitatis, vel fundationis, voti, aut conſuetudinis in loco eveniri celebrari, Regulares concorditer liberant.

XIX. *Niſi ſint deſcripti*, ſubdit Decretum, *in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio*. Sancti, qui loci alicujus Patroni minus principales ſunt, aut naturales; vel indigenæ, vel quomodocumque attinentes, poſſunt eſſe deſcripti *vel in Kalendario Romano*, uti S. Petrus martyr, qui Novocomi, ac Veronæ Patronus minus principalis eſt, in Breviario Romano ſub ritu duplici die 29. Aprilis habet officium; *vel in Kalendario Regularium proprio*, quemadmodum evenit in Beata Rita de Caſſia, quæ Caſſiæ in Umbria, ubi communis lucis uſuram accepit, cum officio Sanctarum Mulierum colitur, & licet in Breviarium Romanum ejuſdem feſtum Apoſtolica auctoritate invectum non ſit, bene tamen in illud Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, cujus Inſtitutum profeſſa fuit, ac ad mortem uſque proſecuta; etſi autem in hujuſmodi eventu Regulares haudquaquam ad dictorum Sanctorum celebrationem teneantur, qua loci Patroni minus principales ſunt, aut Sancti naturales, vel indigenæ, a recitatione tamen de iiſdem, quatenus in Breviario Romano ſunt, vel in proprio deſcripti, ſe diſpenſare utique nequeunt, quemadmodum ad recitandum de his, licet non forent locorum Patroni minus principales, vel Sancti indigenæ, æque manerent adſtricti; ſolvitur enim quidem obligatio recitandi de dictis Sanctis, quæ vi Kalendarii Diœceſis, vel loci, ubi morantur, in Regulares derivare poteſt, non autem quæ vi Kalendarii Romani, aut proprii, quorum legibus, atque præſcriptis manent obſtricti, in eoſdem promanat. Ex quo fit primo, quod ad dicta officia teneantur dumtaxat ſub eo ritu, quo in Kalendario Romano, vel proprio reperiuntur deſcripta, non autem ſub eo, quo in Kalendario Diœceſum, vel locorum manent notata. Fit ſecundo quod ad eadem officia ſolummodo obligantur, ſi in dictis Kalendariis Romano, aut proprio tamquam de præcepto notata exiſtant, ſecus vero ſi tamquam officia ad libitum, aut alio ſimili modo, qui liberam Clero relinquant eorumdem recitationem.

XX. Ultra hujuſmodi limitationem, quam præſenti Sanctioni Decretum ipſum adhibet, haud deſiderantur nonnullæ aliæ, quæ eidem exporrigi debent. Prima eſt autem, ſi Feſtum aliquod Patronorum minus principalium, vel Sanctorum loci naturalium ſit ea particulari Indulto alicubi in præcepto quoad forum; ad recitandum enim de feſtis quibuſcumque, quæ alicubi ita ſunt in præcepto, Regulares Sacra Rituum Congregatio voluit adſtrictos die 5. Maji 1736. cujus Decretum expoſitionem habet in Cap. de Diebus feſtivis.

XXI. Secunda eſt, ſi nonnulla ex dictis feſtis ſint admodum in locis ſolemniora, ac celebriora, aut in eadem maxime, & forſitan plus quam in Feſta principalium, aut aliorum loci præcipuorum, communis Populi devotio feratur; ſi enim Sacra Congregatio Feſta, quæ de præcepto quoad forum alicubi ſunt, eo quod inibi valde celebria, ac populi devotione proſecuta eſſe ſolent, a Regularibus cum officio voluit celebrari, communibus votis utique nec deſiderari convenit ea Regularium in iis feſtis, quæ licet de præcepto quoad forum minime ſint, ſunt tamen in loco celebriora admodum, & ſolemniora, ac univerſali Populi devotione non minus, ſi non magis, ſaltem celebrata, ut ſic nihil ſit, quod celebritatem minuat, omniaque loci membra ſatis apte conveniant, & Populus, qui ad Eccleſias confluit, Officia, & Miſſas de dictis Sanctis auditurus, in ſua non defraudetur expectatione, quinimmo ad pietatem erga eoſdem, ac devotionem ſemper magis accendatur. Fallentia iſta Decreti non improbata venit a Guyeto *loco citato*, nec refragatorem jure habere valet Gavantum, qui dum productæ vi rationis ad feſta principalium loci Sanctorum Regulares obligat, ad illa etiam aliorum, de quibus eadem ratio procedit, eoſdem obligare cenſetur.

XXII. Tertia limitatio eſt, ſi in conceſſione officiorum de Patronis locorum minus principalibus; aut de aliis indigenis, Clerus ipſe Regularis expreſſus veniat, atque obligatus; tunc enim certum eſt, quod dictus Clerus ad eorumdem celebrationem tenetur, non quia Patroni minus principales, aut Sancti locorum naturales illi ſint, ſed quia per auctoritatem Apoſtolicam, cui plene Regulares manent ſubjecti, obligati veniunt, atque conſtricti. Ita revera ſancivit S. Congregatio 20. Martii 1683. cujus Decretum datur in Indice ſub num. 136. necnon in aliis Sanctionibus, inter quas numerari utique poteſt, quæ ſequens dabitur, ac exponetur.

XXIII. Verum etſi ad Patronorum minus principalium, & aliorum Sanctorum loci indigenarum officia recitanda Regulares minime teneantur, *laudabile tamen eſt, ſi recitent in gratiam Populorum*, ait Gavantus, qui licet id aſſerat de Patronis minus principalibus, eſt tamen extendendum ad cuncta loci officia, ut bene Guyetus, *eo ſane titulo, quod vere loci propria ſunt*, ac conſequenter ab omnibus loci incolis decent celebrari, *id nullatenus*, ut optime idem Auctor ponderat, *prohibente Congregatione, ſed dumtaxat decernente ad id eos minime teneri*. Videantur, quæ hanc ſuper rem producentur, cum de Regularibus in ordine ad Feſta locorum agemus.

XXIV. Fateor, quod ſuper intelligentiam verbi illius, *Non teneri*, quam ex Guyeto modo dedimus, nonnihil difficultatis ingerit verbum idem, *Non tenentur*, quod hoc Decretum de Regularibus pronunciat relate ad Sanctorum Diœceſanorum octavas, dum aſſerit, *Ad octavam non tenentur*, quod per excluſionem etiam libiti ab eadem Congregatione inferius in hoc Capite videbimus intellectum. Verum cum diſpar ſatis ſit ratio de octava, quæ nonniſi prorogatio feſti eſt, & ſupponit jam feſtum celebratum, adeoque quod Sanctus, de quo eſt octava, jam ſuum officium habuerit, ac de feſto ipſo, quod ſi ſupprimatur, nihil penitus fit de Sancto, de quo tale feſtum eſt inſtitutum, idcirco haud incongrue verbum illud, *Non tenentur*, de octavia dictum, utpote quod ſine neceſſitate feriale perimit officium, ac alia ſuperius recenſita, ac inferius recenſenda affert incommoda, per excluſionem etiam libiti intelligi potuit, non ſic autem prout de feſtis dictum eſt, quo in caſu ſi aliquod ex dictis inducit incommodis, alias etiam officii cultum de eo Sancto penitus tolleret. Videantur etiam, quæ ſuper hujuſcemodi rem dicta ſunt in Decretis X. & XI. Capitis primi, & inferius dicentur in expoſitione Decreti IX. hujus Capitis.

XXV. Quæ autem hic dicta ſunt de Regularibus Viris, utique intelligenda veniunt & de Regularibus Fœminis, quæ, ut ſuperius dicebamus, vere veniunt *Religioſorum* appellatione, & Decretum procedit in materia ipſis æque adaptabili, & convenienti; quinimmo & ratio ipſa, ob quam de Regularibus Viris iſta diſpoſita ſunt, cum non minus currat de Regularibus Fœminis, ad has etiam diſpoſitionem extendendam eſſe ſatis oſtendit. Quia vero ex Monialibus aliæ ſunt, quæ non Prælatis Regularibus, ſed locorum Ordinariis reperiuntur ſubjectæ, idcirco de his dubitatio exoriri poteſt, num ut ſupra teneantur, & poſſint? Verum id ſatis deciſum de iſtis quoque extitit per iterata Sacræ Congregationis Decreta, inter quæ eſt XI. Capitis primi, necnon plura alia alibi exponenda, in quibus eaſdem ad illa omnia locorum officia, ad quæ Moniales Prælatis Regularibus ſubjectæ, & Regulares ipſi, & eodem penitus ritu, & modo, quo iſti tenentur, obligari, & poſſe manet ſancitum, cum non minus iſtæ ad officia Religionis, ac ceteræ, & Regulares ipſi teneantur, & locorum Ordinarii in earumdem regimine locum Prælatorum Regularium teneant. Non eſt itaque ſuper hanc rem hic ulterius immorandum, ſed tamquam certum tenendum, quod ea, quæ de Regularibus Viris, aut Monialibus Prælatorum Regularium juriſdictioni ſubjectis relate ad divinum officium diſpoſita ſint, intelligantur etiam ſtatuta de Monialibus locorum Ordinariis immediate ſubjectis. Vide etiam, quæ dicuntur in expoſitione Decreti X. hujus Capitis.

DE-

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE XXXVIII.

Diſponente S. Rituum Congregatione, quod Regulares ad octavam Patroni principalis non tenentur, quæſitum fuit, an ly *non tenentur*, excludat etiam libitum, ita ut Regulares non poſſint de dicta octava recitare, ſi velint? Reſponſum fuit, excludi etiam libitum, & non poſſe, niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi Conceſſionis Apoſtolicæ, vel Conſtitutionis Religionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordinis Minorum Obſerv.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 142.

I. PEr plurima Sacrorum Rituum Congregationis Decreta Regularibus factam vidimus obligationem recitandi de feſto Patroni principalis loci, in quo morantur; aſt cum addant, *Ad octavam tamen non tenentur*; dubitandi locum relinquunt, atque dedere, num ly *non tenentur* nedum excludat debitum, ſeu obligationem, ſed etiam libitum, ita ut dicti Regulares neque poſſint recitare de præfata octava, ſi velint? Quod dubium cum fuerit in Sacram eamdem Congregationem productum, hæc reſpondendum cenſuit, *excludi etiam libitum, & non poſſe*, quo circa indubium redditur, Regulares neque teneri, neque poſſe de dicta octava officium recitare.

II. Si præfati vis verbi, *Non tenentur*, præciſe attendatur, proculdubio debitum, ac obligationem dumtaxat excludit, non autem libitum, ac arbitrium, quemadmodum in præcedenti Decreto juxta mentem Guyeti profati fuimus, ac ea de cauſa Regulares de Patronis minus principalibus recitare poſſe aſſeruimus, quantumvis ad recitandum de iiſdem Regulares non teneri dictum Decretum pronunciet; quod & præſtitimus in expoſitione Decreti decimi Cap. primi, in quo Regulares Diœceſis ad celebrationem feſti Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis non teneri diſponebatur. Verum quoniam ly, *Non tenentur ad octavam*, in prædictis Decretis dumtaxat appoſitum diximus in Decreto XI. Capitis primi, quia ſic poſtulabat dictorum Decretorum modus, ac loquendi proprietas, in quibus præcedenter actum erat de Regularium obligatione ad celebrandum feſtum Patroni principalis, idcirco locus utique patet verbum illud, *Non tenentur*, exponendi per excluſionem etiam libiti, vel arbitrii, ita quod dum diſponunt, *Ad Feſtum Patroni Principalis tenentur, non tamen ad octavam*, excludant obligationem recitandi de octava, quam ſtabiliverant de feſto, non tamen permittant dictum libitum, vel arbitrium de ea recitandi, quemadmodum in præſenti Decreto ſancitum eſt, ac in dicto Decreto XI. Capitis primi, necnon in ſequenti Decreto, quod poſt præſens explanandum ſumemus.

III. Non ſic tamen verbum illud, *Non tenentur*, intelligendum duximus in præcedenti Decreto, ac in Decreto X. Cap. primi, quando de Feſtis pronunciatum adinvenitur; tum quia de feſto nihil penitus alioquin fieret, ubi de Sanctis, de quibus eſt octava, adhuc feſtum inſtitueretur; tum quia licet ex feſtorum celebratione nonnulla ex ſtatim allegandis ſequantur incommoda, adhuc ex inomiſſione eorumdem feſtorum, quæ ab omnibus loci incolis celebrari conveniens eſt, habent, unde compenſentur, ubi agendo ſupradictas octavas dicta ſequuntur incommoda, nec habent, unde compenſentur, quia adhuc in feſto de Sancto ſatis agitur, & octava nonniſi prorogatio feſti eſt, quæ forte minus conveniens eſt in ſequela præfatorum incommodorum. Tum denique quia præcedenter nedum determinatum erat, Regulares ad dictam octavam non teneri, ſed inſuper ipſis expreſſe inhibitum erat eamdem celebrare, videlicet die 28. Septembris 1658., ut in Decreto hujus Capitis ſexto, in quo ſtabilitur, *Feſtum Patroni Principalis a Regularibus celebrandum eſſe ſine octava*, quocirca verbum præſatum *Non tenentur*, quatenus de dicta octava a præcedentibus, & ſubſequentibus Decretis uſurpatum extitit, nonniſi in ſenſu excluſivo etiam arbitrii, & libiti accipi poterat; non ita tamen quatenus de feſtis locorum dictum reperitur, quorum celebratio nuſquam Regularibus adinvenitur inhibita.

IV. Ratio vero, ob quam Regularibus de dicta octava celebrare vetitum eſt, inſinuatur a Gavanto, dum *ſect. 3. cap. 12. num. 5.* ita proloquitur: *Octava vero ſatis eſt, ſi fiat a Clero Sæculari illius loci; nec cogendi ſunt Regulares occupati etiam propriis Religionis officiis ad omnia Cleri Sæcularis officia recitanda*. Tenentur Regulares Eccleſiæ ad Feſta Kalendarii Romani, necnon occupatæ veniunt in celebratione Sanctorum indigenarum, ac plurium octavarum de iiſdem, nec exemptæ ſunt a recitatione officii de Titulari, & Dedicatione propriæ Eccleſiæ, ac de eorumdem octavis, quinimmo neque a celebratione Reliquiarum, vel officiorum ex legitima, & antiqua conſuetudine, ſi quæ ex hujuſmodi habent officiis; quibus ſi addas Feſta Patronorum principalium, Titularium, ac Dedicationum Eccleſiarum Cathedralium illorum locorum, quæ incolunt, necnon Patronorum minus principalium, & aliorum naturalium, ac indigenarum, ad quæ celebranda reſpective vel tenentur, aut poſſunt, adeo multus exurgit officiorum numerus, ut multoties intra annum nullatenus cuncta, vel ſaltem ægre locum habeant. Ex hacce feſtorum multitudine ſane quamplurima exoriuntur incommoda, ac in divinis officiis perturbatio maxima, quæ cum late, atque diſerte ſuo loco examinata veniant, ſatis ſuperque eſt, hic eorumdem nonnulla curſim indicare.

V. Sunt autem damnum, quod patitur officium feriale, Dominicale, Feſtorum ſimplicium, ac Vigiliarum, necnon ſacroſanctæ Quadrageſimæ. Interdicta itidem venit integra recitatio Pſalterii, ſequitur omiſſio Hiſtoriarum, & Reſponſoriorum, ac Miſſarum Dominicalium, quæ in propriis diebus impeditæ, nec reperiunt alteram liberam, in qua ponantur. Abit quoque in nihilum officium tum parvum, tum majus in Sabbato de S. Maria, & pari diſcrimine laborant Officium Defunctorum, Pſalmi Graduales, ac Pœnitentiales, certis diebus ex præſcripto Rubricarum dicendi. Hæc ſane, ac alia, cum ſint non levia incommoda, ut quantum fieri poteſt, tollerentur e medio, Gregorius XIII. in ſua Conſtit. *Paſtoralis officii* de anno 1573. Eccleſiis Hiſpaniæ inhibuit, multitudinem feſtorum inducere, & Sacra Congregatio famoſo illo Decreto 8. Aprilis 1628. Ordinariis quibuſcumque facultatem ademit addendi officium aliquod Kalendariis etiam propriis. In Urbana quoque Reformatione Breviarii octavæ temporibus Quadrageſimæ, & nonnullis aliis celebrari fuerunt inhibitæ, & hiſce poſtremis temporibus, cum nonnullorum Sanctorum feſta alicubi in fine anni incelebrata manerent, proviſum eiſdem extitit per præſcriptam octavarum minus principalium moderationem, aut alias per eorumdem ad ritum ſimplicem reductionem, ne in ſequentem annum transfererentur cum ſequela dictorum incommodorum, ac præcipue cum ſuppreſſione officii ferialis, cujus reliquiæ vix nonnullæ adhuc remanent, vel ante, vel in ipſa Quadrageſima. Quid igitur mirum, ſi eadem de cauſa Regularibus inhibitum fuit, octavam Patroni loci celebrare? Si autem octavam Patroni, quæ principalior eſt, utique & aliorum Sanctorum, ut infra dicetur.

VI. *Niſi id*, ſubjungit Decretum, *ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi Conſtitutionis Apoſtolicæ*. Evenit non ſemel uti in feſtorum, quæ Regnis, Dominiis aut Diœceſibus, vel locis conceduntur, ita & in eorumdem octavarum Indultis Regularem Clerum expreſſe nominari, quemadmodum anno 1736. factum extitit pro octava Præſentationis B. Mariæ, & anno inſequenti 1737. pro octava SS. Redemptoris, quæ conceſſæ expreſſe fuerunt toti Clero Sæculari, ac Regulari totius Dominii Reipublicæ Venetiarum. Contingit itidem Religionem aliquam ſpeciali Apoſtolico potiri Indulto celebrandi de Feſtis, & octavis Sanctorum illorum locorum, intra quorum limites eorumdem Monaſteria ſita ſunt. Hos itaque, alioſque hujuſmodi Regulares Decretum excipit, nullumque iiſdem per præſentem Sanctionem vult præjudicium inferri.

VII. Aſt quid faciendum erit, ſi in prædictarum octavarum conceſſione Clerus Regularis expreſſe non nominetur, ſed eæ conceſſæ adinveniantur Clero abſolute, ac indefinite alicujus loci, vel Civitatis abſque expreſſione nec Regularis, nec Sæcularis? In expoſitione Decreti cujuſdam 20. Martii 1683., quod in Indice datur ſub num. 135., late oſtenditur, hujuſmodi Indulta Regulari etiam Clero eſſe favorabilia, huncque non minus, ac Clerum Sæcularem, poſſe conceſſis officiis incumbere. Identitatis ratio idipſum dici de eorumdem feſtorum octavis utique poſtulat, ac conſequenter, qui eaſdem peragerent, non forent valde damnandi; aſt quoniam dictio *Specialiter*, quam habet Decretum, æquipollet dictioni *Expreſſe*, ut *in l. ſi quando, §. generaliter, C. de inoffic. teſtam. & in l. fin.*, ubi Gloſs. *C. de neg. geſt.*, *& in l. fin.*, ubi etiam Gloſs. *verb. Specialiter, C. quod cum eo*, Gloſſ. *in l. 1. in verb. Specialiter, ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* notant Pariſ. *Conſ. 49. num. 9. lib. 3.*, Octav. Vulpe *de præpoſ., & adverb. ſign. ſub dict. Simul, Verſ. Specialiter &c.*, idcirco cum in tali expreſſione Indulti Clerus Sæcularis *Specialiter* ſeu *expreſſe* non nominetur, per hocce Decretum excludi cenſendus videtur a facultate agendi, non quidem feſta, de quibus nec verbum habet Sanctio præſens, ſed octavas Sanctorum Diœceſum, vel locorum, terminis prout ſupra conceſſas.

VIII. *Vel Conſtitutionis*, eſt altera limitatio, quam Decretum ipſum porrigit ſuæ diſpoſitionis, *Religionis ab Apoſtolica Sede approbatæ*. Suas quælibet habet Religio Conſtitutiones, quæ eidem pro agendorum deſerviunt regula; indicantque, quæ agenda, quæve cavenda. In aliquibus iſtarum diſpoſitum item habetur circa officia, ac octavas Sanctorum locorum, ac Diœceſum, in quibus Fratres commorantur. Si itaque Religio aliqua viſuarum Conſtitutionum præſcriptum teneat agendi de dictorum Sanctorum octavis, utique eiſdem poterit indulgere, *dummodo tamen præfatæ Conſtitutiones fuerint ab Apoſtolica Sede approbatæ*: nulla enim Religio, aut locorum Ordinarius Regularis, vel Sæcularis quidquam decernere valet circa divinum officium, ex Decreto S. R. C. 8. April. 1628., ſed hujuſmodi auctoritas diſerte Sedi Apoſtolicæ dumtaxat eſt reſervata, ademptaque a quibuſcumque aliis, quibus alioquin vi antiquorum Canonum competebat; hoc ipſo autem, quod Conſtitutiones Religionum de octavis Diœceſanis, vel locorum ut ſupra diſponentes, per Apoſtolicam Sedem approbatæ ſunt, perinde eſt, ac ſi immediate a Sede Apoſtolica conceſſum foret de dictis octavis agere, ac proinde nec dubium eſſe poteſt, quod earumdem uſus legitimus ſit, atque validus.

IX. *Conſtitutiones Religionum* quidem dumtaxat Decretum nominat, aſt extendendum eſt ad Rubricas quoque Breviarii earumdem proprii, vel ad Decretum quodlibet, quod ab iiſdem eſſet emanatum, dummodo a Sede Apoſtolica approbata venirent; accedente enim hacce approbatione habetur

Indultum Apoſtolicum, quo ſtante præfatas octavas a Regularibus celebrari poſſe quis inficiabitur? Habet hujuſmodi Rubricam Breviarium Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, quod *de Rubr. gener. Ord. ſub num.* 4. ita diſponit: *Ad octavas Feſtorum Diœceſis, & Civitatum nullo pacto obligentur: poterunt tamen principalis Patroni octavam dumtaxat celebrare.* Quæ Rubricæ cum per auctoritatem Clementis X. dicto Ordini factam editæ contendantur, ac approbatæ, non obſtantibus Decretis inhibentibus Regularibus univerſim octavam Patroni principalis agere, inconcuſſum robur videntur habere, ac in exceptis eſſe per præſens Decretum, quod de dicta octava officium agere integrum relinquit iis Religionibus, quæ habent Conſtitutiones per Apoſtolicam Sedem approbatas, id diſponentes, atque ſancientes. Idipſum dicito de ceteris Regularibus Ordinibus quid ſimile habentibus. Verum quid circa præfatam Rubricam Breviarii Auguſtiniani quoad ejuſdem approbationem tenendum ſit, alibi ſermo inſtituetur.

X. Inferes ex dictis, quod etſi præſens Decretum ſolummodo loquatur de octava Patroni principalis, intelligendum tamen venit, ac extendendum ad quaſcumque locorum octavas, Patronorum videlicet principalium Regnorum, vel Provinciarum, Titularium, ac Dedicationum Eccleſiarum Cathedralium, necnon quorumcumque aliorum Sanctorum, quæ ea legitima conſuetudine, vel ſpeciali indulto alicubi celebrarentur. Tum quia ſequuntur eadem incommoda, ob quæ vetita extitit Patroni principalis octava. Tum quia hæc eſt ex celebrioribus, ac ſolemnioribus locorum octavis, quæque magis, ac ceteræ, ſingulos loci accolas tangunt, quare ea proſcripta, & reliquæ interdictæ cenſentur. Tum denique quia etiam de ceteris per plura Decreta ſtatutum extitit, *ad eaſdem Regulares non teneri*, & de aliquibus, præſertim de octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis etiam *non poſſe ad libitum* eamdem celebrare, ut in Decreto XI. Capitis primi. Videantur Decreta, quæ in ſuis reſpective Capitibus dantur, & exponuntur, inter quæ ſuum & habet locum VIII. hujus Capitis.

XI. Guyetus tamen *lib.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 4. poſtquam aſſeruit octavas quaſcumque locorum ad Regulares nequaquam ſpectare juxta repetita Sacræ Congregationis Decreta, ſubdendum exiſtimavit: *Sunt tamen Patroni quidam locorum adeo eximii, puta S. Dionyſius Pariſiis, S. Martinus Turonis, &c., ut ſi eorum octavam una cum reliquo Clero celebrent Regulares, laudandum magis ſit, quam damnandum; id nullatenus prohibente Congregatione, ſed dumtaxat decernente ad id eos minime teneri.* Verum cum Congregatio nedum Regulares ad dictam octavam *non teneri* decreverit, ſed inſuper *non poſſe* eamdem celebrari, Guyeti ſententia deſerenda prorſus venit, ac a quarumcumque octavarum locorum celebratione penitus abſtinendum.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE XXXIX.

Declaratio (de qua num. 63. & num. 135.) ubi dicitur, quod Regulares non poſſint recitare officium de octava Patroni principalis ſine ſpeciali indulto, comprehendit etiam Moniales Ordinariis ſubjectas. Ita reſpondit S. R. C. 11. Februar. 1702. *in Tarviſina*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. nu. 224.

I. DUæ hic citatæ reperiuntur Sanctiones, in quibus declaratum exiſtit, quod *Regulares non poſſint, recitare officium de octava Patroni principalis ſine ſpeciali indulto*. Sunt autem, quæ in Indice Merati deſcriptæ ſunt ſub nu. 63. & 135. quarum prima a nobis ſuperius expoſita eſt, & eſt Decretum IV. hujus Capitis, & altera dabitur in Cap. de Regularibus relate ad Feſta, & officia locorum, & erit Decretum I. ejuſdem.

II. Notatu autem dignum apparet, quod in nulla harum duarum Sanctionum præfata verba habentur, ſed ſolum quod *ad octavam non tenentur*. En Decretum *ſub nu.* 63. poſitum: *Feſtum Patroni principalis loci, tenentur omnes cum officio de eodem, etiam Regulares celebrare, ſed iſti ad octavam non tenentur*. En quoque Decretum, quod *ſub num.* 135. in Indice Merati habetur: *Regulares non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem officii Patroni principalis loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad earumdem octavas celebrandas non tenentur*. Quomodo igitur, quæſo, per præſens dicitur Decretum, in citatis duabus Sanctionibus declarari, *Regulares non poſſe recitare officium de Octava Patroni principalis ſine ſpeciali Indulto?* Ad dictam octavam Regulares *non teneri* ſtabiliunt quidem dictæ Sanctiones, non autem eamdem *non poſſe* celebrare, & verbum, *Non teneri*, excludit debitum, ac obligationem, non poteſtatem, & facultatem. Quod ſi adhuc placeat ly, *non teneri* per *non poſſe* explicare, ut contendere, ac exponere videtur præcedens Decretum, unde adduntur verba illa *ſine ſpeciali Indulto*, quorum proculdubio in citatis Sanctionibus nec minima mentio habetur.

III. Verum ſciendum hic eſt, ac advertendum, quod verba illa, *De qua n.* 63. *& n.* 135. non habet Textus Decreti, ſed a Merato, qui Indicem confecit, interpoſita parentheſi in Textum inducta fuere ad deſignanda Decreta, quæ declarationem, de qua profatur, exiſtimavit habere, ut ſub oculos Lector teneret, ubi aſſertam declarationem reperiret. Aſt perperam quidem, quoniam ea declaratio, de qua præſens procedit Decretum, in illis duabus Sanctionibus *ſub num.* 63., *&* 135. a Merato citatis nequaquam habetur, ſed potius in Sanctione quæ in Indice Merati *ſub num.* 142. exhibetur, & eſt præcedens Decretum, a cujus vix expoſitione venimus.

IV. Et quidem in hocce Decreto declaratur expreſſe, Regulares *non poſſe* dictam octavam celebrare, & mentio fit *ſpecialis Indulti*, additur enim, *Niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit*. Concordat & nomen videlicet *Declaratio*, quo impræſentiarum nuncupatur Decretum, quod ad Moniales Ordinariis ſubjectas hic dicitur extendi; eſt etenim dictum Decretum declaratio quædam aliarum Sanctionum, in quibus diſponebatur, *Regulares ad octavam Patroni Principalis non teneri*. Non igitur ullus relinquitur ambigendi locus, quod Meratus in ea adnotatione, *De qua n.* 63., *& n.* 135., allucinatus fuerit, & vice aſſertæ adnotationis ſignari debuerit, *De qua num.* 142. Condonandus eſt tamen Merato facile hic levis error, qui ex animo Lectorem juvandi in ejuſdem Indicem irrepſit.

V. *Levem* diximus *errorem*, quia cum Decretum ſub n. 142. non ſit, niſi declaratio illarum Sanctionum, in quibus diſponitur, *Regulares ad octavam Patroni principalis non teneri*, quod iidem de dicta octava non poſſint recitare, ultimate refundi videtur in memoratas Sanctiones, in quibus eoſdem ad dictam octavam non teneri determinatur. Prætermitti tamen adnotatio non debet, quod Decretum 142., quod eſt declaratio, de qua procedit præſens Decretum, eſſe haud valet declaratio Decreti 135. quoniam hocce Decretum fuit reſponſio ad primum dubium, & Decretum 142. ad 8. dubium *in una, & eadem Ordinis Minorum Obſervantiam* exhibita, quare cum dubium non potuerit eſſe exhibitum ſuper Decretum, quod nondum emanatum erat, ſed ſolummodo circa præcedentia Decreta, certum redditur, quod nec declaratio præfata fuit ſuper dictum Decretum 135. ſed ſuper alia antiquiora, in quibus ut ſupra diſponebatur, *Regulares ad octavam Patroni Principalis non teneri*. Lectio ſimplex Indicis Decretorum Merati, qui opportuno loco exhibebitur, ſuper his, quæ modo diximus, poteſt Lectorem plene reddere inſtructum.

VI. In præcedenti itaque Decreto cum declaratum extiterit, Regulares nec teneri, nec poſſe octavam Patroni principalis celebrare, nec dubium erat, quod id nec poterant præſtare Moniales Prælatis Regularibus ſubjectæ juxta rationes alibi jam datas, ac infra allegandas; dubium tamen exortum fuit, num id quoque dicendum foret de Monialibus, quæ non Prælatis Regularibus, ſed locorum Ordinariis reperiuntur ſubjectæ. Quod dubium cum in Sacram Congregationem productum fuerit, hæc reſpondendum cenſuit, *præfatam inhibitionem comprehendere etiam Moniales Ordinariis ſubjectas*, ut diſerte habet præſens Sanctio. Similia itidem alia dubia fuerunt Sacræ Congregationi quandoque propoſita, & ſemper hæc ſanxiſſe adinvenitur, ea, quæ de Regularibus univerſim, vel de Monialibus eorumdem regimini addictis, ſtatuta fuere, & de Monialibus Ordinariorum curæ commendatis æque procedere, ut videre eſt in Decreto XI. Cap. primi, & quampluribus aliis ſuo loco relatis, & referendis.

VII. Rationes, quibus præſens innititur Sanctio, hic producendæ forent, aſt quoniam in ſuperioribus Decretis, & in ſuis reſpective Capitibus ad longum non ſemel adducuntur, ac examinantur, non eſt, cur ſuper eamdem rem vel eadem repetamus, vel ulteriora addamus. Conſulat, qui eaſdem ſcire exoptat, modo citata loca.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE XL.

Cum ex declaratione S. Congregationis Regulares teneantur recitare officium de Patrono principali loci, dubitabatur, an ſub ly *Loci* comprehendatur etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciæ, de quo conceſſum eſt ab Apoſtolica Sede, ut a Clero tam Sæculari, quam Regulari in dictis locis recitetur, ſed declaratum fuit, comprehendi etiam dictos Patronos, ſi liquido conſtat de conceſſione Apoſtolica. Ita S. R. C. 20. Martii 1683. *in una Ordinis Minor. Obſerv. ad* 7. *dubium*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 141.

I. PLuries ſancitum extitit, *Regulares teneri ad recitationem officii de Patrono principali loci*; aſt cum duo ejuſdem loci ex ſuperius dictis eſſe queant Patroni principales, quorum unus ſit univerſalis totius Regni, vel Provinciæ, alter vero particularis alicujus Civitatis intra idem Regnum, vel Provinciam exiſtentis, accidit dubitari, an ſub ly *Loci* comprehendatur dumtaxat Patronus principalis particularis Civitatis, vel Pagi, vel etiam Patronus univerſalis totius Regni, vel Provinciæ, ita quod in unaquaque Civitate, vel Pago ejuſdem Regni, vel Provinciæ de utroque Patrono Regulares officium teneantur recitare?

II. Scribit Guyetus *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 3. quod ſi Patronus ſtricte ſumatur in Rubricarum, & Decretorum ſenſu, citra exemplum Provinciæ Mediolanenſis, quæ ex Concilio Provincialis Decreto tamquam Patronum veneratur S. Ambroſium, vix eſt Provincia altera, aut Regnum, quæ ſic Sanctum aliquem pro Patrono habeat; & productis nonnullis exemplis Sanctorum, qui Regnorum, ſeu Provinciarum communiter tamquam Patroni circumferuntur, quia tamen per totum Regnum, ſeu Provinciam de iiſdem non agitur officium ſub ritu, quem Patronis præſcribunt, tribuuntque Rubricæ, concludit, *Sanctos ejuſmodi proprie, & in rigore loquendo, pro*

Regni,

Regni, ſeu Provinciæ Patronis minime habendos. Haud tamen reluctatur deinde ejuſmodi Patronos haberi in nonnullis Regionibus ad Chriſtianam Fidem recens converſis, quarum uſum non reprobat, ſed laudat, ſupponendo, quod in eorum electione forma a S. Congregatione præſcripta, fuerit obſervata, vel quod ſint ex Patronis ab antiquo conſtitutis, ante ſcilicet emanationem Decreti 23. Martii 1630. in quo forma eligendi in poſterum Patronos indiſpenſabiliter ſub pœna nullitatis ſervanda ſtatuitur.

III. Fallitur tamen indubie in eo, quod aſſerit, prædictos Patronos dumtaxat haberi in Regionibus recens ad fidem converſis, quoniam frequentiora nobis ſuppetunt Regnorum, Provinciarum, & Dominiorum exempla, in quibus habentur Patroni, & cum ritu, & officio a Rubricis Patronis conceſſo coluntur. Non eſt, quod hujuſmodi exempla promamus, cum ſparſim exhibita quamplurima fuerint in Decreto I. hujuſce Capitis, nihilominus liceat nobis nonnulla Regna, ac Loca commemorare, in quibus non unius tantum, ſed plurium Patronorum, atque principalium memoratus viget cultus. Hujuſmodi ſunt in Regno Neapolitano S. Januarius Martyr, necnon ex Conceſſione Alex. VII. 28. Junii 1664. S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor. In Regno Navarræ S. Firminus Martyr, & S. Franciſcus Xaverius, ut ex Conſtit. *Sacroſancti* Alexandri VII. 14. Aprilis 1657. & in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ B. Stanislaus Koſtka, necnon Beata Chunegundis, ac S. Hiacynthus Confeſſor.

IV. Aſt licet nullibi colerentur hujuſmodi univerſales Patroni Regni, vel Provinciæ, indubium utique eſt quod ſaltem haberi queunt, ac venerari, quemadmodum diſerte eruitur ex primo hujus Capitis Decreto, ex pluribus Conſtitutionibus Apoſtolicis, atque Congregationis Decretis factas electiones confirmantibus, necnon ex Conſtitut. *Univerſa* Urbani VIII., in qua ſtabilit unum tantum ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alium pariter principaliorem Patronum in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago colendum eſſe cum obſervantia Feſti de præcepto, *ubi hos Patronos haberi, vel venerari contigerit*.

V. Gravis modo exurgit difficultas, num ſcilicet, ubi habetur Patronus principalis Regni, vel Provinciæ juxta formam a Sacra Congregatione præſcriptam electus, ab eademque confirmatus, continuo de eo poſſit fieri officium ſub ritu, & ſolemnitate Patrono principali loci per Rubricas conceſſis, nempe ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, quantumvis in Decreto Sacræ Congregationis, vel Sedis Apoſtolicæ confirmatorio nec verbum habeatur de officio, ſed ſolummodo electio facta approbetur, ac confirmetur?

VI. Ad quam dicendum videtur, quod non; in hoc enim Decreto ſancitum eſt, nomine Patroni principalis loci, ad cujus officium Regulares tenentur, non comprehendi Patronos Regni, vel Provinciæ, niſi liquido conſtet de Conceſſione Apoſtolica, videlicet de ea, de qua petitio procedebat, nempe *media qua ſit conceſſum, ut a Clero tam Sæculari, quam Regulari de memoratis Patronis in dictis locis recitetur*. Non poteſt itaque de Patronis Regni, vel Provinciæ officium per Clerum inſtitui, niſi ſpecialiter per Sedem Apoſtolicam conceſſum ſit.

VII. Hoc tamen haudquaquam obſtante, productam difficultatem affirmative reſolvendam eſſe arbitramur. In hanc eandem opinionem deſcendit Guyetus ſupra laudatus, qui Patrono principali Regni, vel Provinciæ ritum duplicem primæ claſſis, & octavam deberi aſſeverat vi Rubricarum, & Decreti Sacræ Congregationis 23. Martii 1630., & ubi Sancti, qui tamquam Patroni circumferuntur, dicto ritu, & octava non honorantur, eos proprie, & in rigore pro Patronis principalibus concludit non eſſe habendos. Nec diſſentit Gavantus *ſect. 3. cap. 12. num. 4.*, ubi de Patrono principali Civitatis, & Provinciæ fieri aſſerit officium, ut de duplici primæ claſſis, & cum octava; unde & Meratus ejus fidiſſimus aſſecla *ibidem num. 2.* ſubjungit: *Unde in prædicta Civitate tunc de utroque Patrono, & principali Regni, & principali Civitatis deberet celebrari officium cum octava*. Suum itidem ſuffragium præſtat Quarti *in Rubr. Miſſal. part. 1. tit. 1. dub. 2.* ita ſcribens: *Poteſt inſuper celebrari Miſſa cum officio ſub ritu duplici primæ claſſis, de altero ſolum Patrono totius Provinciæ, vel Regni, qui unus etiam eſſe debet Patronus principalis*. Demum ne alios enumerans, videar inutilem navare operam, ſat ſit meminiſſe, quod maxima & accedit auctoritas Emin. Lambertini, nunc Pontificis Maximi, *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 15. num. 2. & 7.* idque pariter probat communis ipſa conſuetudo Eccleſiarum, quarum cum multæ ſuperius recenſitæ ſint, & inferius recenſendæ, haud arbitramur in earumdem enumeratione immorandum eſſe.

VIII. Probatur autem primo noſtra aſſertio ex Decreto S. R. C. 12. Julii 1684. quod erit III. Cap. V., in quo hæc verba tenentur: *Cum Sanctus Januarius fuerit declaratus a S. Rituum Congregatione Patronus principalis Regni Neapolitani, hinc die feſto dicti Sancti debet in eodem Regno fieri officium ſub ritu duplici cum octava*. Quid autem clarius, ac efficacius ad intentum umquam eſſe poteſt? Sacra Congregatio ex ſua mera declaratione facta ſuper Patronatu principali S. Januarii, ſeu ex hujus Patronatu principali deducit, in Regno Neapolitano officium duplex cum octava de eodem fieri debere, quod profecto minime ſequeretur, nec conſequens eſſe poſſet, ſi facta electione, & habita confirmatione, ſeu juxta caſuum contingentiam declaratione alicujus Sancti in Patronum principalem Regni, vel Provinciæ, adhuc ad inſtituendum de eo officium Indultum particulare expoſceretur.

IX. Probatur 2. Cum Urbanus VIII. 23. Auguſti 1640. approbaſſet electionem S. Dominici in Patronum Civitatis, & Regni Neapolitani, poſt lapſum nonnullorum annorum magna excitata fuit controverſia ſuper Primatu Patronatus, deberetur ne S. Januario, an potius S. Dominico; & Sacra Congregatio 4. Auguſti 1663., mature perpenſis hinc, & illinc adductis, cenſuit Patronatum principaliorem deberi S. Januario, *ac proinde* (nota hæc verba) *de eo, tamquam de principaliori Patrono, fieri debere feſtum de præcepto cum octava per totum Regnum*. Quia vero ex hujuſmodi Reſcripto imminui poterat devotio Regni erga S. Dominicum, ſupplicatum fuit pro facultate celebrandi nihilominus feſtum ejuſdem Sancti de præcepto, *ejuſque officium cum octava* recitandi, qualiter hactenus de eodem tamquam de Patrono principali, a Clero Regni recitatum fuerat; Alexander vero VII. in ſua Conſtit. *Commiſſi* die 28. Junii 1664. prædictæ annuit petitioni, derogando quibuſcumque contrariis, ac indulgendo, ut in Regno Neapolitano S. Dominicus, licet Patronus minus principalis, cultum obtineret de jure tantum debitum Patrono principali, tam quoad feſtivationem, pro qua obſtabat Urbana Conſtitutio *Univerſa* 22. Decembris 1642. quam quoad ritum officii, & octavam, pro qua renitebantur Romanæ Rubricæ, atque Apoſtolica, & Congregationum Decreta, vi quorum a celebratione octavæ in eodem Regno ceſſabatur.

X. Confirmatur, quoniam cum in Regno Navarræ exortæ fuiſſent graves, & ſcandaloſæ contentiones ſuper Patronatibus SS. Firmini martyris, & Franciſci Xaverii Confeſſoris, delataque controverſia ad Sacr. Rit. Congregationem, deinde ad Rotæ Auditorium, judicatum fuerit, probationes hinc, & illinc allatas neutri partium ſuffragari, immo in multis deficere, Alexander VII. ut conſuleret Animarum quieti, dictamque controverſiam ſedaret, ſua Conſtit. *Sacroſancti* 14. Aprilis 1657. juſſit, ut præfati Sancti colerentur in dicto Regno tamquam Patroni æque principales, *ita quod eorumdem feſta ex præcepto Eccleſiæ, & cum officio, & Miſſa, & cum octavis æque in poſterum celebrarentur*. Quis itaque adhuc dubitare valet, quod Patrono principali Regni debetur feſtivatio ejuſdem feſti, necnon recitatio officii cum octava?

XI. Probatur 3. Clemens IX. in Conſtit *Orthodoxorum* 2. Januarii 1669. B. Roſam de S. Maria in Patronam principalem Regni Peruani eligens *cum omnibus prærogativis, quæ Patronis principalibus debentur*, has ita exponit: *Ipſiuſque B. Roſæ feſtum in univerſo Regno hujuſmodi, ut de Patrona principaliori, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus illic degentibus de præcepto ſervari, & ſicut alia feſta de præcepto celebrari, ejuſque officium ab univerſo Clero, tum Sæculari, tum Regulari, ut de principaliori Patrona juxta Rubricas Breviarii Romani* (notentur hæc verba) *inibi recitari auctoritate, & tenore prædictis mandamus*. Eadem itidem verba uſitat Clemens X. in ſuis Litteris *Sacroſancti* 11. Auguſti 1670., in quibus eamdem B. Roſam eligit, & declarat in univerſam, & principaliorem Patronam ſingularum Provinciarum, Regnorum &c. Terræ firmæ totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum. Ferunt itaque Rubricæ Breviarii Romani, ut de Patrono principaliori Regni officium recitetur.

XII. Confirmatur, nam facta electione Beatæ Chunegundis in Patronam principalem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Clementi Papæ XI. enixæ porrectæ fuerunt preces; primo *pro confirmatione dictæ electionis*; ſecundo *pro conceſſione officii duplicis primæ claſſis, cum octava*; tertio *pro lectionibus ſecundi nocturni propriis, & oratione*; quarto *pro translatione feſti ipſius Beatæ ad dominicam primam poſt Viſitationem Beatæ Mariæ*. Quæ preces cum ad Rituum Congregationem remiſſæ fuiſſent, hæc ita reſcribendum cenſuit; *Pro gratia declarationis in Patronam principalem cum Sanctiſſimo; & quoad lectiones, & Orationes proprias, ac translationem Feſti: Dilata: Die* 31. Auguſti 1715., cujus Decretum a Sanctiſſimo confirmatum extitit die 7. Septembris ejuſdem anni. Notatu hic dignum nobis apparet, quod ſuper quatuor recenſitis procedebat petitio, & triplicem tantummodo Sacra Congregatio nihilominus exhibuit reſponſionem, nimirum 1. *pro gratia confirmationis in Patronam*, 2. *quoad lectiones, & orationes proprias*; & 3. *quantum ad translationem feſti*, & nihil habet circa conceſſionem officii duplicis primæ claſſis cum octava, quantumvis & pro hoc petitio procederet. Cedo unde hoc? Mihi credere juvat, id præſtitum extitiſſe, quia facta confirmatione electionis dictæ Beatæ in Patronam principalem, jam per Rubricas ipſas Breviarii Romani officium duplex primæ claſſis cum octava de eadem fieri licebat, nec ad id aliqua alia opus erat conceſſione. Nec in Congregationis ipſo Reſponſo profecto deeſt, unde allata animadverſio roboretur. Confirmat ſiquidem electionem, & quoad lectiones, & orationes proprias, ac translationem Feſti decidere differt, quapropter utique ſupponit, quod habita confirmatione prædicta Feſtum, & officium hoc ipſo inſtitui valet, cum non poſſit transferri feſtum; nec in eodem lectiones propriæ, vel de communi legi, niſi tale feſtum, vel officium jam ſit fieri conceſſum.

XIII. Confirmatur 2. quoniam reipſa Rublicæ *de Officio dupli-*

duplici num. 1. de octavis num. 1., de Tranſl. num. 1. de Commem. num. 3., alibique paſſim, Patrono principali loci officium duplex primæ claſſis cum octava aſſignant; quis autem inficiari valet, quod Patronus principalis Regni, non ſit itidem Patronus principalis cujuſcumque Civitatis, Oppidi, Pagi, vel Loci intra idem Regnum exiſtentis? Regnum enim non conflatur, niſi ex Civitatibus, & particularibus locis intra ejuſdem confinia conſtitutis, licet poſtea horum locorum non ſit ille Patronus particularis, ſed univerſalis, quatenus ejuſdem Patrocinium ad aliquem particularem locum Regni non coercetur, ſed ad omnia Loca Regni protenditur.

XIV. Probatur 4. Juxta Conſtitut. *Univerſa* Urbani VIII. 22. Decembris 1642. dies feſtus ex præcepto Eccleſiæ agi debet *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſeu Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit*. Duplex itaque cujuſcumque loci Patronus principalis haberi poteſt, univerſalis ſcilicet, & particularis, & quemadmodum ex mandato dictæ Conſtitutionis uterque cum feſtivatione eſt recolendus, ita quoque cum officio, & ritu Patronis principalibus juxta Rubricas debito erit celebrandus.

XV. Objicies 1. In Diœceſi, ubi colitur feſtum peculiaris Patroni principalis, nihil de Patrono Civitatis, vel ſolum de eo ſub ritu duplici majori ſine octava ex Decreto VI. hujus Capitis, ergo & in Civitatibus, vel locis Regni, in quibus habetur peculiaris Patronus principalis, nihil de Patrono Regni, vel de eo dumtaxat ſub ritu duplici majori ſine octava, tamquam de Patrono minus principali; uti enim ſe habet Civitas particularis ad Regnum, ita Diœceſis, vel hujus Oppidum aliquod ad Civitatem, vel ad Epiſcopalem Cathedram, ad quam attinet.

XVI. ℞. Ex Patronis principalibus duos dumtaxat haberi permiſſum eſſe, quorum unus particularis ſit, univerſalis alter, non autem duos particulares, vel univerſales, niſi habeatur ſpeciale Indultum; Patronus autem Diœceſis, Oppidi, vel Pagi recenſetur inter Patronos particulares, uti & Patronus Civitatis, & ideo ubi ille habetur, nihil de Patrono Civitatis, vel de eo ſolum ſub ritu duplici majori, tamquam de Patrono minus principali; In noſtro autem caſu duo quidem haberentur Patroni principales, ſed unus horum particularis foret, univerſalis alter. Recolantur, quæ dedimus ex Conſtitutione Urbana, ex qua utique liquet, Patronum Civitatis, Oppidi, vel Pagi inter Patronos particulares recenſeri, ac propterea in Oppido habente proprium Patronum non eſſe feſtivandum Feſtum Patroni Civitatis, & ſic nec ejuſdem officium recitandum, ſaltem tamquam de Patrono Civitatis. Uti autem feſtivatio particularis Patroni principalis non tollit feſtivationem Patroni principalis Regni, ita nec tollet, vel minuet in ritu, & ſolemnitate ejuſdem officium.

XVII. Objicies 2. Juxta Decretum VII. hujus Capitis in unoquoque loco unus dumtaxat principalis Patronus haberi poteſt, ergo idem, quod prius.

XVIII. ℞. Inibi agi de Patronis principalibus particularibus, non autem quorum unus particularis ſit, univerſalis alter, ut in noſtro caſu. Videantur ibi dicta.

XIX. Objicies 3. Bullas, quas ſuperius dedimus, Summorum Pontificum, in quibus dum electiones Patronorum confirmantur, de iiſdem etiam officium agi debere præſcribitur, atque conceditur; hoc autem perperam fieret, ſi habita electionis confirmatione, continuo de Patrono officium fieri liceret.

XX. ℞. In iiſdem non declarari, niſi id, quod alias ex vi Rubricarum fieri licet; quapropter jam ſuperius obſervavimus, in nonnullis ex dictis Bullis verba officium indulgentia nequaquam haberi, quinimmo & ubi habentur, ab iiſdem conſulto ſignari, id eſſe faciendum *juxta Rubricas Breviarii Romani*.

XXI. Objicies 4. Rubricas Breviarii Romani, quæ quotieſcumque de Patrono principali loci profantur, numerum adhibent ſingularem, & ſolum ſub hac disjunctione, *Unius, vel plurium*, Patroni loci mentionem habet Rubrica I. *num.* 1., quæ tamen cum de iis, de quibus officium duplex eſt inſtituendum, agat, Patronos etiam minus principales comprehendit, adeoque ad intentum non ſuffragatur.

XXII. ℞. Numerum ſingularem adhiberi in excluſionem pluralitatis Patronorum principalium ejuſdem rationis, ſcilicet vel univerſalium, vel particularium, non autem pluralitatis Patronorum, cujus unus univerſalis ſit, particularis alter, cum hi paſſim admittantur a laudatis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac probentur a Decreto ipſo Sacræ Rituum Congregationis 23. Martii 1630.

XXIII. Objicies 5. uſum plurium Eccleſiarum non recitandi de Patrono principali Regni, Provinciæ, vel Dominii, vel recitandi ſub ritu dumtaxat duplici majori ſine octava; hinc videmus in Dominio Veneto non recitari officium duplex primæ claſſis cum octava de S. Marco ejuſdem Dominii principali Protectore, licet ejuſdem diem feſtivam agat, & Provincia Mediolanenſis non agit officium S. Ambroſii, niſi ſub ritu duplici majori ſine octava, quinimmo plures Eccleſiæ ejuſdem Provinciæ dictum Sanctum non recolunt, niſi prout ſignatus eſt in Breviario Romano, quantumvis Provinciæ Protector principalis exiſtat.

XXIV. ℞. Opponendo uſum univerſaliorem aliarum Eccleſiarum, quæ officium Patronorum principalium univerſalium non minus, ac particularium ritu duplici primæ claſſis, & cum octava perſolvunt, quemadmodum in ſuperioribus vidimus; nos autem non moratur uſus, qui Rubricis, ac Decretis conformis non eſt, ſed ſolum ille, qui eſt ſecundum ſcientiam, ac generales officii leges. Ceterum ſi quæ ex Eccleſiis non ita venerantur Sanctos, qui tamquam Patroni principales circumferuntur, hoc utique erit, quia reipſa Patroni principales non erunt, aut rite electi, vel a Sede Apoſtolica, ſeu Sacra Congregatione non confirmati; & hujuſce rationis nobis credere lubet eſſe Sanctum Ambroſium relate ad Provinciam Mediolanenſem, niſi dicatur id ibidem præſtari, quia cum colat Sanctum Joſephum tamquam Patronum univerſalem Dominii, locus amplius non eſt alteri Patrono univerſali, cujuſmodi eſt Patronus Provinciæ, & ideo vel nihil de eo vel ſolum attenta conſuetudine ſub ritu duplici majori juxta ſimilem diſpoſitionem Sacræ Congregationis, de qua ſuperius in Decreto VI. Hanc quoque credimus eſſe cauſam, ob quam S. Ambroſius in dicta Provincia non habet diem feſtivam ex præcepto Eccleſiæ.

XXV. Difficilius utique eſt ſtabilire, cur Dominium Venetum, cum S. Marcum feſtivet, non etiam illum cum ritu duplici primæ claſſis, & cum octava honoret; eadem enim ratio, quæ ejuſdem diem reddit feſtivam, ejuſdem quoque officium ad ritum evehit primæ claſſis, ac octava decorat, cum primum fieri non poſſit, niſi quia ut Patronus principalis agnoſcitus. Si diceretur, pro feſtivatione particularem haberi Conceſſionem, quæ ad officium non extenditur, utique plaga obducta veniret, ſuppoſito, quod in Patronum non foret rite electus, vel non confirmatus; aſt cum de præfata particulari Conceſſione nobis minime conſtet, hoc aſſerere tuto non poſſumus, etſi non dubitemus, quod validum ſuæ conſuetudinis argumentum eidem nequaquam deerit.

XXVI. Remanet modo ſolutionem adhibeamus rationi dubitandi ſuperius poſitæ, petitæque ex præſenti Decreto, quod exponendum ſuſcepimus; & dicimus, ex eadem ſolum evinci, Regulares non eſſe adſtrictos ad recitandum de dicto Patrono, non autem, quod de eodem officii recitationem Rubricæ non mandent; uti enim etſi per Rubricas octava Patroni principalis ſit in præcepto, ſicut & officium de Patronis minus principalibus, adhuc tamen ab onere hæc celebrandi Clerus Regularis ſpeciales ob cauſas exemptus extitit, quinimmo dictam octavam nec colere valet, ita iiſdem de cauſis a recitatione de Patrono principali Regni liberari poſſet, niſi conſtet de Conceſſione eoſdem etiam comprehendente, tametſi Rubricæ dictam recitationem in obligatione conſtituant.

XXVII. Cæterum cum modo certum ſit, Clerum Regularem ad recitandum de Patrono principali Regni, vel Provinciæ teneri juxta Decretum S. R. C. 5. Maji 1736., de quo in Cap. de Diebus feſtivis, obligans Regulares ad recitandum officium de quocumque feſto, quod in Diœceſi eſt de præcepto quoad forum, cujuſmodi indubie vigore Urbanæ Conſtitutionis eſt feſtum principalis Patroni Regni, vel Provinciæ, ideo niſi aſſerere placeat, præſenti Decreto per modo allegatum extitiſſe derogatum, per hocque Regulares ſatis congrue, cum militent relate ad eoſdem de Patrono principali Regni rationes omnes, ob quas de Patrono principali Civitatis recitare ſuperius obſervavimus adſtrictos, obligatos fuiſſe, fas eſt, aliam ſubeat Decretum præſens explanationem, adductuſque non ſit verus ejuſdem ſenſus, atque legitimus, ne Decreta Decretis pugnare cogamus aſſerere.

XXVIII. Quando igitur in præſenti Sanctione dicitur, *Si liquido conſtat de Conceſſione Apoſtolica*, ſunt quidem hujuſmodi verba intelligenda relative ad conceſſionem, de qua petitio procedebat, in iſtis verbis expreſſam, *media qua ab Apoſtolica Sede conceſſum eſt, ut de dicto Patrono a Clero tam Sæculari, quam Regulari in dictis locis recitetur*, ſed poſtea cenſenda minime ſunt, importare conceſſionem aliquam diſtinctam a confirmatione electionis jam factæ Sancti in Patronum; nec petitio enim de tali conceſſione procedit, ſed dicta verba tenet, quia in confirmatione electionum Sanctorum in Patronos apponi ſolent verba officium de electis Patronis ab utroque Clero fieri concedentia, ut videre eſt in Bullis ſuperius recenſitis Clem. IX., & Clem. X. B. Roſam in Patronam declarantibus, & in fere omnibus aliis, in quibus cæteroquin, etſi præfata conceſſio deeſſet, ſubintelligeretur adhuc, quia hoc ipſo quod Patronus principalis confirmatus venit, vi Rubricarum officium aſſequitur, ac conſequenter electionis confirmatio indiſpenſabiliter invehit officii recitationem, vel conceſſionem. Ut igitur vi præſentis Decreti Clerus Regularis ad recitandum de Patrono principali Regni maneat obſtrictus, ſat eſt, quod liquido conſtet de conceſſione Apoſtolica confirmante electionem, in qua vel habeatur conceſſio itidem officii dictum Clerum etiam comprehendens, vel ſaltem eumdem nec explicite, nec implicite excludens.

XXIX. Hunc autem germanum eſſe Decreti ſenſum, diſerte non edocent verba, quibus in ſua conceſſione conceptum extitiſſe, vel ſaltem intellectum, communiter circumfertur. Sunt autem: *Regulares teneantur quidem celebrare ſub ritu duplici primæ Claſſis feſtum de Patrono principali loci, Regni ſeu Provinciæ, ſed ad eorumdem octavas non teneantur*; in quibus nulla appoſita clauſula Regulares obſtricti apparent,

rent, ad recitandum de Patrono principali Regni, vel Provinciæ. Sub his autem terminis dictum Decretum habetur in Breviario Ordinis B. M. de Monte Carmelo *Rubric. 9. de Octavis numer.* 18., inter Rubricas Breviarii Franciſcani *de Octavis num.* 78., & 80., apud Pittonum *num.* 969., Fagioli *in Kalen. perpet. ration. in Annot., ad Februarium litt. M, num.* 2. & 3. & alios.

XXX. Quæ quidem verba Decreti & ritum, quo Feſtum Patroni principalis Regni a Regularibus coli debet, manifeſte pronunciant, *Ritum* videlicet *duplicem primæ claſſis*, ac inſimul denotant, *Ad ejuſdem octavam non teneri*; quod verbum, *Non teneri*, ita intelligi debet, ut nedum excludat debitum, ſed etiam arbitrium, quemadmodum id deciſum ſupra vidimus pro octava Patroni principalis Civitatis, vel loci, quod a fortiori de octava Patroni Regni procedit.

XXXI. Unum adhuc ſupereſt annotare, nimirum quod Regulares tenentur ad faciendum officium etiam de iis Patronis principalibus Regni, vel Provinciæ, qui ex annoſo, ac priſco uſu alicubi venerantur, tametſi per Apoſtolicam Sedem non fuerint confirmati; confirmatio enim Apoſtolica neceſſaria non eſt, niſi ad validitatem electionis Patronorum habitæ poſt diem 23. Martii 1630., ut obſervatum fuit in duobus primis Decretis hujus Capitis; quapropter cum Sancti illi ſint vere, & legitime Patroni Principales *loci*, non eſt, unde Regulares ab eorumdem celebratione ſub ritu duplici primæ claſſis ſine octava ſe ſe queant eximere, quin contraveniant iteratis Congregationis Decretis, Regulares ad recitandum ſub ritu duplici primæ claſſis ſine octava de Patrono principali loci adſtringentibus.

XXXII. Quæres primo, num haberi queant plures Patroni principales univerſales, puta Dominii, Regni, & Provinciæ?

XXXIII. ℟. Utique, dummodo iidem innitantur priſco, & annoſo uſu introducto, atque recepto ante diem 23. Martii 1630., cujus rationis plures & eſſe poſſunt Patroni principales particulares, ut præſertim in Decreto II. dicebamus; & hujuſmodi Patroni habentur reipſa plures, tum ex univerſalibus, tum ex particularibus.

XXXIV. ℟. 2. Pariter affirmative, ſi particulare habeatur Indultum, quemadmodum pluribus in locis haberi ſuperius late obſervavimus.

XXXV. ℟. 3. Negative, quoties nec dicta habeatur conſuetudo, nec particulare ſuppetat Indultum; & id ſatis evinci videtur ex dictis in hocce Capite, dum hujuſce rationis Patronorum principalium particularium pluralitatem inhibitam eſſe annotavimus. Et revera Decretum 23. Martii 1630., *Super electione Sanctorum in Patronos*, editum, æque in numero ſingulari de Patrono Civitatis, & Regni ſemper profatur, cauſa excludendi eorumdem pluralitatem; & Decretum VI. hujus Capitis, dum in Diœceſibus, ubi peculiaris habetur Patronus, nihil faciendum eſſe præſcribit de Patrono Civitatis, vel attenta conſuetudine ſolum de eo ſub ritu duplici majori ſine octava? ſatis nos edocet, & in Provinciis, ſi habeatur peculiaris Patronus, nihil agendum eſſe de Patrono Regni, vel de eo dumtaxat ſub ritu duplici majori ſine octava; vel ſi agitur ſolemniter de Patrono Regni, non ita agendum erit de Patrono Provinciæ, vel de hoc ſolummodo tamquam de Patrono minus principali ſub ritu duplici majori ſine octava; & hac de cauſa fortaſſe in Provincia Mediolanenſi de S. Ambroſio Protectore forſitan principali Provinciæ, vel nonniſi ut in Breviario, vel ſub ritu dumtaxat duplici majori ſine octava officium agitur, quia videlicet de S. Joſepho totius Dominii Catholici principali Patrono ſub ritu duplici primæ claſſis officium inſtituitur, licet ſine octava ratione temporis Quadrageſimalis, in quod dicti Sancti feſtum ſemper incidit. Conſequentia patet, quemadmodum enim Patronus Oppidi, vel Pagi in Diœceſi exiſtentis particularior eſt relate ad Patronum totius Diœceſis, vel Civitatis, ita Patronus Provinciæ ad illum Regni, vel totius Dominii; quocirca ſi vel nihilominus, quia omnes particulares cenſentur, in Oppidis, vel Pagis ſuo particulari Patrono inſtructis, nihil faciendum eſt de Patrono Diœceſis, vel Civitatis, vel de eo dumtaxat ſub ritu duplici majori, tamquam de Patrono minus principali; ita dicendum venit de Patrono Regni, ubi habetur Patronus Provinciæ, vel e contra, ſi Patronum Regni ſolemnius celebrari inibi recepta conſuetudo ferat.

XXXVI. Probatur adhuc hoc primo ex Conſtit. *Univerſa* Urbani VIII. de die 22. Decembris 1642. præſcribente inter dies pro feſtis ex præcepto Eccleſiæ colendos, ſolummodo annumerari poſſe diem feſtum *unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, vel Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit*. In quocumque igitur loco duo dumtaxat Patroni principales, quorum ſcilicet alter univerſalis ſit, particularis alter, haberi queunt, eorumque dies agi feſtiva, & ſi plures alicubi haberi contingit, vel particulares, vel univerſales, puta ex illis Dominii, Regni, & Provinciæ, & ex his Civitatis, Diœceſis, Oppidi, & Pagi, unus ſolummodo principalior cenſeri debet, ejuſdemque dies feſtivari. Quidni igitur & unius dumtaxat feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava celebrari? Hoc ipſo enim, quod ex duobus principalibus Patronis, quorum unus Regni ſit, Provinciæ alter, unus ſolummodo principalior cenſeri debet, & ejuſdem dies agi feſtiva, eadem de cauſa unius eorumdem feſtum dumtaxat cum prærogarivis, quæ Patronis principalibus ex præcepto Rubricarum debentur, celebrari debebit, & nihil de ceteris faciendum erit, vel ſolum de iiſdem ſub ritu duplici majori ſine octava, tamquam de Patronis minus principalibus.

XXXVII. Probatur 2., quoniam ubi habetur Patronus principalis Civitatis, vel Regni, ſi alter in principalem itidem aſſumptus fuit, vel a celebratione prioris tamquam Patroni principalis deſtitum fuit, vel magnæ ſubortæ ſunt controverſiæ, cuinam ex illis deberetur primatus; ad quas ſedandas Sedem Apoſtolicam de utroque octavam, & diem feſtivum indulſiſſe ſuperius obſervavimus. Accedit, quod in Litteris confirmatoriis Patroni noviter electi hanc clauſulam, vel ſimilem, *ſine præjudicio, aut diminutione aliqua Patronatus Sancti N.*, qui præcedenter Patronus principalis erat, non ſemel uſurpatam videmus, quemadmodum obſervare eſt in Decreto S. R. C. 30. Septembr. 1679. pro Patronatu S. Joſeph, a Carolo II. Hiſpaniarum Rege in Patronum ſuorum Regnorum electi, necnon in Brevi Urbani VIII. de anno 1627. pro Patronatu S. Tereſiæ expedito. Quæ omnia fieri, & declarari neceſſe non fuiſſet, ſi plures Patroni principales univerſales ſimul haberi poſſent, & cum prærogativis debitis celebrari.

XXXVIII. Quæres 2. Quinam ex Patronis principalior cenſeri debeat iis in locis, in quibus Patroni plures tamquam principales Regni, & Provinciæ circumferuntur, ut exinde ſciri queat, cujuſnam dies juxta Urbanam Conſtitutionem feſtiva haberi debeat, & cum officio duplici primæ claſſis, & octava celebrari?

XXXIX. ℟. Id haberi deciſum ex memorato Decreto hujus Capitis ſexto, dum in Diœceſi, ubi habetur particularis Patronus, de hoc officium primæ claſſis, & cum octava fieri mandat, & de Patrono Civitatis tamquam de Patrono minus principali ſub ritu dumtaxat majori ſine octava; ex hocce enim mandato ſatis eruitur, in Pagis, ac Oppidis peculiarem Patronum eſſe preferendum, ac conſequenter etiam in Provinciis earumdem Patronum anteponendum eſſe illi Regni. Patebit hoc magis ex iis, quæ alibi inferius trademus, ubi ſtabilitum manebit, Feſtum quodlibet, quo magis eſt proprium, eo magis eſſe ceteris communibus, ac minus propriis præferendum, & hoc nedum vi plurium Decretorum Sacræ Congregationis id ſtatuentium, ſed etiam vigore cujuſdam deciſionis Rotæ, quæ *in Cæſarauguſtana Dedicationis* coram Manzanedo *deciſ.* 80r. in concurſu Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, huic illam voluit eſſe præferendam.

XL. Hoc tamen ita nos volumus eſſe intelligendum, ut ſolummodo verum ſit, ſi aliter non ferat locorum recepta conſuetudo; ſi enim ubi plures Sancti tamquam Patroni principales Regni, & Provinciæ circumferuntur, ac habentur, feſtum Patroni Regni ſub ritu duplici primæ claſſis, octava, & feſtivatione obſervatum ſemper extitit, & Feſtum Patroni Provinciæ ſub ritu dumtaxat majori, ſine octava, & ſine feriatione; dicta conſuetudo ſatis indicat Patronum Provinciæ eſſe dumtaxat Patronum minus principalem, & tamquam Patronum minus principalem fuiſſe inſpectum, & inductum. Si autem uterque pariformiter cum octava, ritu duplici primæ claſſis, & feriatione cultus extitit, uti vigore Urbanæ Conſtitutionis ab unius feſtivatione ceſſandum eſt, ita ab ejuſdem feſti celebratione ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava. Si quæras utrius? Reſpondeo ceſſandum eſſe ab ea Patroni Regni, eo quod hic, ut dicebamus, cedit particulariori Patrono. Si autem ſecus magis facere placeret, non eſſet admodum reprobandum, per hujuſmodi enim factum veluti renunciatum iretus primatui Patronatus Patroni Provinciæ, & hic de principali in minus principalem aſſumptus, & ille in Patronum principalem inſtitutus, atque retentus. Ad id autem neceſſaria non foret nova electio juxta Decretum 23. Martii 1630. facta, quia non agitur de electione novorum Pattonorum, ſed de retentione unius eorumdem, qui ambo principales cenſentur, & legitimi ſupponuntur, & de Decretorum obſervantia plures Patronos principales haberi, & retineri inhibentium, niſi ſint ex antiquis, ex iis ſcilicet, qui ante dictum Decretum 23. Martii 1630. præfatum ritum, & octavam obtinuerunt, circa quos juxta Decretum hujus Capitis ſecundum nihil innovandum venit, quantum ad ea, quæ ad Chorum attinent, ſed ſolum quoad ea, quæ ad forum, in quantum ſcilicet unius dumtaxat eorumdem dies feſtiva haberi debet, ac obſervari ex mandato memoratæ Urbanæ Conſtitutionis.

XLI. Quæres 3. Num ubi habetur Patronus principalis Regni, excoliturque ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, ſi accidat fieri electionem Sancti alicujus in Patronum principalem alicujus Provinciæ ejuſdem Regni, vel e contra, & obtineatur Apoſtolica confirmatio, uterque ritu, & ſolemnitate pro Patronis principalibus per Rubricas præſcriptis, in dicta Provincia excoli queat, vel ſi non, quinam ex illis ita poſſit, & debeat celebrari?

XLII. ℟. Unum dumtaxat ex illis ita recoli poſſe, ut enim dictum eſt ſupra, nec duo particulares, nec duo univerſales ejuſdem loci Patroni ſimul eſſe queunt, niſi ſint ex antiquis. Si autem Patronus noviſſime electus ſit Patronus Provinciæ, certum eſt, quod hic ita excoli debet, & de Patrono Regni, vel nihil faciendum venit, vel tamquam de Patrono minus principali ſub ritu duplici majori ſine octava,

quemadmodum in Diœceſibus, ubi vel habetur, vel contingit eligi Patronum Pagi, vel Oppidi, nihil faciendum de Patrono Civitatis, licet præcedenter eorumdem locorum Patronus principalis foret, manet indictum per Decretum hujus Capitis ſextum, vel de eo dumtaxat ſub ritu duplici majori ſine octava.

XLIII. Si autem Patronus noviſſime electus, ſit Patronus Regni, cum haberetur Patronus principalis Provinciæ, quid agendum ſit, difficilius ſtabilire evadit; videtur enim, quod ſubſiſtere debeat Patronus Provinciæ, & de Patrono Regni tamquam de Patrono minus principali celebrari ratione præcedentiæ, quam particularior Patronus habet præ univerſaliori. His tamen minime obſtantibus nos in eam verſamur ſententiam, quod de Patrono Regni noviſſime electo, tamquam de Patrono principali, & de Patrono Provinciæ, tamquam de Patrono minus principali debeat officium inſtitui; per novam enim Sancti alicujus in Patronum principalem aſſumptionem, cenſetur antiqui principalis Patronatus deſinere vel de principali evadere minus principalis, cum poſteriora derogent prioribus, quoties priora, & poſteriora ſimul ſtare non poſſunt.

XLIV. Dices, quod noviſſima electio, cum confirmata exiſtat per habentem poteſtatem derogandi Sanctionibus inhibentibus multiplicitatem Patronorum principalium, hoc ipſo iiſdem derogat, ac procedere cenſetur ſine diminutione, ac præjudicio præcedentium Patronorum.

XLV. ℟. Id tantummodo eſſe verum, quoties in Litteris confirmatoriis apponitur hujuſmodi, vel ſimilis clauſula, *Non obſtante Decreto inhibente &c.*, aut *ſine diminutione aliqua, vel præjudicio præcedentium Patronorum*; ſecus vero ſi ea, aut alia ſimilis haudquaquam poſita exiſtat. Cum enim Carolus II. Rex Hiſpaniarum inobſervato Decreto 23. Martii 1630. elegiſſet Sanctum Joſeph in Patronum principalem ſuorum Regnorum, ac ab Innocentio XI. confirmationem ejuſdem electionis obtinuiſſet dicta abſque priori clauſula, exorta ſubinde controverſia ſuper dicto Brevi, a Sacrorum Rituum Congregatione die 30. Auguſti 1680. reſponſum prodiit, *Breve idem non ſuffragari attenta inobſervantia Decretorum*; hinc videre eſt in omnibus Conſtitutionibus in primo Decreto, & ſequentibus hujus Capitis recenſitis, in quibus Beati confirmantur in Patronos, clauſulam *Non obſtante Decreto 23. Martii 1630. Beatos in Patronos eligere inhibente*, vel ſimilem aliam ſemper haberi.

XLVI. Hac utique de cauſa in confirmatione novi Patroni principalis hanc clauſulam non ſemel uſurpatam videmus, *Sine præjudicio, aut diminutione aliqua Patronatus præcedentis Patroni*, ut obſervare eſt in Decreto Sacræ Congregationis 30. Septembris 1679. pro Patronatu præfati S. Joſeph a Carolo II. Hiſpaniarum Rege ut ſupra electi, & in Brevi Urbani VIII. de anno 1627. pro Patronatu Sanctæ Tereſiæ. Quoties itaque in noviſſima confirmatione habentur hujuſmodi, vel ſimiles clauſulæ, utique nullum præcedentibus Patronis infertur præjudicium, ſecus vero ſi dicta, vel ſimilia verba deſiderentur, tunc etenim noviſſime conceſſus cenſetur Patronus principalis, præcedens vero a principalitate Patronatus decidit, evaditque minus principalis, & hac de cauſa exortis non ſemel controverſiis in ſimilibus caſibus, ad eaſdem ſedandas vel utrique Patrono ritum duplicem primæ claſſis cum octava conceſſum extitiſſe, vel ſine præjudicio Patronatus præcedentis Patroni noviſſimum indultum fuiſſe, non ſemel declaratum extitit per eamdem Sacram Congregationem, vel per Apoſtolicas Conſtitutiones. Quæ omnia, ut ſuperius etiam dictum fuit, fieri, ac declarari neceſſe haudquaquam fuiſſet, ſi Patroni noviter electi facta confirmatione, hæc abſque præjudicio præcedentium Patronorum, aut diminutione aliqua tranſiret.

XLVII. Licet autem exempla, quæ allata modo ſunt, cuncta circa plures Patronos principales ejuſdem Regni procedant, non autem circa plures Patronos, quorum unus Regni Patronus ſit, Provinciæ alter, attamen cum ex ſupra probatis non minus vetitum ſit, plures Patronos principales ejuſdem Regni haberi, quam plures Patronos principales, quorum unus Regni ſit, Provinciæ alter, non minus etiam pluralitati Patronorum principalium, quorum alter Regni, Provinciæ alter patrocinium gerat, officiunt, niſi in confirmatione poſterioris præfata, vel ſimilis Clauſula poſita reperiatur.

XLVIII. Iis, quæ dedimus, hanc limitationem adhibendam eſſe cenſemus, ut Patronus principalis noviſſime electus, ac confirmatus, deroget ſolummodo Primatui præcedentis, ſi in ſupplici libello pro confirmatione novæ electionis Sacræ Congregationi, vel Apoſtolicæ Sedi porrecto mentio habeatur antiqui Patronatus præcedentis Patroni; tunc etenim ſi in dicta confirmatione non exprimatur, eamdem fieri ſine præjudicio præcedentis Patroni, per eam derogatur Primatui Patronatus præcedentis. Si autem in dicto ſupplici libello nulla mentio habeatur, per novi confirmationem non in derogatum Primatui præcedentis, quinimmo eo in caſu de Patrono noviter confirmato non liceret officium primæ claſſis, & cum octava inſtitui, quamtumvis id in litteris confirmatoriis expreſſe concederetur: cum enim tunc expreſſa non ſint ea, quæ ſi forent expreſſa, gratia non concederetur, aut cum majori difficultate, gratia conceſſa cenſetur ſurreptitia, vel obreptitia, adeoque ipſo jure nulla. Hac forſitan de cauſa cum S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor in Patronum principalem Regni Neapolitani confirmatus fuiſſet, ſuborta deinde controverſia ſuper ejuſdem Patronatum, per Sacram Congregationem declaratum extitit, primatum deberi Sancto Januario ejuſdem Regni præcedenter Patrono, in hujuſque conſequentiam declarationis ceſſabatur ab ejuſdem officii celebratione ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; licet ſubinde, ne devotio Regni erga Sanctum Dominicum decrementum pateretur, gratioſe conceſſum fuerit, ut etiam ipſe cum octava, & ritu duplici primæ claſſis recoleretur, quemadmodum ſuperius dicebamus.

XLIX. Quod ſi quæras, an, & ſub quo ritu officium Patroni ita noviter electi, & confirmati celebrari poſſit, & debeat? Reſpondeo, conſiderandum eſſe tamquam Patronum minus principalem, cujus rationis plures ejuſdem loci Patroni eſſe queunt, ac per conſequens de eo officium ſub ritu duplici majori ſine octava eſſe inſtituendum.

L. Objicies: Beata Chunegundis per Sacram Congregationem die 31. Auguſti 1715. confirmata fuit in Patronam principaliorem Regni Poloniæ cum officio ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & tamen in Decreto, etſi dicta clauſula non habeatur, colitur ſub ritu Patronis principalibus debito, non obſtante quod præcedenter dictum Regnum alium haberet principaliorem Patronum; quem adhuc ut prius excolere non deſinit.

LI. ℟. In confirmatione Beatæ Chunegundis appoſitam non fuiſſe dictam clauſulam, quia ejuſdem electio facta fuerat ante Decretum 23. Martii 1630., adeoque ex iis Patronis erat, qui nec confirmatione indigebant, & quoad celebrationem officii, ritus, & octavæ in valido erant ſtatu; qua etiam de cauſa haudquaquam appoſita fuit derogatio mox allegati Decreti, prout Beatos in Patronos eligi vetat.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE XLI.

Quæſitum fuit, an ſub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII. Regulares tenentur recitare officium ſub ritu duplici primæ claſſis, veniat etiam Patronus Parochiæ, in qua commorantur? S. R. C. reſpondit *negative* die 14. Februarii 1705. *in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 231.

I. STatuerat Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione *Paſtoralis officii*, edita ſub die 30. Decembris 1573. Regulares teneri ad recitandum officium ſub ritu duplici primæ claſſis de Patrono principali loci, in quo commorantur, ſeu intra cujus confinia eorumdem Monaſteria ſita ſunt; quod poſtea & ſæpe repetitis Sacræ Rituum Congregationis Decretis confirmatum fuit, quæ ſuperius produximus, & explanavimus. Nomine Patroni loci, ad cujus officium Regulares tenentur, ex dictis Decretis certum eſt, comprehendi Patronum principalem Civitatis, in qua degunt, vel Oppidi, aut Pagi, intra quorum confinia eorumdem Monaſteria reperiuntur extructa, ita quod commorantes in Civitate, ad hujus Patronum, degentes vero in Diœceſi, Oppido, aut Pago, ſi hæc peculiarem Patronum habeant diſtinctum ab eo Civitatis, ad Patronum Diœceſis reſpective, Oppidi, aut Pagi ut ſupra excolendum maneant adſtricti, nullatenus vero hi ad Patronum Civitatis, vel de eo dumtaxat attenta conſuetudine ſub ritu duplici majori, tamquam de Patrono minus principali. Quod ſi Diœceſis, Oppidum, aut Pagus peculiari careant Patrono, cum tunc Patronus Civitatis ſit itidem Patronus principalis Diœceſis, Oppidi, aut Pagi, ad officium de Patrono principali tenentur præfati Regulares.

II. Dubium olim emerſit, an appellatione *Patroni loci* veniret etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciæ; & in præcedenti Decreto dictum dubium dilutum fuit, & declaratum. Nunc novum dubium proponitur, & eſt, *an veniat etiam Patronus Parochiæ in qua commorantur?*

III. Et dicendum videtur, quod ſic. Primo, quia in Oppidis, vel Pagis, ubi proprius habetur Patronus, ad hujus officium tenentur Regulares in iiſdem commorantes, omiſſo officio Patroni principalis Civitatis, vel recitato ad modum Patroni minus principalis, ergo & in Parochiis proprio gaudentibus Patrono, ad hujus officium erunt diſtricti, omiſſo, vel recitato ut ſupra officio de Patrono principali Civitatis, vel Oppidi, intra cujus confinia Parochia illa ſita reperitur; ſatis enim evidens eſt, quod potior ratio habenda eſt de Patrono principali particulariori, cujuſmodi proculdubio eſt Patronus Parochiæ.

IV. Secundo. Quia non minus Civitas, vel Regnum, quam Parochia ſuos limites habent, ergo ſi officium Patroni principalis Civitatis, & Regni eſt in præcepto apud Regulares intra Civitatem, vel Regnum degentes, quidni & Patronus Parochiæ apud Regulares intra Parochiæ confinia commorantes?

V. Tertio. Patronus Parochiæ eſt vere, & proprie Patronus *loci*, omnium ſcilicet locorum, ad quæ Parochialis extenditur juriſdictio, ergo idem, quod prius. Nec relevat, quod Regularia loca a Parochiali juriſdictione ſint exempta, ut exempta etiam cenſeri queant ab onere recitandi de Parochiæ Patrono, quoniam exempta etiam ſunt ab Epiſcopali juriſdictione, & tamen ad recitandum de Patrono principali Civitatis tenentur.

VI. Quarto. Eſt uſus in tota Eccleſia univerſim receptus feſtivandi Patronum Parochiæ per omnes de Parochia, ergo cum

go cum Regulares juxta Decretum S. R. C. 5. Maii 1736. teneantur ad recitandum de feſto, quod in locis eſt de præcepto quoad forum, tenebuntur etiam ad recitandum de Patrono Parochiæ, in qua commorantur.

VII. Quinto. Quæ ſuperius adducta ſunt ad oſtendendam congruitatem obligationis, quam habent Regulares ad officium de Patrono principali Civitatis, militant etiam pro Patrono Parochiæ; cujus enim feſtum eſt itidem ex ſolemnioribus loci, adeoque per omnes Accolas celebrandum, nec decens eſt, quod communius Parochiæ votis deſint ſolummodo ea Regularium. Accedit quoque Populus ad Eccleſias Regularium, officium, & Miſſas de dicto Patrono auditurus, adeoque non minus conveniens eſt, quod in ſua non fruſtetur expectatione in cunctis Parochiæ Eccleſiis.

VIII. His tamen minime obſtantibus Sacra Congregatio reſpondendum cenſuit *negative*, videlicet *nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII. Regulares tenentur officium duplex 1. claſſis recitare, non venire Patronum Parochiæ, in qua commorantur*. Et quidem Gregorius XIII. loquitur de Patrono in ſtricta, & propria acceptione, qui ſcilicet Cleri, Populique ſuffragiis de conſenſu Epiſcopi eligitur in communem totius alicujus loci Protectorem, non autem de Patrono in lata, & impropria ſignificatione, quatenus ſcilicet dicit Patronum, ſeu Titulum alicujus particularis Eccleſiæ, qui regulariter arbitrio ſolius Fundatoris, vel alicujus alterius ſolummodo eligitur, nec ad ejuſdem electionem ceteri, qui dictæ Eccleſiæ etiam ſubjecti eſſe queunt, haudquaquam concurrunt, vel ſi eoſdem concurrere eveniat, hoc per accidens eſt, non ex neceſſitate; etſi enim Patronus etiam dicatur, quatenus ejuſdem Patrocinio commendatur Eccleſia nedum ipſa materialis, ſed etiam formalis, ſeu omnes, qui in ea ſortem habebunt, ſeu ad eamdem attinent, hoc tamen, ſaltem per ſe, & ex neceſſitate, non fit ex communibus eorumdem votis, ſed magis ex optione Fundatoris, vel cujuſcumque alterius; quapropter ſtricte, & proprie Patronus non eſt, prout impræſentiarum ſumitur, & ſi res rigoroſe accipiatur, ejuſdem Patrocinium formaliter, & primario in Eccleſia ſiſtit, & nonniſi ſecundario, & ex conſequenti in Perſonas reflectit, unde *Patronus Eccleſiæ* communiter dicitur, non autem *Loci*, cujus nomine veniunt habitatores. Deinde in communi acceptione, dum dicitur *Patronus loci*, venit non Patronus alicujus particularis loci exiſtentis in toto aliquo loco, ſed Patronus totius ipſius loci, quia locus ſimpliciter, & abſolute prolatus dicit omnia loca particularia in eo loco exiſtentia, nec per locum ſimpliciter, & abſolute prolatum umquam ſignari poteſt particularis aliquis locus in toto aliquo loco exiſtens, ſed ſolummodo per locum cum modificatione vel reſtrictione aliqua enunciatum, quoniam hic eſt locus loci, non locus ſimpliciter, & abſolute. Cum itaque Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione loquatur de Patrono loci abſolute, & ſimpliciter, & de Patrono in ſtricta, & propria acceptione, non vero de Patrono alicujus loci exiſtentis in toto loco, aut de Patrono in lata ſignificatione, prout Titulum Eccleſiæ dicit, indubium fit, quod in ſenſu memoratæ Conſtitutionis non venit Patronus Parochiæ, qui reipſa non eſt, niſi Titulus Eccleſiæ Parochialis, nec Patronus in ſtricta acceptione, vel adhuc ſi Patronus, ſolummodo Patronus particularis loci exiſtentis in loco: Et hoc multo magis, quia, ut ſuperius dicebamus, Parochiis adhuc datum non eſt, proprium, & diſtinctum ab eo totius loci Patronum habere.

IX. Fit itaque, quod Regulares commorantes in aliqua Parochia, non tenentur ad recitandum de officio Patroni, ſeu Titularis ejuſdem Parochiæ vi Bullæ Gregorii XIII. eoſdem ad recitandum de Patrono loci obligantis; Decretum enim abſolute, & ſimpliciter non deobligat Regulares a recitatione de Patrono Parochiæ, ſed ſolum declarat, nomine Patroni loci, de quo tenentur recitare Regulares juxta Bullam Gregorii XIII. non venire Patronum Parochiæ, in qua commorantur; atque adeo dumtaxat ſequitur, Regulares vi Bullæ præfatæ non teneri ad recitandum de Patrono Parochiæ, & dubium remanet, num ex alio capite poſſint cenſeri ad eamdem obligationem adſtricti.

X. R. Quod directe quidem, ut dicebatur, per præſens Decretum dumtaxat declaratum manet, quod Regulares vi Bullæ Gregorii XIII. non tenentur ad officium Patroni Parochiæ. Verum indirecte ſancitum videtur, eoſdem nullatenus ad dictam recitationem teneri, quia petitionis ſcopus erat, de obligatione abſolute, & ſimpliciter Regularium inquirere, licet Bullam Gregorii XIII. memoret, eo quod nonniſi ex hac præfatam obligationem peti poſſe cenſebat. Ceterum quidquid ſit de hac indirecta deciſione, cujus opus hac in re non habemus, certum eſt, Regulares non teneri ad recitandum de Patrono Parochiæ; per Decretum enim XIV. Cap. 1. vidimus ſtabilitum, quod nec Clerus Secularis degens in Parochia, valet de dicto Titulari, ſeu Patrono officium inſtituere; & per Decretum 28. Auguſt. 1706. explanandum in Cap. de Feſtis ex conſuetudine ſancitum apparebit, quod Regulares non valent recitare de Patrono Parochiæ, tametſi centenariam recitandi de eo conſuetudinem teneant, & adhuc ejuſdem Feſtum ex devotione in tota Parochia feſtivetur. Quid clarius?

XI. Falleret hoc tamen 1., ſi Patronus Parochiæ eſſet itidem Patronus principalis totius loci, ſed tunc in præcepto non foret, quia Patronus Parochiæ, ſed quia Patronus totius loci. 2. in iis Oppidis, vel Pagis inſignibus, in quibus una dumtaxat extat Parochia, ut eſt Sorexina in Agro Cremonenſi, ſi tamen ille non dicatur Patronus Parochiæ, quia Titularis ſit Eccleſiæ Parochialis, ſed quia eſt in Patronum rite electus; ſed tunc ille preſſe non dicitur Patronus Parochiæ, ſed Patronus loci. 3. in iis Parochiis, quibus ex Apoſtolico Indulto conceſſum foret, proprium, & diſtinctum ab eo totius loci habere Patronum, quia tunc ille eſſet vere Patronus loci. An autem hoc in caſu etiam tenentur Regulares ad recitandum de Patrono totius loci, in quo Parochia ſita eſt, deciſio pendet ex verbis Indulti; ſi enim Patronus proprius conceſſus eſt in conſortio Patroni totius loci, utique; ſi cum excluſione, nequaquam. Quod ſi nihil hujuſmodi teneat Indultum; locum habebit Decretum VI. hujus Capitis proportione ſervata, ſtabiliens, nihil faciendum eſſe de Patrono Civitatis, ubi proprius habetur Patronus vel de eo dumtaxat ſub ritu duplici majori.

XII. Supereſt dumtaxat, modo obviam curſim eamus ſuperius adductis argumentis, quatenus inferre poſſent, nomine Patroni loci, de quo Bulla Gregorii XIII., venire Patronum Parochiæ, vel Regulares teneri ad recitandum de Patrono, ſeu Titulo Eccleſiæ Parochialis.

XIII. Ad primum igitur dicimus ita quidem, ſi Patronus Parochiæ eſſet Patronus in vera, propria, & ſtricta ſignificatione, non autem in impropria, & lata, ſeu ſi ſtet pro Patrono, ſeu Titulo Eccleſiæ Parochialis.

XIV. Ad 2. ſimiliter procedere, ſi Parochia proprium, & diſtinctum Patronum haberet, ſecus autem ſi Patronus Parochiæ ſumatur pro Titulari Eccleſiæ Parochialis, qualiter uſurpatur a præſenti Decreto.

XV. Ad 3. negamus Patronum Parochiæ acceptum pro Titulo eſſe vere, & proprie Patronum; ſicuti & Patronum loci, prout accipitur in Decretorum ſenſu, cum ejuſdem demandant officium.

XVI. Ad 4. reponimus feſtum Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ Parochialis non eſſe de præcepto Eccleſiæ quoad forum, neque intra terminos Parochiæ, ut liquet ex Conſtitutione *Univerſa* Urbani VIII., adeoque ſi feſtivatur, feſtivari dumtaxat ex devotione, Regulares autem vi allegati Decreti ſolum tenentur ad recitandum officium de feſto, quod eſt de præcepto Eccleſiæ quoad forum, non autem quod ex ſola devotione obſervatur, quemadmodum diſerte in caſu noſtro per Sacram Congregationem 28. Auguſti 1706. ſancitum fuit pro Feſto S. Servatii, qui eſt Patronus principalis Parochiæ, & ejuſdem Feſtum ex devotione a Populo obſervatur. Quod Decretum datur, & exponitur in Capite de Feſtis ex conſuetudine.

XVII. Ad 5. quæ ibi dicuntur, locum utique habere, ſi ſermo foret de Patrono in rigoroſa acceptione, non autem ſi in lata, ſeu prout Patronus pro Titulo uſurpatur; cuique enim compertum eſt, quod feſtum Tituli eſt feſtum particulare Eccleſiæ, cujus eſt Titulus, ac conſequenter quod non ad alias Eccleſias protenditur. Ab hac lege unice excipitur Titulus Eccleſiæ Cathedralis; cum enim Eccleſia Cathedralis ſit Mater, & parens omnium Eccleſiarum loci, ab illaque iſtæ progenitæ ſint, atque ſaltem per ſe ſubjectæ, æquum utique erat, quod omnes loci Eccleſiæ id honoris præſtarent Matri ſuæ, ut ejuſdem feſta primaria, videlicet Dedicationis, & Titularis, ſolemniter celebrarent.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE XLII.

Feſtum principalis Patroni alicujus Diœceſeos a Regularibus eſt celebrandum ritu duplici primæ claſſis, & Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ritu duplici ſecundæ claſſis, ſine octavis, & degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis officium. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.*, & antea die 16. Junii 1708. *in Pariſien.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 305.

I. PLura quidem habet, ac firmat præſens Decretum, quæ cum tamen fuſe jam ſint pertractata, ac expoſita, ulterius examen haudquaquam expoſcunt. Firmat primo. Regulares teneri ad Feſtum, ſcilicet officium, principalis Patroni Diœceſeos celebrandum ritu duplici primæ claſſis, & quid unquam frequentius, quam hoc, in præſenti Capite fuit examinatum? Firmat ſecundo, eoſdem adſtringi ad colendam Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis ritu duplici ſecundæ claſſis, & de hoc ubertim actum eſt in primo horum Commentariorum Capite. Firmat 3. *ſine octavis*, quod in numero plurali de induſtria dictum fuit, ut indicaretur, utrumque feſtum Patroni principalis, & Dedicationis præfatæ ſine octavis eſſe ab iiſdem Regularibus celebrandum; & de hoc pluries in ſuis reſpective Capitibus præſenti, & primo. Firmat 4., quod Regulares degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis officium, & hoc jam deciſum etiam extitit, ac expoſitum in Decreto X. memorati Capitis primi, ubi & vidimus, an hujuſmodi Regulares, etſi ad dictum Dedicationis feſtum non teneantur, illud valeant celebrare.

II. Hæc quidem cum alibi abunde diſcuſſa ſint, non eſt, cur ulteriori eorumdem examini vacemus; unum tamen, quod per alia Decreta forſitan non ita diſerte ſtatutum eſt, hic nobis liceat inferre, videlicet Regulares etiam degentes extra Civitatem teneri ad celebrandum feſtum Patroni principalis

ſub

ſub ritu duplici primæ claſſis; Decretum enim duas obligationes Regularibus generatim facit, ſcilicet celebrandi de feſto Patroni principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, & de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & ſolum ab una, ſcilicet recitandi Dedicationis officium, eos ex Regularibus liberat, qui extra Civitatem degunt, ergo utique altera, nimirum celebrandi de feſto Patroni principalis ſub ritu duplici primæ claſſis, integra remanet apud quoſcumque Regulares, ſive in Civitate ſive extra Civitatem commorentur. Quod tamen intellige conſonanter ad ſuperius ſtatuta, ac expoſita, ita ut Regulares degentes extra Civitatem teneantur ad feſtum Patroni principalis Civitatis, vel Diœceſis, ſi in locis, vel Pagis proprius non habeatur Patronus principalis; nam ſi habeatur proprius Patronus principalis, ad hujus feſtum ita recolendum manent adſtricti, & cum Feſtum Patroni principalis Civitatis, vel Diœceſis tunc dictorum locorum ad ſummum cenſeatur feſtum Patroni minus principalis, ad illud celebrandum minime erunt obligati, cum ad Patronorum minus principalium celebrationem Regulares haudquaquam teneantur. Superius autem dictum eſt, quod Suburbia, vel alia quæque Loca Civitatis contigua, atque adnexa, unum, & eumdem locum cum Civitate conficere cenſentur, & ideo Regulares in iiſdem degentes non potuerunt ſe extra Civitatem reputare ad effectum ſe eximendi a celebratione officii Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis.

III. Quæ illatio occaſionem nobis exporrigit inquirendi, cur Regulares etiam degentes extra Civitatem, teneantur ad celebrandum de Feſto Patroni principalis Civitatis, & ſub eodem ritu, ac in Civitate, nullatenus vero de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis?

IV. ℟. Rationem hujuſce rei jam indicatam fuiſſe in octavo Decreto præſentis Capitis, & eſt, quia Patronus principalis Civitatis ſupponitur Patronus principalis & Diœceſis, & in utroque loco æque ſolemnis, & ideo non minus Regulares Civitatis, quam Diœceſis eodem pacto ad illum celebrandum convenit obligari, quemadmodum eadem de cauſa Clerus Sæcularis tam Civitatis, quam diœceſis illum ſub ritu primæ claſſis, & cum octava recolere æque tenetur. Feſtum autem Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis eſt feſtum particularis Eccleſiæ, quod intra ejuſdem limites coarctari deberet, inſtar feſti Dedicationis aliarum Eccleſiarum; quod extra eaſdem haudquaquam protenditur, licet poſtea ad alias etiam Eccleſias ex quadam congruentia extendatur, en quod eſt feſtum ſolemne particularis quidem Eccleſiæ, ſed quæ eſt caput, & matrix omnium aliarum Eccleſiarum totius Diœceſis. Ceterum tamen quia eſt feſtum, quod cum multa non aſſolet ſolemnitate celebrari, & quam habet ſolemnitatem, eam ſibi vindicat in Civitate, & in Diœceſi vel nullam, vel admodum paucam ſortitur, idcirco convenienter ſtatutum fuit, Regulares extra Civitatem degentes ad dictum feſtum celebrandum nullatenus adſtringi, quemadmodum eadem de cauſa Clerus Sæcularis Diœceſis illud non recolit cum octava, cum qua per Clerum Sæcularem Civitatis celebratur.

V. Hæc eadem cauſa eſt, ob quam ſtatutum reperitur, Regulares Civitatis neque teneri ad illud celebrandum ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed ſolum ſecundæ claſſis, quinimmo & Clerum Sæcularem Diœceſis adhuc ſub ritu duplici dumtaxat minori, ſi ita ferat conſuetudo, quemadmodum mandat Decretum VII. Capitis I., & reipſa obſervatur Florentiæ ab eodem Clero Sæculari, nedum Diœceſis, ſed etiam Civitatis.

VI. Quod ſi Clerus Sæcularis, etiam Civitatis, non tenetur ad celebrandum feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis niſi ſub ritu duplici minori, ubi hujuſce dumtaxat celebrationis conſuetudo invaluit, utique nec ibi Clerus Regularis ad illud ſub altiori ritu celebrandum erit adſtrictus; patens eſt enim, quod dum Decretum ritum duplicem ſecundæ claſſis præſcribit, intendit demere de ritu, quo dictum Feſtum a Clero Sæculari celebratur, adeoque quod Clerus Regularis ſub altiori ritu ad illud recolendum in vi præſentis Decreti teneri minime poteſt. Dubitari utique poſſe, num Regulares dictorum locorum ad illud celebrandum teneantur, vel ſaltem an illud ſub minori ritu debeant celebrare? Aſt quoniam inferior ritus, ſcilicet ſemiduplex, non videtur dicto feſto congruere, non crederem ritum eſſe imminuendum, ſed magis in eo caſu Clerum Regularem ab ejuſdem celebratione deobligarem, ea ductus ratione, quod ibi tale feſtum non eſt admodum celebre, & ſolemne, quemadmodum hujus defectu ſolemnitatis, & celebritatis hoc, & alia Decreta ejuſdem Congregationis Clerum Regularem Diœceſis ab onere illud celebrandi liberant, & Sæcularem a celebratione octavæ, ut in primo Capite vidimus.

DECRETUM XIV. CAPITIS IN ORDINE XLIII.

Dum dicenda ſunt ſuffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda eſt commemoratio tantum de Patrono principaliori, S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden.*, & reperitur in Rubricis Breviarii Minorum Obſerv. num. 102, Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 145.

I. TAmetſi jure ordinario nullibi duo, vel plures Patroni principales ejuſmodi loci haberi queant, bene tamen ex priſco, & annoſo uſu, necnon ex Apoſtolico Indulto, & de hujuſmodi locis procedit Decretum, non autem ſupponendo, quod ubivis de lege ordinaria licita ſit pluralitas Patronorum principalium. Ita autem procedit de præfatis Patronis principalibus, ut haudquaquam excludat ea loca, quæ duos, vel plures principales Patronos habent, quorum alter univerſalis eſt, particularis alter, in omnibus etenim locum æque habet Decreti diſpoſitio.

II. Unum itaque ſupponit Sanctio, & alterum ſtatuit. Supponit, quod de Patrono principali in ſuffragiis commemoratio fieri debeat, & ſtatuit, quod non de cunctis, ſed tantum de uno, videlicet de principaliori ea ſit facienda. Quantum ad id, quod ſupponit, admodum celebrem quæſtionem excitat, num videlicet attentis Rubricarum præſcriptis in ſuffragiis Sanctorum facienda ſit commemoratio Patroni principalis?

III. Qua in parte haudquaquam conveniunt Auctores; Gavantus enim *ſect. 5. cap. 18. num. 7.* contendit in dictis ſuffragiis commemorationem de Patrono principali loci eſſe faciendam, eique adhærens Halden *part. 3. tit. 1.* & Lohner *inſtruct. pract. part. 2. tit. 2. §. 11. num. 3.* Gavanti opinionem refellit Guyetus *lib. 3. cap. 17. qu. 9.* dicens, quod certe, ſi vera eſſet opinio Gavanti, peſſime concepta fuiſſet Rubrica 35. *num. 1.*, cujus ſunt hujuſmodi verba, *Illis adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ, ante, vel poſt commemorationem de Sancta Maria*, ad quam conſonanter habet Rubrica in Breviario poſita inter ſuffragia Sanctorum, *De Patrono, vel Titulari Eccleſiæ fiat commemoratio conſueta ante, vel poſt commemorationes prædictas pro dignitate illius*; debuiſſet enim, ait idem Guyetus, dicta Rubrica ſaltem ſic poni, *De Patrono loci, & Titulari Eccleſiæ fit commemoratio &c.* At cum vox *Loci* utrobique non habeatur, & utrobique deficiat particula *&*, habeaturque ſemper particula *vel* disjungens Patronum a Titulari, ita ut non ſeorſim uterque ad diverſa, ſed alteruter ad idem pertineat, videlicet ad Eccleſiam in gradu Patroni, vel in gradu Tituli; quis non judicet Gavantum, qui tenebras in tam clara luce offendit? Manet itaque Rubricam, unius dumtaxat præcipere commemorationem, ſive is ſit Eccleſiæ Patronus, ut S. Stephanus, S. Antonius, S. Catharina &c., ſive Titulus aliquis puta SS. Trinitatis, S. Salvatoris, S. Crucis &c. ſenſu a nobis explicato, prout ſcilicet diſcrimen poſuerat inter Patronum, & Titulum Eccleſiæ *lib. 1. cap. 5. quæſt. 1. & ſeqq.*, & nos ipſi in præliminaribus præcedentis Capitis dicebamus.

IV. Equidem haud miror, quod a Guyeto Gavantus ita male tractetur, ſtupeſco potius quod Meratus ipſe, alioquin pluries plus æquo Gavanti fidelis aſſecla, eidem hiſce verbis adverſetur, atque inurat; *Quamvis difficillime a Gavanti noſtri doctrina recedam, nihilominus in hoc caſu ponderationes, & rationes a Guyeto allatæ cogunt me ad ejuſdem potius quam ad Gavanti, & aliorum ſupercitatorum ſententiam amplectendam.* Habet hujuſmodi verba *ſect. 5. cap. 18. num. 8.*, ubi & ſuæ deſertionis rationem ſubdit: *Revera enim Rubrica unius tantum commemorationem præcipit, non vero duorum: Siquidem poſtquam dixit adjungendam eſſe commemorationem de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ, ante vel poſt commemorationem de S. Maria, & de Apoſtolis, ſubdit* Pro dignitate illorum, *ſicuti dixiſſet, ſi duorum, nempe tum de Patrono loci, tum de Titulo Eccleſiæ commemorationem faciendam præſcripſiſſet, ante, vel poſt commemorationem de S. Maria, & de Apoſtolis. Auctor igitur Rubricæ optime conſideravit, quod aliquando Eccleſia habet ſolum Titulum ſtricte acceptum, non vero Patronum, ſicuti accidit, quando eſt conſecrata ſub invocatione SS. Trinitatis vel alterius Myſterii; aliquando vero contingit Eccleſiam eſſe dedicatam ſub invocatione, ſeu protectione alicujus Sancti, qui propterea vocatur Eccleſiæ Patronus; & idcirco Rubrica præſcribit faciendam eſſe commemorationem Tituli, vel Patroni.*

V. Quia vero Merati notitiam haud fugerat præſens Decretum, quod dum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus principalibus Patronis in ſuffragiis tantum principalioris commemorationem faciendam eſſe mandat, de Patrono principali loci commemorationem in dicta ſuffragia conſequenter inſerendam eſſe ſupponit, ne Decretum, ſeu Decreti celeberrimos Auctores erroris, vel allucinationis accuſet, Decreti diſpoſitionem procedere autumat pro iis locis, ubi eſt legitime introducta conſuetudo inter communia ſuffragia recenſendi etiam Patronum principalem loci, a qua conſuetudine non recedendum eſſe dicit. Scribit itaque: *Quamvis igitur ex diſpoſitione prædictæ Rubricæ nulla deducatur obligatio faciendi commemorationem de Patrono loci, nihilominus, quia mos invaluit apud fere omnes inter communia ſuffragia recenſendi etiam Patronum principalem loci, in quo recitatur officium, idcirco non eſt recedendum ab hac pia conſuetudine, præſertim ubi eſt legitime introducta, pro qua facit ſequens Decretum*; Decretum autem, quod adducit, eſt præſens, quod hic exponendum ſuſcepimus. Quam Decreti explanationem ex verbis illis Guyeti, quæ loco citato profert, deſumpſiſſe credibile apparet; *Ubi talis eſt conſuetudo, ut de Patrono loci, ſeu Diœceſis in ſuffragiis commemoratio fiat per omnes Diœceſis Eccleſias, ea eſt retinenda, maxime ubi Breviarum loci proprium ita decernit.*

VI. Aſt quoniam hujuſmodi expoſitionem vel nullatenus, vel nimis utique ægre Decreti verba ſuſtinent, nos in hac

parte

parte ſententiam Gavanti, aliorumque ſupracitatorum amplectendam eſſe arbitramus, & omnimode deſerendam eam Merati, atque Guyeti, de quo haud dubitamus, quod ſi præſentis Decreti, dum ſcribebat, notitiam habuiſſet, aliter pronunciaſſet, ac conſequenter mirari non poſſumus, quomodo Meratus, ut Guyeti opinionem adoptaret, & ſuum inaniter deſeruerit Auctorem, ac venerabilem Congregationis diſpoſitionem, vel huic nimis invalidam, ac extortam præſtiterit explanationem.

VII. *Extortam* quidem, quoniam Decretum commemorationem de Patrono principali loci in ſuffragiis agendam eſſe abſolute, & ſimpliciter ſupponit, pronunciat, atque una decernit, nec ullum verbum habet de præſata conſuetudine; quidni igitur abſolute, & ſimpliciter, & nulla facta conſuetudinis ſuppoſitione erit intelligendum? Deinde ſi facta conſuetudinis ſuppoſitione licita, atque valida approbatur in ſuffragia Sanctorum introductio commemorationir, quam Rubrica non patitur, de Patrono principaliori loci, cur itidem facta ſuppoſitione conſuetudinis agendi in dictis ſuffragiis de cunctis Patronis principalibus, hujuſmodi introductio licita non erit, ſed a Decreto damnabitur, dum de principalioti Patrono tantum commemorationem faciendam eſſe mandat? Nonne in utroque caſu iis, quæ divinum integrant officium, additio fit, atque miſcentur aliqua, quæ ſecundum Rubricas minime dicenda veniunt? Quare itaque in priori caſu additionem illam, vel admixtionem conſuetudo licitam facit, atque validam, & non in poſteriori?

VIII. *Invalidam* vero, ſiquidem ex Decreto ejuſdem Congregationis 10. Junii 1690.: *Non licet aliquid ex devotione, ſeu auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant officia cujuſque diei, quia in officiis Sanctorum nihil eſt addendum, vel immutandum, niſi a Sede Apoſtolica conceſſum fuerit*. Id prius etiam ſtatuerat Pius V. in ſua Bulla de Breviario Romano per illa verba: *Breviarium ipſum nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe*. Quinimmo ſi quæ additio, aut mixtio licita eſt, tantum illa eſſe poteſt, quæ ante Bullam Pii V. foret introducta, atque recepta, & poſtmodum ſemper retenta, uti fuſiori calamo oſtendetur in Cap. de Additione Breviario fieri inhibita, & de Feſtis ex conſuetudine. Cum itaque, ſi Rubrica non fert de Patrono principali loci commemorationem agi in ſuffragiis Sanctorum, per hanc commemorationem *aliquid ex devotione, ſeu auctoritate privata miſceatur, vel apponatur inter ea, quæ integrant officium illius diei, quod ab Apoſtolica Sede conceſſum non eſt*, idcirco per præſens Decretum approbari haudquaquam potuiſſe conſuetudo præfatæ commemorationis abſque expreſſa Apoſtolicarum Conſtitutionum læſione, & derogatione; ſupponitur enim, quod dicta conſuetudo invecta non fuerit ante Bullam Pii V.. Quod ſi dicatur, Decretum eſſe reſtringendum ad caſum conſuetudinis ante dictam Bullam introductæ, utique non ſuffragatur, quoniam vult Sanctio in Locis, ubi habentur plures Patroni principales, de principaliori tantum dici debere ſuffragium, non autem de cæteris, quorum tamen commemoratio expungi utique non potuiſſet, ſi itidem inniteretur conſuetudini ante Bullam Pianam invectæ.

IX. Dices, quod iis, quæ integrant divinum officium, inhibetur quidem aliquid addi, ſed cum clauſula, *Niſi a S. Sede Apoſtolica conceſſum fuerit*; de Patrono autem principaliori in ſuffragiis commemorationem fieri per præſens conceditur Decretum, adeoque iis in locis in quibus eſt dicta conſuetudo, licet poſt Bullam Pii V. inducta, dictam poſſe ſuſtineri additionem, vel commemorationem.

X. ℞. Decretum procedere non aliquid particulare indulgendo, ſed ſolummodo, quid in caſu propoſito faciendum ſit, declarando, quærebatur autem, an in locis gaudentibus pluribus Patronis principalibus, in ſuffragiis Sanctorum de omnibus commemoratio facienda foret, quapropter dum Sacra Congregatio reſpondet, fieri eam debere de principaliori tantum, non concedit eam faciendam, tametſi Rubricæ eam non patiantur, ſed declarat, quid attento jure ordinario, ſeu Rubricarum præſcriptis faciendum venit. Fas eſt igitur, vel quod Sacra Congregatio allucinata fuerit in Rubricatum intelligentia, quo quid abſusdius? Vel quod Rubricæ ferant, de Patrono principali loci in ſuffragiis Sanctorum commemorationem eſſe peragendam.

XI. Ad defendendam Congregationis deciſionem unicum Adverſariis remaneret effugium, videlicet ſi dicerent, quod Rubrica, dum ſuffragiis Sanctorum adjungendam eſſe diſponit commemorationem *de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, unius quidem dumtaxat præcipit commemorationem, ſed ſub dirjunctione, Patroni videlicet loci per verbum illud *De Patrono*, vel de Titulari Eccleſiæ per particulam *vel Titulo Eccleſiæ*; ſic enim dum Decretum ſtatuit de principaliori tantum Patrono commemorationem agendam eſſe, veritatem haberet, quoties de Patrono potius principali loci, quam de Titulari Eccleſiæ eamdem facere eligeretur; & aliunde congruum haberet ſenſum & Rubrica illa, in cujus verbis difficultatem relevat Meratus, dum de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ *pro dignitate illius*, & non *illorum* commemorationem præfatam agendam eſſe ſtatuit. Verum quoniam hujuſmodi expoſitio, quatenus ſub optione relinquit commemorationem facere de Patrono principali loci, vel de Titulari Eccleſiæ, haudquaquam locum habet in Adverſatiorum ſententia, qui mordicus contendunt, Rubricam tantum commemorationem de Titulari Eccleſiæ, & nullatenus de Patrono loci præſcribere, idcirco proculdubio eorumdem opinio non habet, unde deciſionem Sacræ Congregationis ab allucinatione tueatur.

XII. Fas eſt, hic fateamus, quod præfatæ Rubricæ explanatio, quatenus ſub optione relinquit, aut ſub disjunctione præcipit commemorationem agere de Patrono principali loci, aut de Titulari Eccleſiæ, apprime nobis arrideret, utpote quæ Decretum Congregationir, ac ejuſdem Rubricæ verba in omni ſalvat rigore, nec aliunde habet, unde corripi queat; quod enim opponi poſſet, videlicet quod Rubrica, dum mentionem habet de Patrono, non ponit *Loci*, quod ponere debuiſſet, ſi de eo commemorationem ſub disjunctione præciperet, ſed *Eccleſiæ*, quod verbum cadit & ſupra Titulum, denotareque videtur, faciendam eſſe commemorationem de eo, quod juxta ejuſdem conditionem vel Titulus, vel Patronus Eccleſiæ eſt, facilem habet ſolutionem, ut ex inferius dicendis liquido conſtabit.

XIII. Verum quoniam valida nobis haud deſunt rationum momenta ex Rubricis ipſis petita, vi quorum in præcepto videtur & commemoratio Patroni principalis loci, & ea Titularis Eccleſiæ, & aliunde utramque fieri admodum conveniens eſt, arbitramus utramque commemorationem eſſe faciendam. Dicimur itaque, quod dum Rubrica aſſerit, *illis*, ſcilicet ſuffragiir, *adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, aut ut habet Rubrica particularis inter Sanctorum communes commemoratione poſita, *De Patrono, vel Titulari Eccleſiæ fiat commemoratio conſueta, ante, vel poſt commemorationes prædictas*, per verbum illud *De Patrono* in præcepto facit commemorationem de Patrono principali loci, & per aliud *Titulo Eccleſiæ* in præcepto itidem ponit commemorationem Titularis Eccleſiæ.

XIV. Pro cujus probatione, opus eſt, advertat Lector, quod dictio *Vel* non ſemper ſumitus disjunctive, vel alternative, ſed etiam quandoque copulative, & conjunctive, unde Sanctus Maximus *homil. 1. de Epiph.* habet: *Ferunt enim hodie Chriſtum Dominum Noſtrum vel Stella duce a Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam in vino vertiſſe, vel ſuſcepto a Joanne Baptiſmate &c.* Ubi proculdubio particula *Vel* ſupplet vices particulæ conjunctivæ *Et*. Idipſum pluribus allegatir advertit Barboſa *de Dictionib. uſufreq.* dum agit de dictionibus *Aut, vel, ſeu, & ſive*, & id præſertim aſſerit evenire, quando aliqua ex dictir particulir ponitur inter perſonas, & in diſpoſitione favorabili; in præſentiarum autem ponitur inter perſonas, videlicet inter Sanctum Patronum loci, & Sanctum Titularem Eccleſiæ, & eſt in diſpoſitione favorabili, quatenus inducit commemorationem de utroque, & ideo copulative ſumi debet, & exponi pro *Et*.

XV. Et quidem quod præfata dictio *Vel*, dum in Rubricis inter Patronum, & Titulum Eccleſiæ ponitur, pro *Et* ſumi debeat, & quod verbum illud *Patronus* denotet Patronum principalem loci, & illud *Titulus* Titularem Eccleſiæ, diſerte in primis eruitur ex Tabella duplicium primæ claſſis, in qua cum ita notetur *Patronus, vel Titulus Eccleſiæ*, ſi ly *Patronus* non ſtaret pro Patrono principali loci, proculdubio præfata Tabella diminuta foret, utpote quæ nullam nec præcedenter, nec ſubſequenter mentionem habet Patrono principali loci, quem tamen ritu duplici primæ claſſis gaudere nemo eſt, qui ignoret; hoc ipſo autem, quod ly *Patronus* ſtat pro Patrono principali loci, haud credimus contenſum iri poſſe, quod dictio illa *Vel* pro *Et* ſumi debeat, alioquin ſi disjunctionem faceret, denotaret, quod non uterque, Patronus ſcilicet principalis loci, & Titularis Eccleſiæ, eſſet ritus duplicis primæ claſſis, ſed alteruter dumtaxat ex illis, cum tamen compertum ſit, utrique ritum duplicem primæ claſſis a Rubricis paſſim concedi.

XVI. Habet Rubrica ſub Tabula occurrentiæ num. 1. *Duplex quodcumque etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem, occurrens in vigiliis Nativitatis Domini & Pentecoſtes &c. transfertur*. Et quis inficiabitur ly *Patroni* non denotare Patronum principalem loci, tametſi non ponatur ly *Loci*, ſed *Eccleſiæ*, quod verbum cadit, & ſupra Patronum, & ſupra Titulum?

XVII. Habet eadem Rubriea num. 2. *Infra octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione*, & iiſdem verbis id etiam firmat Rubrica particularis in Feſto Epiphaniæ poſita, necnon Rubrica generalis VII. *de octavis num. 2.*, & compertum eſt infra dictam octavam locum etiam habere Feſtum Patroni principalis loci. Ibi itaque *Vel* copulative uſurpatus, & *Patronus*, non pro Titulari, ſed pro Patrono loci ſumitur.

XVIII. Habet num. 8. *Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia fit tantum de Patrono, vel Titulari, abſque commemoratione aliorum. Qui ſi in dicto Kalendario &c.*, & licet non ponatur *Loci*, ſed *Eccleſiæ*, ſtat ibi *Patronus* pro Patrono principali loci, nec uſurpatur ob diſcrimen, quod aſſeritur adeſſe Patronum inter, & Titularem Eccleſiæ, quemadmodum dictam Rubricam exponit Sacra Congregatio in repetitis Decretis referendis in Capite V., ubi idipſum faciendum diſponit in caſu, in quo Patronus principalis loci eadem die in Kalendatio cum aliis Sanctis reperiatur deſcriptus.

XIX. Habet num. 9. *Si aliqua Vigilia occurrat in diebus Feſtorum Duplicium primæ Claſſis, ſive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Eccleſiæ, de ea nihil fit*; & certum cum ſit,

quod nihil quoque fit de Vigilia occurrente in Feſto Patroni principalis loci, indubium etiam eſt, quod ibi ly *Patronus* ſtat pro Patrono principali loci, ne cogamur dicere, quod Rubrica diminute procedat.

XX. Verum ne incaſſum, & nonniſi in tædium Lectoris hic coggerere cogamur cunctos Rubricarum textus, in quibus idipſum præſcribitur, eumdem Lectorem de nonnullis hic monitum volumus. Primo, quod quotieſcumque in Rubricis habetur, ac nominatur copulative, vel disjunctive, Patronus, & Titulus cum additione *Eccleſiæ*, licet non habeatur *Loci*, ſemper *Patronus* uſurpatur pro Patrono principali loci, & non pro Sancto, qui juxta ſui conditionem dicitur Titularis, vel Patronus Eccleſiæ ob diſcrimen, quod eſt Titulum inter, & Patronum, quemadmodum edocent Adverſarii. Recolat Lector Rubricam *VII. num. 2., IX. num. 3.*, necnon quæ ponitur ſub Tabula concurrentiæ *num. 2.*, in quibus ultra ſuperius allegatas fit dicta mentio Patroni, & Tituli Eccleſiæ, & ſi a diminutione Rubricam vult excuſare, neget, ſi valet, de quibus eumdem monuimus.

XXI. Secundo. Quod Rubricæ ipſæ, dum memoriam faciunt *de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, nonnumquam exponunt ly *Eccleſiæ*, quatenus de Patrono dicitur, pro *Loci*, ut in Rubrica *IX. num. 3.*, ubi ſic habetur: *Niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipſius Eccleſiæ, non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ; & tunc de hujuſmodi principali Feſto fit tantum in eo loco, vel Eccleſia, cujus eſt Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio*. Ubi vides primum Patrono adjici *Eccleſiæ*, & non *Loci*, & poſtea ly *Eccleſiæ*, quatenus ſupra Patronum appellat pro *Loco* explanari.

XXII. Tertio. Quod Feſta tum Patroni principalis loci, tum Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ aliquando ſignificantur per *feſtum ſolemne loci*, ac conſequenter ly *Loci*, quatenus ſupra Titulum, & Dedicationem cadit, ſtat vice *Eccleſiæ*. En Rubricam X. num. 1. *Excepto quoque Feſto quocumque ſolemni alicujus loci, quod in propria tantum Eccleſia, etiam in aliquibus ex ſupradictis diebus occurrens; ſcilicet in Dominicis 2. 3., & 4. Adventus &c. celebratur*. Ubi per *feſtum ſolemne alicujus loci* indubium eſt venire etiam Titulum, & Dedicationem Eccleſiæ, & revera ita exponitur a Rubrica poſita ſub Tabella occurrentiæ *num. 1., & 2.*, ac alibi. En quoque Rubricam IX. num. 4. *Niſi illud Feſtum novem lectionum fuerit ſolemne principale alicujus loci, ut ſupra*; ſupra autem meminerat Feſti Patroni principalis loci, Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ.

XXIII. Quarto. Quod adhuc per Rubricas ly *Loci*, quatenus de Patrono principali dicitur, vice *Eccleſiæ* exponitur, ut in memorata Rubrica X. *numer. 1.*, ubi cum per verba illa, *excepto quoque Feſto quocumque ſolemni alicujus loci*, certum ſit includi etiam Feſtum Patroni principalis loci, dum ſubditur, *quod in propria tantum Eccleſia celebratur*, & nulla fit mentio loci, patens fit, quod ly *Eccleſia*, quatenus ſupra Patronum cadit, pro loco uſurpatur.

XXIV. Quinto. Quod numquam in Rubricis Titularis Eccleſiæ per ea verba disjunctiva *Patronus, vel Titulus Eccleſiæ* ſignificatur, & quod ſemper dum hujuſmodi verba vel disjunctive, vel copulative ponuntur, ly *Patronus* ſtat pro Patrono principali loci, alias Rubrica foret diminuta, quemadmodum clare dignoſcet Lector ex cunctis Rubricarum textibus, in quibus memorata ponitur expreſſio. Etſi enim verum ſit diſcrimen illud, quod ponitur inter Patronum, & Titulum Eccleſiæ, & qui eſt Titulus Eccleſiæ, quandoque non poſſit dici Patronus ejuſdem, uti quando SS. Trinitas eſt Titulus, quia tamen omnis Patronus Eccleſię eſt etiam ejuſdem Titulus, licet non e contra, ad vitandam ſuperfluitatem Rubrica contenta fuit exprimere Titularem Eccleſiæ per ly *Titulum Eccleſiæ*, & numquam uſa fuit *Patrono, vel Titulo Eccleſiæ* ad denotandum ſolummodo Titularem, quamnumvis hic, qui eſt Titulus, ſit quandoque etiam ejuſdem Patronus, uti contingit, quoties Eccleſia dicata reperitur alicui ex Sanctis; hinc & quando Rubrica agit de Patrono, & Titulo cum expreſſione *Loci, & Eccleſiæ*, ut in Rubrica 1. *num. 1. IV. num. 1., VII. num. 1.*, ex induſtria *Locum* ita diſtribuit, ut ſemper cadit ſupra Patronum, & quando Titularem nominat, abſtinet ab expreſſione *Patroni vel Titularis*, quam ponere debuiſſet, ſi juxta, & ob diſcrimen aſſertum procederet.

XXV. Sexto. Quod licet Rubrica dum Patronum principalem loci nominare intendit, quandoque ponat ly *Loci*, ex hoc haudquaquam inferri valet, quod quoties nominat Patronum ſine additione ulla *Loci*, ſed *Eccleſiæ*, per ly *Patronum* veniat Titulus Eccleſiæ, & non Patronus principalis loci; & hoc ob rationes ſuperius recenſitas, videlicet tum quia alias Rubrica foret diminuta, tum quia Rubrica ipſa ly *Eccleſiæ* exponit pro *Loco*, & patens eſt pro loco ſtare, quatenus Patronum appellat &c.

XXVI. Cum itaque ex ſuperius dictis pateat, quod ly *Eccleſiæ*, dum Patronum appellat, ſtat vice *Loci*, & dictio illa *vel* pro dictione *&*, abunde ſolutæ remanent rationes omnes, quas Guyetus contra Gavantum affert, ad probandum, quod tricatur, & tenebras in clara luce oſtendit, dum de principali Patrono loci in ſuffragiis Sanctorum commemorationem faciendam eſſe ſtatuit. Remaneret ſolum itaque, obviam ire ponderationi illi, quam facit Meratus ſuper verba illa Rubricæ *Pro dignitate illius*, ubi advertit, quod dicere debuiſſet *Pro dignitate illorum*, ſi duorum, nempe tum de Patrono loci, tum de Titulo Eccleſiæ, commemorationem faciendam præſcripſiſſet. Verum hujuſmodi ponderatio facile evaneſcit, ſi inſpiciatur modus, quo commemorario de Patrono loci, & de Titulo Eccleſiæ mandatur, videlicet *De Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, cui utique correſpondet *Pro dignitate illius*, nempe *Patroni, vel Tituli Eccleſiæ*; & quando etiam per verba expreſſe copulativa mandata extitiſſet commemoratio tum Patroni loci, tum Titularis Eccleſiæ, videlicet *De Patrono loci, & de Titulari Eccleſiæ, &c.*, adhuc neceſſe non fuiſſet, dicere *Pro dignitate illorum* ſed optime dici potuiſſet *Pro dignitate illius* ſcilicet qui eſt Patronus loci, vel Titulus Eccleſiæ, quia ibi non agitur de ponenda abſolute commemoratione illorum, ſed de ea ponenda ante, vel poſt commemorationem de Sancta Maria, vel de Apoſtolis. En verba Rubricæ: *De Patrono, vel Titulari Eccleſiæ fiat commemoratio conſueta ante, vel poſt commemorationes prædictas, pro dignitate illius; & ultimo loco de Pace*.

XXVII. Hujuſmodi interpretatio ex parte deprompta fuit ex Halden *part. 3. tit. 1.*, & Lohner *inſtruct. pract. 2. par. 2. tit. 2. §. 11. numer. 3.*, ubi adductam Rubricam ita intelligunt, ut ly *Vel* ibi tantum ſignificet ante, vel poſt commemorationem de S. Maria, & de Apoſtolis, cæterum quod fieri debeat commemoratio, & de Patrono loci, & de Titulari Eccleſiæ, ſed prout eorum dignitas expoſcit.

XXVIII. Diximus ſuperius, conveniens item eſſe, quod in ſuffragiis fiat commemoratio Patroni principalis loci; hujuſmodi autem convenientia in eo ſita eſt, quod cum in ſuffragiis fiat commemoratio S. Mariæ, quæ totius Mundi Patrona eſt, & Advocata, & cura eſt illi de omnibus, ut ait Sapientiſſimus Idiota, necnon SS. Petri, & Pauli, qui fundatæ a Chriſto Eccleſiæ ſingularem gerunt patrocinium, & ideo præſcripta quoque ſit commemoratio Titularis Eccleſiæ ob protectionem, quam iſte habet ſupra materialem Eccleſiam, necnon formalem, ſeu Clerum, & Populum eidem addictum, idcirco nec in iiſdem deſiderari debuit commemoratio Patroni principalis loci, cujus præcipuo patrocinio univerſali electione, & communi conſenſu ſe commendavit Regio illa, in qua recitatur divinum officium.

XXIX. Ab eo, quod præſens ſupponit Sanctio, quodque huc uſque ponderavimus, opus eſt, modo deſcendamus ad examen illius, quod ſtatuit, videlicet, quod in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, dumtaxat inter ſuffragia Sanctorum de principaliori Patrono commemoratio facienda eſt. Ille autem principalior inter plures principales cenſetur, cujus feſtum feſtivatur in foro; & ſi plures ita feſtivi habeantur, ille erit cujus feſtivatio recolitur vi Urbanæ Conſtitutionis, quæ in unoque loco feſtum principalioris Patroni ſtatuit in præcepto quoad forum, non autem illi, quorum dies ex particulari dumtaxat Indulto feſtivi habentur.

XXX. Rubricam, quantumvis optime noverit, in unoquoque loco plures Patronos, quorum unus principalis eſt, minus principales alii, communiter haberi, adhuc per verbum ſingulare *De Patrono* unius dumtaxat, nimirum principalis, in ſuffragiis commemorationem faciendam duplici de cauſa credimus præſcripſiſſe, videlicet quia cæteri ſunt principali dumtaxat adjuncti, & ne dum omnium Patronorum commemoratio facienda foret, gravamen Cleri inde exurgeret. Hac eadem de cauſa credimus, Sacram Congregationem in præſentiarum voluiſſe, quod dicta Rubrica locum haberet etiam iis in locis, qui pluribus Patronis principalibus gaudent; & cæteri enim principales ſunt principaliori adjuncti, & præcipuum patrocinium eorundem locorum principaliori commiſſum eſt; & fere non minus ex prolixitate commemorationum de hujuſmodi principalibus Patronis adjunctis onus Clerus ſentiret; & ſi res bene perpendatur, Sancti illi, qui ſunt Patroni quidem principales, ſed adjuncti, etſi gaudeant prærogativis Patronorum principalium, adhuc inſtar minus principalium relate ad principaliorem ſe habent; quapropter ſi Urbanus VIII., ne pluralitas feſtorum in Populi gravamen cederet, noluit eorumdem, licet principalium ut ſupra Patronorum, dies quoad forum feſtivitas haberi, optime & Sacra Congregatio ad vitandum Cleri gravamen, in præſentiarum ſtatuit, eorumdem commemorationem inter ſuffragia Sanctorum non eſſe inducendam. Vide, quam conſonanter, & concinne hujuſmodi reperiantur indicta.

XXXI. Hæc Sacræ Congregationis deciſio contrarium habet Guyetum, qui *lib. 3. cap. 17. quæſt. 9.*, etſi de Patrono principali loci commemorationem præfatam faciendam non eſſe mordicus teneat, adhuc aſſerit, quod ubi eſt conſuetudo eam faciendi, eſt retinenda, ac facienda de ſingulis Patronis principalibus, quemadmodum facienda eſt de pluribus, Titularibus æque principalibus, ubi hujuſmodi Titulares habentur. Verum ſi attendantur ea, quæ in præcedenti Capite tradidimus, locum non habet adducta per Guyetum paritas, ſed magis adverſus ipſum militat, quoniam dari non poſſunt plures Sancti diverſa die occurrentes, qui ejuſdem Eccleſiæ ſint Titulares æque principales, ſed ſemper unus eorumdem dumtaxat Titularis principalis cenſendus eſt; ceteri vero ſolummodo Patroni adſcititii, ac conſequenter horum officium eſt ſub ritu dumtaxat majori celebrandum, & eorumdem commemoratio in Sanctorum ſuffragiis prætereunda.

XXXII. Quia tamen dantur forſitan Eccleſiæ aliquæ ex antiquis, quæ plures Sanctos diverſa die occurrentes, & non per modum unius ſe habentes, tamquam Titulares æque principales

pales

Digitized by Google

pales recognoſcunt, & de iiſdem officium duplex primæ claſſis, & cum octava pariformiter celebrant; idcirco locum videtur habere Guyeti paritas, quoties de omnibus iſtis concedatur, quod ſua non debeant in ſuffragiis carère commemoratione. Verum quoniam etſi plures in aliquibus locis habeantur ex annoſo, & priſco uſu Patroni principales, de quibus celebratur officium ſub ritu duplici primæ claſſis, & de octava, adhuc præſens vult Decretum, quod aliquis eorumdem cenſendum ſit principalior, & de eo dumtaxat in ſuffragiis commemoratio fiat; ita nos dicimus ex præfatis Titularibus unum reputandum eſſe principaliorem, & de eo dumtaxat in ſuffragiis commemorationem eſſe faciendam. Erit autem principalior, qui Eccleſiam abſolute, vel prius denominat; qui enim poſteriori loco ponitur, tamquam Titularis, vel Patronus adſcititius eſſe videtur. Et revere dum Rubrica commemorationem prædictam in ſuffragiis de Titulari præſcribit, non minus utitur numero ſingulari ad denotandum, quod de uno dumtaxat ex Sanctis Titularibus fieri debet, adhuc ubi plures habentur. Etſi itaque conſuetudo ante diem 23. Martii 1630. introducta, atque recepta, vim habeat ad tuendum officium duplex 1. claſſis cum octava de pluribus Patronis principalibus, & ut ſoperius in hoc Capite dictum fuit, etiam de pluribus Titularibus principalibus, ſe habentibus ad modum plurium, & non unius, ac diverſo die occurrentibus, adhuc valida non erit ad ſuſtinendam de omnibus commemorationem inter ſuffragia Sanctorum, niſi inducta ea eſſet ante Bullam Pii V., cujus rationis conſuetudines per nulla Decreta reprobantur, ſed expreſſe laudantur.

XXXIII. Quoniam vero ex modo, & ſuperius dictis diſerte conſtat, quod dari queunt plures Titulares ejuſdem Eccleſiæ æque principales, & plures Patroni ſimiliter principales ejuſdem loci, dummodo eadem die occurrant, & ſe habeant per modum unius, idcirco hoc in caſu de omnibus item dictis Titularibus ſub una antiphona, & ſub altera de omnibus præfatis Patronis commemoratio fieri poſſet, immo deberet; tunc enim præſens non offenditur Decretum, nec memorata Rubrica, quia hi omnes ſunt Patroni principaliores, nec reputantur plures, ſed tamquam unus, & propterea etiam eorumdem feſtivitas ſub una, & eadem die perſolvitur.

XXXIV. Nos haudquaquam præterit, quod plures ex Eccleſiis in uſum habent faciendi commemorationem per diſtinctas Antiphonas de omnibus Patronis principalibus, quinimmo & de Patronis minus principalibus, ſed ſub una, quæ omnes comprehendat, Antiphona. Ita obſervat Eccleſia Venetiarum, quæ prius memoriam facit de S. Marco, deinde de S. Laurentio Juſtiniano, & ultimo loco de SS. Hermagora, & Fortunato; Eccleſia Mantuana de Sancto Cæleſtino Papa, & de Sancto Anſelmo Epiſcopo; Veronenſis de S. Zenone Martyre, & SS. Hermagora, & Fortunato; Cremenſis de S. Pantaleone, & de S. Sebaſtiano Martyribus: Cathedralis Bergomenſis de S. Alexandro principali Patrono, & de SS. Joanne, Projectitin &c., qui nec Patroni minus principales ſunt, ſed ſolummodo ex Sanctis indigenis, & aliæ de pluribus aliis. Nos igitur has, & alias quaſcumque Eccleſias, in quibus talis viget conſuetudo, non monere non poſſumus, quod in præſens Decretum, ac in Rubricas peccant, ac conſequenter quod earumdem conſuetudo reformatione proculdubio indiget, reducique debet ad tramites dicti Decreti, & Rubricarum.

XXXV. Non deeſt tamen aliqualis eaſdem ſolandi modus, & eſt, quod in dictarum uſu commemorationum perſeverare queant, ſi inductus is ſit ante Bullam Pii V., cujus rationis conſuetudines haud ablegat præſens Decretum. Si autem talis uſus poſt dictam Bullam originem agnoſcit, temperent ab inſerendo inter ſuffragia Sanctorum eas commemorationes, cum iis, quæ integrant divinum officium, nihil addi, vel miſceri poſſit poſt eamdem Pianam Conſtitutionem; aſt ſciant, quod bonum, ac laudabilem illum zelum erga eoſdem Sanctos retinere queunt, dummodo peractis Laudibus, ac Veſperis eaſdem commemorationes faciant.

XXXVI. Quod ſi modus iſte minus arridet, alium ſuggerit Meratus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 8., nimirum comprehendendi omnes ſub una Antiphona; qui modus cum uſu plurimarum inſignium Eccleſiarum, & etiam ſacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ, quæ hoc pacto comprehendit commemorationem Salvatoris, & utriuſque Joannis, qui ſunt Titulares reſpective, & Patroni ejuſdem primæ omnium Cathedralis Eccleſiæ, probetur, non admodum reprehenſibilis apparet, præſertim cum nec Cleri inducat gravamen ullum, & de pluribus per modum unius commemorationem agi in ſuffragiis videatur permiſſum, quemadmodum ſoperius dicebamus de pluribus Titularibus, & Patronis principalibus ſe habentibus ad inſtar unius, & eadem die occurrentibus. Accedit, quod inde non exurgit in divinis officiis additio ulla, vel adeo modica, unius ſcilicet vel alterius dumtaxat nominis, ut in conſiderationem minime veniat, vel in numero plurali ſolum pronunciantur, quæ in ſingulari dicenda forent. Quæ licet ita ſint, adhuc an ita fieri liceat, nos liquido pro nunc nolumus affirmare, & ſapientiori Lectori deciſione relinquimus, qui tamen recolere poterit, quæ in Cap. de Additione Breviario fieri inhibita, a nobis dicta venient.

XXXVII. Quæres 1. cujuſnam Patroni principalioris commemoratio facienda ſit, an ſcilicet univerſalis Regni, vel Provinciæ, vel particularis, videlicet Civitatis, vel loci, ubi hujuſmodi plures Patronos contingit haberi?

XXXVIII. ℞. Patroni principalioris particularis; cum enim hic præcedat univerſalem, ideo de illo proculdubio commemoratio facienda venit, non autem de Patrono univerſali.

XXXIX. Quæres 2. an prius facienda ſit commemoratio de Titulari, vel de Patrono loci?

XL. ℞. Judicandum hoc eſſe ex dignitate ipſorum. Si autem Patronus, & Titularis ſint æqualis dignitatis, vel inter eos interſit ſola diſparitas, quæ eſt inter Martyrem, & Confeſſorem, vult Gavantus præponendum eſſe Patronum loci Titulari Eccleſiæ, quia in Rubricis præponitur Patronus Titulari. Guyetus ſentit in oppoſitum, in cujus opinionem deſcendimus ob ea, quæ alibi non ſemel tradidimus, ubi ſtabilivimus in occurſu Patroni loci, & Titularis propriæ Eccleſiæ, hunc illi eſſe præferendum; ceteris igitur paribus, vel ſolum ut ſuprà diſparibus etiam commemoratio Titularis Eccleſiæ eſt anteponenda commemorationi Patroni loci.

XLI. Quæres 3. An a Regularibus Patroni principalis loci, in quo morantur, ſuffragium fieri debeat?

XLII. ℞. Negative; ſolemne enim eſt cujuslibet ordinis Regularibus Sancti ſui Inſtitutoris ſuffragium addere; hinc cum per præſens Decretum, ac per Rubricas unius dumtaxat ex Patronis principalibus ſuffragium fieri poſſit, ab iiſdem abſtinendum venit a ſuffragio de Patrono loci. Religionum Fundatores ſunt Patroni principales Ordinum ab ipſis inſtitutorum, necnon omnium Monaſteriorum ubicumque ſitorum, & tamquam Patroni principales revera ab Ordinibus inſtitutis celebrantur ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; & indubium eſt, quod relate ad Regulares etiam in particularibus locis degentes, puta Bononiæ, principalior Patronus eſt Inſtitutor Ordinis, quam ſit Patronus principalis dicti loci, puta Bononiæ S. Petronius, adeoque & Fundator præfatus præferentiam habent in occurrentia, nec refragatorem me habebis, ſi addideris; & in concurrentia; apud illos enim Feſtum Patroni principalis loci eſt valde minus ſolemne, nec particularem ſibi vindicat celebritatem, quinimmo nec cum octava recolitur, nec recoli valet; quapropter ſi de principaliori Patrono dumtaxat commemoratio agenda eſt, nec dubium eſſe poteſt, quod de Inſtitutore Ordinis, & non de Patrono loci ea fieri debet.

XLIII. In oppoſitum tamen ſentire videtur Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 7., ubi Patronum principalem Ordinis æquiparat Patrono loci, & de illo conſequenter edocet ſuffragium eſſe faciendum. Verum Gavantus ſolum ibi inducit commemorationem præfatam Fundatoris ea ratione, quia ſe habet, & eſt Patronus principalis; ceterum haudquaquam poſtea monet, in conſortio commemorationis de Patrono principali loci a Regularibus eam eſſe faciendam, quinimmo dum ratione patrocinii dictam commemorationem inducit, explodera videtur illam de Patrono principali loci, cum plurium Patronorum juxta Rubricam, Decreta, & Gavantum ipſum commemorationes induci non debeant. Meratus vero *ibidem numer.* 9., dum agens de præferentia ſuffragiorum pronunciat, *Commemorationem Titularis Eccleſiæ, præſertim a Regularibus præferendam eſſe commemorationi Patroni loci*, ſupponit a Regularibus ſuffragium Patroni loci fieri debere. Aſt cum ſuppoſitionis nullam rationem proferat, eumdem deferendum eſſe arbitramus: Decreta enim, quæ Regulares, utpote habentes proprium principaliorem Patronum, & in ejuſdem octava occupatos, abſolvunt ab onere celebrandi octavam de Patrono principali loci, hujus ſolummodo feſti ob quamdam convenientiam, & celebritatem loci, in quo morantur, poſito apud Regulares in præcepto, eoſdem etiam liberant ab obligatione addendi ſuffragium dicti Patroni loci; tum quia non manus ſuffragio ſui Inſtitutoris incumbunt; tum quia cum ſuffragium non ſit, niſi quædam quaſi repetitio feſti per annum, ut aſſerit Gavantus *loco cit. numer.* 10., haud congruere videtur Sancto illi, cujus feſtivitas non gaudet ſolemnitatibus cunctis, quæ principalioribus feſtis juxta Rubricas debentur, cujuſmodi apud Regulares eſt Feſtum Patroni loci, utpote quod caret octava, quæ eſt præcipuæ ſolemnitatis nota. Et quidem feſtum illud, quod unius diei ſpatio ita concluditur, ut in primaria ſui ſolemnitate nullatenus repeti queat intra illos ipſos dies, quos feſtis principalioribus pro ſui repetitione Rubricæ concedunt, quis crederet toties per annum in ſuffragiis repeti poſſe, vel debere?

XLIV. Sanctos omnes ſui Ordinis, vel ſaltem præcipuos, ac ſolemniores, Regulares una commemoratione ut plurimum comprehendunt, quæritur an recte?

XLV. ℞. Bene eſſe ipſis; habent enim propria Breviaria, ac Rubricas approbatas, vel id habent in conſuetudine præcedenter uſque ad Bullam Pii V.; quapropter dicta commemoratio, & etiam aliæ, ſi quæ in uſum ſunt apud Religiones quaſdam, in valido proculdubio manent ſtatu. Si quæ autem Religio propria auctoritate dictam commemorationem, vel aliam inter ſuffragia Sanctorum poſt dictam Pianam Conſtitutionem introduxiſſet, nec poſtmodum ejuſdem commemorationis ſpeciatim vel generatim per approbationem proprii Breviarii, vel Rubricarum particularium, laudationem a S. Sede Apoſtolica obtinuiſſet, a dictæ commemorationis uſu eamdem abſtinere conſulerem; poſt Bullam enim Pii V. Breviario Romano, aut iis quæ integrant officium cujuſvis diei,

alli-

aliquid addi, aut miſceri, non ſemel fuit ſevere inhibitum.

XLVI. Quæres quinam locus dari debeat ſuffragio Inſtitutoris Ordinum, præcedenter ad illud de Titulari Eccleſiæ, cui ſunt addicti, vel ſubſequenter?

XLVII. ℞. Quod attendenda eſt eorum dignitas quemadmodum inſinuat Rubrica per ea verba *Ante, vel poſt pro dignitate illius*; quapropter ſi Titularis foret S. Michael, S. Joannes Baptiſta, aut Apoſtolus aliquis, vel ex iis, quos recenſet Rubrica de Concurr. *num.* 2. *verſu inter feſta*, certum eſt, quod ejuſdem commemoratio præferri deberet illi Inſtitutoris. Si autem Inſtitutor, & Titularis non ſint ex ut ſupra recenſitis, ex Goyeto *lib.* 4. *cap.* 11. *quæſt.* 2. edocet Meratus loco citato, anteponendum eſſe Titularem Inſtitutori, eo quod illius feſtum in occurſu cum hujus feſto anteponendum eſſe ſentit. Verum quoniam deciſio hujuſmodi pendet ex præferentia, quam habent feſta præfata in occurrentia, idcirco eamdem ditimendam relinquimus juxta ea, quæ tradidimus in Cap. de Occurrentia, & alibi, ubi de dictorum feſtorum occurrentia egimus.

XLVIII. Quoniam uti de uno dumtaxat, videlicet principaliori, ex pluribus Patronis principalibus commemorationem faciendam eſſe docuimus, ita de Titularibus faciendam eſſe aſſerebamus, lis quædam exurgit hic dirimenda, quam Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 11. hiſce verbis excitat: *An, qui plures habet Beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos; teneatur in officio totidem commemorationes facere?*

XLIX. Id putant Gavantus *loco citato*, ac Bonacina *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 28. volentes eum, qui plures habet Beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, teneri totidem in officio commemorationes facere, non alia ducti ratione, quam quod Rubricis Breviarii præcipiatur, fieri in officio commemorationem Titularis Eccleſiæ; ergo inferunt ipſi, cum Beneficiarius ille tot habeat Titulares, quot poſſidet Titulos Beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, tot etiam debebit facere commemorationes. Ulterius progreditur Bonacina, & omittentem hujuſmodi commemorationes peccati lethalis reum affirmat, tenerique pro rata ad reſtitutionem fructuum, quando nempe eæ plures ſic omiſſæ conſtituunt materiam notabilem. At doctrinam hanc rigoroſam nimis Gavantus adjudicat, nec immerito; quoniam ad conſtituendam materiam notabilem, quæ videlicet exæquet unam parvam Horam, infra quam non vult idem Bonacina materiam eſſe gravem, opus eſſet ut minimum 12., aut 15. commemorationibus; ecquis vero tam multa poſſidet Beneficia? Sed etſi poſſideat, cum tribus, quatuorve commemorationibus, illis omnibus Titulis auctore ipſomet Bonacina poſſit ſatisfacere, ſi nimirum Patronos illorum Beneficiorum ſic recolat, ut Apoſtolos una commemoratione, Martyres alia, alia Confeſſores, & alia Virgines complectatur, aut etiam unica omnes, ait Gavantus, formata videlicet de Majorum licentia Antiphona cum ſuo Verſu, & Oratione, quæ conveniat omnibus; certe nemo dixerit, ne ipſe Bonacina quidem, aut Gavantus omiſſionem illius unius, aut trium, quatuorve commemorationum, materiæ eſſe notabilis. Ita egregie Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 10.

L. Subdit vero prædictum Beneficiarium non plus teneri ad commemorationes, quam ad ipſamet feſta, cum Rubricæ æque obligent ad hæc, quam ad illas, imo etiam amplius; nam Rubrica de Feſtis loquitur in plurali, quæ vero præcipit commemorationes, tantum in ſingulari, quaſi non plus quam ad unam obligans; ſed ad omnia Feſta prædictorum Titulorum, ſeu Eccleſiarum non tenetur hujuſmodi Beneficiarius, ſatiſque eſt, ſi illius Eccleſiæ, apud quam reſidet, vel ſi in nulla reſideat, dignioris, aut ſi pares ſint Eccleſiæ, utrius volet, feſta ſervaverit, alias ſi ad omnia illa ſuorum Beneficiorum feſta teneretur, perpetua ipſe feſta, perpetuaſque celebraret octavas, quod a recta officiorum ratione alienum eſt, & abhorrens: ergo neque tenetur per annum ad omnes commemorationes, ſed ad commemorationem Tituli tantum, in quo reſidet, vel dignioris, vel cujus ipſe voluerit.

LI. Verum quidquid ſit de obligatione Beneficiarii circa celebrationem feſtorum de præfatis Titulis, quæ in præcedenti Capite ſuo non caruit examine, nos in eam imus ſententiam, quod etſi teneretur ad feſta, & octavas defunctorum Titulorum, adhuc haudquaquam obligatus foret ad cunctorum commemorationes in ſuffragiis faciendas, ſed ſufficeret, ſi de digniori, vel de eo, apud quem reſidet, vel ſi pares ſunt Eccleſiæ, de eo, de quo magis libuerit, eamdem peraget. Ducimur autem ad id aſſerendum ex diſpoſitione præſentis Decreti, quod in caſu plurium Patronorum principalium de uno dumtaxat, ſcilicet de principaliori, vult commemorationem inſtitui, quantumvis de omnibus dictis Patronis celebrentur feſta ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; quidni igitur unius dumtaxat ex dictis Titulis, ſcilicet dignioris, vel ejus, apud quem reſidet, vel in caſu omnimodæ paritatis, alicujus ad arbitrium, commemoratio fieri debebit, etſi de feſtis cunctorum ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava inſtaret obligatio? Non minus enim Rubrica ipſiſſimis verbis commemorationem præcipit Patroni, & Tituli: *Illis adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ.*

LII. Inferes ex his, quod etſi quædam ſint Eccleſiæ, quæ nedum ſui Tituli feſtum cum octava celebrare poſſunt, & debent, ſed etiam feſta Titulorum aliarum Eccleſiarum adnexarum, & dependentium, ut diximus in præcedenti Capite, adhuc tamen non debebunt de omnibus Titulis ſuffragium facere, ſed ſolum de Titulo, apud quem Clerus reſidet. Diximus *de Titulo, apud quem Clerus reſidet*; non autem *de Titulo Eccleſiæ dignioris, ſeu primariæ, a qua ceteræ dependent, & cui ſunt adnexæ*, quoniam Clerus Eccleſiarum adnexarum, & dependentium non debet ſuffragium facere de Titulo Eccleſiæ, cui propria eſt adnexa, ſed de Titulo Eccleſiæ propriæ; Rubrica enim præcipit commemorationem Tituli Eccleſiæ propriæ, & Titulus Eccleſiæ propriæ relate ad Clerum, qui apud eam reſidet, eſt proprior, & in occurſu cum Titulo Eccleſiæ, cui eſt adnexa, præferendus.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE XLIV.

Quæſitum fuit, an Officium Tranſlationis Patroni, de quo fit, ut de Apoſtolo, & de quo fit duplex per annum, præferri debeat alteri duplici per annum, & habere Veſperas integras in concurſu? Et reſponſum fuit: *Exprimi caſum, & doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 175.

I. DUodecim fuerunt Apoſtoli a Chriſto electi, quorum nomina enumerat Matthæus *cap.* 10. videlicet *Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus Publicanus, Jacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes*. Duodecim hiſce Apoſtolis a Chriſto electis tres alii inſuper adduntur, Sanctus Mattias in locum Judæ proditoris ab Apoſtolis ſuffectus, & Paulus, & Barnabas inſtinctu Spiritus Sancti Apoſtolatu deinde initiati.

II. Tanta autem eſt horum Apoſtolorum dignitas, ut D. Thomas *ſuper caput* 7. *ad Epheſios lect.* 3. exponens illud Pauli: *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis*: dicat: *Ex quo apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliquot Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & Gloria. Manifeſte enim patet ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam majorem, quam aliqui alii Sancti, poſt Chriſtum, & Virginem Mariam*. Verum etſi nullus ex Sanctis ſit cum Apoſtolis comparandus, adhuc uſus obtinuit, ut Sancti aliqui, qui aliquam Gentem, aut Nationem ab infidelitate ad Chriſti fidem converterunt, cognominarentur ejuſdem Gentis, aut Nationis Apoſtoli, ſumendo nomen Apoſtoli, non abſolute, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & ad ſimilitudinem Apoſtolorum, qui a Chriſto Domino fuerunt cooptati, ut Evangelium univerſo Orbi annunciarent; hinc in Sacris Litteris ipſis nomen Apoſtoli aliis a duodecim ſupra enarratis videre eſt fuiſſe tributum, ſcilicet Andronico, & Juniæ, *Rom.* 16. Epaphrodito, *Philipp.* 2., Tito, & aliis fratribus, 2. *Corinth.* 8., & in Martyrologio Romano frequens nonnulli Sancti titulo Apoſtoli decorantur, eo quia apud aliquam Gentem Evangelium propagarunt, videlicet *ad diem* 8. *Januarii* S. Severinus Abbas, *ad diem* 5. *Junii* S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus, *ad diem* 24. *Septemb.* S. Gerardus Epiſcopus, & Martyr, & *ad diem* 3. *Decemb.* S. Franciſcus Xaverius. Quinimmo in Breviario ipſo Romano S. Gregorius Papa ob Anglorum converſionem ejus opera patratam Apoſtolus Angliæ nuncupatur, & S. Patritius dicitur Apoſtolus Hiberniæ, eo quod ſuis concionibus eas Regiones ad Catholicam Fidem induxit.

III. De Sancto item Martiali Epiſcopo Lemovicenſi, qui a S. Petro in Gallias amandatus, Lemovices, Toloſates, Burdigalenſes, Cadurcos, alioſque, qui ex Rhodano in Oceanum vergunt, Populos ad pietatem Chriſtianam inſtituit, olim diſputatum eſt, an Apoſtolus dici poſſet; & Apoſtolum ſane dici debere definitum eſt in Conciliis videlicet Lemovicenſibus *anni* 1019., & *anni* 1031., uti fuſe legitur in Actis Conciliorum editionis Regiæ Pariſienſis *anni* 1714. *tom.* 6. *par.* 1. Extat etiam pro Sancti Martialis Apoſtolatu Joannis Papæ XIX. reſcriptum, in quo poſt plura ſic tandem concluditur: *Nos vero in firma pietate educati, Martialem Apoſtolum nominari poſſe definimus, & æque officia Apoſtolica in Divinis Myſteriis exhiberi ſibi cenſemus, nec de illius Beatitudine guſtare quemquam poſſe confidimus, qui ſibi reſpondenti nomini ſacris operibus Apoſtolicam dignitatem ſubtrahere invidioſe conatur*. Quod Joannis Papæ reſcriptum licet Cardinalis Baronius *ad annum* 1032. minime adeſſe putaverit, ejus tamen Epitomator Spondanus *ad annum Chriſti* 1229. teſtatur, ſe id vidiſſe in Archivio Eccleſiæ S. Martialis Civitatis Lemovicenſis; atque adeo diſſidia, Conciliorum reſolutiones, & Joannis XIX. reſponſa pro Apoſtolatu S. Martialis plene referunt apud Pagi Seniorem *ad annum Chriſti* 1023., 1024., 1025., & 1034., apud Pagi Juniorem *in Breviario Romanorum Pontificum tom.* 2. *pag.* 305. *in vita Joannis XIX.*, apud Baillet *in vita S. Martialis ad diem* 30. *Junii*, apud Natalem Alexandrum *in edit. Pariſien. anni* 1714. *tom.* 3. *diſſer.* 16. *ſæculi primi propoſ.* 1. *pag.* 164., apud Fleury *in Hiſt. Eccleſ. to.* 2. *edition. Pariſien. anni* 1717. *ad annum* 1031. *n.* 24., *& ſeqq.*, & apud Longueval *tom.* 1. *Hiſt. Eccleſiæ Gallicanæ pag.* 73.

IV. Ut

Digitized by Google

IV. Ut autem æquivocatio omnis tollatur, diſtinguendum eſſe videtur inter titulum Apoſtoli, quo Sanctus aliquis ob converſionem alicujus Nationis ad Fidem Chriſtianam decorari poteſt, aut in Sermonibus, aut etiam in Martyrologio Romano, & inter Officium Eccleſiaſticum de eo tamquam Apoſtolo celebrandum. Pro prima hypoteſi non deſunt exempla ſupra recenſita; pro ſecunda vero faciunt etiam exempla Sancti Franciſci Xaverii, & S. Gregorii Papæ, & S. Patritii Epiſcopi, & aliorum, qui licet Apoſtoli nuncupentur, in Breviario tamen Romano, vel locorum proprio officium Apoſtolorum haudquaquam obtinent, ſed officio vel Confeſſorum, vel Martyrum, prout eorumdem qualitas expoſcit, coluntur. Addi poteſt, nullum extare Sacræ Congregationis Rituum exemplum conceſſionis officii ſub ritu Apoſtolorum alicui Sancto, licet in ea pertractatæ ſint, & reſolutæ plures Cauſæ Sanctorum, qui Populos, & Nationes ad Chriſtianam Fidem ſuis prædicationibus feliciter perduxerunt; id enim exigit reverentia debita Apoſtolis, quibus juxta Divum Thomam nullus Sanctorum in gratia, & gloria comparari poteſt. Nemini itaque Sanctorum, licet communi vocabulo Apoſtoli vocari poſſint, & inſigniti fuerint, expedit, ut cultus ſub Apoſtolorum ritu ab Eccleſia decernatur juxta late adducta per Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. ſent. par.* 2. *tom.* 3. *diſput.* 18. *art.* 1.

V. Hinc merito advertit Guyetus *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 5., quæſtionem, *An inter Apoſtolos reponi poſſint aliqui alii*, prout ad officii eccleſiaſtici rationem attinet, moveri duntaxat poſſe pro iis Sanctis, qui & de numero Diſcipulorum Domini fuerunt, & vel Apoſtolis in Evangelii prædicatione collaborarunt, vel ab ipſis miſſi, primi omnium in certas Terrarum plagas illud intuliſſe creduntur, quique proinde juxta antiquam locorum prædictorum conſuetudinem cultum cum officio Apoſtolorum obtinuerunt, ſecus autem loquendo de aliis, qui prædictis qualitatibus non ſunt prædıti. *Nec de iis ipſis*, verba ſunt Guyeti, *quæſtionem verſari, an inter Apoſtolos novi uſus inductione computandi ſint (id enim quis niſi temere audeat?) ſed an, quibus proprio Eccleſiarum particularium uſu ab omni ævo recepto id competit, jure quaſi poſſeſſionis iis ſervari debeat, quæ & tota fuit de Sancto Martiale in prædictis Conciliis controverſia*.

VI. Fertur autem, Sanctum etiam Martialem modo non tamquam Apoſtolum, ſed tamquam Confeſſorem coli in Eccleſiis, in quibus juxta Conciliorum, & Joannis XIX. reſolutiones cultus ei tamquam Apoſtolo præſtandus erat, & plurium quidem annorum ſpatio præſtitus fuerat, uti teſtatur Baillet *loco citato*, & Guyetus *loco item citato*. §. *Dico itaque*. Cum tamen poſtremus hic Auctor aſſerat ab uſu celebrandi de S. Martiale tanquam de Apoſtolo deſtitum fuiſſe paſſim *in multis Eccleſiis Galliæ*, non autem *in omnibus*, nobis credere lubet, quod adhuc in nonnullis Galliæ Eccleſiis præfatus perduret uſus, qui propterea præſenti inquiſitioni cauſam dederit. Verum etſi a celebratione S. Martialis tamquam Apoſtoli penitus deſtitum fuiſſe, non deſunt aliarum Galliæ Eccleſiarum uſus cultum Apoſtolorum cum officio aliis Sanctis præſtandi, quæ præfatæ inquiſitionis cauſa eſſe potuerunt; Eccleſia enim Arelatenſis, teſte eodem Guyeto, de S. Trophimo, & Eccleſia Cathedralis Cenomanenſis de S. Juliano more Apoſtolorum agunt.

VII. Ex parte itaque alicujus ex hujuſmodi Galliæ Eccleſiis, quæ cum Feſtum ſui Patroni officium Apoſtolorum excoleret, & ejuſdem Tranſlationis feſtum haberet, hoc quoque ſub ritu duplici per annum more Apoſtolorum agebat, in Sacrorum Rituum Congregatione propoſitum fuit declarari, *an dictum Tranſlationis feſtum officio Apoſtolorum cultum præferri deberet alteri duplici per annum, & habere Veſperas integras in concurſu?* Id enim faciendum videbatur juxta Rubricam *de Concurr. num.* 2. *verſu inter feſta*, ubi Apoſtolis præferentia ſtatuitur in æqualitate ritus relate ad cetera feſta, & aliunde apprime dubium apparebat, quia Sanctus revera ex Apoſtolis non erat, licet Apoſtolorum officio coleretur. Cui dubio duplicem per Sacram Congregationem adhibitam fuiſſe videmus reſolutionem, videlicet *Exprimi caſum, & doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*.

VIII. *Exprimi caſum*. Cum enim, ut dicebamus, ob reverentiam Apoſtolis debitam, Sedes Apoſtolica nullis Sanctis officium Apoſtolorum indulgeat, nec aliis ab Apoſtolis, & Evangeliſtis tribui ſinat, voluit exprimendum eſſe caſum, ut ſibi liquido conſtaret, an Apoſtolorum officio rite præfatum perſolveretur feſtum, vel vi Apoſtolici Indulti, vel vigore conſuetudinis ab omni ævo receptæ, & una inſimul certior fieret de altero officio, cum quo eſt concurſus, & an eidem competeret, necne legitimus aliquis præferentiæ titulus, ut inde & circa retentionem officii tamquam de Apoſtolo, de qua non quærebatur; & circa præferentiam in concurſu, quæ unice propoſita fuerat, legitimum ſuum poſſet proferre judicium.

IX. *Et doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*. Quæ verba denotant nobis, haud licitum eſſe, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis, vel Congregationis Rituum Indulto officium Tranſlationis, aut quæcumque alia feſta ſecundaria Patronorum, vel Sanctorum quorumcumque inſtituere; unde Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. exponens Decretum illud Sacræ Congregationis 8. Aprilis 1628., juſſu Urbani VIII. in fronte Breviarii appoſitum, quo per quamcumque Ordinariorum auctoritatem Kalendariis etiam propriis officia aliqua Sanctorum addi rigoroſe vetatur, inter alias hanc conſequentiam infert: *Sine Apoſtolica auctoritate non poſſe fieri officium, eo quia tranſlatio eſt Reliquiarum*.

X. In oppoſitum hac in parte ſentit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 8., ubi per Epiſcopi auctoritatem, nedum in die, quo Sancti alicujus Reliquiæ de facto transferuntur, elevantur, recipiuntur &c., verum etiam in anniverſario ejuſdem ſolemnitatis ſingulis annis recurrente poſſe officium celebrandum indici; & quidem nedum loquendo de Prælatis, quibus integrum ſtat Breviarii proprii jus, quibus id liberum eſſe ex Bonacina *de Horis Canon. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 1. fatetur, neminemque aſſerit, adeſſe ex Doctoribus, quem ſciat qui contradicat, ſed etiam de iis, qui Breviario Romano utuntur. Primum probat; quia in caſu propoſito juſta de cauſa, ac una tantum vice fit officii additio, quod minime per Bullam Pii V., ac memoratum Congregationis Decretum inhiberi pluribus allegatis Auctoribus aſſerit. Secundum vero, tum exemplo plurium ſimilium feſtorum per ſolam Epiſcoporum auctoritatem inductorum, tum quia ſolum vetari aſſerit additionem officiorum, quæ fit *propria auctoritate*, hoc eſt nulla alia ratione, quam *pro nutu, & arbitrio*, non autem quæ fit *aliqua juſta ratione*; tum denique, quia per dictum Decretum ſolum inhibentur Kalendariis addi officia, *quæ a Rubricis Breviarii Romani non conceduntur*, & contendit feſtum Tranſlationis, uti & alia ſecundaria a Rubricis præfatis concedi.

XI. Quoniam vero non profert Rubricas, & revera nullæ ſunt, quæ Feſta Tranſlationum, & alia ſecundaria concedant, proculdubio deferenda omnino venit ſententia Guyeti, quatenus firmat, Feſta Tranſlationum, & alia ſecundaria ex lege, ac permanenter per Epiſcopos poſſe induci, aut ob aliquam juſtam, quæ ipſis videatur, rationem, ſolumque inhiberi per memoratum Decretum, & Pianam Conſtitutionem additionem officiorum, licet quotannis celebrandorum, quæ pro nutu, & arbitrio fiat; hoc enim evidenter deducitur tum ex præſenti Decreto, dum poſtulat doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni; tum ex infinitis propemodum aliis, quæ adducit Eminentiſs. Lambertini *de Canoniz. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 7. *& ſeqq.*, in quibus Sacra Congregatio non ſemel petita ſuper conceſſione hujuſmodi officiorum, aliquando reſcripſit pro gratia, & nonnunquam votis haudquaquam putavit eſſe indulgendum; hæc autem fieri neceſſe haud fuiſſet, ſi per Rubricas præfata conceſſa forent officia, vel per Epiſcoporum ordinariam auctoritatem concedi poſſent, aut conceſſa haudquaquam nutarent.

XII. Et quidem quoad Rubricas attinet, harum proculdubio nullam eſt invenire, in qua permiſſio fiat recitandi officium in Feſtis Tranſlationum, vel aliis ſecundariis, quæcumque ea ſint, Patronorum, & multo minus aliorum Sanctorum; nequicumque enim de feſtis Patronorum agunt, ſemper de primariis, & natalitiis ſermonem inſtituunt, ut eaſdem legenti facile conſtabit; quapropter indubium redditur, quod ſi ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vel Sacræ Congregationis hujuſmodi officia per Epiſcopos inſtituta venirent, Kalendariis officiorum additio fieret, quæ per Pianam Conſtitutionem, ac ſuperius memoratum Decretum ſevere reperitur inhibita.

XIII. Diximus *quatenus firmat Feſta Tranſlationum, aut alia ſecundaria ex lege, & permanenter, ac juſta aliqua intercedente cauſa per Epiſcopos poſſe induci*, quia hujuſmodi opinio præſenti, quod exponimus, Decreto officit, an autem id pro una, vel altera vice per Epiſcopos poſſit adhuc præſtari, alibi pluries diſcuſſum veniet, & præcipue in expoſitione memorati Decreti 28. Aprilis 1628., etſi enim adhuc Epiſcopi id poſſent, in nullo præſens læditur Sanctio, quæ ſolum edoceri poſtulat ſuper Indulto, ſcilicet Apoſtolico, vel ejuſdem Congregationis, recitandi officium Tranſlationis Patroni, quod quotannis celebrabatur.

XIV. Quæ reperiuntur hic dicta, atque ſtatuta de Feſto Tranſlationis Patroni, intelligenda quoque veniunt de quibuſcumque aliis feſtis ſecundariis, & minus principalibus. Hæc autem feſta in eo diſtinguuntur a primariis, quod hæc ſunt dies natalitii, in quibus ſcilicet ad cæleſtem tranſiere gloriam, illa autem ſunt inſtituta in memoriam, ac commendationem facti illius particularis ad ipſum Sanctum pertinentis; unde duplicis ſunt generis, quoniam ejuſmodi factum aut contigit Sancto, ipſo adhuc in vivis poſito, aut ipſo jam defuncto.

XV. Primi generis ſunt in univerſali Eccleſia, Cathedra S. Petri tum Romana, tum Antiochena, ejuſdem item Vinculorum feſtum, Converſio Sancti Pauli &c., & in Eccleſiis particularibus puta Ordinatio S. Zenonis (quando ſcilicet ad Pontificalem dignitatem aſſumptus, vel conſecratus fuit) quæ Veronæ die 8. Decembris celebratur, apud Auguſtinienſes Converſio S. P. Auguſtini, apud Minores Impreſſio Sanctorum Stigmatum in Corpore B. Franciſci, Ambiani Ingreſſus S. Firmini in Urbem, quando videlicet eo ad prædicandum Evangelium venit, apud Dominicanos Impreſſio Stigmatum in Corpore S. Catharinæ Senenſis, uti & nonnullæ Apparitiones Chriſti, vel B. Mariæ aliquibus Sanctis, dum adhuc in vivis agerent, factæ &c.

XVI. Poſterioris generis ſunt Inventio Corporum, vel Reliquiarum alicujus Sancti, ut in Eccleſia univerſali Inventio S. Stephani Protomartyris, quando ſcilicet Corpus ipſum, ſeu Reliquiæ antea in obſcuro loco jacentes, revelante ut plurimum

mum

mum Numine, non ſine ſignis, ac prodigiis, in apertum prodierunt; Elevatio, in memoriam ſcilicet elevati Corporis ex humiliori loco in capſam ſublimiori loco poſitam. Suſceptio, in memoriam nempe Reliquiarum eo die primum ſuſceptarum. Tranſlatio, cum ſcilicet ab una Civitate in aliam, vel ab una Eccleſia ad alteram, vel adhuc ab uno Altari ad aliud ejuſdem Eccleſiæ cum magna pompa Reliquiæ alicujus Sancti transferuntur, &c.

XVII. Sunt etiam alii Tituli hujuſmodi feſtivitatum inſtituendarum, vel ab inſigni aliquo beneficio Sanctorum interventu obtento, vel ab aliqua eorumdem apparitione, vel prodigio petiti, ut manatio lacrymarum, vel ſudoris ex imaginibus aliquibus, apparitio Beatæ Mariæ, aut Sanctorum, &c. cujus rationis feſta quamplurima in particularibus locis celebrantur, nec in Eccleſia ipſa univerſali nonnulla exempla deſunt, ut Feſtum B. Mariæ de Mercede inſtitutum in memoriam B. Mariæ, quæ ſerena fronte apparens ſe conſpiciendam exhibuit Sancto Petro Nolaſco, Sancto Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi: Feſtum Nominis ejuſdem B. Mariæ inſtitutum ob inſignem victoriam ejuſdem Patrocinio contra Turcas Viennam in Auſtria obſidentes reportatam &c.

XVIII. Ad complementum expoſitionis præſentis Decreti ſupereſt noſtrum judicium proferre ſuper dubium in Sacra Congregatione propoſitum ſuper præcedentiam, necne eorum Sanctorum, qui alicubi Apoſtolorum officio coluntur, relate ad ceteros ejuſdem ritus, qui dicto officio non gaudent. Et præferentiam deberi definit Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, in qua quia colitur ſolum officio Martyris, & ut Martyr inſpicitur, Veſperæ dividuntur cum præcedenti, & ſequenti duplici minori, licet integræ vi propriæ dignitatis deberentur; & idem alibi diximus loquentes de Cathedra S. Petri, in qua non Apoſtoli, ſed Pontificis ratio attenditur: ita ab oppoſito quia memorati Sancti Apoſtolorum officio coluntur, & ut Apoſtoli conſiderantur, cur præferentia Apoſtolis debita, iiſdem non præſtabitur?

CAPUT QUARTUM.

De Reliquiis Sanctorum.

I. PAtronorum ad claſſem artinent Sancti, quorum ſacra Pignora, ſeu Reliquiæ in ſingulis Eccleſiis aſſervantur: *Urbium* enim *Cuſtodes, ac locorum Præſides*, præclare a Theodoreto appellati reperiuntur lib. 8. Græcar. affectionum; item *Hominum Duces, Principes, ac Propugnatores, per quos a nobis infortunia avertuntur, proculque arcentur, quæ a Dæmonibus inferuntur, mala*; hinc & Chryſoſtomus, *num. 1. laud. Martyr. Ægypti tom. 2. pag. 699.* de Sanctorum Corporibus, & Reliquiis tradit: *Si poſt obitum etiam præſtant ſecuritatem, præ omnibus æquum eſt, hac honoris prærogativa donari. Sanctorum enim Corpora quovis adamantino, & inexpugnabili muro tutius nobis urbem muniunt, & tamquam excelſi quidam ſcopuli undique prominentes, non horum, qui ſub ſenſus cadunt, & oculis cernuntur, hoſtium impetus propulſant tantum, ſed etiam inviſibilium Dæmonum inſidias, omneſque Diaboli fraudes ſubvertunt, ac diſſipant non minus facile, quam ſi fortis vir aliquis ludicra puerorum ſubverteret, ac proſterneret.*

II. Ad Eccleſiæ item Dedicationem neceſſarias Sanctorum eſſe Reliquias denotat ritus ipſe Conſecrationis Altaris, qui deſcriptus habetur in Pontificali Romano, ubi in primis ſtatuitur, parari debere Sanctorum Reliquias in ipſomet Altari recondendas, adeo ut etiam ſine ejuſmodi Reliquiis non poſſe perfici, nec valere ullo modo Conſecrationem, aſſerant Doctores apud Azor. *lib. 10. cap. 27.* Apprime ad rem eſt, quod habet Concilium Nicænum II. Act. 8. Can. 7.: *Quotquot ergo venerabilia Templa conſecrata ſunt abſque ſanctis Reliquiis Martyrum, definimus in eis Reliquiarum una cum ſolita Oratione fieri poſitionem. Et ſi a præſenti tempore inventus fuerit Epiſcopus abſque Lipſanis conſecrare Templum, deponatur, ut ille, qui eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur.* Quum vero Sanctorum Corporibus, ſacriſque Cineribus, & triumphali Martyrum Sanguine ad ſacrarum ædium Conſecrationem carebat, contenta fuit Eccleſia *Reliquiis ſanctificatis*; unde Concilium V. Carthaginenſe, poſtquam Can. 14. decrevit: *Placuit, ut, Altaria quæ paſſim per agros, aut vias tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur*; ſequentibus verbis Reliquias ſaltem ſanctificatas exquiſivit: *Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi Corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.* Reliquias vero, nonniſi Martyrum, quondam adhibitas fuiſſe, perſpicue colligitur ex Antiphona, quæ cantatur, dum eæ ab Epiſcopo reconduntur in ſepulcrum in ipſo Altari factum; ſic enim habet Antiphona illa, *ex Lib. Apoc. cap. 6.* excerpta: *Sub Altare Dei audivi voces occiſorum dicentium &c.*, cui accedit luculentum D. P. Auguſtini teſtimonium, *ſerm. 4. de Innoc.* dicentis: *Convenienter, & quaſi pro quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, ubi mors Domini quotidie celebratur.*

III. Super ſacris Martyrum, aliorumque ſanctorum Cadaveribus Templa, ſacras Baſilicas, atque Oratoria erigere conſueviſſe veteres Chriſtianos, adeo plurima evincunt antiquitatis monumenta, ut non crediderim, aliquem, qui id ignoret, vel ſemieruditum adeſſe. In Actis SS. Nerei, & Achillei apud Surium ad diem 12. Maji habetur: *Et Eutychen quidem media via cædi juſſit, donec exhalaret ſpiritum: Cujus corpus Chriſtiani cum multo honore ſepelierunt, & ſuper illud Baſilicam in Chriſti nomine extruxerunt.* Gregorius Turonicus *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 64.* de S. Patroclo ſcribit: *Erat ſuper eum parvulum Oratorium, in quo unus tantum Clericus ſerviebat. Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, conſtructaque ſuper eum Baſilica, feſtivitatem ejus per ſingulos annos devote concelebrabat.* Et Cap. 32. de S. Bartholomæo habet: *Revelatumque eſt Chriſtianis, ut eum* (Sarcophagum) *colligerent, collectumque, ac ſepultum, ædificaverunt ſuper eum Templum magnum.* Hujuſmodi autem Oratoria, Baſilicæ, & Templa, quæ ſuper ſanctorum Sepulcris ædificare conſueverant Chriſtiani, eorumdem Sanctorum nomini dedicabant, & in honorem erigebant, eorumdemque vocabulo denominabant; & pro hoc potiſſimum facit teſtimonium illud, quod in Decreto ultimo præcedentis Capitis ex D. P. Auguſtino protulimus, in quo *Cypriani menſam* appellavit Altare Deo erectum in loco, in quo paſſus fuerat Cyprianus. Quæ cum ita ſint, compertum redditur, quod, cum in ſuperioribus tribus Capitibus de Dedicatione, Titulari, ac Patronis Eccleſiarum, atque Locorum actum ſit, plena jam traditæ diſciplinæ methodus de Reliquiis Sanctorum examen expoſcit.

IV. *Reliquiæ* voce, ut ipſamet nominis etymologia indicat, ac veterum uſus fuit, ſignificatur, quidquid ex aliqua re ſupereſt, ſeu reliquum eſt; hinc Tullius *ciborum reliquias, hoſtium reliquias, vitæ reliquias*, non ſemel dixit, aliaque hujuſmodi exempla videri collecta queunt in Ciceroniano Nizolii Lexico. Eccleſiaſtici tamen Scriptores non modo, quod ex aliquo Sancto ſupereſt, veluti Cadaver, Oſſa, Veſtes, verum etiam alia, in quibus vocis etymologia minus ſervatur, Reliquias appellarunt, ac tamquam eorumdem Reliquias fideles ipſi venerati ſunt. Qua de cauſa ſacrarum Reliquiarum, prout ad præſens attinet, nomine intelligi facile poſſunt quævis Sanctorum monumenta, id eſt quidquid aptum de ſe eſt excitandam in nobis Sanctorum memoriam, ideoque eorum venerationem, & cultum. Horum plurima, ac potiora genera recenſebo, quæ *ſacras Reliquias* appellavere Fideles, quæque tamquam Sanctorum Reliquias ſacræ honorificentiæ argumentis proſecuti ſunt, id proculdubio promovente Deo ipſo, qui per eas res miracula ſæpe edidit.

V. Licet autem ea, quæ Fidelibus pro Reliquiis habita ſunt, ac veneratione proſecuta, adeo plurima ſint, ut facile recenſeri non poſſint, adhuc eadem nobis placet in tria partiri genera, ad quorum aliquod quæcumque vel ſpectare, vel reduci poſſe arbitramur. Sunt autem Reliquiæ *propriæ, & rigoroſe* dictæ, *minus propriæ*, ac Reliquiæ *ſanctificatæ*, ſeu *impropriæ* dictæ. Ad Reliquias *propriæ, & rigoroſe* dictas directe ſpectant ſanctorum Corpora, ac horum partes quæcumque ad humani Corporis veritatem, vel integritatem, vel alias quomodocumque attinentes, cujuſmodi ſunt Brachium, Manus, Oſſa, & adhuc Dentes, Ungues, Crines &c., quibus adde Sanguinem, Lacrymas, Lac, & plura alia id genus, quæ numerare ſuperſedemus. Sunt, qui Corpori Sanctorum integro Reliquiæ vocabulum ægre concedunt, aut etiam auferunt, eo quod proprie ſignificare arbitrantur id quod remanet detracta majori parte. Verum cum principalior, ac nobilior hominis pars anima exiſtat, etiam in hac acceptione non videtur, cur corpus humanum, licet integrum, Reliquia dici non poſſit, utpote quod humi remanet, & relinquitur.

VI. Eſt & aliud Reliquiarum genus Sanctis aliquibus peculiare, quod Reliquiis proprie dictis quidem affine eſſe videtur, & licet pars corporis vera non ſit, nec ullam cum illo, dum vitam ageret, forſitan conjunctionem habuerit, ad corpus tamen aliqualiter artinet, quod ab eo ſcaturiat, & effluat. Hujuſmodi eſt liquor v. gr. ille, qui ex ſepulcro S. Andreæ feſto illius die emanare dicitur; unde Martyrologium ad diem 9. Maji, ita ſcribit: *Corpus autem S. Andreæ longo poſt tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concurſu honoratur: ex cujus ſepulcro liquor ad languores curandos jugiter manat.* Ad hanc rem inſigne eſt teſtimonium Gregorii Turonici, qui *lib. de Glor. Martyr. cap. 31.* ita exaratum fecit: *Andreas Apoſtolus magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert, hoc eſt, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo ejus exundat, &c. quod non ſine miraculo, ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc ſeu inunctiones factæ, ſive potiones datæ, plerumque languentibus commodum præſtant.*

VII. De Sancto Nicolao Myræ Epiſcopo Barium in Apulia tranſlato Baronius ad diem itidem 9. Maji per hæc verba nos docet: *Ex ejuſdem S. Antiſtitis corpore, ut e perenni quodam chariſmatum fonte, ſtillat liquor ſalubris, ſicut olim cum eſſet Myræ: quamobrem Emmanuel Imp., dum de eo agit in Conſtit. novellæ de feriis, his titulis eum exornat: Nicolaus miraculis inſignis, unguentorum fragrantia ſcatens &c.* Cujus liquoris & meminit ad diem 6. Decembris, adducitque nonnullos verſus ex Breviario Toletano depromptos, in quibus ejuſdem medici unguenti mentio inſtituitur, quibus addi poſſunt verſus, quos in propriis hymnis Breviaria tenent Turonenſe, & Bellovacenſe in ejuſdem rei memoriam, a Guyeto, ubi de hymnis propriis Sanctorum particularium locorum agit, adducti.

VIII. De

VIII. De Sancto Laurentio Presbytero, & pueris Martyribus, quos ille ſuſceperat educandos, *ad diem* 30. *Aprilis* meminit Baronius ab eorumdem ſepulcro medici liquoris manare conſueti, & *ad diem* 13. *Maji* de Sancta Glieeria ſcribit: *Ex ejus oſſibus jugiter unguentum curandi vi præditum emanare ſolebat, ut auctor eſt Nicephorus hiſt. lib.* 18. *cap.* 28., & 32. Sanctæ Tereſiæ Pariter, & Magdalenæ de Pazais ſacra Oſſa idipſum donum rarum ſane, & mirabile a Deo obtinuiſſe tradunt Auctores, & compertum eſt, arida Divi Nicolai de Tolentino Brachia in imminentium Eccleſiæ ærumnarum præſagium non ſemel dediſſe ſanguinem, ut finem faciam recenſendis quamplurimis aliis hujuſmodi exemplis, quibus Deus Optimus Maximus (ut olim ex Aſini maxilla, qua Sampſon Philiſtæos delevit, aquæ fontem manare fecit, Judic. cap. 15.) Sanctorum ſuorum Cineres, & Oſſa illuſtrare dignatus eſt.

IX. Hæ, & aliæ ſimiles Reliquiæ, ut lac, qui ex Martyrum vulneribus nonnumquam manavit, aut lacrymæ, vel ſudor &c., qui ex demortuis Sanctorum Cadaveribus non ſemel defluxit, ad Reliquias proprie dictas reduci queunt, quibus ſi quis adjungere velit lacrymas, aliaque id genus modo recenſita, quæ ex Sanctorum Statuis, aut Picturis dilapſa fuere, cum eo contendere nolo, tametſi in hiſce Reliquiæ etymologia utique laxior appareat.

X. Ad Reliquias *minus proprie dictas* revoco Veſtes, aliaſque res, quibus, dum viverent, utebantur Sancti, quæque ex Sanctorum viventium contactu, uſque ſanctificationem quamdam recepere, cujus cauſa eas veluti ſacras Reliquias ſummo in honore ſemper habuere Chriſtiani. Veſtem, quam in modum ſportæ ex palmæ foliis Paulus ſibi texuerat, eo mortuo ſibi adſcivit Antonius, ſolemnioribus feſtivitatibus illam deferens. Et Act. 19. 12. Lucas tradit, quod ſuper languidos deferebantur a corpore Pauli Sudaria, & Semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur. Joannes quoque Diaconus in vita S. Gregorii Magni lib. 2. cap. 6. ſcribit quod ejus lectus, flagellum, & Antiphonarium uſque tunc veneratione congrua reſervabantur.

XI. Ad eamdem claſſem attinent inſtrumenta martyrii, quæ indubitatum eſt a Chriſtianis primorum uſque ſæculorum ſollicite perquiſita fuiſſe, ſummoque in honore habita; hinc D. P. Auguſtinum *Serm. olim* 31. *de diverſis, nunc* 323. *num.* 2. ita loquentem audire non pigeat: *Quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veſtræ. Quando lapidabatur S. Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de iis, qui jam in Chriſtum crediderant, circumſtabant: Dicitur lapis veniſſe in cubitum, & excuſſus inde veniſſe ante quemdam Religioſum. Tulit illum, & ſervavit. Homo erat de navigantibus; ſors navigationis attulit illum ad littus Anconæ, & revelatum eſt illi, ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, & fecit quod juſſum eſt. Ex illo cœpit eſſe ibi memoria S. Stephani.* Et quidem etiam Gregorius Magnus ſacras Reliquias optantibus, claves S. Petri, ac fragmenta ferrearum catenarum, quibus idem S. Petrus vinctus fuerat, tranſmiſit, ut videri poteſt *in lib.* 1. *Epiſt.* 25. *ad Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, Epiſt.* 29. *ad Andream illuſtrem de Libiria, & Epiſt.* 30. *ad Conſtantinam Auguſtam.*

XII. Succedunt Ædes, quas Sancti incoluerunt, aut loca in quibus paſſi ſunt, quæ proculdubio tantum honorem conſecuta ſunt a Fidelibus, ut in iis ſacræ Ædes ſine Reliquiis erigi poſſent, perinde ac ſi ſanctificata eadem loca ſatis fuiſſent a Sanctorum incolatu, aut glorioſiſſima morte. Unde Concilium V. Carthaginenſe Can. 14., poſtquam vetuit, ſine ſacris Reliquiis Altare conſtrui, & Martyrum memoriam erigi, ſinit tamen id fieri iis in Ædibus, quas incoluerant iidem Sancti, aut in quibus paſſi erant: *Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi Corpus, aut aliqua certa Reliquiæ ſint, aut ibi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.* Ad rem apprime inſigne eſt teſtimonium Bedæ *lib.* 3. *hiſt. Angl. cap.* 9., dum agens de nece, ac martyrio Sancti Oſualdi Anglorum Regis, inter cetera tradit: *Pulverem ipſum, ubi corpus ejus in terram corruit, multos abſtuliſſe, & in aquam mittentes, ſuis per hoc infirmis multum commodi attuliſſe ..... Qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata terra foſſam ad menſuram ſtaturæ virilis altam reddiderit.*

XIII. Ad reliquias *improprie dictas*, ſeu *ſanctificatas* attinent linteola, veſtes, vela, flores, aliaque id genus ſacris cadaveribus admota; ex contactu enim, aut etiam propinquitate cadaverum Sanctorum vim aliquam ſupernaturalem, cœleſtemque virtutem viſa ſunt recepiſſe, vi cujus honorem a Fidelibus aſſecuta ſunt, ac veluti ſanctificationem recepiſſe cenſita fuerunt; & quidem non ſine fructu, quoniam ex iiſdem non minus, ac ex ceteris Reliquiis ſuperius recenſitis, plurima emolumenta in honorantes Fideles derivarunt. Pro veſtibus, quibus Sanctorum cadavera contegebantur, aut eiſdem cadaveribus etiam ratione aliqua applicabantur, audi Ambroſium *Claſs.* 1. *Epiſt.* 22. *num.* 9. ita loquentem: *Quanta oraria jactitamur? Quanta indumenta, ſuper Reliquias ſacratiſſimas, & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit.* Pro floribus vero, aliiſque hujus generis ſuper Sanctorum cadaveribus obſequii, & devotionis ergo expoſitis, ſufficiat D. P. Auguſtini teſtimonium ex lib. 22. de Civit. cap. 8. num. 10. decerptum: *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Projecto Reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus memorias veniebat magna multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca Mulier, ut ad Epiſcopum portantem duceretur, oravit; flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans &c.*

XIV. Adeo vero inſita Fidelibus erat perſuaſio, qua putarent, Sanctorum cadaverum propinquitate juvari, & veluti ſanctificati res ſuper eiſdem cadaveribus, aut etiam prope ea poſitas, ut olea deſumpta ex lampadibus ardentibus ante Reliquias Sanctorum magna in veneratione habuerint. Multa afferri poſſent exempla ad comprobandam hanc vetuſtorum temporum conſuetudinem, ſed quoniam hæc ſunt quodammodo a noſtro inſtituto aliena, ad unum Gregorium Turonicum ſe ſiſtat Lector rejaí. Hic autem *cap.* 15. *lib.* 8. *hiſt. Francorum* inducit Vulfilaicum hæc loquentem: *Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de Sancti Martini Baſilica detuleram.* Admodum copioſe de hac conſuetudine agit *Cap.* 2. *lib.* 1. *miraculorum S. Martini*, & miracula deſcribit peracta per oleum ad tumulum S. Martini poſitum, *& juſti virtute infuſa ſanctificatum.* Utique adhuc prætermittere non ducimus, quod habet D. P. Auguſtinus lib. 22. De Civit. cap. 8. num. 18. *Ibidem apud nos Irenæi cujuſdam collectarii filius ægritudine extinctus eſt. Cumque corpus jaceret examine, atque a lugentibus, & lamentantibus exequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, ut ejuſdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & revixit.*

XV. Quoniam agimus de oleo a Sanctorum Cadaveribus, vel Reliquiis ſanctificato, abs re non putamus obiter recenſere veterum Chriſtianorum conſuetudinem deferendi oleum ad Eccleſiæ Miniſtros, aut etiam ad Laicos quoſdam ſanctitate præſtantes, ut idem oleum horum benedictione nec leves profecto, nec paucas reciperet; et qua forſitan præfatum oleum haud diſſimilem benedictionem a Sanctorum Cadaveribus conſequi poſſe ſperarunt. Hanc ſane conſuetudinem indicant ea, quæ Sulpitius Severus *Dial.* 3. *c.* 3. his verbis narrat: *Non prætermittendum videtur Aviniani Comitis uxorem miſiſſe Martino oleum, quod ad diverſas morborum cauſas neceſſarium (ſicut eſt conſuetudo) benediceret.* Verum quoniam id per Sacerdotes præſtitum eſſe, forte nemo ambigit, pateſque diſerte ex formula benedictionis relatæ a S. Clemente *lib.* 8. *cap.* 29. *Conſtit. Apoſtolicar.*, ad benedictionem rerum, & certe olei ad curationes faciendas per viros, non Sacerdotes, ſed ſanctitate præſtantes, præſtitam, ſermonem converto, allegoque Lectorem ad id, quod de Hilarione teſtatur Hier. *in ejus vita num.* 30., videlicet, quod ad eum concurrebant Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges &c., ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent.

XVI. Sanctificatis Reliquiis adnumerantur brandea, ſeu linteola, aut vela Sanctorum ſepulcris devotionis ergo applicata, unde Gregorius Magnus ad Conſtantinam Auguſtam lib. 3. Epiſt. 30. *Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur &c.* Verum quia nimis longum, & operoſum foret, cuncta recenſere, quæ pro ſanctificatis Reliquiis in honore habuere Fideles, nos, qui ad alia properamus, Lectorem, qui plura cupit, amandandum eſſe arbitramur ad Libros D. P. Auguſtini, Damaſceni, Gregorii Turonici, aliorumque Sanctorum Patrum, atque antiquorum Scriptorum.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XLV.

De Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt officium duplex minus in ejus feſto. S. R. C. 23. Novembris 1602. *in Vicentina*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 6.

I. SAnctorum Reliquias Eccleſia Dei ſemper eſt venerata; hinc Moyſes *Exodi* 13. 19. diſceſſurus ex Ægypto, honorifice tranſtulit Patriarchæ oſſa Joſeph. Eliſeus 4. *Reg.* 2. 14. pallium Eliæ, quod ceciderat ei, adeo eſt veneratus, ut eo percuſſerit aquas Jordanis, & diviſæ ſunt huc, atque illuc. Excoluere Hebræi *Sancta Sanctorum*, & in eo *Virgam* illam, quæ nonniſi mortuum prodigiorum extitit inſtrumentum. *Si tetigero*, inquit Mulier illa *Matth.* 9. 21., quæ ſanguinis fluxum duodecim annis patiebatur, *tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Et Act. 19. 12. *Super languidos deferebantur a corpore Pauli ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Et equidem quoad Eccleſiam Catholicam attinet, venerationis hujuſmodi erga Sanctorum Reliquias præſtitæ initium ab Apoſtolicis uſque temporibus repetendum eſſe, infinita propemodum monumenta evincunt, a quorum recenſione, quia noſtrum præter inſtitutum, voluimus abſtinere, contenti iiſdem, quæ in hujus Capitis præliminaribus dedimus, atque nonnullis, quæ ſtatim ſubdimus.

II. Apud Euſebium Cæſarienſem *libro* 4. *c.* 15. Eccleſia Smyrnenſis ad Ponticam ſcribit, a Judæis moti Gentiles Præſidem exorarunt, ne Sancti Polycarpi Martyris, & Epiſcopi corpus cuiquam daret, *ne Chriſtiani Crucifixo deſerto illum inciperent venerari.* Eadem in nos fuit calumnia Diocletiani, ac Maximiniani Auguſtorum, de quibus idem Euſebius

lib. 8. *c.* 6. agens de Sanctis Martyribus Gorgonio, & Dorothæo inquit: *Eos poſt mortem decoro, & celebri funere terra mandatos Imperatores de integro effodiendos, & in mare præcipitandos decreverunt, ne quidam eos in ſepulcris conditos, Deos eſſe reputantes, divina veneratione proſequerentur.* Similiter & Julianum Auguſtum Martyrum Reliquiis honores noſtros invidiſſe, atque ideo a cruenta perſecutione nequiter ceſſaſſe, Socrates teſtatur *lib.* 5. *capit.* 8. Eadem de cauſa apud Hermiam Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 10. Pagani Gazenſes Martyrum oſſa aſinorum, & camelorum oſſibus miſcuerunt. Et apud Ammianum Marcellinum *lib.* 22. *c.* 28. Alexandrina Plebs Gentilis Georgium Epiſcopum, aſt Arianum, a ſe trucidatum, *ſubito igne cremavit, & cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis ſuprema Ædes illi exſtruerentur.* Parentes quippe noſtri ſanctas Martyrum Reliquias non tantum pretioſis ſindonibus involutas glorioſiſſime ſepeliebant, ſed & ſuis indebant Altaribus, & ſuper ipſas Deo ſacrificium offerebant. Quis eſſe poſſit major honor? Eorum in hiſce colligendis, ornandis, ſepeliendis diligentiam, & conſtantiam nullus ignorat.

III. Honoris modum eleganter exponit in præfatis litteris laudata Eccleſia Smyrnenſis. *Miſeri* Gentiles, ac Judæi *ignorabant, nos non aliquando in animum inducere poſſe, ut vel Chriſtum deſeramus, vel alium quempiam colamus ut Deum. Illum enim, qui vere filius Dei eſt, adoramus: Martyres autem ut diſcipulos, & imitatores Domini merito amplexamur, quorum nos in pietate diſcipulos & conſortes in gloria fore optamus.* Fuerunt Corpora Sanctorum vera, ac viva templa Dei, ac Spiritus Sancti, ſanctarum inſtrumenta operationum, fuere, & nunc ſunt prodigiorum, ac Divinæ inſtrumenta Omnipotentiæ, & una cum eorumdem animabus glorificari debent in cælis; quis igitur Catholicorum eiſdem venerationem inficiari valebit?

IV. Hujuſmodi Reliquiarum Sanctorum cultum ſubvertere impie conati ſunt Eunomius ſæculo quarto, Vigilantius ſæculo quinto, & Calviniſtæ, ac Luterani noviſſimis Eccleſiæ temporibus, nec non alii Catholicæ veritatis hoſtes acerrimi, qui nos Cinerarios, ac Idololatras appellare non deſtitere, ac Reliquiarum venerationem dumtaxat a ſæculo quinto in Eccleſiam invectam fuiſſe dixere; aſt incaſſum utique fremuerunt, & meditati ſunt inania; contra enim hujuſmodi Catholici nominis oſores concors ſtat Sanctorum Patrum chorus, qui Reliquiarum cultum ab eorumdem dicteriis ſatis vindicant, inconcuſſe defendunt, & in Eccleſia ſemper, omnique ſæculo cuſtoditum fuiſſe abunde demonſtrant, quos inter eminent Hieronymus, ac D. P. Auguſtinus, quorum primus adverſus Vigilantium librum conſcripſit, & alter *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. *circa med.* quamplurima in ſæculo quarto vidit, & affert per Sanctorum Reliquias operata miracula. Aſt cum hujuſmodi recenſere, noſtri non ſit inſtituti, Lectorem, qui uberiora cupit, ad Bellarminum *lib.* 2. *cap.* 2., Petavium *de Incarn. lib.* 14. *cap.* 11., alioſque Theologiæ Poſitivæ, & Polemicæ Auctores remittimus.

V. Verum ſi *Cuncti*, inquit Maximus Taurinenſis homilia de Natali Tauricorum Martyrum, *Martyres devotiſſime percolendi ſunt, ſpecialiter tamen ii venerandi ſunt a nobis, quorum Reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt: ſemper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes aſſumat, ibi ne inferni horror invadat.* Speciali huic Populorum cultui publicus & ille cultus publica Eccleſiæ auctoritate inſtitutus, ejuſque nomine divino in officio per ſuos Miniſtros exhibitus, deſiderari non debuit; hinc cum hocce Divinum officium in Oratoriis privatis, ſeu Ædiculis Clero deſtitutis non ſoleat decantari, ortum creditur habuiſſe Canonem 25. Concilii Epaunenſis ſane in hanc rem valde memorabilem: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non proponantur niſi forſitan Clericos cujuſcumque Parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.*

VI. De Sanctis igitur, quorum inſignes Reliquias habemus, ſeu *quorum*, ut ait Ambroſius lib. de Viduis, *videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare*, officium in eorum Feſtis agendum eſſe, apprime bene uſus, auctoritas, & ratio nos docent. Uſus quidem omnium Eccleſiarum, quarum Catalogum inane eſſet attexere, non recens inductus, ſed jam pridem cuſtoditus. *Solemus*, inquit Rupertus lib. 9. de glorificatione Trinitatis, *Baſilicas Martyrum appellare memorias eorum, pro eo quod ibi pſalendo, & confitendo memoramus martyria eorum.* Et Cyprianus in Epiſt. 37. ad Presbyteros, & Diaconos Eccleſiæ Chartaginenſis *Denique*, ſcribit, *& dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.*

VII. Auctoritas vero Sacræ Rituum Congregationis, quæ nedum præſenti, ſed quamplurimis aliis inferius dandis Decretis, Apoſtolica & firmitate munitis, ſancitum id voluit; & jamdiu idem ſtatuiſſe videtur Concilium Turonenſe ſub Nicolao I. habitum cap. 61. his verbis: *Sanctorum quorum, corpora in Eccleſiis poſſidentur, feſtivitatem agendas eſſe, atque iiſdem venerationis debita obſequia referenda.* Ejuſmodi in conſpectu Sanctionum nos pudet, Rubriciſtarum omnium id conſtanter aſſerentium turbam in medium afferre, ne quaſi exiſtimare videamur, veneranda præfatæ Congregationis Decreta, præſertim dum Apoſtolicæ auctoritatis munimine vallata inveniuntur, eorumdem patrocinio indigere.

VIII. Ratio denique idem ſuadet; congruum enim, & æquum eſt, ut ſicut multitudo Fidelium memoriam eorum Sanctorum, quos conſocios paſſionum in terris habuit, nunc ratione Reliquiarum, quas poſſidet, ut ſpeciales Patronos veneretur in cælis, eorumdemque præſidio poſt mortalis hujus vitæ curſum ſperet in gloria conſortes habere, recurrente eorumdem natali die dignius, & ſpecialius exultans quotannis honorat; ita eamdem utique memoriam præfatorum Sanctorum, uti ſuorum illuſtrium Eccleſia Filiorum, qui mirificis virtutum exemplis, decus non modicum eidem auxere, & proprio adhuc ſanguine eam purpurare non formidarunt, in ſuis quoque divinis ſpecialiter præ ceteris diebus recolat officiis, publicoque ſpeciali Fidelium cultui etiam Eccleſiæ Miniſtrorum publicus ſpecialis cultus, ſeu particulare divinum correſpondeat officium, non quidem in omnibus mundi partibus, quod fieri Sanctorum vetat multitudo, ſed ſaltem ubi eorumdem inſignes contingit aſſervari exuvias, alibi ſupplente Feſto, quod, ob id Eccleſia inſtituit, omnium Sanctorum.

IX. Hac cum limitatione, *Dummodo ſit Reliquia approbata* Decretum referunt Pittonus *Deciſ. ad Sacros Ritus num.* 169. Guyetus *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 1., Gavantus *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 8. & quod mirum eſt, Meratus ipſe *ibidem num.* 4., cum tamen in Indice Decretorum præfatam minime clauſulam apponat. Tolerabilis error ex cæca Gavanti ſequela, crederem, ortus, in Indice Decretorum, quæ prout in Sacræ Rituum Congregationis Regeſtis reperiuntur deſcripta, profitetur adducere; ulla abſque adnotatione correptus, vel quia ſui immemor extitit, vel potius quia Reliquiæ approbationem, ut officium fieri valeat, ſi non vi iſtius, aliorum ratione Decretorum neceſſariam exiſtimavit. Et quidem requiri quod Reliquiæ ſint approbatæ, extra dubium eſt: approbatæ quidem, ſive uſu, & continua jam inde a priſcis temporibus traditione, ſi antiquæ ſunt, vel per formalem Epiſcoporum recognitionem, ac approbationem, ſi novæ ſunt, ut fuſiori calamo in expoſitione Decretorum V. & X. infra dandorum ſcribere reſervamus.

X. *Inſignis Reliquia* haberi autem debet, ut officium de Sancto, cujus ea eſt, queat recitari; cum enim teſte D. P. Auguſtino *ſerm.* 3. *de Decolt. Jo. Bapt.* ejuſdem etiam Sancti Reliquias per diverſa loca Divina Providentia conſtet actum, ut per plura loca deportatis Sanctorum Reliquiis, plura virtutum ſigna fierent, pluresque per memoriam doctrinæ, & vitæ illorum ad fidem, ac dilectionem ejus, quem voce, & opere prædicaverunt, confluerent, ſi ob cunctas, etiam non inſignes Reliquias, officium concederetur, non eſſet finis officiorum, ac nimis ſæpe omitteretur feriale, immo & Dominicarum officium, quod cum ex Radulpho *propoſ.* 15. officium Domini ſit, ita de facile a ſervis non decet obrui. Quoniam vero quænam cenſenda ſit inſignis hunc ad effectum Reliquia, in Decreto V. hujus Capitis manet aperte firmatum, ideo quæ ibi dicturi ſumus, non putamus hic inutiliter alleganda.

XI. Ritus & habetur, ſub quo memoratum officium fas eſt celebrare, dum fieri poſſe officium *duplex minus* in Decreto ſtabilitur. *Duplex* quidem ad ſolemnitatem, *minus* vero ad diſtinctionem ab officio Patronorum minus principalium, quod inter duplicia dumtaxat majora a Tabella recenſetur; officium enim eorum Sanctorum, qui uti peculiares apud Deum Interceſſores, propriique Suffragatores ab univerſo loci Clero, populoque coluntur, majoris ſane eſſe debuit ſolemnitatis, ac elevationis ritus, ac officium illorum, qui ratione lipſanorum, quæ apud nos habent, nonniſi *quodnam*, ut vidimus ex Ambroſio, noſtrum *patrocinium* gerunt.

XII. Hæc tamen ſic, velim, intelligas, ut ſub elevatiori ritu, ſi hunc habet in Kalendario, uti S. Laurentius, cujus officium ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſignatum reperitur, non ſit celebrandum officium Sanctorum, quorum exuviæ aſſervantur; Reliquia enim, quæ habetur, ſi non auget, certe non minuit feſti ſolemnitatem. Eorum tamen Auctorum ſententiam probare non poſſumus, qui apud Gobat *tract.* 3. *numer.* 696. *append.* 4. *litt. b.* voluere Reliquiam, ut aliquid operetur, evehere ad primam claſſem Sanctum illum, qui in Kalendario habet ritum duplicem ſecundæ claſſis, & ſic ad ritum ſecundæ claſſis, qui duplicem majorem, & ad ritum duplicem majorem, qui illum jam habet duplicem minorem; videant enim præfati Auctores, quod arbitratu mere ſuo, non vi Decretorum tantum activitatis Reliquiis elargiuntur. Cuncta Decreta, quæ de ritu loquuntur, ſolum duplicem minorem aſſignant, ut videre eſt in præſenti, & ſequenti ſtatim exponendo Decretis; quapropter Reliquia ad ritum duplicem minorem officium, quod in Kalendario ſub ritu ſimplici, vel ſemiduplici, vel nullo modo reperitur deſcriptum, promovere quidem poterit, ſed non ad altiorem, ſi ritu duplici minori, vel elevatiori gaudeat. Etiam officio Patronorum minus principalium ritum duplicem majorem Rubricæ, & Decreta concedunt; aſt ſi in hujuſmodi Patronos aſſumi contingat Sanctos, qui modo memoratum ritum, ut S. Barnabas, vel elevatiorem, ut S. Lucas, in Kalendario jam habeant, non ob hoc ad altiorem ritum eorumdem officium veheretur, ſed adhuc ſub ritu duplici majori dumtaxat celebreretur illud Sancti Barnabæ, & ſub ritu duplici ſecundæ claſſis illud Sancti Lucæ.

XIII.

XIII. Quæ uſquemodo de ritu diximus, ſic concluſa vult Guyetus *l. 2. cap. 11. quæſt. 6.*, nihil ut præjudicii afferant conſuetudini legitimæ Eccleſiarum, apud quas Feſta quædam ob Reliquias inſignes ſolemniori ritu celebrari mos eſt, puta duplici primæ, vel ſecundæ claſſis, ſeu majori per annum; nec item aliarum, quæ aliqua ejuſmodi ſemiduplici dumtaxat ritu celebrant, quod uſitatum maxime ſe obſervaſſe fatetur in Eccleſia Senonenſi, in qua Feſta SS. Macarii Abbatis, Cantii, Gervaſii, & Protaſii, ac aliorum tantum ſemiduplicia ſunt, licet eorumdem omnium inſignes ſatis habeantur Reliquiæ. Ut autem legitima ſit conſuetudo præfata, opus eſt, radices uſque habeat præcedenter ad Bullam Pii V., poſt quam in iis, quæ ad divinum officium pertinent, a nemine olla tentari valet mutatio, adhuc quoad ſolum ritum, quemadmodum dilucide patebit ex ſtatutis, & dicendis in Decreto I. Capitis de Additione Breviario fieri inhibita.

XIV. Num vero celebrandum ſit dictum officium ſub ritu duplici de præcepto, an potius ad libitum? Ad libitum reſpondet Gobat *loco cit.*, quia Decretum ſolum dicit *Poſſe*, quod non præceptum, ſed ſolam continet permiſſionem, ut declaravit Sacra Congregatio 20. Novembris 1683. dictum verbum *Poſſe* in Indultis officiorum poſitum. Verum quidquid ſit de vi, ac efficacia verbi *Poſſe*, quoties in Indultis ſuper conceſſione officiorum cernitur, de qua re relate in Capita de officiis ad libitum, in præſentiarum certum redditur, quod officium ob Reliquias inſtituendum, non debet eſſe ad libitum, ſed de præcepto; id enim indicant duo ſequentia, quæ exponenda ſtatim ſumemus, Decreta, dum in iiſdem iſte tenetur dicendi modus: *Duplex officium eſt recitandum de Sancto, cujus inſignis habetur Reliquia;* qui non apprime convenire valet cum natura officiorum ad libitum, ſed magis cum ea feſtorum de præcepto.

XV. *In ejus Feſto*. Advertere hic lubet, quod ſummæ olim curæ fuit Eccleſiarum Antiſtitibus Natalem, illum ſcilicet, quo quiſque Sanctus ſive martyrio, ſive ſpotanea morte ex hac vita decedens, ad cæleſtem tranſiit, Sanctorum diem annotare; eo fine, ut recurrente ſingulis annis ipſo eodem die ſolemnis illorum memoria in ſacris myſteriis recoleretur: hinc Cyprianus in Epiſt. 37. ad Presbyteros, & Diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis, *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Et Divus Parens Auguſtinus ſerm. 13. de Diverſis habet. *Quid eſt hoc Fratres: Quando natus eſt, ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus: ſed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus; illo enim traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum*.

XVI. Hæc antiqua conſuetudo celebrandi Feſta Sanctorum iis diebus, quibus renati ſunt ad gloriam, ab Eccleſia adeo ſemper cuſtodita fuit, ut ſi quæ extra diem natalitium fixo, ac ſtato die celebrari contingit, hoc ideo erit, vel ob feſtum aliud majoris ritus, vel dignitatis ſimul occurrens, aut privilegiarum, aut ob impedimentum aliquod juxta tunc temporis diſciplinam, ſicut alibi videbimus; hinc nec minimus dubitandi ſupereſt locus, officium Sancti, cujus inſignis habetur Reliquia recitandum præſcribi in die natalitio ejuſdem, ſeu mortis illius, dum *in ejus feſto* recolendum præſcribitur.

XVII. Aſt quid faciendum erit, quoties dies, in qua officium Sancti in Kalendario Romano recurrit, eſt alia a die natalitia, vel obitus ejuſdem, cujuſmodi non infrequentia adſunt exempla? Tunc ſi inſignis habeatur Reliquia, feſtum eritne celebrandum die, quam fixam habet in Kalendario, an magis die mortis ejus?

XVIII. ℞. Quod quando Natalis alicujus Sancti, cujus officium fit in univerſa Eccleſia, in aliam diem eſt immutatus, etiam Eccleſia particularis, quæ ejuſdem Sancti habet Reliquiam, a communi uſu non recedere debet: ex Decreto enim Sacræ Congregationis 28. Novemb. 1682., de quo ſuo loco: *Dies natalitii hi omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt Feſtivitati alicujus Sancti, veluti fixa, & veluti propria eorum ſedes*; quapropter in eo caſu dies, quam fixam habet in Kalendario, cenſetur natalitia, ac conſequenter dies, in qua recoli debet. Deinde in celebratione Sanctorum de Kalendario Romano teneri debet dies, quæ in hoc iiſdem aſſignata reperitur, unde per Sacram Congregationem 28. Novembris 1722. declaratum extitit, Feſtum SS. Nominis Jeſu recitari non amplius licere die 14. Januarii ab iis, qui de hoc præcedenter dicti feſti univerſalem conceſſionem particulare tenebant Indultum, ſed omnes teneri ad illud celebrandum Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, in qua pro univerſali Eccleſia conceſſum manet. Simile eſt Decretum ejuſdem Congregationis 5. Maji 1736. pro officio Beatæ Mariæ de Monte Carmelo; necnon 17. Junii 1684. pro Feſto ejuſdem SS. Nominis, in quibus determinatum fuit, non eſſe amplius licitum Privilegiariis perſeverare in celebratione dictorum feſtorum in priſco uſu quoad diem, ſed debere cum Eccleſia univerſali poſtquam ad hanc extenſa illa fuerunt, ſeſe prorſus conformare.

XIX. Verum quid faciendum erit, ſi dies mortis ejus, ſive natalitius in legitimo uſu propriorum locorum alius ſit ab illo, qui in Breviario, vel Martyrologio Romanis reperitur notatus? ℞. Stari poſſe uſibus cujuſque loci propriis, maxime in celebratione Sanctorum propriorum. Tum quia probabile eſt, minus potuiſſe errare Indigenas in computando Sanctorum ſuorum natali, quam longe poſitos. Tum quia ubi jam eſt adeo longa hujuſmodi conſuetudo, melius eſt cum aliis convenire, quam temere quidquam ibi innovare; hinc & Breviarium Romanum locorum conſuetudinem ſervandam laudat in caſu particulari S. Bartholomæi, qui Romæ quidem die 25. Auguſti, alibi vero 24. celebrari conſuevit.

XX. Quod ſi iis de Sanctis ſit Reliquia, qui deſcripti quidem ſunt in Martyrologio Romano, ſed non ea die (quod ſciatur) qua eorumdem contigit obitus, cujuſmodi eſt S. Eliſabeth, Joannis Baptiſtæ parens, quæ die 5. Novembris, cum dies ejus natalis neſciretur, una cum viro ſuo recenſetur, qua etiam de cauſa obſervat Baronius *in Notis ad Martyrol. die 12. Februarii*, ea die trium Sanctorum nomine Modeſtorum concervationem a Majoribus eſſe factam; tali in caſu ſi particularis de eorumdem Sanctorum natali die memoria non habeatur, Martyrologium ſequendum erit potius, quam arbitratu ſuo aliquid innovare; ſi vero præfata memoria non deſit, officium recitari poterit eo die, quo veroſimilius creditur, eorumdem Sanctorum obitum eveniſſe; & ſic etiam S. Columbæ Virginis, & Martyris Cordubenſis, quamdiu ejus natalis dies latuit ob deperditas ejus Eccleſiæ tabulas, fiebat, memoria ultimo die Decembris, quo jam die Natalis eſt S. Columbæ Senonenſis æque Virginis, & Martyris, aſt poſtquam ejuſdem natalis dies innotuit, a die 31. Decembris ad proprium diem 17. Septembris fuit tranſlata, atque in faſtis conſignata, quemadmodum advertit Baronius in Notis ad Martyrologium *ad diem 17. Septembris*.

XXI. Major abſque dubio difficultas remanet, qua ſcilicet die ſit officium inſtituendum de Sancto, cujus inſignis habetur Reliquia, ſed ejuſdem natalis dies ignoratur. Verum hanc reſervamus examinandam infra in expoſitione Decreti VIII. ubi, eam vocat materiæ affinitas, quam ibi pertractare debemus.

XXII. Inquirendum adhuc ſupereſt, num ſi Sanctus cujus inſignis Reliquia aſſervatur, ſit ex deſcriptis ſub ritu duplici, vel ſemiduplici in Kalendario, ſive Eccleſiæ, aut loci Patronus ſit, poſſit bis de eodem officium fieri, una videlicet vice de eo tamquam de Titulari, aut deſcripto in Kalendario, & altera de ejus Reliquia? Hoc revera putavere nonnulli apud Gobat *loco cit.* eo nixi fundamento, quod plures in caſu adſunt tituli adæquati, quorum unuſquiſque ex ſe ſufficiens eſt ad officii recitationem. Aſt cum hoc ab eccleſiaſtica exorbitet conſuetudine, tenendum eſt, dempto privilegio eumdem Sanctum bis in anno celebrari non debere, licet diverſos adæquatos ſortiatur titulos, quorum quilibet ſufficiens eſt ad officii inſtitutionem; hinc ſit, puta, S. Joſeph, qui ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in Kalendario Romano invenitur deſcriptus, Patronus principalis Regni, Patronus item principalis Civitatis alicujus intra idem Regnum exiſtentis, & Titularis Eccleſiæ, ſunt quidem hi omnes diſtincti adæquati tituli, quorum ſinguli attentis Rubricis, & Decretis ex ſe ſufficiunt ad officii inſtitutionem; aſt quis diceret hos ob quatuor titulos quater in anno officium de S. Joſeph poſſe recitari? Uti igitur hoc in caſu officium toties repetere, eccleſiſtica conſuetudo non ſinit, ſed in ejuſdem dumtaxat Sancti natali die celebratur feſtum, quod pro omnibus præfatis titulis deſervit; ita apprime bene & pro Reliquia, ubi habetur, poterit deſervire, non officiorum multiplicationem, ſed ſolum elevatiorem ritum, ſi hunc jam non habeat, operantibus ſicut Rubricis in primo, ita Decreto in ſecundo eventu. Unde & in Cap. de Sanctis Angelis deciſum videbimus, in Dominiis Cæſareis bis fieri non poſſe de Sancto Angelo Cuſtode, & die ſcilicet ſecunda Octobris cum Eccleſia univerſali, & Dominica prima Septembris ratione particularis Indulti.

XXIII. Et quidem officii conceſſio ratione Reliquiæ, cum *pro ejus feſto* tantummodo ſit, in eodem feſto, ſeu natali die expirat, quoties in eo de Sancto, cujus eſt Reliquia, officium fit, deſervitque unica officii de eodem recitatio pro omnibus titulis, quibus eſt debita, ad eum veluti modum, quo unica Miſſæ auditione ſatisfit præcepto audiendi Miſſam inſtanti & pro die Dominica, & pro Feſto de præcepto in foro in eam incidente, ac unico jejunio optime expletur jejunium debitum ratione temporis Quadrageſimalis, ac ratione Vigiliæ occurrentis, ac demum unica recitatione Horarum Canonicarum impletur præceptum urgens ratione ſacrorum ordinum, ac beneficiorum, quantumvis plurimorum.

XXIV. Hæc nonnemini videri poſſent contraria iis quæ dedimus in Decreto VI. Cap. II., ubi ad recolendum Feſtum Tituli S. Mariæ Angelorum, vel alterius ſimilis rationis, diximus peculiarem eſſe inſtituendam feſtivitatem, nec eas de eadem B. Maria jam inſtitutas poſſe deſervire; & multo magis, quia id jam diximus item eſſe faciendum in Eccleſiis, quæ ab ejuſdem Reliquia aliqua denominationem deſumunt. Verum res haudquaquam ita ſe habet; intantum enim in memorato caſu peculiarem aſſeruimus inſtituendam eſſe feſtivitatem, & jam inſtitutas minime poſſe ſupplere, quia juxta Rubricas, & Kalendarium ipſum Romanum Titulus celebrari debet ſub ea ratione, ſub qua eſt Titulus, alias non celebraretur Titulus, ut patet: quapropter cum in aliis feſtivitatibus jam inſtitutis de B. Maria non recolantur illæ particulares rationes, ſub quibus illa eſt Titularis, neceſſe eſt, novam inſtitui feſtivitatem, & jam inſtitutas mini-

minime deſerviunt, Officium autem ob Reliquias eſt conceſſum *pro Feſto* recitari, & ideo ſi Feſtum jam ſit inſtitutum, per hujus celebrationem ubertim & ſatisfit officio, quod ob Reliquiam inſtitui deberet, quemadmodum eadem de cauſa ibidem nos aſſeruimus id evenire in Eccleſiis ſimpliciter, & abſolute B. Mariæ dicatis, pro quibus peculiaris non inſtituitur feſtivitas, quæ inſtitui nec debet, nec poteſt, quoties Reliquia, vel ratio illa, relate ad quam conſtructa fuit Eccleſia, ad aliquam ex jam inſtitutis feſtivitatibus valet commode advocari.

XXV. Ex dictis inferes primo, abſque peculiari Indulto non poſſe ob Reliquiam officium recitari, & in die Feſto, & in die Tranſlationis, vel alio hujuſmodi, ut docet Gavantus *in Comment. Rubr. Breviar. in prælimin. cap.* 2. *nu.* 26. & cum eo Scarſantoni, *part.* 1. *lucubr. can. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 14. Etiam Rubricæ, & Decreta concedunt *pro Feſto* Patroni principalis officium, & quidem ſolemnius, utpote ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & tamen per hoc conceſſum non intelligitur officium etiam pro die ejuſdem Tranſlationis, ut patet ex Decreto ultimo præcedentis Capitis, in quo conſulta Sacra Congregatio ſuper concurrentiam quamdam officii Tranſlationis Patroni, reſpondit: *Doceri de Indulto recitandi Officium Tranſlationis Patroni.*

XXVI. Inferes 2. ſi ejuſdem Sancti plures inſignes habeantur Reliquiæ, puta Caput, & Brachium, duplicem peculiarem feſtivitatem de eo inſtitui non poſſe, unam ob caput, ob Brachium alteram, ſed in ejuſdem Sancti feſto agetur officium duplex minus, quod & pro Capite, & pro Brachio deſerviet. Ita Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *appen.* 4. *lit. b.*, Scarſantoni *loco citato*, & Quintanad. *tract.* 7. *ſing.* 30. *nu.* 7., ubi hanc ulterius ſubdit rationem, quia ſcilicet plures Reliquiæ ejuſdem Sancti moraliter uniuntur ad unicum corpus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XLVI.

Duplex officium eſt inſtituendum de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano. S. R. C. 3. Junii 1617. *In una Urbis Theatinorum.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 40.

I. PEr præſens confirmationem unam, ac tres limitationes præcedens accipit Decretum. Confirmationem quidem, dum ſtabilitur, *De Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, recitandum eſſe officium duplex*, ſcilicet *minus*, ut expreſſe habet præcedens Decretum, deduciturque ex altero Decreto 2. Octobris 1683., in quo ſtatuitur: *Quando pro aliquo feſto, vel officio conceſſus reperitur ritus duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligitur facta de duplici minori.* Tres vero limitationes, quarum prima fert, officium tantummodo fieri poſſe *ubi*, nempe in Eccleſia, in qua *inſignis Reliquia aſſervatur*. 2. Quod Sanctus, cujus eſt Reliquia, ſit *ex Sanctis approbatis*. 3. *Et poſitis in Martyrologio Romano.* Quod autem ſubditur de corpore integro, aut magna parte ejuſdem, vel capite, ad exemplificandum unice deſervit, quænam ex Reliquiis inter inſignes ſit habenda ad effectum recitandi de ea officium; ſed de hoc in Decreto V. hujus Capitis fuſior habebitur ſermo.

II. Prima limitatio, nimirum, eſſe ſolum recitandum officium de Sancto, cujus habetur Reliquia, *ubi hæc aſſervatur*, expreſſioribus verbis determinata apparet in Decreto 12. Maii 1618., quapropter in hujus, quod erit ſequens, expoſitione late examinabitur.

III. Secunda vero, *& ſit ex Sanctis approbatis*, non eſt intelligenda, quaſi cadat ſupra Reliquiam, reddatque ſenſum, quod Reliquia debeat eſſe approbata; ſi enim, & quomodo hoc requiratur, ſermo inſtituetur in Decretis V., & X. hujus Capitis, nec opus eſt, ſuper hoc verba facere in hujuſce expoſitione Decreti, quod tantummodo exigit, ut Sanctus, cujus habetur inſignis Reliquia, *ſit ex Sanctis approbatis*, de quorum ſcilicet ſanctitate liquido conſtat, vel, ut olim, per univerſalem Eccleſiæ traditionem communem conſenſum, vel ut nunc, per Romani Pontificis declarationem; aliquem enim eſſe Sanctum decernere ſolius eſſe Romani Pontificis, jam Alexandri III. Conſtitutione definitum eſt, *Cap. Audivimus de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, occaſione hominis cujuſdam, quem licet in potatione & ebrietate occiſum, quidam quaſi Sanctum venerabantur, cum tamen Eccleſia pro iis, qui perimuntur in ebrietatibus, vix permittat orari, dicente Apoſtolo *ad Epheſ.* 5., quod *ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt*. Ad hoc ergo, ut ob Reliquiam, quæ habeatur, inſtitui poſſit officium, debet ea eſſe Sancti, qui vel juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, vel modernam canonizatus exiſtat.

IV. Hanc itaque per limitationem excluſa primo manet poteſtas celebrandi officium de iis Dei Servis, etſi eorumdem aſſerventur Reliquiæ, qui nec per Bullam Pontificiam, nec per univerſalem Eccleſiæ traditionem, ſed ſolummodo per piam particularium Eccleſiarum, ſeu Ordinum Religioſorum devotionem tamquam Sancti ſunt habiti, ut de Simeone Metaphraſte, qui apud Græcos dicitur eſſe celeberrimus, cum tamen talis non ſit apud Latinos, ac de pluribus Regularibus, qui cum in Domino dormierint cum fama ſanctitatis, ab aſſeclis ejuſdem Inſtituti tamquam Sancti cum Domino regnantes coluntur, cum tamen extra illud eamdem non ſortiantur venerationem. Æquum namque non eſt, ut cultus ille particularis, qui eſt eſſentialiter publicus, ac nomine Eccleſiæ exhibetur, cujuſmodi eſt canonicum officium, iis Dei Servis communiter proponatur, qui ab univerſali Eccleſia non habentur in honore ut Sancti.

V. Interdicta ſecundo venit facultas officium inſtituendi de Beatis, quorum inſignes cuſtodiuntur Reliquiæ, licet de eorumdem beatificatione conſtet per Bullam Pontificiam, ac inſuper in Martyrologio Romano recenſeantur; etſi enim ſtatim ac quis declaratur Beatus, declaretur ut regnans cum Chriſto, in rigore tamen, ut optime obſervat Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 12., Sanctus dici non valet, ſed ſolum improprie, & abuſive, cum beatificatio ſit ſolum quædam canonizatio, inchoata, imperfecta, & limitata, ſeu ſemicanonizatio, ut eam appellant Angelus Rocca *de Canoniz. cap.* 38. *in fine*, Baldelli *Theol. mor. lib.* 3. *diſp.* 12. *num.* 18., Guyetus *lib.* 2. *cap.* 19. *quæſt.* 11., aliique Doctores communiter, & in ea cultus non tam præcipitur, quam permittitur, & quidem limitate quoad locum, quoad perſonas, quoad tempus, & quoad ritum, ut fuſe conſtabit ſuo loco in explanatione plurimorum Decretorum ad hanc rem attinentium; hinc & die 27. Septembris 1659. approbante Alexandro VII., a Sacra Rituum Congregatione fuit deciſum: *Recitationem officii de Beatis non canonizatis non eſſe ſatisfactoriam præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit.*

VI. Vetitum tertio remanet, ob Reliquias officium inſtituere de quibuſcumque Dei Servis, qui nec ſecundum Stylum Eccleſiæ antiquiorem, nec juxta ejuſdem ſubſecutam diſciplinam in Sanctorum Album fuerunt relati; & quidem quantumvis ſint in pacifica cultus poſſeſſione, & eorumdem cultus non tantum ſit permiſſus, ſed præceptus ex particulari Indulto, nec intra particularia loca coercitus, ſed ad univerſalem Eccleſiam protenſus, quinimmo tametſi titulo *Sancti* communiter appellentur, quemadmodum in Decreto primo præcedentis Capitis Beatus diſtingui poſſe aſſerebamus; præſens enim Decretum ad hoc, ut ratione Reliquiæ officium fieri queat, expreſſe exigit, quod ſit Reliquia alicujus *Sancti*, & quidem non Sancti dumtaxat nuncupative, ſed *Sancti approbati*, videlicet canonizati. Et quidem ex ſtatim dicendis hoc magis patens fiet, dum nec de quibuſcumque Sanctis canonizatis officium fieri poſſe, ſtatutum apparebit, niſi inſuper ſint ex iis, quorum nomina deſcripta ſunt in Martyrologio Romano.

VII. Hæc, haud imus inficias, adverſari quodammodo videntur iis, quæ dedimus in memorato Decreto Capitis præcedentis, ubi nonnullos ex Beatis, præſertim qui titulo gaudent Sanctorum in univerſali Eccleſia, in Patronos locorum aſſumi poſſe non improbabile reputavimus; ſi enim hujuſmodi in Patronos eligi valent, ac conſequenter de iiſdem inſtitui poteſt officium ſolemne ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, cur ratione eorumdem Reliquiæ inſignis, quæ habeatur, recoli non poterunt cum officio duplici dumtaxat minori?

VIII. Verum diſpar ſatis eſt ratio, quoniam ut quis in Patronum aſſumi queat, Decretum dumtaxat expoſtulat, quod *in Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colatur*; ut autem de eo ratione Reliquiæ officium inſtitui valeat, præſens vult Sanctio, non quidem quod in Eccleſia univerſali titulum obtineat, ſed quod ſit *ex Sanctis approbatis*, adeoque, etſi Servi illi Dei, qui tamquam Sancti in Eccleſia univerſali coluntur, Sanctorumque titulum habent, quantumvis non ſint canonizati, in Patronos eligi queant, non tamen de iiſdem ratione Reliquiæ officium inſtitui poterit, cum adhuc non ſint *ex Sanctis approbatis*, ſeu canonizatis. Et quidem quod plus requiratur ad faciendum officium ratione Reliquiæ, quam ad hoc, ut quis in Patronum eligatur, ſatis evidens eſt, quia, ut ob Reliquiam officium inſtituatur, nec ſufficit, quod Sanctus ſit ex approbatis, ſeu canonizatis, ſed ulterius exigitur, quod ejuſdem nomen deſcriptum reperiatur in Martyrologio Romano, cujus deſcriptionis nulla apparet neceſſitas ad electionem Sanctorum in Patronos, cum Decreta hujuſmodi deſcriptionis nullam agant mentionem, nec ullibi ejuſdem neceſſitatem deſignent.

IX. Cur autem ita factum extiterit, ratio eſſe poteſt, quia Sancti canonizati, tametſi in Martyrologio Romano minime ſint deſcripti, jus habent ad ea omnia, quæ competunt Sanctis rite in Sanctorum Album relatis, inter quæ utique eſt Altarium, & Eccleſiarum erectio in eorumdem honorem, ac conſequenter & eorumdem electio in Patronos locorum; quapropter citra injuriam dicto jure ſpoliari nullatenus potuerunt, nec debuerunt, adeoque nec conſequenti jure habendi officium duplex primæ claſſis cum octava, quod hoc ipſo iiſdem competit in vi Rubricarum de Patronis principalibus Eccleſiarum, & Locorum tale officium demandantium. Quod autem Sancti canonizati ratione Reliquiæ inſignis officium habeant, non eſt jus quoddam vi ſanctitatis approbatæ iiſdem competens, quinimmo nec vi Rubricarum, cum iſtæ ratione Reliquiæ nullibi præſcribant officium eſſe faciendum, ſed merum eſt Indultum, & gratioſa conceſſio, atque adeo abſque ulla injuria iiſdem potuit denegari, & congruam ob rationem inferius referendam reipſa iis, qui in Martyrologio Romano minime ſunt deſcripti, extitit denegatum.

Eadem

Eadem de cauſa conceſſio officil ob Reliqoiam fuit reſtricta ad Sanctos approbatos, nec extenſa ad illos Dei Servos, qui cum canonizati non ſint, titulo tamen Sanctorum ſcientibus Summis Pontificibus in Eccleſia univerſali coluntur, qui tamen cum ab immemorabili forent in poſſeſſione cultus Eccleſiarum ſibi dicatarum, & ſui electionis in Patronos, & titulus ipſe *Sanctorum*, quo ab univerſali venerantur Eccleſia, id juris ipſis tribuat, non videbantur forſitan congrue dicto jure poſſe privari, ac conſequenter nec titulo habendi in caſu officium duplex primæ claſſis cum octava; hinc & Urbanus XIII. in ſuis Decretis jus ſuum integrum præfatis Dei Servis præſervavit, ſeſeque declaravit, iiſdem nullum velle præjudicium inferre.

X. Dices hinc ſequi, etiam quoslibet alios Beatos poſſe in Patronos aſſumi, cum præcedenter quilibet indifferenter ex iiſdem, licet in Eccleſia univerſali titulo Sanctorum minime culti, in Patronos locorum eligerentur, & memoratus Urbanus VIII. in ſuis Decretis nec iſtis, qui ab immemorabili id cultus habebant, in nullo voluerit præjudicare.

XI. ℞. Diſparem eſſe rationem, quoniam illi Dei Servi, qui cultum Sanctorum habebant, jam jus habebant ad Eccleſiarum erectionem in eorumdem honorem, ac conſequenter etiam ad ſui electionem in Patronos locorum, cum hæc ſit pars cultus, quæ Sanctis debetur, ut patet ex Bullis Canonizationum, in quibus in honorem Sanctorum canonizatorum hæc fieri conceduntur. Qui autem nec erant canonizati, nec titulum, nec cultum Sanctorum in Eccleſia univerſali ſortiebantur, jus nullum habebant ad Eccleſiarum erectionem in ſui honorem, cum hujuſmodi honor Beatis non debeatur, atque adeo etſi quibus talis honor fuerat impenſus, quoad præteritum, & factum Urbanus VIII., & Sacra Congregatio nihil voluerint eſſe innovandum, ac conſequenter in ſua eoſdem poſſeſſione eſſe manutenendos, attamen quoad futurum, & poſterum præfatus Urbanus VIII., & Sacra Congregatio in Decreto 23. Martii 1634. dicto jure, & cultu, qui minime iiſdem competebat, illos privandos eſſe cenſuerunt.

XII. Non ſufficit autem, ut ob Reliquiam officium inſtituatur, quod Sanctus ſit ex approbatis ſeu canonizatis, ſed ulterius exigitur, quod ſit ex deſcriptis in Martyrologio Romano, ut ſtatuitur per ea verba Decreti: *Et poſitis in Martyrologio Romano*, & inferius idem ſancitum videbimus in Decretis IX., X., & XI. hujus Capitis. Quatuor alia recenſet Decreta Eminentiſs. Lambertini, nunc ad Summum Pontificatum evectus, *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 29. nu. 19., & ſeqq.*, quorum primum editum fuit die 6. Aprilis 1658., in quo ad inſtantiam Cleri SS. Petri, & Pauli Loci Piticit Materanen. Diœceſis, ſupplicantis ſibi benigne indulgeri de quibuſdam Martyribus, quorum Reliquias habebat, recitari poſſe officium cum octava, quod jam ſub ritu duplici majori celebrare ſolebat, Sacra Congregatio reſpondit: *Nec licuiſſe, nec licitum eſſe, Oratoribus recitare officium intuitu Reliquiarum de Sanctis, qui non recenſentur in Martyrologio Romano*. Secundum eſt de die 17. Aprilis 1660., in quo petentibus Priore, & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Angeli Civitatis Viterbienſis, ut dies ſeptima Octobris aſſignaretur pro recitando officio in honorem SS. Savini, & Eugenii, quorum Corpora in ipſorum Eccleſia aſſervabantur, eadem Sacra Congregatio reſpondit: *Eos non poſſe recitare officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyrologio Romano*. Tertium emanatum fuit 21. Januarii 1662., in quo inſtantibus Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ S. Martini Turonen. pro facultate celebrandi ſub ritu duplici officium de Tranſlatione S. Venturini Martyris, cujus Corpus fuerat ipſis dono datum ab Epiſcopo Heliopolita, Sacra item Congregatio reſpondit: *Obſtare Decreta, quia non eſt de expreſſis in Martyrologio Romano*. Quartum demum editum fuit 20. Novembris 1683., in quo eadem Congregatio declaravit: *Non licuiſſe, nec licere recitare officia de Sanctis intuitu inſignium Reliquiarum, niſi conſtet de identitate earumdem, quod ſint videlicet de Corpore illorum Sanctorum, de quibus ea die ſit mentio in Martyrologio Romano, & non aliorum ejuſdem nominis*.

XIII. Quemadmodum acturi de Martyrologio Romano, ſuo loco late trademus, plurima collecta fuerunt Sanctorum Martyrologia, quæ cum uſquequaque perfecta, & erroribus vacua non eſſent, Summi Pontifices neceſſarium eſſe duxerunt, curare, ut fieret, quantum fieri poterat, editio Martyrologii correcti, in omnibus Eccleſiis legendi. Cura itaque hæc a Gregorio XIII. demandata fuit ſeptem excellentibus Viris, qui opus perfecerunt, & triplex facta eſt editio novi Martyrologii correcti, ſed cum prima, & ſecunda mendis ſcaterent, purior, & ſincerior habita eſt illa, quæ facta fuit anno 1584., & huic tantum, ut legitimæ, atque germanæ acceſſerunt Literæ Apoſtolicæ datæ die 14. Januarii eodem anno, teſte Baronio *in Præfatione ad Martyrologium Romanum cap. 8.* qui anno 1586. ejuſdem Martyrologii novam fecit editionem cum adnotationibus magna eruditione confectis, nonnullis etiam in Textu factis immutationibus, at paucis tamen, & cum conſenſu, atque auctoritate Summi Pontificis, ut idem refert *cit. cap. 8.*. Sub Urbano VIII. facta fuit recognitio Baronianæ editionis, addita fuerunt nomina Sanctorum ſubſequenter canonizatorum, & Textus fuit multis in locis emendatus ad fidem Hiſtoriæ, teſte Gavanto *ſect. 5. cap. 21. num. 7.*. Hoc igitur eſt Martyrologium, quod *Romanum* dicitur, quodque a Gregorio XIII. in Choro legendum eſſe mandatur, & in eo inſerta eſſe debent nomina Sanctorum, ut ob eorumdem Reliquias, quæ habentur, officium fieri valeat. Verum cum noviſſimis hiſce temporibus Benedictus XIV. eruditione plurima & emendatione novam Martyrologii editionem molitus fuerit, non amplius illi, ſed huic modo ſtandum eſt.

XIV. Non eſt autem hujuſmodi Martyrologium, niſi Catalogus quidam Sanctorum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuſcujuſque laudem elogio. Certum tamen eſt, quod in eodem haud deſcripta inveniuntur nomina omnium Sanctorum canonizatorum ſive juxta antiquam, vel modernam Eccleſiæ diſciplinam; omnes tamen hujuſmodi Sancti jus habent, ut in eo deſcribantur, ſive loquamur de illis, qui poſt editionem Martyrologii a Summis Pontificibus in Album Sanctorum ſubinde relati fuerunt, ſive loquamur de aliis, qui aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis fuerunt canonizati; de omnibus enim eædem prorſus militant rationes, necnon quamplurima exempla idem aſſumptum comprobantia, quoniam nedum Sanctorum, qui poſt editionem Martyrologii in Sanctorum Album relati fuerunt, ſed etiam plurium aliorum, qui aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis præcedenter fuerant canonizati, ut S. Leonis III. ex Decreto Congregationis apud Bollandianos *ad diem 12. Menſis Junii tom. 1.*, SS. Ptolomæi Diſcipuli S. Petri, & Romani Epiſcopi Nepeſini Martyrum anno ſolum 1672., S. Petri Eremitæ anno 1691., S. Stephani Abbatis Ordinis Grandimontenſis Inſtitutoris anno 1696., & plurium aliorum, quos opus haud eſt ulterius recenſere, nomina poſtmodum invecta fuerunt.

XV. Hujuſmodi autem additiones, vel mutationes, quæ factæ fuerunt in Martyrologio Romano, contrariæ non ſunt Litteris Apoſtolicis Gregorii XIII., quoniam additionis, & mutationis prohibitio, quæ fit per dictas Litteras, locum tantum habet in additionibus, & mutationibus factis authoritate privata, ſed non in illis, quæ fiunt intercedente Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Cum vero Sacrorum Rituum Congregationi plurimæ porrigerentur ſupplicationes, & inſtantiæ pro deſcriptione alicujus nominis in Martyrologio, ab eadem Congregatione edita fuere nonnulla Decreta pro admittendis, vel rejiciendis conſimilibus petitionibus; quorum primum eſt de die 30. Julii 1616., in quo ſtatuitur: *In Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos eſſe Sanctos illos tantum, qui fuerint canonizati, non autem qui declarati fuerunt Beati poſt ultimam impreſſionem dicti Martyrologii Romani*; quod & confirmatum extitit per aliud Decretum 8. Aprilis 1628., necnon per aliud 31. Auguſti 1680., in quibus pariter ſancitum extitit, in dicto Martyrologio non eſſe apponendos, niſi Sanctos canonizatos, non autem beatificatos duntaxat.

XVI. Hoc tamen diſcrimen eſt inter Sanctos poſt impreſſionem dicti Martyrologii canonizatos, & inter eos, qui præcedenter aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis canonizati fuerunt, quod illis, cum de eorum canonizatione non diſputetur, & conſtet, negari non poteſt præfata deſcriptio, & ex ſe jus habent, ut deſcribantur, ſolumque approbari debet per Sacram Congregationem elogium in dicto Martyrologio apponendum, uti colligitur ex allegatis Decretis, necnon ex Reſcripto ejuſdem Congregationis 14. Decembris 1715. pro deſcriptione nominis Sancti Joannis de Deo, & ex altero Reſcripto pro deſcriptione S. Pii V. die 1. Julii 1713., in quibus ſupponitur, dictos Sanctos in Martyrologio Romano de jure eſſe recenſendos, ſolumque approbatur elogium in eorumdem laudem apponendum. Iſti vero, cum eorum canonizatio ſit probanda, jus non habent ad ſui deſcriptionem, niſi prius in Sacra Congregatione approbata ea fuerit, cujus unice defectu plenæ probationis in dicto Martyrologio, cum primum editum fuit, eorumdem nomina omiſſa fuerunt; & ideo in dicta Congregatione prius dubium proponitur: *An eorum nomen ſit deſcribendum in Martyrologio Romano*, & tunc diſcutitur de eorumdem legitima canonizatione, & nonniſi habita affirmativa reſolutione, agitur de elogio, cum quo deſcribi debent.

XVII. Quoad Beatificatos vero, & ſignanter poſt editionem Martyrologii factam tempore Gregorii XIII., & Sixti V., & multo magis poſt editionem tempore Urbani VIII., urget regula, & diſpoſitio ſupra memoratorum Decretorum, ſcilicet, quod non ſunt in Martyrologio Romano deſcribendi, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis Sacrorum Rituum Congregationi exponendis ipſa Summo Pontifici id conſilium præſtet, tum Summus Pontifex annuat deſcriptioni eorumdem nominum in Martyrologio ipſo Romano, & hoc pacto introducta in ipſum fuere quamplurima nomina Beatorum, quemadmodum videre eſt in ipſo Martyrologio Romano, cum primitus in eo non haberentur deſcripti niſi Beatus Rocchus, & Beatus Joannes Columbinus, qui tamen ſunt ex Beatis præviis ad additionem Martyrologii factam tempore Gregorii XIII., ac conſequenter ex iis, de quibus minime procedunt ſuperius allegata Decreta. Cum itaque ad deſcriptionem præfatam requiratur ſpecialis conceſſio a Summo Pontifice confirmanda, & plura adſint exempla in quibus negata fuit Beatorum dicta deſcriptio, & aliorum ex gratia ſpeciali conceſſa, etiam in caſu Beatorum Beatificatione formali, patens utique eſt, quod jure ſuo nomina Beatificatorum quorumcumque non ſunt in Martyrologio Romano decribenda.

quod nihil quoque fit de Vigilia occurrente in Feſto Patroni principalis loci, indubium etiam eſt, quod ibi ly *Patronus* ſtat pro Patrono principali loci, ne cogamur dicere, quod Rubrica diminute procedat.

XX. Verum ne incaſſum, & nonniſi in tædium Lectoris hic congerere cogamur cunctos Rubricarum textus, in quibus idipſum præſcribitur, eumdem Lectorem de nonnullis hic monitum volumus. Primo, quod quotieſcumque in Rubricis habetur, ac nominatur copulative, vel disjunctive, Patronus, & Titulus cum additione *Eccleſiæ*, licet non habeatur *Loci*, ſemper *Patronus* uſurpatur pro Patrono principali loci, & non pro Sancto, qui juxta ſui conditionem dicitur Titularis, vel Patronus Eccleſiæ ob diſcrimen, quod eſt Titulum inter, & Patronum, quemadmodum edocent Adverſarii. Recolat Lector Rubricam *VII. num.* 2., *IX. num.* 3., necnon quæ ponitur ſub Tabula concurrentiæ *num.* 2., in quibus ultra ſuperius allegatas fit dicta mentio Patroni, & Tituli Eccleſiæ, & ſi a diminutione Rubricam vult excuſare, neget, ſi valet, de quibus eumdem monuimus.

XXI. Secundo. Quod Rubricæ ipſæ, dum memoriam faciunt *de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, nonnumquam exponunt ly *Eccleſiæ*, quatenus de Patrono dicitur, pro *Loci*, ut in Rubrica *IX. num.* 3., ubi ſic habetur: *Niſi illud Feſtum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipſius Eccleſiæ, non autem alicujus Cappellæ, vel Altaris ejuſdem Eccleſiæ; & tunc de hujuſmodi principali Feſto fit tantum in eo loco, vel Eccleſia, cujus eſt Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio*. Ubi vides primum Patrono adjici *Eccleſiæ*, & non *Loci*, & poſtea ly *Eccleſiæ*, quatenus ſupra Patronum appellat pro *Loco* explanari.

XXII. Tertio. Quod Feſta tum Patroni principalis loci, tum Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ aliquando ſignificantur per *feſtum ſolemne loci*, ac conſequenter ly *Loci*, quatenus ſupra Titulum, & Dedicationem cadit, ſtat vice *Eccleſiæ*. En Rubricam X. num. 1. *Excepto quoque Feſto quocumque ſolemni alicujus loci, quod in propria tantum Eccleſia, etiam in aliquibus ex ſupradictis diebus occurrens; ſcilicet in Dominicis* 2. 3., *&* 4. *Adventus &c. celebratur*. Ubi per *feſtum ſolemne alicujus loci* indubium eſt venire etiam Titulum, & Dedicationem Eccleſiæ, & revera ita exponitur a Rubrica poſita ſub Tabella occurrentiæ *num.* 1., & 2., ac alibi. En quoque Rubricam IX. num. 4. *Niſi illud Feſtum novem lectionum fuerit ſolemne principale alicjus loci, ut ſupra*; ſupra autem memoerat Feſti Patroni principalis loci, Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ.

XXIII. Quarto. Quod adhuc per Rubricas ly *Loci*, quatenus de Patrono principali dicitur, vice *Eccleſiæ* exponitur, ut in memorata Rubrica X. *numer.* 1., ubi eum per verba illa, *excepto quoque Feſto quorumque ſolemni alicujus loci*, certum ſit includi etiam Feſtum Patroni principalis loci, dum ſubditur, *quod in propria tantum Eccleſia celebratur*, & nulla fit mentio loci, patens fit, quod ly *Eccleſia*, quatenus ſupra Patronum cadit, pro loco uſurpatur.

XXIV. Quinto. Quod numquam in Rubricis Titularis Eccleſiæ per ea verba disjunctiva *Patronus, vel Titulus Eccleſiæ* ſignificatur, & quod ſemper dum hujuſmodi verba vel disjunctive, vel copulative ponuntur, ly *Patronus* ſtat pro Patrono principali loci, alias Rubrica foret diminuta, quemadmodum clare dignoſcet Lector ex cunctis Rubricarum textibus, in quibus memorata ponitur expreſſio. Etſi enim verum ſit diſcrimen illud, quod ponitur inter Patronum, & Titulum Eccleſiæ, & qui eſt Titulus Eccleſiæ, quandoque non poſſit dici Patronus ejuſdem, uti quando SS. Trinitas eſt Titulus, quia tamen omnis Patronus Eccleſiæ eſt etiam ejuſdem Titulus, licet non e contra, ad vitandam ſuperfluitatem Rubrica contenta fuit exprimere Titularem Eccleſiæ per ly *Titulum Eccleſiæ*, & numquam uſa fuit *Patrono, vel Titulo Eccleſiæ* ad denotandum ſolummodo Titularem, quamtumvis hic, qui eſt Titulus, ſit quandoque etiam ejuſdem Patronus, uti contingit, quoties Eccleſia dicata reperitur alicui ex Sanctis; hinc & quando Rubrica agit de Patrono, & Titulo cum expreſſione *Loci, & Eccleſiæ*, ut in Rubrica 1. *num.* 1. *IV. num.* 1., *VII. num.* 1., ex induſtria *Locum* ita diſtribuit, ut ſemper cadit ſupra Patronum, & quando Titularem nominat, abſtinet ab expreſſione *Patroni vel Titularis*, quam ponere debuiſſet, ſi juxta, & ob diſcrimen aſſertum procederet.

XXV. Sexto. Quod licet Rubrica dum Patronum principalem loci nominare intendit, quandoque ponat ly *Loci*, ex hoc haudquaquam inferri valet, quod quoties nominat Patronum ſine additione illa *Loci*, ſed *Eccleſiæ*, per ly *Patronum* veniat Titulus Eccleſiæ, & non Patronus principalis loci; & hoc ob rationes ſuperius recenſitas, videlicet tum quia alias Rubrica foret diminuta, tum quia Rubrica ipſa ly *Eccleſiæ* exponit pro *Loco*, & patens eſt pro loco ſtare, quatenus Patronum appellat &c.

XXVI. Cum itaque ex ſuperius dictis pateat, quod ly *Eccleſiæ*, dum Patronum appellat, ſtat vice *Loci*, & dictio illa *vel* pro dictione *&*, abunde ſolutæ remanent rationes omnes, quas Guyetus contra Gavantum affert, ad probandum, quod tricatur, & tenebras in clara luce offundit, dum de principali Patrono loci in ſuffragiis Sanctorum commemorationem faciendam eſſe ſtatuit. Remaneret ſolum itaque, obviam ire ponderationi illi, quam facit Meratus ſuper verba illa Rubricæ *Pro dignitate illius*, ubi advertit, quod dicere debuiſſet *Pro dignitate illorum*, ſi duorum, nempe tum de Patrono loci, tum de Titulo Eccleſiæ, commemorationem faciendam præſcripſiſſet. Verum hujuſmodi ponderatio facile evaneſcit, ſi inſpiciatur modus, quo commemoratio de Patrono loci, & de Titulo Eccleſiæ mandatur, videlicet *De Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*, cui utique correſpondet *Pro dignitate illius*, nempe *Patroni, vel Tituli Eccleſiæ*; & quando etiam per verba expreſſe copulativa mandata extitiſſet commemoratio tum Patroni loci, tum Titularis Eccleſiæ, videlicet *De Patrono loci, & de Titulari Eccleſiæ, &c.*, adhuc neceſſe non fuiſſet, dicere *Pro dignitate illorum* ſed optime dici potuiſſet *Pro dignitate illius* ſcilicet qui eſt Patronus loci, vel Titulus Eccleſiæ, quia ibi non agitur de ponenda abſolute commemoratione illorum, ſed de ea ponenda ante, vel poſt commemorationem de Sancta Maria, vel de Apoſtolis. En verba Rubricæ: *De Patrono, vel Titulari Eccleſiæ fiat commemoratio conſueta ante, vel poſt commemorationes prædictas, pro dignitate illius; & ultimo loco de Pace*.

XXVII. Hujuſmodi interpretatio ex parte deprompta fuit ex Halden *part.* 3. *tit.* 1., & Lohner *inſtruct. pract.* 2. *par.* 2. *tit.* 2. §. 11. *numer.* 3., ubi adductam Rubricam ita intelligunt, ut ly *Vel* ibi tantum ſignificet ante, vel poſt commemorationem de S. Maria, & de Apoſtolis, cæterum quod fieri debeat commemoratio, & de Patrono loci, & de Titulari Eccleſiæ, ſed prout eorum dignitas expoſcit.

XXVIII. Diximus ſuperius, conveniens item eſſe, quod in ſuffragiis fiat commemoratio Patroni principalis loci; hujuſmodi autem convenientia in eo ſita eſt, quod cum in ſuffragiis fiat commemoratio S. Mariæ, quæ totius Mundi Patrona eſt, & Advocata, & cura eſt illi de omnibus, ut ait Sapientiſſimus Idiota, necnon SS. Petri, & Pauli, qui fundatæ a Chriſto Eccleſiæ ſingularem gerunt patrocinium, & ideo præſcripta quoque ſit commemoratio Titularis Eccleſiæ ob protectionem, quam iſte habet ſupra materialem Eccleſiam, necnon formalem, ſeu Clerum, & Populum eidem addictum, idcirco nec in iiſdem deſiderari debuit commemoratio Patroni principalis loci, cujus præcipuo patrocinio univerſali electione, & communi conſenſu ſe commendavit Regio illa, in qua recitatur divinum officium.

XXIX. Ab eo, quod præſens ſupponit Sanctio, quodque hucuſque ponderavimus, opus eſt, modo deſcendamus ad examen illius, quod ſtatuit, videlicet, quod in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, dumtaxat inter ſuffragia Sanctorum de principaliori Patrono commemoratio facienda eſt. Ille autem principalior inter plures principales cenſetur, cujus feſtum feſtivatur in foro; & ſi plures ita feſtivi habeantur, ille erit cujus feſtivatio recolitur vi Urbanæ Conſtitutionis, quæ in unoque loco feſtum principalioris Patroni ſtatuit in præcepto quoad forum, non autem illi, quorum dies ex particulari dumtaxat Indulto feſtivi habentur.

XXX. Rubricam, quantumvis optime noverit, in unoquoque loco plures Patronos, quorum unus principalis eſt, minus principales alii, communiter haberi, adhuc per verbum ſingulare *De Patrono* unius dumtaxat, nimirum principalis, in ſuffragiis commemorationem faciendam duplici de cauſa credimus præſcripſiſſe, videlicet quia cæteri ſunt principali dumtaxat adjuncti, & ne dum omnium Patronorum commemoratio facienda foret, gravamen Cleri inde exurgeret. Hac eadem de cauſa credimus, Sacram Congregationem in præſentiarum voluiſſe, quod dicta Rubrica locum haberet etiam iis in locis, qui pluribus Patronis principalibus gaudent; & cæteri enim principales ſunt principaliori adjuncti, & præcipuum patrocinium eorundem locorum principaliori commiſſum eſt; & fere non minus ex prolixitate commemorationum de hujuſmodi principalibus Patronis adjunctis onus Clerus ſentiret; & ſi res bene perpendatur, Sancti illi, qui ſunt Patroni quidem principales, ſed adjuncti, etſi gaudeant prærogativis Patronorum principalium, adhuc inſtar minus principalium relate ad principaliorem ſe habent; quapropter ſi Urbanus VIII., ne pluralitas feſtorum in Populi gravamen cederet, noluit eorumdem, licet principalium ut ſupra Patronorum, dies quoad forum feſtivitas haberi, optime & Sacra Congregatio ad vitandum Cleri gravamen, in præſentiarum ſtatuit, eorumdem commemorationem inter ſuffragia Sanctorum non eſſe inducendam. Vide, quam conſonanter, & concinne hujuſmodi reperiantur indicta.

XXXI. Hæc Sacræ Congregationis deciſio contrarium habet Guyetum, qui *lib.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 9., etſi de Patrono principali loci commemorationem præfatam faciendam non eſſe mordicus teneat, adhuc aſſerit, quod ubi eſt conſuetudo eam faciendi, eſt retinenda, ac facienda de ſingulis Patronis principalibus, quemadmodum facienda eſt de pluribus, Titularibus æque principalibus, ubi hujuſmodi Titulares habentur. Verum ſi attendantur ea, quæ in præcedenti Capite tradidimus, locum non habet adducta per Guyetum paritas, ſed magis adverſus ipſum militat, quoniam dari non poſſunt plures Sancti diverſa die occurrentes, qui ejuſdem Eccleſiæ ſint Titulares æque principales, ſed ſemper unus eorumdem dumtaxat Titularis principalis cenſendus eſt; cæteri vero ſolummodo Patroni adſcititii, ac conſequenter horum officium eſt ſub ritu dumtaxat majori celebrandum, & eorumdem commemoratio in Sanctorum ſuffragiis prætereunda.

XXXII. Quia tamen dantur forſitan Eccleſiæ aliquæ ex antiquis, quæ plures Sanctos diverſa die occurrentes, & non per modum unius ſe habentes, tamquam Titulares æque princi-

pales

pales recognoſcunt, & de iiſdem officium duplex primæ claſſis, & cum octava pariformiter celebrant; idcirco locum videtur habere Guyeti paritas, quoties de omnibus iſtis concedatur, quod ſua non debeant in ſuffragiis carère commemoratione. Verum quoniam etſi plures in aliquibus locis habeantur ex annoſo, & priſco uſu Patroni principales, de quibus celebratur officium ſub ritu duplici primæ claſſis, & de octava, adhuc præſens vult Decretum, quod aliquis eorumdem cenſendum ſia principalior, & de eo dumtaxat in ſuffragiis commemoratio fiat; ita nos dicimus ex præfatis Titularibus unum reputandum eſſe principaliorem, & de eo dumtaxat in ſuffragiis commemorationem eſſe faciendam. Erit autem principalior, qui Eccleſiam abſolute, vel prius denominat; qui enim poſteriori loco ponitur, tamquam Titularis, vel Patronus adſcitiius eſſe videtur. Et revere dum Rubrica commemorationem prædictam in ſuffragiis de Titulari præſcribit, non minus utitur numero ſingulari ad denotandum, quod de uno dumtaxat ex Sanctis Titularibus fieri debet, adhuc ubi plures habentur. Etſi itaque conſuetudo ante diem 23. Martii 1630. introducta, atque recepta, vim habeat ad tuendum officium duplex 1. claſſis cum octava de pluribus Patronis principalibus, & ut ſuperius in hoc Capite dictum fuit, etiam de pluribus Titularibus principalibus, ſe habentibus ad modum plurium, & non unius, ac diverſo die occurrentibus, adhuc valida non erit ad ſuſtinendam de omnibus commemorationem inter ſuffragia Sanctorum, niſi inducta ea eſſet ante Bullam Pii V., cujus rationis conſuetudines per nulla Decreta reprobantur, ſed expreſſe laudantur.

XXXIII. Quoniam vero ex modo, & ſuperius dictis diſerte conſtat, quod dati queunt plures Titulares ejuſdem Eccleſiæ æque principales, & plures Patroni ſimiliter principales ejuſdem loci, dummodo eadem die occurrant, & ſe habeant per modum unius, idcirco hoc in caſu de omnibus item dictis Titularibus ſub una antiphona, & ſub altera de omnibus præfatis Patronis commemoratio fieri poſſet, immo deberet; tunc enim præſens non offenditur Decretum, nec memorata Rubrica, quia hi omnes ſunt Patroni principaliores, nec reputantur plures, ſed tamquam unus, & propterea etiam eorumdem feſtivitas ſub una, & eadem die perſolvitur.

XXXIV. Nos haudquaquam præterit, quod plures ex Eccleſiis in uſum habent faciendi commemorationem per diſtinctas Antiphonas de omnibus Patronis principalibus, quinimmo & de Patronis minus principalibus, ſed ſub una, quæ omnes comprehendat, Antiphona. Ita obſervat Eccleſia Venetiarum, quæ prius memoriam facit de S. Marco, deinde de S. Laurentio Juſtiniano, & ultimo loco de SS. Hermagora, & Fortunato; Eccleſia Mantuana de Sancto Cæleſtino Papa, & de Sancto Anſelmo Epiſcopo; Veronenſis de S. Zenone Martyre, & SS. Hermagora, & Fortunato; Cremenſis de S. Pantaleone, & de S. Sebaſtiano Martyribus: Cathedralis Bergomenſis de S. Alexandro principali Patrono, & de SS. Joanne, Projectitio &c., qui nec Patroni minus principales ſunt, ſed ſolummodo ex Sanctis indigenis, & aliæ de pluribus aliis. Nos igitur has, & alias quaſcumque Eccleſias, in quibus talis viget conſuetudo, non monere non poſſumus, quod in præſens Decretum, ac in Rubricas peccant, ac conſequenter quod earumdem conſuetudo reformatione proculdubio indiget, reducique debet ad tramites dicti Decreti, & Rubricarum.

XXXV. Non deeſt tamen aliqualis eaſdem ſolandi modus, & eſt, quod in dictarum uſu commemorationum perſeverare queant, ſi inductus is ſit ante Bullam Pii V., cujus rationis conſuetudines haud ablegat præſens Decretum. Si autem talis uſus poſt dictam Bullam originem agnoſcit, temperent ab inſerendo inter ſuffragia Sanctorum eas commemorationes, cum iis, quæ integrant divinum officium, nihil addi, vel miſceri poſſit poſt eamdem Pianam Conſtitutionem; aſt ſciant, quod bonum, ac laudabilem illum zelum erga eoſdem Sanctos retinere queunt, dummodo peractis Laudibus, ac Veſperis eaſdem commemorationes faciant.

XXXVI. Quod ſi modus iſte minus arridet, alium ſuggerit Meratus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 8., nimirum comprehendendi omnes ſub una Antiphona; qui modus cum uſu plurimarum inſignium Eccleſiarum, & etiam ſacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ, quæ hoc pacto comprehendit commemorationem Salvatoris, & utriuſque Joannis, qui ſunt Titulares reſpective, & Patroni ejuſdem primæ omnium Cathedralis Eccleſiæ, probetur, non admodum reprehenſibilis apparet, præſertim cum nec Cleri inducat gravamen ullum, & de pluribus per modum unius commemorationem agi in ſuffragiis videatur permiſſum, quemadmodum ſuperius dicebamus de pluribus Titularibus, & Patronis principalibus ſe habentibus ad inſtar unius, & eadem die occurrentibus. Accedit, quod inde non exurgit in divinis officiis additio ulla, vel adeo modica, unius ſcilicet vel alterius dumtaxat nominis, ut in conſiderationem minime veniat, vel in numero plurali ſolum pronunciantur, quæ in ſingulari dicenda forent. Quæ licet ita ſint, adhuc an ita fieri liceat, nos liquido pro nunc nolumus affirmare, & ſapientiori Lectori deciſione relinquimus, qui tamen recolere poterit, quæ in Cap. de Additione Breviario fieri inhibita, a nobis dicta venient.

XXXVII. Quæres 1. cujuſnam Patroni principalioris commemoratio facienda ſit, an ſcilicet univerſalis Regni, vel Provinciæ, vel particularis, videlicet Civitatis, vel loci, ubi hujuſmodi plures Patronos contingit haberi?

XXXVIII. ℞. Patroni principalioris particularis; cum enim hic præcedat univerſalem, ideo de illo proculdubio commemoratio facienda venit, non autem de Patrono univerſali.

XXXIX. Quæres 2. an prius facienda ſit commemoratio de Titulari, vel de Patrono loci?

XL. ℞. Judicandum hoc eſſe ex dignitate ipſorum. Si autem Patronus, & Titularis ſint æqualis dignitatis, vel inter eos interſit ſola diſparitas, quæ eſt inter Martyrem, & Confeſſorem, vult Gavantus præponendum eſſe Patronum loci Titulari Eccleſiæ, quia in Rubricis præponitur Patronus Titulari. Guyetus ſentit in oppoſitum, in cujus opinionem deſcendimus ob ea, quæ alibi non ſemel tradidimus, ubi ſtabilivimus in occurſu Patroni loci, & Titularis propriæ Eccleſiæ, hunc illi eſſe præferendum; ceteris igitur paribus, vel ſolum ut ſupra diſparibus etiam commemoratio Titularis Eccleſiæ eſt anteponenda commemorationi Patroni loci.

XLI. Quæres 3. An a Regularibus Patroni principalis loci, in quo morantur, ſuffragium fieri debeat?

XLII. ℞. Negative; ſolemne enim eſt cujuslibet ordinis Regularibus Sancti ſui Inſtitutoris ſuffragium addere; hinc cum per præſens Decretum, ac per Rubricas unius dumtaxat ex Patronis principalibus ſuffragium fieri poſſit, ab iiſdem abſtinendum venit a ſuffragio de Patrono loci. Religionum Fundatores ſunt Patroni principales Ordinum ab ipſis inſtitutorum, necnon omnium Monaſteriorum ubicumque ſitorum, & tamquam Patroni principales revera ab Ordinibus inſtitutis celebrantur ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; & indubium eſt, quod relate ad Regulares etiam in particularibus locis degentes, puta Bononiæ, principalior Patronus eſt Inſtitutor Ordinis, quam ſit Patronus principalis dicti loci, puta Bononiæ S. Petronius, adeoque & Fundator præfatus præferentiam habent in occurrentia, nec refragatorem me habebis, ſi addideris; & in concurrentia; apud illos enim Feſtum Patroni principalis loci eſt valde minus ſolemne, nec particularem ſibi vindicat celebritatem, quinimmo nec cum octava recolitur, nec recoli valet; quapropter ſi de principaliori Patrono dumtaxat commemoratio agenda eſt, nec dubium eſſe poteſt, quod de Inſtitutore Ordinis, & non de Patrono loci ea fieri debet.

XLIII. In oppoſitum tamen ſentire videtur Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 7., ubi Patronum principalem Ordinis æquiparat Patrono loci, & de illo conſequenter edocet ſuffragium eſſe faciendum. Verum Gavantus ſolum ibi inducit commemorationem præfatam Fundatoris ea ratione, quia ſe habet, & eſt Patronus principalis; ceterum haudquaquam poſtea monet, in conſortio commemorationis de Patrono principali loci a Regularibus eam eſſe faciendam, quinimmo dum ratione patrocinii dictam commemorationem inducit, exploderа videtur illam de Patrono principali loci, cum plurium Patronorum juxta Rubricam, Decreta, & Gavantum ipſum commemorationes induci non debeant. Meratus vero *ibidem numer.* 9., dum agens de præferentia ſuffragiorum pronunciat, *Commemorationem Titularis Eccleſiæ, præſertim a Regularibus præferendam eſſe commemorationi Patroni loci*, ſupponit a Regularibus ſuffragium Patroni loci fieri debere. Aſt cum ſuppoſitionis nullam rationem proferat, eumdem deferendum eſſe arbitramus: Decreta enim, quæ Regulares, utpote habentes proprium principaliorem Patronum, & in ejuſdem octava occupatos, abſolvunt ab onere celebrandi octavam de Patrono principali loci, hujus ſolummodo feſto ob quamdam convenientiam, & celebritatem loci, in quo morantur, poſito apud Regulares in præcepto, eoſdem etiam liberant ab obligatione addendi ſuffragium dicti Patroni loci; tum quia non manus ſuffragio ſui Inſtitutoris incumbunt; tum quia cum ſuffragium non ſit, niſi quædam quaſi repetitio feſti per annum, ut aſſerit Gavantus *loco cit. numer.* 10., haud congruere videtur Sancto illi, cujus feſtivitas non gaudet ſolemnitatibus cunctis, quæ principalioribus feſtis juxta Rubricas debentur, cujuſmodi apud Regulares eſt Feſtum Patroni loci, utpote quod caret octava, quæ eſt præcipuæ ſolemnitatis nota. Et quidem feſtum illud, quod unius diei ſpatio ita concluditur, ut in primaria ſui ſolemnitate nullatenus repeti queat intra illos ipſos dies, quos feſtis principalioribus pro ſui repetitione Rubricæ concedunt, quis crederet toties per annum in ſuffragiis repeti poſſe, vel debere?

XLIV. Sanctos omnes ſui Ordinis, vel ſaltem præcipuos, ac ſolemniores, Regulares una commemoratione ut plurimum comprehendunt, quæritur an recte?

XLV. ℞. Bene eſſe ipſis; habent enim propria Breviaria, ac Rubricas approbatas, vel id habent in conſuetudine precedenter uſque ad Bullam Pii V.; quapropter dicta commemoratio, & etiam aliæ, ſi quæ in uſum ſunt apud Religiones quaſdam, in valido proculdubio manent ſtatu. Si quæ autem Religio propria auctoritate dictam commemorationem, vel aliam inter ſuffragia Sanctorum poſt dictam Pianam Conſtitutionem introduxiſſet, nec poſtmodum ejuſdem commemorationis ſpeciatim vel generatim per approbationem proprii Breviarii, vel Rubricarum particularium, laudationem a S. Sede Apoſtolica obtinuiſſet, a dictæ commemorationis uſu eamdem abſtinere conſulerem; poſt Bullam enim Pii V. Breviario Romano, aut iis quæ integrant officium cujuſvis diei, ali-

aliquid addi, aut miſceri, non ſemel fuit ſevere inhibitum.

XLVI. Quæres quinam locus dari debeat ſuffragio Inſtitutoris Ordinum, præcedenter ad illud de Titulari Eccleſiæ, cui ſunt addicti, vel ſubſequenter?

XLVII. ℞. Quod attendenda eſt eorum dignitas quemadmodum inſinuat Rubrica per ea verba *Ante, vel poſt pro dignitate illius*; quapropter ſi Titularis foret S. Michael, S. Joannes Baptiſta, aut Apoſtolus aliquis, vel ex iis, quos recenſet Rubrica de Concurr. *num.* 2. *verſu inter feſta*, certum eſt, quod ejuſdem commemoratio præferri deberet illi Inſtitutoris. Si autem Inſtitutor, & Titularis non ſint ex iis ſupra recenſitis, ex Guyeto *lib.* 4. *cap.* 11. *quæſt.* 2. edocet Meratus loco citato, anteponendum eſſe Titularem Inſtitutori, eo quod illius feſtum in occurſu cum hujus feſto anteponendum eſſe ſentit. Verum quoniam deciſio hujuſmodi pendet ex præferentia, quam habent feſta præfata in occurrentia, idcirco eamdem dirimendam relinquimus juxta ea, quæ tradidimus in Cap. de Occurrentia, & alibi, ubi de dictorum feſtorum occurrentia egimus.

XLVIII. Quoniam uti de uno dumtaxat, videlicet principaliori, ex pluribus Patronis principalibus commemorationem faciendam eſſe docuimus, ita de Titularibus faciendam eſſe aſſerebamus, lis quædam exurgit hic dirimenda, quam Gavantus *ſect.* 5. *cap.* 18. *num.* 11. hiſce verbis excitat: *An, qui plures habet Beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, teneatur in officio totidem commemorationes facere?*

XLIX. Id putant Gavantus *loco citato*, ac Bonacina *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 28. volentes eum, qui plures habet Beneficiorum, & Eccleſiarum Titulos, teneri totidem in officio commemorationes facere, non alia ducti ratione, quam quod Rubricis Breviarii præcipiatur, fieri in officio commemorationem Titularis Eccleſiæ; ergo inferunt ipſi, cum Beneficiarius ille tot habeat Titulares, quot poſſidet Titulos Beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, tot etiam debebit facere commemorationes. Ulterius progreditur Bonacina, & omittentem hujuſmodi commemorationes peccati lethalis reum affirmat, tenerique pro rata ad reſtitutionem fructuum, quando nempe eæ plures ſic omiſſæ conſtituunt materiam notabilem. At doctrinam hanc rigoroſam nimis Gavantus adjudicat, nec immerito; quoniam ad conſtituendam materiam notabilem, quæ videlicet exæquet unam parvam Horam, infra quam non vult idem Bonacina materiam eſſe gravem, opus eſſet ut minimum 12., aut 15. commemorationibus; ecquis vero tam multa poſſidet Beneficia? Sed etſi poſſideat, cum tribus, quatuorve commemorationibus, illis omnibus Titulis auctore ipſomet Bonacina poſſit ſatisfacere, ſi nimirum Patronos illorum Beneficiorum ſic recolat, ut Apoſtolos una commemoratione, Martyres alia, alia Confeſſores, & alia Virgines complectatur, aut etiam unica omnes, ait Gavantus, formata videlicet de Majorum licentia Antiphona cum ſuo Verſu, & Oratione, quæ conveniat omnibus; certe nemo dixerit, ne ipſe Bonacina quidem, aut Gavantus omiſſionem illius unius, aut trium, quatuorve commemorationum, materiæ eſſe notabilis. Ita egregie Guyetus *lib.* 3. *cap.* 17. *quæſt.* 10.

L. Subdit vero prædictum Beneficiarium non plus teneri ad commemorationes, quam ad ipſamet feſta, cum Rubricæ æque obligent ad hæc, quam ad illas, imo etiam amplius; nam Rubrica de Feſtis loquitur in plurali, quæ vero præcipit commemorationes, tantum in ſingulari, quaſi non plus quam ad unam obligans; ſed ad omnia Feſta prædictorum Titulorum, ſeu Eccleſiarum non tenetur hujuſmodi Beneficiarius, ſatiſque eſt, ſi illius Eccleſiæ, apud quam reſidet, vel ſi in nulla reſideat, dignioris, aut ſi pares ſint Eccleſiæ, utrius volet, feſta ſervaverit, alias ſi ad omnia illa ſuorum Beneficiorum feſta teneretur, perpetua ipſe feſta, perpetuaſque celebraret octavas, quod a recta officiorum ratione alienum eſt, & abhorrens: ergo neque tenetur per annum ad omnes commemorationes, ſed ad commemorationem Tituli tantum, in quo reſidet, vel dignioris, vel cujus ipſe voluerit.

LI. Verum quidquid ſit de obligatione Beneficiarii circa celebrationem feſtorum de præfatis Titulis, quæ in præcedenti Capite ſuo non caruit examine, nos in eam imus ſententiam, quod etſi teneretur ad feſta, & octavas deſunctorum Titulorum, adhuc haudquaquam obligatus foret ad cunctorum commemorationes in ſuffragiis faciendas, ſed ſufficeret, ſi de digniori, vel de eo, apud quem reſidet, vel ſi pares ſunt Eccleſiæ, de eo, de quo magis libuerit, eamdem perageret. Ducimur autem ad id aſſerendum ex diſpoſitione præſentis Decreti, quod in caſu plurium Patronorum principalium de uno dumtaxat, ſcilicet de principaliori, vult commemorationem inſtitui, quantumvis de omnibus dictis Patronis celebrentur feſta ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava; quidni igitur unius dumtaxat ex dictis Titulis, ſcilicet dignioris, vel ejus, apud quem reſidet, vel in caſu omnimodæ paritatis, alicujus ad arbitrium, commemoratio fieri debebit, etſi de feſtis cunctorum ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava inſtaret obligatio? Non minus enim Rubrica ipſiſſimis verbis commemorationem præcipit Patroni, & Tituli: *Illis adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ.*

LII. Inferes ex his, quod etſi quædam ſint Eccleſiæ, quæ nedum ſui Tituli feſtum cum octava celebrare poſſunt, & debent, ſed etiam feſta Titulorum aliarum Eccleſiarum adnexarum, & dependentium, ut diximus in præcedenti Capite, adhuc tamen non debebunt de omnibus Titulis ſuffragium facere, ſed ſolum de Titulo, apud quem Clerus reſidet. Diximus *de Titulo, apud quem Clerus reſidet*, non autem *de Titulo Eccleſiæ dignioris, ſeu primariæ, a qua ceteræ dependent, & cui ſunt adnexæ*, quoniam Clerus Eccleſiarum adnexarum, & dependentium non debet ſuffragium facere de Titulo Eccleſiæ, cui propria eſt adnexa, ſed de Titulo Eccleſiæ propriæ; Rubrica enim præcipit commemorationem Tituli Eccleſiæ propriæ, & Titulus Eccleſiæ propriæ relate ad Clerum, qui apud eam reſidet, eſt proprior, & in occurſu cum Titulo Eccleſiæ, cui eſt adnexa, præferendus.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE XLIV.

Quæſitum fuit, an Officium Tranſlationis Patroni, de quo fit, ut de Apoſtolo, & de quo fit duplex per annum, præferri debeat alteri duplici per annum, & habere Veſperas integras in concurſu? Et reſponſum fuit: *Exprime caſum, & doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 175.

I. DUodecim fuerunt Apoſtoli a Chriſto electi, quorum nomina enumerat Matthæus *cap.* 10. videlicet *Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus Publicanus, Jacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes*. Duodecim hiſce Apoſtolis a Chriſto electis tres alii inſuper adduntur, Sanctus Mattias in locum Judæ proditoris ab Apoſtolis ſuffectus, & Paulus, & Barnabas inſtinctu Spiritus Sancti Apoſtolatu deinde initiati.

II. Tanta autem eſt horum Apoſtolorum dignitas, ut D. Thomas *ſuper caput* 7. *ad Epheſios lect.* 3. exponens illud Pauli: *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis*: dicat: *Ex quo apparet temeritas illorum, ut non dicam error, qui aliquot Sanctos præſumunt comparare Apoſtolis in gratia, & Gloria. Manifeſte enim patet ex verbis iſtis, quod Apoſtoli habent gratiam majorem, quam aliqui alii Sancti, poſt Chriſtum, & Virginem Mariam.* Verum etſi nullus ex Sanctis ſit cum Apoſtolis comparandus, adhuc uſus obtinuit, ut Sancti aliqui, qui aliquam Gentem, aut Nationem ab infidelitate ad Chriſti fidem converterunt, cognominarentur ejuſdem Gentis, aut Nationis Apoſtoli, ſumendo nomen Apoſtoli, non abſolute, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & ad ſimilitudinem Apoſtolorum, qui a Chriſto Domino fuerunt cooptati, ut Evangelium univerſo Orbi annunciarent; hinc in Sacris Litteris ipſis nomen Apoſtoli aliis a duodecim ſupra enarratis videre eſt fuiſſe tributum; ſcilicet Andronico, & Juniæ, *Rom.* 16. Epaphrodito, *Philipp.* 2., Tito, & aliis fratribus, 2. *Corinth.* 8., & in Martyrologio Romano frequens nonnulli Sancti titulo Apoſtoli decorantur, eo quia apud aliquam Gentem Evangelium propagarunt, videlicet *ad diem* 8. *Januarii* S. Severinus Abbas, *ad diem* 5. *Junii* S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus, *ad diem* 24. *Septemb.* S. Gerardus Epiſcopus, & Martyr, & *ad diem* 3. *Decemb.* S. Franciſcus Xaverius. Quinimmo in Breviario ipſo Romano S. Gregorius Papa ob Anglorum converſionem ejus opera patratam Apoſtolus Angliæ nuncupatur, & S. Patritius dicitur Apoſtolus Hiberniæ, eo quod ſuis concionibus eas Regiones ad Catholicam Fidem induxit.

III. De Sancto item Martiali Epiſcopo Lemovicenſi, qui a S. Petro in Gallias amandatus, Lemovices, Toloſates, Burdigalenſes, Cadurcos, alioſque, qui ex Rhodano in Oceanum vergunt, Populos ad pietatem Chriſtianam inſtituit, olim diſputatum eſt, an Apoſtolus dici poſſet; & Apoſtolum ſane dici debere definitum eſt in Conciliis videlicet Lemovicenſibus *anni* 1029., & *anni* 1031., uti fuſe legitur in Actis Conciliorum editionis Regiæ Pariſienſis *anni* 1714. *tom.* 6. *par.* 1. Extat etiam pro Sancti Martialis Apoſtolatu Joannis Papæ XIX. reſcriptum, in quo poſt plura ſic tandem concluditur: *Nos vero in firma pietate educati, Martialem Apoſtolum nominari poſſe definimus, & æqua officia Apoſtolica in Divinis Myſteriis exhiberi ſibi cenſemus, nec de illius Beatitudine guſtare quemquam poſſe confidimus, qui ſibi reſpondenti nomini ſacris operibus Apoſtolicam dignitatem ſubtrahere invidioſe conatur.* Quod Joannis Papæ reſcriptum licet Cardinalis Baronius *ad annum* 1032. minime adeſſe putaverit, ejus tamen Epitomator Spondanus *ad annum Chriſti* 1229. teſtatur, ſe id vidiſſe in Archivio Eccleſiæ S. Martialis Civitatis Lemovicenſis; atque adeo diſſidia, Conciliorum reſolutiones, & Joannis XIX. reſponſa pro Apoſtolatu S. Martialis plene referunt apud Pagi Seniorem *ad annum Chriſti* 1023., 1024., 1025., *&* 1034., apud Pagi Juniorem *in Breviario Romanorum Pontificum tom.* 2. *pag.* 305. *in vita Joannis XIX.*, apud Baillet *in vita S. Martialis ad diem* 30. *Junii*, apud Natalem Alexandrum *in edit. Pariſien. anni* 1714. *tom.* 3. *diſſer.* 16. *ſæculi primi propoſ.* 1. *pag.* 164., apud Fleury *in Hiſt. Eccleſ. to.* 2. *edition. Pariſien. anni* 1717. *ad annum* 1031. *a.* 24., *& ſeqq.*, & apud Longueval *tom.* 1. *Hiſt. Eccleſiæ Gallicanæ pag.* 73.

IV. Ut autem æquivocatio omnis tollatur, diſtinguendum eſſe videtur inter titulum Apoſtoli, quo Sanctus aliquis ob converſionem alicujus Nationis ad Fidem Chriſtianam decorari poteſt, aut in Sermonibus, aut etiam in Martyrologio Romano, & inter Officium Eccleſiaſticum de eo tamquam Apoſtolo celebrandum. Pro prima hypoteſi non deſunt exempla ſupra recenſita; pro ſecunda vero faciunt etiam exempla Sancti Franciſci Xaverii, & S. Gregorii Papæ, & S. Patritii Epiſcopi, & aliorum, qui licet Apoſtoli nuncupentur, in Breviario tamen Romano, vel locorum proprio officium Apoſtolorum haudquaquam obtinent, ſed officio vel Confeſſorum, vel Martyrum, prout eorumdem qualitas expoſcit, coluntur. Addi poteſt, nullum extare Sacræ Congregationis Rituum exemplum conceſſionis officii ſub ritu Apoſtolorum alicui Sancto, licet in ea pertractatæ ſint, & reſolutæ plures Cauſæ Sanctorum, qui Populos, & Nationes ad Chriſtianam Fidem ſuis prædicationibus feliciter perduxerunt; id enim exigit reverentia debita Apoſtolis, quibus juxta Divum Thomam nullus Sanctorum in gratia, & gloria comparari poteſt. Nemini itaque Sanctorum, licet communi vocabulo Apoſtoli vocari poſſint, & inſigniti fuerint, expedit, ut cultus ſub Apoſtolorum ritu ab Eccleſia decernatur juxta late adducta per Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. ſent. par. 2. tom. 3. diſput. 18. art. 1.*

V. Hinc merito advertit Guyetus *lib. 2. cap. 7. quæſt. 5.*, quæſtionem, *An inter Apoſtolos reponi poſſint aliqui alii*, prout ad officii eccleſiaſtici rationem attinet, moveri dumtaxat poſſe pro iis Sanctis, qui & de numero Diſcipulorum Domini fuerunt, & vel Apoſtolis in Evangelii prædicatione collaborarunt, vel ab ipſis miſſi, primi omnium in certas Terrarum plagas illud intuliſſe creduntur, quique proinde juxta antiquam locorum prædictorum conſuetudinem cultum cum officio Apoſtolorum obtinuerunt, ſecus autem loquendo de aliis, qui prædictis qualitatibus non ſunt præditi. *Nec de iis ipſis*, verba ſunt Guyeti, *quæſtionem verſari, an inter Apoſtolos novi uſus inductione computandi ſint (id enim quis niſi temere audeat?) ſed an, quibus proprio Eccleſiarum particularium uſu ab omni ævo recepto id competit, jure quaſi poſſeſſionis iis ſervari debeat, quæ & tota fuit de Sancto Martiale in prædictis Conciliis controverſia*.

VI. Fertur autem, Sanctum etiam Martialem modo non tamquam Apoſtolum, ſed tamquam Confeſſorem coli in Eccleſiis, in quibus juxta Conciliorum, & Joannis XIX. reſolutiones cultus ei tamquam Apoſtolo præſtandus erat, & plurium quidem annorum ſpatio præſtitus fuerat, uti teſtatur Baillet *loco citato*, & Guyetus *loco item citato. §. Dico itaque*. Cum tamen poſtremus hic Auctor aſſerat ab uſu celebrandi de S. Martiale tanquam de Apoſtolo deſtitum fuiſſe paſſim *in multis Eccleſiis Galliæ*, non autem *in omnibus*, nobis credere lubet, quod adhuc in nonnullis Galliæ Eccleſiis præfatus perduret uſus, qui propterea præſenti inquiſitioni cauſam dederit. Verum etſi a celebratione S. Martialis tamquam Apoſtoli penitus deſtitum fuiſſe, non deſunt aliarum Galliæ Eccleſiarum uſus cultum Apoſtolorum cum officio aliis Sanctis præſtandi, quæ præfatæ inquiſitionis cauſa eſſe potuerunt; Eccleſia enim Arelatenſis, teſte eodem Guyeto, de S. Trophimo, & Eccleſia Cathedralis Cenomanenſis de S. Juliano more Apoſtolorum agunt.

VII. Ex parte itaque alicujus ex hujuſmodi Galliæ Eccleſiis, quæ cum Feſtum ſui Patroni officium Apoſtolorum excoleret, & ejuſdem Tranſlationis feſtum haberet, hoc quoque ſub ritu duplici per annum more Apoſtolorum agebat, in Sacrorum Rituum Congregatione propoſitum fuit declarari, *an dictum Tranſlationis feſtum officio Apoſtolorum cultum præferri deberet alteri duplici per annum, & habere Veſperas integras in concurſu?* Id enim faciendum videbatur juxta Rubricam *de Concurr. num. 2. verſu inter feſta*, ubi Apoſtolis præferentia ſtatuitur in æqualitate ritus relate ad cetera feſta, & aliunde apprime dubium apparebat, quia Sanctus revera ex Apoſtolis non erat, licet Apoſtolorum officio coleretur. Cui dubio duplicem per Sacram Congregationem adhibitam fuiſſe videmus reſolutionem, videlicet *Exprimi caſum, & doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*.

VIII. *Exprimi caſum*. Cum enim, ut dicebamus, ob reverentiam Apoſtolis debitam, Sedes Apoſtolica nullis Sanctis officium Apoſtolorum indulgeat, nec aliis ab Apoſtolis, & Evangeliſtis tribui ſinat, voluit exprimendum eſſe caſum, ut ſibi liquido conſtaret, an Apoſtolorum officio rite præfatum perſolveretur feſtum, vel vi Apoſtolici Indulti, vel vigore conſuetudinis ab omni ævo receptæ, & una inſimul certior fieret de altero officio, cum quo eſt concurſus, & an eidem competeret, necne legitimus aliquis præferentiæ titulus, ut inde & circa retentionem officii tamquam de Apoſtolo, de qua non quærebatur; & circa præferentiam in concurſu, quæ unice propoſita fuerat, legitimum ſuum poſſet proferre judicium.

IX. *Et doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni*. Quæ verba denotant nobis, haud licitum eſſe, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis, vel Congregationis Rituum Indulto officium Tranſlationis, aut quæcumque alia feſta ſecundaria Patronorum, vel Sanctorum quorumcumque inſtituere; unde Gavantus *ſect. 2. cap. 2. num. 2.* exponens Decretum illud Sacræ Congregationis 8. Aprilis 1628., juſſu Urbani VIII. in fronte Breviarii appoſitum, quo per quamcumque Ordinariorum auctoritatem Kalendariis etiam propriis officia aliqua Sanctorum addi rigoroſe vetatur, inter alias hanc conſequentiam infert: *Sine Apoſtolica auctoritate non poſſe fieri officium, eo quia tranſlatio eſt Reliquiarum*.

X. In oppoſitum hac in parte ſentit Guyetus *lib. 1. cap. 8. quæſt. 8.*, ubi per Epiſcopi auctoritatem, nedum in die, quo Sancti alicujus Reliquiæ de facto transferuntur, elevantur, recipiuntur &c., verum etiam in anniverſario ejuſdem ſolemnitatis ſingulis annis recurrente poſſe officium celebrandum indici; & quidem nedum loquendo de Prælatis, quibus integrum ſtat Breviarii proprii jus, quibus id liberum eſſe ex Bonacina *de Horis Canon. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 1.* fatetur, neminemque aſſerit, adeſſe ex Doctoribus, quem ſciat qui contradicat, ſed etiam de iis, qui Breviario Romano utuntur. Primum probat; quia in caſu propoſito juſta de cauſa, ac una tantum vice fit officii additio, quod minime per Bullam Pii V., ac memoratum Congregationis Decretum inhiberi pluribus allegatis Auctoribus aſſerit. Secundum vero, tum exemplo plurium ſimilium feſtorum per ſolam Epiſcoporum auctoritatem inductorum, tum quia ſolum vetare aſſerit additionem officiorum, quæ fit *propria auctoritate*, hoc eſt nulla alia ratione, quam *pro nutu, & arbitrio*, non autem quæ fit *aliqua juſta ratione*; tum denique, quia per dictum Decretum ſolum inhibentur Kalendariis addi officia, *quæ a Rubricis Breviarii Romani non conceduntur*, & contendit feſtum Tranſlationis, uti & alia ſecundaria a Rubricis præfatis concedi.

XI. Quoniam vero non profert Rubricas, & revera nullæ ſunt, quæ Feſta Tranſlationum, & alia ſecundaria concedant, proculdubio deferenda omnino venit ſententia Guyeti, quatenus firmat, Feſta Tranſlationum, & alia ſecundaria ex lege, ac permanenter per Epiſcopos poſſe induci, aut ob aliquam juſtam, quæ ipſis videatur, rationem, ſolumque inhiberi per memoratum Decretum, & Pianam Conſtitutionem additionem officiorum, licet quotannis celebrandorum, quæ pro nutu, & arbitrio fiat; hoc enim evidenter deducitur tum ex præſenti Decreto, dum poſtulat doceri de Indulto recitandi officium Tranſlationis Patroni; tum ex infinitis propemodum aliis, quæ adducit Eminentiſs. Lambertini *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 7. & ſeqq.*, in quibus Sacra Congregatio non ſemel petita ſuper conceſſione hujuſmodi officiorum, aliquando reſcripſit pro gratia, & nonnunquam votis haudquaquam putavit eſſe indulgendum; hæc autem fieri neceſſe haud fuiſſet, ſi per Rubricas præfata conceſſa forent officia, vel per Epiſcoporum ordinariam auctoritatem concedi poſſent, aut conceſſa haudquaquam nutarent.

XII. Et quidem quoad Rubricas attinet, harum proculdubio nullam eſt invenire, in qua permiſſio fiat recitandi officium in Feſtis Tranſlationum, vel aliis ſecundariis, quæcumque ea ſint, Patronorum, & multo minus aliorum Sanctorum; ubicumque enim de feſtis Patronorum agunt, ſemper de primariis, & natalitiis ſermonem inſtituunt, ut eaſdem legenti facile conſtabit; quapropter indubium redditur, quod ſi ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vel Sacræ Congregationis hujuſmodi officia per Epiſcopos inſtituta venirent, Kalendariis officiorum additio fieret, quæ per Pianam Conſtitutionem, ac ſuperius memoratum Decretum ſevere reperitur inhibita.

XIII. Diximus *quatenus firmat Feſta Tranſlationum, aut alia ſecundaria ex lege, & permanenter, ac juſta aliqua intercedente cauſa per Epiſcopos poſſe induci*, quia hujuſmodi opinio præſenti, quod exponimus, Decreto officit, an autem id pro una, vel altera vice per Epiſcopos poſſit adhuc præſtari, alibi pluries diſcuſſum veniet, & præcipue in expoſitione memorati Decreti 28. Aprilis 1628., etſi enim adhuc Epiſcopi id poſſent, in nullo præſens læditur Sanctio, quæ ſolum edoceri poſtulat ſuper Indulto, ſcilicet Apoſtolico, vel ejuſdem Congregationis, recitandi officium Tranſlationis Patroni, quod quotannis celebrabatur.

XIV. Quæ reperiuntur hic dicta, atque ſtatuta de Feſto Tranſlationis Patroni, intelligenda quoque veniunt de quibuſcumque aliis feſtis ſecundariis, & minus principalibus. Hæc autem feſta in eo diſtinguuntur a primariis, quod hæc ſunt dies natalitii, in quibus ſcilicet ad cæleſtem tranſiere gloriam, illa autem ſunt inſtituta in memoriam, ac commendationem facti illius particularis ad ipſum Sanctum pertinentis; unde duplicis ſunt generis, quoniam ejuſmodi factum aut contigit Sancto, ipſo adhuc in vivis poſito, aut ipſo jam defuncto.

XV. Primi generis ſunt in univerſali Eccleſia, Cathedra S. Petri tum Romana, tum Antiochena, ejuſdem item Vinculorum feſtum, Converſio Sancti Pauli &c., & in Eccleſiis particularibus puta Ordinatio S. Zenonis (quando ſcilicet ad Pontificalem dignitatem aſſumptus, vel conſecratus fuit) quæ Veronæ die 8. Decembris celebratur, apud Auguſtinienſes Converſio S. P. Auguſtini, apud Minores Impreſſio Sanctorum Stigmatum in Corpore B. Franciſci, Ambiani Ingreſſus S. Firmini in Urbem, quando videlicet eo ad prædicandum Evangelium venit, apud Dominicanos Impreſſio Stigmatum in Corpore S. Catharinæ Senenſis, uti & nonnullæ Apparitiones Chriſti, vel B. Mariæ aliquibus Sanctis, dum adhuc in vivis agerent, factæ &c.

XVI. Poſterioris generis ſunt Inventio Corporum, vel Reliquiarum alicujus Sancti, ut in Eccleſia univerſali Inventio S. Stephani Protomartyris, quando ſcilicet Corpus ipſum, ſeu Reliquiæ antea in obſcuro loco jacentes, revelante ut pluri-

mum

Digitized by Google

mum Numine, non ſine ſignis, ac prodigiis, in apertum prodierunt; Elevatio, in memoriam ſcilicet elevati Corporis ex humiliori loco in capſam ſublimiori loco poſitam. Suſceptio, in memoriam nempe Reliquiarum eo die primum ſuſceptarum. Translatio, cum ſcilicet ab una Civitate in aliam, vel ab una Eccleſia ad alteram, vel adhuc ab uno Altari ad aliud ejuſdem Eccleſiæ cum magna pompa Reliquiæ alicujus Sancti transferuntur, &c.

XVII. Sunt etiam alii Tituli hujuſmodi feſtivitatum inſtituendarum, vel ab inſigni aliquo beneficio Sanctorum interventu obtento, vel ab aliqua eorumdem apparitione, vel prodigio petiti, ut manatio lacrymarum, vel ſudoris ex imaginibus aliquibus, apparitio Beatæ Mariæ, aut Sanctorum, &c. cujus rationis feſta quamplurima in particularibus locis celebrantur, nec in Eccleſia ipſa univerſali nonnulla exempla deſunt, ut Feſtum B. Mariæ de Mercede inſtitutum in memoriam B. Mariæ, quæ ſerena fronte apparens ſe conſpiciendam exhibuit Sancto Petro Nolaſco, Sancto Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi: Feſtum Nominis ejuſdem B. Mariæ inſtitutum ob inſignem victoriam ejuſdem Patrocinio contra Turcas Viennam in Auſtria obſidentes reportatam &c.

XVIII. Ad complementum expoſitionis præſentis Decreti ſupereſt noſtrum judicium proferre ſuper dubium in Sacra Congregatione propoſitum ſuper præcedentiam, necne eorum Sanctorum, qui alicubi Apoſtolorum officio coluntur, relate ad ceteros ejuſdem ritus, qui dicto officio non gaudent. Et præferentiam deberi definit Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, in qua quia colitur ſolum officio Martyris, & ut Martyr inſpicitur, Veſperæ dividuntur cum præcedenti, & ſequenti duplici minori, licet integræ vi propriæ dignitatis deberentur; & idem alibi diximus loquentes de Cathedra S. Petri, in qua non Apoſtoli, ſed Pontificis ratio attenditur: ita ab oppoſito quia memorati Sancti Apoſtolorum officio coluntur, & ut Apoſtoli conſiderantur, cur præferentia Apoſtolis debita, iiſdem non præſtabitur?

CAPUT QUARTUM.

De Reliquiis Sanctorum.

I. PAtronorum ad claſſem attinent Sancti, quorum ſacra Pignora, ſeu Reliquiæ in ſingulis Eccleſiis aſſervantur: *Urbium* enim *Cuſtodes, ac locorum Præſides*, præclare a Theodoreto appellati reperiuntur lib. 8. Græcar. affectionum; item *Hominum Duces, Principes, ac Propugnatores, per quos a nobis infortunia avertuntur, proculque arcentur, quæ a Dæmonibus inferuntur, mala*; hinc & Chryſoſtomus, *hom.* 1. *laud. Martyr. Ægypti tom.* 2. *pag.* 699. de Sanctorum Corporibus, & Reliquiis tradit: *Si poſt obitum etiam præſtant ſecuritatem, præ omnibus æquum eſt, hac honoris prærogativa donari. Sanctorum enim Corpora quovis adamantino, & inexpugnabili muro tutius nobis urbem muniunt, & tamquam excelſi quidam ſcopuli undique prominentes, non horum, qui ſub ſenſus cadunt, & oculis cernuntur, hoſtium impetus propulſant tantum, ſed etiam inviſibilium Dæmonum inſidias, omneſque Diaboli fraudes ſubvertunt, ac diſſipant non minus facile, quam ſi fortis vir aliquis ludicra puerorum ſubverteret, ac proſterneret.*

II. Ad Eccleſiæ item Dedicationem neceſſarias Sanctorum eſſe Reliquias denotat ritus ipſe Conſecrationis Altaris, qui deſcriptus habetur in Pontificali Romano, ubi in primis ſtatuitur, parari debere Sanctorum Reliquias in ipſomet Altari recondendas, adeo ut etiam ſine ejuſmodi Reliquiis non poſſe perfici, nec valere ullo modo Conſecrationem, aſſerant Doctores apud Azor. *lib.* 10. *cap.* 27. Apprime ad rem eſt, quod habet Concilium Nicænum II. Act. 8. Can. 7.: *Quotquot ergo venerabilia Templa conſecrata ſunt abſque ſanctis Reliquiis Martyrum, definimus in eis Reliquiarum una cum ſolita Oratione fieri poſitionem. Et ſi a præſenti tempore inventus fuerit Epiſcopus abſque Lipſanis conſecrare Templum, deponatur, ut ille, qui eccleſiaſticas traditiones transgreditur.* Quum vero Sanctorum Corporibus, ſacriſque Cineribus, & triumphali Martyrum Sanguine ad ſacrarum ædium Conſecrationem carebat, contenta fuit Eccleſia *Reliquiis ſanctificatis*; unde Concilium V. Carthaginenſe, poſtquam Can. 14. decrevit: *Placuit, ut, Altaria quæ paſſim per agros, aut vias tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur*; ſequentibus verbis Reliquias ſaltem ſanctificatas exquiſivit: *Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi Corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ ſint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.* Reliquias vero, nonniſi Martyrum, quondam adhibitas fuiſſe, perſpicue colligitur ex Antiphona, quæ cantatur, dum eæ ab Epiſcopo reconduntur in ſepulcrum in ipſo Altari factum; ſic enim habet Antiphona illa, *ex Lib. Apoc. cap.* 6. excerpta: *Sub Altare Dei audivi voces occiſorum dicentium &c.*, cui accedit luculentum D. P. Auguſtini teſtimonium, *ſerm.* 4. *de Innoc.* dicentis: *Convenienter, & quaſi pro quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, ubi mors Domini quotidie celebratur.*

III. Super ſacris Martyrum, aliorumque ſanctorum Cadaveribus Templa, ſacras Baſilicas, atque Oratoria erigere conſueviſſe veteres Chriſtianos, adeo plurima evincunt antiquitatis monumenta, ut non crediderim, aliquem, qui id ignoret, vel ſemieruditum adeſſe. In Actis SS. Nerei, & Achillei apud Surium ad diem 12. Maji habetur: *Et Eutychen quidem media via cædi juſſit, donec exhalaret ſpiritum: Cujus corpus Chriſtiani cum multo honore ſepelierunt, & ſuper illud Baſilicam in Chriſti nomine extruxerunt.* Gregorius Turonicus *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 64. de S. Patroclo ſcribit: *Erat ſuper eum parvulum Oratorium, in quo unus tantum Clericus ſerviebat. Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, conſtructaque ſuper eum Baſilica, feſtivitatem ejus per ſingulos annos devote concelebrabat.* Et Cap. 32. de S. Bartholomæo habet: *Revelatumque eſt Chriſtianis, ut eum* (Sarcophagum) *colligerent, collectumque, ac ſepultum, ædificaverunt ſuper eum Templum magnum.* Hujuſmodi autem Oratoria, Baſilicæ, & Templa, quæ ſuper ſanctorum Sepulcris ædificare conſueverant Chriſtiani, eorumdem Sanctorum nomini dedicabant, & in honorem erigebant, eorumdemque vocabulo denominabant; & pro hoc potiſſimum facit teſtimonium illud, quod in Decreto ultimo præcedentis Capitis ex D. P. Auguſtino protulimus, in quo *Cypriani menſam* appellavit Altare Deo erectum in loco, in quo paſſus fuerat Cyprianus. Quæ cum ita ſint, compertum redditur, quod, cum in ſuperioribus tribus Capitibus de Dedicatione, Titulari, ac Patronis Eccleſiarum, atque Locorum actum ſit, plena jam traditæ diſciplinæ methodus de Reliquiis Sanctorum examen expoſcit.

IV. *Reliquia* voce, ut ipſamet nominis etymologia indicat, ac veterum uſus fuit, ſignificatur, quidquid ex aliqua re ſupereſt, ſeu reliquum eſt; hinc Tullius *ciborum reliquias, hoſtium reliquias, vitæ reliquias*, non ſemel dixit, aliaque hujuſmodi exempla videri collecta queunt in Ciceroniano Nizolii Lexico. Eccleſiaſtici tamen Scriptores non modo, quod ex aliquo Sancto ſupereſt, veluti Cadaver, Oſſa, Veſtes, verum etiam alia, in quibus vocis etymologia minus ſervatur, Reliquias appellarunt, ac tamquam eorumdem Reliquias fideles ipſi venerati ſunt. Qua de cauſa ſacrarum Reliquiarum, prout ad præſens attinet, nomine intelligi facile poſſunt quævis Sanctorum monumenta, ideſt quidquid aptum de ſe eſt excitandam in nobis Sanctorum memoriam, ideoque eorum venerationem, & cultum. Horum plurima, ac potiora genera recenſebo, quæ *ſacras Reliquias* appellavere Fideles, quæque tamquam Sanctorum Reliquias ſacræ honorificentiæ argumentis proſecuti ſunt, id proculdubio promovente Deo ipſo, qui per eas res miracula ſæpe edidit.

V. Licet autem ea, quæ Fidelibus pro Reliquiis habita ſunt, ac veneratione proſecuta, adeo plurima ſint, ut facile recenſeri non poſſint, adhuc eadem nobis placet in tria partiri genera, ad quorum aliquod quæcumque vel ſpectare, vel reduci poſſe arbitramur. Sunt autem Reliquiæ *proprie, & rigoroſe* dictæ, *minus proprie*, ac Reliquiæ *ſanctificatæ*, ſeu *improprie* dictæ. Ad Reliquias *proprie, & rigoroſe* dictas directe ſpectant ſanctorum Corpora, ac horum partes quæcumque ad humani Corporis veritatem, vel integritatem, vel alias quomodocumque attinentes, cujuſmodi ſunt Brachium, Manus, Oſſa, & adhuc Dentes, Ungues, Crines &c., quibus adde Sanguinem, Lacrymas, Lac, & plura alia id genus, quæ numerare ſuperſedemus. Sunt, qui Corpori Sanctorum integro Reliquiæ vocabulum ægre concedunt, aut etiam auferunt, eo quod proprie ſignificare arbitrantur id quod remanet detracta majori parte. Verum cum principalior, ac nobilior hominis pars anima exiſtat, etiam in hac acceptione non videtur, cur corpus humanum, licet integrum, Reliquia dici non poſſit, utpote quod humi remanet, & relinquitur.

VI. Eſt & aliud Reliquiarum genus Sanctis aliquibus peculiare, quod Reliquiis proprie dictis quidem affine eſſe videtur, & licet pars corporis vera non ſit, nec ullam cum illo, dum vitam ageret, forſitan conjunctionem habuerit, ad corpus tamen aliqualiter attinet, quod ab eo ſcaturat, & effluat. Hujuſmodi eſt liquor v. gr. ille, qui ex ſepulcro S. Andreæ feſto illius die emanare dicitur; unde Martyrologium ad diem 9. Maji, ita ſcribit: *Corpus autem S. Andreæ longo poſt tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concurſu honoratur: ex cujus ſepulcro liquor ad languores curandos jugiter manat.* Ad hanc rem inſigne eſt teſtimonium Gregorii Turonici, qui *lib. de Glor. Martyr. cap.* 31. ita enarratum fecit: *Andreas Apoſtolus magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert, hoc eſt, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo ejus exundat, &c. quod non ſine miraculo, ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc ſeu inunctiones factæ, ſive potiones datæ, plerumque languentibus commodum præſtant.*

VII. De Sancto Nicolao Myræ Epiſcopo Barium in Apulia translato Baronius ad diem itidem 9. Maji per hæc verba nos docet: *Ex ejuſdem S. Antiſtitis corpore, ut e perenni quodam chariſmatum fonte, ſtillat liquor ſalubris, ſicut olim cum eſſet Myræ: quamobrem Emmanuel Imp., dum de eo agit in Conſtit. novella de feriis, his titulis eum exornat: Nicolaus miraculis inſignis, unguentorum fragantia ſcatens &c.* Cujus liquoris & meminit ad diem 6. Decembris, adducitque nonnullos verſus ex Breviario Toletano depromptos, in quibus ejuſdem medici unguenti mentio inſtruitur, quibus addi poſſunt verſus, quos in propriis hymnis Breviaria tenent Turonenſe, & Bellovacenſe in ejuſdem rei memoriam, a Guyeto, ubi de hymnis propriis Sanctorum particularium locorum agit, adducti.

VIII. De Sancto Laurentio Presbytero, & pueris Martyribus, quos ille ſuſceperat educandos, *ad diem* 30. *Aprilis* meminit Baronius ab eorumdem ſepulcro medici liquoris manare conſueti, & *ad diem* 13. *Maji* de Sancta Glieeria ſcribit: *Ex ejus oſſibus jugiter unguentum curandi vi præditum emanare ſolebat, ut auctor eſt Nicephorus hiſt. lib.* 18. *cap.* 28., & 32. Sanctæ Tereſiæ Pariter, & Magdalenæ de Pazzis ſacra Oſſa idipſum donum rarum ſane, & mirabile a Deo obtinuiſſe tradunt Auctores, & compertum eſt, arida Divi Nicolai de Tolentino Brachia in imminentium Eccleſiæ ærumnarum præſagium non ſemel dediſſe ſanguinem, ut finem faciam recenſendis quamplurimis aliis hujuſmodi exemplis, quibus Deus Optimus Maximus (ut olim ex Aſini maxilla, qua Sampſon Philiſtæos delevit, aquæ fontem manare fecit, Judic. cap. 15.) Sanctorum ſuorum Cineres, & Oſſa illuſtrare dignatus eſt.

IX. Hæ, & aliæ ſimiles Reliquiæ, ut lac, qui ex Martyrum vulneribus nonnumquam manavit, aut lacrymæ, vel ſudor &c., qui ex demortuis Sanctorum Cadaveribus non ſemel defluxit, ad Reliquias proprie dictas reduci queunt, quibus ſi quis adjungere velit lacrymas, aliſque id genus modo recenſita, quæ ex Sanctorum Statuis, aut Picturis dilapſa fuere, cum eo contendere nolo, tametſi in hiſce Reliquiæ etymologia utique laxior appareat.

X. Ad Reliquias *minus proprie dictas* revoco Veſtes, aliaſque res, quibus, dum viverent, utebantur Sancti, quæque ex Sanctorum viventium contactu, uſque ſanctificationem quamdam recepere, cujus cauſa eas veluti ſacras Reliquias ſummo in honore ſemper habuere Chriſtiani. Veſtem, quam in modum ſportæ ex palmæ foliis Paulus ſibi texuerat, eo mortuo ſibi adſcivit Antonius, ſolemnioribus feſtivitatibus illam deferens. Et Act. 19. 12. Lucas tradit, quod ſuper languidos deferebantur a corpore Pauli Sudaria, & Semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur. Joannes quoque Diaconus in vita S. Gregorii Magni lib. 2. cap. 6. ſcribit quod ejus lectus, flagellum, & Antiphonarium uſque tunc veneratione congrua reſervabantur.

XI. Ad eamdem claſſem attinent inſtrumenta martyrii, quæ indubitatum eſt a Chriſtianis primorum uſque ſæculorum ſollicite perquiſita fuiſſe, ſummoque in honore habita; hinc D. P. Auguſtinum *Serm. olim* 31. *de diverſis*, *nunc* 323. *num.* 2. ita loquentem audire non pigeat: *Quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veſtræ. Quando lapidabatur S. Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de iis, qui jam in Chriſtum crediderant, circumſtabant: Dicitur lapis veniſſe in cubitum, & excuſſus inde veniſſe ante quemdam Religioſum. Tulit illum, & ſervavit. Homo erat de navigantibus; ſors navigationis attulit illum ad litus Anconæ, & revelatum eſt illi, ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, & fecit quod juſſum eſt. Ex illo cœpit eſſe ibi memoria S. Stephani*. Et quidem etiam Gregorius Magnus ſacras Reliquias optantibus, claves S. Petri, ac fragmenta ferrearum catenarum, quibus idem S. Petrus vinctus fuerat, tranſmiſit, ut videri poteſt *in lib.* 1. *Epiſt.* 25. *ad Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum*, *Epiſt.* 29. *ad Andream illuſtrem de Libiria*, & *Epiſt.* 30. *ad Conſtantinam Auguſtam*.

XII. Succedunt Ædes, quas Sancti incoluerunt, aut loca in quibus paſſi ſunt, quæ proculdubio tantum honorem conſecuta ſunt a Fidelibus, ut in iis ſacræ Ædes ſine Reliquiis erigi poſſent, perinde ac ſi ſanctificata eadem loca ſatis fuiſſent a Sanctorum incolatu, aut glorioſiſſima morte. Unde Concilium V. Carthaginenſe Can. 14., poſtquam vetuit, ſine ſacris Reliquiis Altare conſtrui, & Martyrum memoriam erigi, finis tamen id fieri iis in Ædibus, quas incoluerant iidem Sancti, aut in quibus paſſi erant: *Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi Corpus, aut aliqua certa Reliquiæ ſint, aut ibi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur*. Ad rem apprime inſigne eſt teſtimonium Bedæ *lib.* 3. *hiſt. Angl. cap.* 9., dum agens de nece, ac martyrio Sancti Oſualdi Anglorum Regis, inter cetera tradit: *Pulverem ipſum, ubi corpus ejus in terram corruit, multos abſtuliſſe, & in aquam mittentes, ſuis per hoc infirmis multum commodi attuliſſe ..... Qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata terra foſſam ad menſuram ſtaturæ virilis altam reddiderit*.

XIII. Ad reliquias *improprie dictas*, ſeu *ſanctificatas* attinent linteola, veſtes, vela, flores, aliaque id genus ſacris cadaveribus admota; ex contactu enim, aut etiam propinquitate cadaverum Sanctorum vim aliquam ſupernaturalem, cœleſtemque virtutem viſa ſunt recepiſſe, vi cujus honorem a Fidelibus aſſecuta ſunt, ac veluti ſanctificationem recepiſſe cenſita fuerunt; & quidem non ſine fructu, quoniam ex iiſdem non minus, ac ex ceteris Reliquiis ſuperius recenſitis, plurima emolumenta in honorantes Fideles derivarunt. Pro veſtibus, quibus Sanctorum cadavera contegebantur, aut eiſdem cadaveribus etiam ratione aliqua applicabantur, audi Ambroſium *Claſſ.* 1. *Epiſt.* 21. *num.* 9. ita loquentem: *Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta, ſuper Reliquias ſacratiſſimas, & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit*. Pro floribus vero, aliiſque hujus generis ſuper Sanctorum cadaveribus obſequii, & devotionis ergo expoſitis, ſufficiat D. P. Auguſtini teſtimonium ex lib. 22. de Civit. cap. 8. num. 10. decerptum: *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Projecto Reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus memorias veniebat magna multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cœca Mulier, ut ad Epiſcopum portantem duceretur, oravit; flores, quos ferebat, dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans &c.*

XIV. Adeo vero inſita Fidelibus erat perſuaſio, qua putarent, Sanctorum cadaverum propinquitate juvari, & veluti ſanctificari res ſuper eiſdem cadaveribus, aut etiam prope ea poſitas, ut olea deſumpta ex lampadibus ardentibus ante Reliquias Sanctorum magna in veneratione habuerint. Multa afferri poſſent exempla ad comprobandam hanc vetuſtorum temporum conſuetudinem, ſed quoniam hæc ſunt quodammodo a noſtro inſtituto aliena, ad unum Gregorium Turonicum ſe ſinat Lector rejici. Hic autem *cap.* 15. *lib.* 8. *hiſt. Francorum* inducit Vulfilaicum hæc loquentem: *Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de Sancti Martini Baſilica detuleram*. Admodum copioſe de hac conſuetudine agit *Cap.* 2. *lib.* 1. *miraculorum S. Martini*, & miracula deſcribit peracta per oleum ad tumulum S. Martini poſitum, *& juſti virtute infuſa ſanctificatum*. Utique adhuc prætermittere non ducimus, quod habet D. P. Auguſtinus lib. 22. De Civit. cap. 8. num. 18. *Ibidem apud nos Irenæi cujuſdam collectarii filius ægritudine extinctus eſt. Cumque corpus jaceret exanime, atque a lugentibus, & lamentantibus exequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, ut ejuſdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & revixit*.

XV. Quoniam agimus de oleo a Sanctorum Cadaveribus, vel Reliquiis ſanctificato, abs re non putamus obiter recenſere veterum Chriſtianorum conſuetudinem deferendi oleum ad Eccleſiæ Miniſtros, aut etiam ad Laicos quoſdam ſanctitate præſtantes, ut idem oleum horum benedictione nec leves profecto, nec paucas reciperet; ex qua forſitan præfatum oleum haud diſſimilem benedictionem a Sanctorum Cadaveribus conſequi poſſe ſperarunt. Hanc ſane conſuetudinem indicant ea, quæ Sulpitius Severus *Dial.* 3. *c.* 31. his verbis narrat: *Non prætermittendum videtur Avitiani Comitis uxorem miſiſſe Martino oleum, quod ad diverſas morborum cauſas neceſſarium (ſicut eſt conſuetudo) benediceret*. Verum quoniam id per Sacerdotes præſtitum eſſe, forte nemo ambigit, pateſque diſerte ex formula benedictionis relatæ a S. Clemente *lib.* 8. *cap.* 29. *Conſtit. Apoſtolicar.*, ad benedictionem rerum, & certe olei ad curationes faciendas per viros, non Sacerdotes, ſed ſanctitate præſtantes, præſtitam, ſermonem convertu, allegoque Lectorem ad id; quod de Hilarione teſtatur Hier. *in ejus vita num.* 30., videlicet, quod ad eum concurrebant Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges &c., ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent.

XVI. Sanctificatis Reliquiis adnumerantur brandea, ſeu linteola, aut vela Sanctorum ſepulcris devotionis ergo applicata, unde Gregorius Magnus ad Conſtantinam Auguſtam lib. 3. Epiſt. 30. *Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur &c.* Verum quia nimis longum, & operoſum foret, cuncta recenſere, quæ pro ſanctificatis Reliquiis in honore habuere Fideles, nos, qui ad alia properamus, Lectorem, qui plura cupit, amandandum eſſe arbitramur ad Libros D. P. Auguſtini, Damaſceni, Gregorii Turonici, aliorumque Sanctorum Patrum, atque antiquorum Scriptorum.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XLV.

De Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt officium duplex minus in ejus feſto. S. R. C. 23. Novembris 1602. *in Vicentina*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 6.

I. SAnctorum Reliquias Eccleſia Dei ſemper eſt venerata; hinc Moyſes *Exodi* 13. 19. diſceſſurus ex Ægypto, honorifice tranſtulit Patriarchæ oſſa Joſeph. Eliſeus 4. *Reg.* 2. 14. pallium Eliæ, quod ceciderat ei, adeo eſt veneratus, ut eo percuſſerit aquas Jordanis, & diviſæ ſunt huc, atque illuc. Excoluere Hebræi *Sancta Sanctorum*, & in eo *Virgam* illam, quæ nonniſi mortuum prodigiorum extitit inſtrumentum. *Si tetigero*, inquit Mulier illa *Matth.* 9. 21., quæ ſanguinis fluxum duodecim annis patiebatur, *tantum veſtimentum ejus, ſalva ero*. Ex Act. 19. 12. *Super languidos deferebantur a corpore Pauli ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Et equidem quoad Eccleſiam Catholicam attinet, venerationis hujuſmodi erga Sanctorum Reliquias præſtitæ initium ab Apoſtolicis uſque temporibus repetendum eſſe, infinita propemodum monumenta evincunt, a quorum recenſione, quia noſtrum præter inſtitutum, volumus abſtinere, contenti iiſdem, quæ in hujus Capitis præliminaribus dedimus, atque nonnullis, quæ ſtatim ſubdimus.

II. Apud Euſebium Cæſarienſem *libro* 4. *c.* 15. Eccleſia Smyrnenſis ad Ponticam ſcribit, a Judæis moti Gentiles Præſidem exorarunt, ne Sancti Polycarpi Martyris, & Epiſcopi corpus cuiquam daret, *ne Chriſtiani Crucifixo deſerto illum inciperent venerari*. Eadem in nos fuit calumnia Diocletiani, ac Maximiniani Auguſtorum, de quibus idem Euſebius

Digitized by Google

lib. 8. *c.* 6. agens de Sanctis Martyribus Gorgonio, & Dorothæo inquit: *Eos poſt mortem decoro, & celebri funere ſerva mandatos Imperatores de integro effodiendos, & in mare præcipitandos decreverunt, ne quidam eos in ſepulcris conditos, Deos eſſe reputantes, divina veneratione proſequerentur.* Similiter & Julianum Auguſtum Martyrum Reliquiis honores noſtros invidiſſe, atque ideo a cruenta perſecutione nequiter ceſſaſſe, Socrates teſtatur *lib.* 5. *capit.* 8. Eadem de cauſa apud Hermiam Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 10. Pagani Gazenſes Martyrum oſſa aſinorum, & camelorum oſſibus miſcuerunt. Et apud Ammianum Marcellinum *lib.* 22. *c.* 28. Alexandrina Plebs Gentilis Georgium Epiſcopum, aſt Arianum, a ſe trucidatum, *ſubito igne cremavit, & cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis ſuprema Ædes illi exstruerentur.* Parentes quippe noſtri ſanctas Martyrum Reliquias non tantum pretioſis ſindonibus involutas glorioſiſſime ſepeliebant, ſed & ſuis indebant Altaribus, & ſuper ipſas Deo ſacrificium offerebant. Quis eſſe poſſit major honor? Eorum in hiſce colligendis, ornandis, ſepeliendis diligentiam, & conſtantiam nullus ignorat.

III. Honoris modum eleganter exponit in præfatis litteris laudata Eccleſia Smyrnenſis. *Miſeri* Gentiles, ac Judæi *ignorabant, nos non aliquando in animum inducere poſſe, ut vel Chriſtum deſeramus, vel alium quempiam colamus ut Deum. Illum enim, qui vere filius Dei eſt, adoramus: Martyres autem ut diſcipulos, & imitatores Domini merito amplexamur, quorum nos in pietate diſcipulos & conſortes in gloria fore optamus.* Fuerunt Corpora Sanctorum vera, ac viva templa Dei, ac Spiritus Sancti, ſanctarum inſtrumenta operationum, fuere, & nunc ſunt prodigiorum, ac Divinæ inſtrumenta Omnipotentiæ, & una cum eorumdem animabus glorificari debent in cælis; quis igitur Catholicorum eiſdem venerationem inficiari valebit?

IV. Hujuſmodi Reliquiarum Sanctorum cultum ſubvertere impie conati ſunt Eunomius ſæculo quarto, Vigilantius ſæculo quinto, & Calviniſtæ, ac Luterani noviſſimis Eccleſiæ temporibus, nec non alii Catholicæ veritatis hoſtes acerrimi, qui nos Cinerarios, ac Idololatras appellare non deſtitere, ac Reliquiarum venerationem dumtaxat a ſæculo quinto in Eccleſiam invectam fuiſſe dixere; aſt incaſſum utique fremuerunt, & meditati ſunt inania; contra enim hujuſmodi Catholici nominis oſores concors ſtat Sanctorum Patrum chorus, qui Reliquiarum cultum ab eorumdem dicteriis ſatis vindicant, inconcuſſe defendunt, & in Eccleſia ſemper, omnique ſæculo cuſtoditum fuiſſe abunde demonſtrant, quos inter eminent Hieronymus, ac D. P. Auguſtinus, quorum primus adverſus Vigilantium librum conſcripſit, & alter *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 8. *circa med.* quamplurima in ſæculo quarto vidit, & affert per Sanctorum Reliquias operata miracula. Aſt cum hujuſmodi recenſere, noſtri non ſit inſtituti, Lectorem, qui uberiora cupit, ad Bellarminum *lib.* 2. *cap.* 2., Petavium *de Incarn. lib.* 14. *cap.* 11., alioſque Theologiæ Poſitivæ, & Polemicæ Auctores remittimus.

V. Verum ſi *Cuncti*, inquit Maximus Taurinenſis homilia de Natali Tauricorum Martyrum, *Martyres devotiſſime percolendi ſunt, ſpecialiter tamen ii venerandi ſunt a nobis, quorum Reliquias poſſidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, iſti etiam adjuvant paſſione. Cum his autem nobis familiaritas eſt: ſemper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, hoc eſt & in corpore nos viventes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes aſſumat, ibi ne inferni horror invadat.* Speciali huic Populorum cultui publicus & ille cultus publica Eccleſiæ auctoritate inſtitutus, ejuſque nomine divino in officio per ſuos Miniſtros exhibitus, deſiderari non debuit; hinc cum hocce Divinum officium in Oratoriis privatis, ſeu Ædiculis Clero deſtitutis non ſoleat decantari, ortum creditur habuiſſe Canonem 25. Concilii Epaunenſis ſane in hanc rem valde memorabilem: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non proponantur niſi forſitan Clericos cujuſcumque Parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.*

VI. De Sanctis igitur, quorum inſignes Reliquias habemus, ſeu *quorum*, ut ait Ambroſius lib. de Viduis, *videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare*, officium in eorum Feſtis agendum eſſe, apprime bene uſus, auctoritas, & ratio nos docent. Uſus quidem omnium Eccleſiarum, quarum Catalogum inane eſſet attexere, non recens inductus, ſed jam pridem cuſtoditus. *Solemus*, inquit Rupertus lib. 9. de glorificatione Trinitatis, *Baſilicas Martyrum appellare memorias eorum, pro eo quod ibi pſalendo, & confitendo memoramus martyria eorum.* Et Cyprianus in Epiſt. 37. ad Presbyteros, & Diaconos Eccleſiæ Chartaginenſis *Denique*, ſcribit, *& dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.*

VII. Auctoritas vero Sacræ Rituum Congregationis, quæ nedum præſenti, ſed quamplurimis aliis inferius dandis Decretis, Apoſtolica & firmitate munitis, ſancitum id voluit; & jamdiu idem ſtatuiſſe videtur Concilium Turonenſe ſub Nicolao I. habitum cap. 61. his verbis: *Sanctorum quorum, corpora in Eccleſiis poſſidentur, feſtivitatem agendas eſſe, atque iiſdem venerationis debita obſequia referenda.* Ejuſmodi in conſpectu Sanctionum nos pudet, Rubriciſtarum omnium id conſtanter aſſerentium turbam in medium afferre, ne quaſi exiſtimare videamur, veneranda præfatæ Congregationis Decreta, præſertim dum Apoſtolicæ auctoritatis munimine vallata inveniuntur, eorumdem patrocinio indigere.

VIII. Ratio denique idem ſuadet; congruum enim, & æquum eſt, ut ſicut multitudo Fidelium memoriam eorum Sanctorum, quos conſocios paſſionum in terris habuit, nunc ratione Reliquiarum, quas poſſidet, ut ſpeciales Patronos veneretur in cælis, eorumdemque præſidio poſt mortalis hujus vitæ curſum ſperet in gloria conſortes habere, recurrente eorumdem natali die dignius, & ſpecialius exultans quotannis honorat; ita eamdem utique memoriam præfatorum Sanctorum, uti ſuorum illuſtrium Eccleſia Filiorum, qui mirificis virtutum exemplis, decus non modicum eidem auxere, & proprio adhuc ſanguine eam purpurare non formidarunt, in ſuis quoque divinis ſpecialiter præ ceteris diebus recolat officiis, publicoque ſpeciali Fidelium cultui etiam Eccleſiæ Miniſtrorum publicus ſpecialis cultus, ſeu particulare divinum correſpondeat officium, non quidem in omnibus mundi partibus, quod fieri Sanctorum vetat multitudo, ſed ſaltem ubi eorumdem inſignes contingit aſſervari exuvias, alibi ſupplente Feſto, quod, ob id Eccleſia inſtituit, omnium Sanctorum.

IX. Hac cum limitatione, *Dummodo ſit Reliquia approbata* Decretum referunt Pittonus *Deciſ. ad Sacros Ritus num.* 169. Guyetus *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 1., Gavantus *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 8. & quod mirum eſt, Meratus ipſe *ibidem num.* 4., cum tamen in Indice Decretorum præfatam minime clauſulam apponat. Tolerabilis error ex cæca Gavanti ſequela, crederem, ortus, in Indice Decretorum, quæ prout in Sacræ Rituum Congregationis Regeſtis reperiuntur deſcripta, profitetur adducere; ulla abſque adnotatione correptus, vel quia ſui immemor extitit, vel potius quia Reliquiæ approbationem, ut officium fieri valeat, ſi non vi iſtius, aliorum ratione Decretorum neceſſariam exiſtimavit. Et quidem requiri quod Reliquiæ ſint approbatæ, extra dubium eſt: approbatæ quidem, ſive uſu, & continua jam inde a priſcis temporibus traditione, ſi antiquæ ſunt, vel per formalem Epiſcoporum recognitionem, ac approbationem, ſi novæ ſunt, ut fuſiori calamo in expoſitione Decretorum V. & X. infra dandorum ſcribere reſervamus.

X. *Inſignis Reliquia* haberi autem debet, ut officium de Sancto, cujus ea eſt, queat recitari; cum enim teſte D. P. Auguſtino *ſerm.* 3. *de Decolt. Jo. Bapt.* ejuſdem etiam Sancti Reliquias per diverſa loca Divina Providentia conſtet actum, ut per plura loca deportatis Sanctorum Reliquiis, plura virtutum ſigna fierent, pluresque per memoriam doctrinæ, & vitæ illorum ad fidem, ac dilectionem ejus, quem voce, & opere prædicaverunt, confluerent, ſi ob cunctas, etiam non inſignes Reliquias, officium concederetur, non eſſet finis officiorum, ac nimis ſæpe omitteretur feriale, immo & Dominicarum officium, quod cum ex Radulpho *propoſ.* 15. officium Domini ſit, ita de facile a ſervis non decet obrui. Quoniam vero quænam cenſenda ſit inſignis hunc ad effectum Reliquia, in Decreto V. hujus Capitis manet aperte firmatum, ideo quæ ibi dicturi ſumus, non putamus hic inutiliter alleganda.

XI. Ritus & habetur, ſub quo memoratum officium fas eſt celebrare, dum fieri poſſe officium *duplex minus* in Decreto ſtabilitur. *Duplex* quidem ad ſolemnitatem, *minus* vero ad diſtinctionem ab officio Patronorum minus principalium, quod inter duplicia dumtaxat majora a Tabella recenſetur; officium enim eorum Sanctorum, qui uti peculiares apud Deum Interceſſores, propriique Suffragatores ab univerſo loci Clero, populoque coluntur, majoris ſane eſſe debuit ſolemnitatis, ac elevationis ritus, ac officium illorum, qui ratione Lipſanorum, quæ apud nos habent, nonniſi *quodnam*, ut vidimus ex Ambroſio, noſtrum *patrocinium* gerunt.

XII. Hæc tamen ſic, velim, intelligas, ut ſub elevatiori ritu, ſi hunc habet in Kalendario, uti S. Laurentius, cujus officium ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſignatum reperitur, non ſit celebrandum officium Sanctorum, quorum exuviæ aſſervantur; Reliquia enim, quæ habetur, ſi non auget, certe non minuit feſti ſolemnitatem. Eorum tamen Auctorum ſententiam probare non poſſumus, qui apud Gobat *tract.* 3. *numer.* 696. *append.* 4. *litt. b.* voluere Reliquiam, ut aliquid operetur, evehere ad primam claſſem Sanctum illum, qui in Kalendario habet ritum duplicem ſecundæ claſſis, & ſic ad ritum ſecundæ claſſis, qui duplicem majorem, & ad ritum duplicem majorem, qui illum jam habet duplicem minorem; videant enim præfati Auctores, quod arbitratu mere ſuo, non vi Decretorum tantum activitatis Reliquiis elargiuntur. Cuncta Decreta, quæ de ritu loquuntur, ſolum duplicem minorem aſſignant, ut videre eſt in præſenti, & ſequenti ſtatim exponendo Decretis; quapropter Reliquia ad ritum duplicem minorem officium, quod in Kalendario ſub ritu ſimplici, vel ſemiduplici, vel nullo modo reperitur deſcriptum, promovere quidem poterit, ſed non ad altiorem, ſi ritu duplici minori, vel elevatiori gaudeat. Etiam officio Patronorum minus principalium ritum duplicem majorem Rubricæ, & Decreta concedunt; aſt ſi in hujuſmodi Patronos aſſumi contingat Sanctos, qui modo memoratum ritum, ut S. Barnabas, vel elevatiorem, ut S. Lucas, in Kalendario jam habeant, non ob hoc ad altiorem ritum eorumdem officium veheretur, ſed adhuc ſub ritu duplici majori dumtaxat celebreretur illud Sancti Barnabæ, & ſub ritu duplici ſecundæ claſſis illud Sancti Lucæ.

XIII.

XIII. Quæ oſquemodo de ritu diximus, ſic concluſa vult Guyetus *l. 2. cap. 11. quæſt. 6.*, nihil ut præjudicii afferant conſuetudini legitimæ Eccleſiarum, apud quas Feſta quædam ob Reliquias inſignes ſolemniori ritu celebrari mos eſt, puta duplici primæ, vel ſecundæ claſſis, ſeu majori per annum; nec item aliarum, quæ aliqua ejuſmodi ſemiduplici dumtaxat ritu celebrant, quod uſitatum maxime ſe obſervaſſe fatetur in Eccleſia Senonenſi, in qua Feſta SS. Macarii Abbatis, Cantii, Gervaſii, & Protaſii, ac aliorum tantum ſemiduplicia ſunt, licet eorumdem omnium inſignes ſatis habeantur Reliquiæ. Ut autem legitima ſit conſuetudo præfata, opus eſt, radices uſque habeat præcedenter ad Bullam Pii V., poſt quam in iis, quæ ad divinum officium pertinent, a nemine ulla tentari valet mutatio, adhuc quoad ſolum ritum, quemadmodum dilucide patebit ex ſtatutis, & dicendis in Decreto I. Capitis de Additione Breviario fieri inhibita.

XIV. Num vero celebrandum ſit dictum officium ſub ritu duplici de præcepto, an potius ad libitum? Ad libitum reſpondet Gobat *loco cit.*, quia Decretum ſolum dicit *Poſſe*, quod non præceptum, ſed ſolam continet permiſſionem, ut declaravit Sacra Congregatio 20. Novembris 1683. dictum verbum *Poſſa* in Indultis officiorum poſitum. Verum quidquid ſit de vi, ac efficacia verbi *Poſſe*, quoties in Indultis ſuper conceſſione officiorum cernitur, de qua re relate in Capite de officiis ad libitum, in præſentiarum certum redditur, quod officium ob Reliquias inſtituendum, non debet eſſe ad libitum, ſed de præcepto; id enim indicant duo ſequentia, quæ exponenda ſtatim ſumemus, Decreta, dum in iiſdem iſte tenetur dicendi modus: *Duplex officium eſt recitandum de Sancto, cujus inſignis habetur Reliquia*; qui non apprime convenire valet cum natura officiorum ad libitum, ſed magis cum ea feſtorum de præcepto.

XV. *In ejus Feſto*. Advertere hic lubet, quod ſummæ olim curæ fuit Eccleſiarum Antiſtitibus Natalem, illum ſcilicet, quo quiſque Sanctus ſive martyrio, ſive ſpotanea morte ex hac vita decedens, ad cæleſtem tranſiit, Sanctorum diem annotare; eo fine, ut recurrente ſingulis annis ipſo eodem die ſolemnis illorum memoria in ſacris myſteriis recoleretur: hinc Cyprianus in Epiſt. 37. ad Presbyteros, & Diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis, *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Et Divus Parens Auguſtinus ſerm. 13. de Diverſis habet. *Quid eſt hoc Fratres: Quando natus eſt, ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus: ſed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus; illa enim traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum*.

XVI. Hæc antiqua conſuetudo celebrandi Feſta Sanctorum iis diebus, quibus renati ſunt ad gloriam, ab Eccleſia adeo ſemper cuſtodita fuit, ut ſi quæ extra diem natalitium fixo, ac ſtato die celebrari contingit, hoc ideo erit, vel ob feſtum aliud majoris ritus, vel dignitatis ſimul occurrens, aut privilegiatum, aut ob impedimentum aliquod juxta tunc temporis diſciplinam, ſicut alibi videbimus; hinc nec minimus dubitandi ſupereſt locus, officium Sancti, cujus inſignis habetur Reliquia recitandum præſcribi in die natalitio ejuſdem, ſeu mortis illius, dum *in ejus feſta* recolendum præſcribitur.

XVII. Aſt quid faciendum erit, quoties dies, in qua officium Sancti in Kalendario Romano recurrit, eſt alia a die natalitia, vel obitus ejuſdem, cujuſmodi non infrequentia adſunt exempla? Tunc ſi inſignis habeatur Reliquia, feſtum eritne celebrandum die, quam fixam habet in Kalendario, an magis die mortis ejus?

XVIII. ℞. Quod quando Natalis alicujus Sancti, cujus officium ſit in univerſa Eccleſia, in aliam diem eſt immutatus, etiam Eccleſiis particularis, quæ ejuſdem Sancti habet Reliquiam, a communi uſu non recedere debet: ex Decreto enim Sa. Congregationis 28. Novemb. 1682., de qua ſuo loco: *Dies natalitii hi omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolica aſſignati ſunt Feſtivitati alicujus Sancti, veluti fixa, & veluti propria eorum ſedes*; quapropter in eo caſu dies, quam fixam habet in Kalendario, cenſetur natalitia, ac conſequenter dies, in qua recoli debet. Deinde in celebratione Sanctorum de Kalendario Romano teneri debet dies, quæ in hoc iiſdem eſſignata reperitur, unde per Sacram Congregationem 28. Novembris 1722. declaratum extitit, Feſtum SS. Nominis Jeſu recitari non amplius licere die 14. Januarii ab iis, qui de hoc præcedenter dicti feſti univerſalem conceſſionem particulare tenebant Indultum, ſed omnes teneri ab illud celebrandum Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, in qua pro univerſali Eccleſia conceſſum manet. Simile eſt Decretum ejuſdem Congregationis 5. Maji 1736. pro officio Beatæ Mariæ de Monte Carmelo; necnon 17. Junii 1684. pro Feſto ejuſdem SS. Nominis, in quibus determinatum fuit, non eſſe amplius licitum Privilegiariis perſeverare in celebratione dictorum feſtorum in priſco uſu quoad diem, ſed debere cum Eccleſia univerſali poſtquam ad hanc extenſa illa fuerunt, ſeſe prorſus conformare.

XIX. Verum quid faciendum erit, ſi dies mortis ejus, ſive natalitius in legitimo uſu propriorum locorum alius ſit ab illo, qui in Breviario, vel Martyrologio Romanis reperitur notatus? ℞. Scari poſſe uſibus cujuſque loci propriis, maxime in celebratione Sanctorum propriorum. Tum quia probabile eſt, minus potuiſſe errare Indigenas in computando Sanctorum ſuorum natali, quam longe poſitos. Tum quia ubi jam eſt adeo longa hujuſmodi conſuetudo, melius eſt cum aliis convenire, quam temere quidquam ibi innovare; hinc & Breviarium Romanum locorum conſuetudinem ſervandam laudar in caſu particulari S. Bartholomæi, qui Romæ quidem die 25. Auguſti, alibi vero 24. celebrari conſuevit.

XX. Quod ſi iis de Sanctis ſit Reliquia, qui deſcripti quidem ſunt in Martyrologio Romano, ſed non ea die (quod ſciatur) qua eorumdem contigit obitus, cujuſmodi eſt S. Eliſabeth, Joannie Baptiſtæ parens, quæ die 5. Novembris, cum dies ejus natalis neſciretur, una cum viro ſuo recenſetur, qua etiam de cauſa obſervat Baronius *in Notis ad Martyrol. die 12. Februarii*, ea die trium Sanctorum nomine Modeſtorum coacervationem a Majoribus eſſe factam; tali in caſu ſi particularis de eorumdem Sanctorum natali die memoria non habeatur, Martyrologium ſequendum erit potius, quam arbitratu ſuo aliquid innovare; ſi vero præfata memoria non deſit, officium recitari poterit eo die, qua veroſimilius creditur, eorumdem Sanctorum obitum eveniſſe; & ſic etiam S. Columbæ Virginis, & Martyris Cordubenſis, quamdiu ejus natalis dies latuit ob deperditas ejus Eccleſiæ tabulas, fiebat, memoria ultimo die Decembrie, quo jam die Natalis eſt S. Columbæ Senonenſis æque Virginis, & Martyris, aſt poſtquam ejuſdem natalas dies innotuit, a die 31. Decembrie ad proprium diem 17. Septembris fuit tranſlata, atque in faſtis conſignata, quemadmodum advertit Baronius in Notis ed Martyrologium *ad diem 17. Septembris*.

XXI. Mejor abſque dubio difficultas remanet, qua ſcilicet die ſit officium inſtituendum de Sancto, cujus inſignis habetur Reliquia, ſed ejuſdem natalis dies ignoratur. Verum hanc reſervamus examinandam infra in expoſitione Decreti VIII. ubi, eam vocat materiæ affinitas, quam ibi pertractare debemus.

XXII. Inquirendum adhuc ſupereſt, num ſi Sanctus cujus inſignis Reliquia aſſervatur, ſit ex deſcriptis ſub ritu duplici, vel ſemiduplici in Kalendario, ſive Eccleſiæ, aut loci Patronus ſit, poſſit bis de eodem officium fieri, una videlicet vice de eo tamquam de Titulari, aut deſcriptm in Kalendario, & altera de ejus Reliquia? Hoc revera putavere nonnulli apud Gobat *loco cit.* eo nixi fundamento, quod plures in caſo adſunt tituli adæquati, quorum unuſquiſque ex ſe ſufficiens eſt ad officii recitationem. Aſt cum hoc ab eccleſiaſtica exorbitet conſuetudine, tenendum eſt, dempto privilegio eumdem Sanctum bis in anno celebrari non debere, licet diverſos adæquatos ſortiatur titulos, quorum quilibet ſufficiens eſt ed officii inſtitutionem; hinc ſit, puta, S. Joſeph, qui ſub ritu duplici ſecundæ claſſis in Kalendario Romano invenitur deſcriptus, Patronus principalis Regni, Patronus item principalis Civitatis alicujus intra idem Regnum exiſtentis, & Tituleris Eccleſiæ, ſunt quidem hi omnes diſtincti adæquati tituli, quorum ſinguli attentis Rubricis, & Decretis ex ſe ſufficiunt ad officii inſtitutionem; aſt quis diceret hos ob quatuor titulos quater in anno officium de S. Joſeph poſſe recitari? Uti igitur hoc in caſu officium toties repetere, eccleſiaſtica conſuetudo non ſinit, ſed in ejuſdem dumtaxat Sancti natali die celebratur feſtum, quod pro omnibus præfatis titulis deſervit; ita apprime bene & pro Reliquia, ubi habetur, poterit deſervire, non officiorum multiplicationem, ſed ſolum elevationem ritum, ſi hunc jam non habeat, operantibus ſicut Rubricis in primo, ita Decretis in ſecundo eventu. Unde & in Cap. de Sanctis Angelis deciſum videbimus, in Dominiis Cæſareis bis fieri non poſſe de Sancto Angelo Cuſtode, & die ſcilicet ſecunda Octobris cum Eccleſia univerſali, & Dominica prima Septembris ratione particularis Indulti.

XXIII. Et quidem officii conceſſio ratione Reliquiæ, cum *pro ejus feſto* tantummodo ſit, in eodem feſto, ſeu natali die expirat, quoties in eo de Sancto, cujus eſt Reliquia, officium ſit, deſervitque unica officii de eodem recitatio pro omnibus titulis, quibus eſt debite, ad eum veluti modum, quo unica Miſſæ auditione ſatisfit præcepto audiendi Miſſam inſtanti & pro die Dominica, & pro Feſto de præcepto in foro in eam incidente, ac unico jejunio optime expletur jejunium debitum ratione temporis Quadrageſimalie, ac ratione Vigiliæ occurrentis, ac demum unica recitatione Horarum Canonicarum impletur præceptum urgens ratione ſacrorum ordinum, ac beneficiorum, quantumvis plurimorum.

XXIV. Hæc nonnemini videri poſſent contrarie iis quæ dedimus in Decreto VI. Cap. II., ubi ad recolendum Feſtum Tituli S. Mariæ Angelorum, vel alterius ſimilis rationis, diximus peculiarem eſſe inſtituendam feſtivitatem, nec eas de eadem B. Maria jam inſtitutas poſſe deſervire; & multo magis, quia id jam diximus item eſſe faciendum in Eccleſiis, quæ ab ejuſdem Reliquia aliqua denominationem deſumunt. Verum res haudquaquam ita ſe habet; intantum enim in memorato caſu peculiarem aſſeruimus inſtituendam eſſe feſtivitatem, & jam inſtitutas minime poſſe ſupplere, quia juxta Rubricas, & Kalendarium ipſum Romanum Titulus celebrari debet ſub ea ratione, ſub qua eſt Titulus, alias non celebraretur Titulus, ut patet: quapropter cum in aliis feſtivitatibus jam inſtitutis de B. Maria non recolantur illæ particulares rationes, ſub quibus illa eſt Titularis, neceſſe eſt, novam inſtitui feſtivitatem, & jam inſtitutas

minime deſerviunt, Officium autem ob Reliquias eſt conceſſum *pro Feſto* recitari, & ideo ſi Feſtum jam ſit inſtitutum, per hujus celebrationem ubertim & ſatisfit officio, quod ob Reliquiam inſtitui deberet, quemadmodum eadem de cauſa ibidem nos aſſeruimus id evenire in Eccleſiis ſimpliciter, & abſolute B. Mariæ dicatis, pro quibus peculiaris non inſtituitur feſtivitas, quæ inſtitui nec debet, nec poteſt, quoties Reliquia, vel ratio illa, relate ad quam conſtructa fuit Eccleſia, ad aliquam ex jam inſtitutis feſtivitatibus valet commode advocari.

XXV. Ex dictis inferes primo, abſque peculiari Indulto non poſſe ob Reliquiam officium recitari, & in die Feſto, & in die Tranſlationis, vel alio hujuſmodi, ut docet Gavantus *in Comment. Rubr. Breviar. in præliminar. cap.* 2. *nu.* 26. & cum eo Scarſantoni, *part.* 1. *lucubr. can. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 14. Etiam Rubricæ, & Decreta concedunt *pro Feſto* Patroni principalis officium, & quidem ſolemnius, utpote ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, & tamen per hoc conceſſum non intelligitur officium etiam pro die ejuſdem Tranſlationis, ut patet ex Decreto ultimo præcedentis Capitis, in quo conſulta Sacra Congregatio ſuper concurrentiam quamdam officii Tranſlationis Patroni, reſpondit: *Doceri de Indulto recitandi Officium Tranſlationis Patroni*.

XXVI. Inferes 2. ſi ejuſdem Sancti plures inſignes habeantur Reliquiæ, puta Caput, & Brachium, duplicem peculiarem feſtivitatem de eo inſtitui non poſſe, unam ob caput, ob Brachium alteram, ſed in ejuſdem Sancti feſto agetur officium duplex minus, quod & pro Capite, & pro Brachio deſerviet. Ita Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *appen.* 4. *lit. h.*, Scarſantoni *loco citato*, & Quintanad. *tract.* 7. *ſing.* 30. *nu.* 7., ubi hanc ulterius ſubdit rationem, quia ſcilicet plures Reliquiæ ejuſdem Sancti moraliter uniuntur ad unicum corpus,

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XLVI.

Duplex officium eſt inſtituendum de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano. S. R. C. 3. Junii 1617. *In una Urbis Theatinorum*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 40.

I. PEr præſens confirmationem una, ac tres limitationes præcedens accipit Decretum. Confirmationem quidem, dum ſtabilitur, *De Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, recitandum eſſe officium duplex*, ſcilicet *minus*, ut expreſſe habet præcedens Decretum, deduciturque ex altero Decreto 2. Octobris 1683., in quo ſtatuitur: *Quando pro aliquo feſto, vel officio conceſſus reperitur ritus duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligitur facta de duplici minori*. Tres vero limitationes, quarum prima fert, officium tantummodo fieri poſſe *ubi*, nempe in Eccleſia, in qua *inſignis Reliquia aſſervatur*. 2. Quod Sanctus, cujus eſt Reliquia, ſit *ex Sanctis approbatis*. 3. *Et poſitis in Martyrologio Romano*. Quod autem ſubditur de corpore integro, aut magna parte ejuſdem, vel capite, ad exemplificandum unice deſervit, quænam ex Reliquiis inter inſignes ſit habenda ad effectum recitandi de ea officium; ſed de hoc in Decreto V. hujus Capitis fuſior habebitur ſermo.

II. Prima limitatio, nimirum, eſſe ſolum recitandum officium de Sancto, cujus habetur Reliquia, *ubi hæc aſſervatur*, expreſſioribus verbis determinata apparet in Decreto 12. Maii 1618., quapropter in hujus, quod erit ſequens, expoſitione late examinabitur.

III. Secunda vero, *& ſit ex Sanctis approbatis*, non eſt intelligenda, quaſi cadat ſupra Reliquiam, reddatque ſenſum, quod Reliquia debeat eſſe approbata; ſi enim, & quomodo hoc requiratur, ſermo inſtituetur in Decretis V., & X. hujus Capitis, nec opus eſt, ſuper hoc verba facere in hujuſce expoſitione Decreti, quod tantummodo exigit, ut Sanctus, cujus habetur inſignis Reliquia, *ſit ex Sanctis approbatis*, de quorum ſcilicet ſanctitate liquido conſtat, vel, ut olim, per univerſalem Eccleſiæ traditionem communem conſenſum, vel ut nunc, per Romani Pontificis declarationem; aliquem enim eſſe Sanctum decernere ſolius eſſe Romani Pontificis, jam Alexandri III. Conſtitutione definitum eſt, *Cap. Audivimus de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, occaſione hominis cujuſdam, quem licet in potatione & ebrietate occiſum, quidam quaſi Sanctum venerabantur, cum tamen Eccleſia pro iis, qui perimuntur in ebrietatibus, vix permittat orari, dicente Apoſtolo *ad Epheſ.* 5., quod *ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt*. Ad hoc ergo, ut ob Reliquiam, quæ habeatur, inſtitui poſſit officium, debet ea eſſe Sancti, qui vel juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, vel modernam canonizatus exiſtat.

IV. Hanc itaque per limitationem excluſa primo manet poteſtas celebrandi officium de iis Dei Servis, etſi eorumdem aſſerventur Reliquiæ, qui nec per Bullam Pontificiam, nec per univerſalem Eccleſiæ traditionem, ſed ſolummodo per piam particularium Eccleſiarum, ſeu Ordinum Religioſorum devotionem tamquam Sancti ſunt habiti, ut de Simeone Metaphraſte, qui apud Græcos dicitur eſſe celeberrimus, cum tamen talis non ſit apud Latinos, ac de pluribus Regularibus, qui cum in Domino dormierint cum fama ſanctitatis, ab aſſeclis ejuſdem Inſtituti tamquam Sancti cum Domino regnantes coluntur, cum tamen extra illud eamdem non ſortiantur venerationem. Æquum namque non eſt, ut cultus ille particularis, qui eſt eſſentialiter publicus, ac nomine Eccleſiæ exhibetur, cujuſmodi eſt canonicum officium, iis Dei Servis communiter proponatur, qui ab univerſali Eccleſia non habentur in honore ut Sancti.

V. Interdicta ſecundo venit facultas officium inſtituendi de Beatis, quorum inſignes cuſtodiuntur Reliquiæ, licet de eorumdem beatificatione conſtet per Bullam Pontificiam, ac inſuper in Martyrologio Romano recenſeantur; etſi enim ſtatim ac quis declaratur Beatus, declaretur ut regnans cum Chriſto, in rigore tamen, ut optime obſervat Gavantus *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 12., Sanctus dici non valet, ſed ſolum improprie, & abuſive, cum beatificatio ſit ſolum quædam canonizatio, inchoata, imperfecta, & limitata, ſeu ſemicanonizatio, ut eam appellant Angelus Rocca *de Canoniz. cap.* 38. *in fine*, Baldelli *Theol. mor. lib.* 3. *diſp.* 12. *num.* 18., Guyetus *lib.* 2. *cap.* 19. *quæſt.* 11., aliique Doctores communiter, & in ea cultus non tam præcipitur, quam permittitur, & quidem limitate quoad locum, quoad perſonas, quoad tempus, & quoad ritum, ut fuſe conſtabit ſuo loco in explanatione plurimorum Decretorum ad hanc rem attinentium; hinc & die 27. Septembris 1659. approbante Alexandro VII., a Sacra Rituum Congregatione fuit deciſum: *Recitationem officii de Beatis non canonizatis non eſſe ſatisfactoriam præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit*.

VI. Vetitum tertio remanet, ob Reliquias officium inſtituere de quibuſcumque Dei Servis, qui nec ſecundum Stylum Eccleſiæ antiquiorem, nec juxta ejuſdem ſubſecutam diſciplinam in Sanctorum Album fuerunt relati; & quidem quantumvis ſint in pacifica cultus poſſeſſione, & eorumdem cultus non tantum ſit permiſſus, ſed præceptus ex particulari Indulto, nec intra particularia loca coercitus, ſed ad univerſalem Eccleſiam protenſus, quinimmo tametſi titulo *Sancti* communiter appellentur, quemadmodum in Decreto primo præcedentis Capitis Beatus diſtingui poſſe aſſerebamus; præſens enim Decretum ad hoc, ut ratione Reliquiæ officium fieri queat, expreſſe exigit, quod ſit Reliquia alicujus *Sancti*, & quidem non Sancti dumtaxat nuncupative, ſed *Sancti approbati*, videlicet canonizati. Et quidem ex ſtatim dicendis hoc magis patens fiet, dum nec de quibuſcumque Sanctis canonizatis officium fieri poſſe, ſtatutum apparebit, niſi inſuper ſint ex iis, quorum nomina deſcripta ſunt in Martyrologio Romano.

VII. Hæc, haud imus inficias, adverſari quodammodo videntur iis, quæ dedimus in memorato Decreto Capitis præcedentis, ubi nonnullos ex Beatis, præſertim qui titulo gaudent Sanctorum in univerſali Eccleſia, in Patronos locorum aſſumi poſſe non improbabile reputavimus; ſi enim hujuſmodi in Patronos eligi valent, ac conſequenter de iiſdem inſtitui poteſt officium ſolemne ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava, cur ratione eorumdem Reliquiæ inſignis, quæ habeatur, recoli non poterunt cum officio duplici dumtaxat minori?

VIII. Verum diſpar ſatis eſt ratio, quoniam ut quis in Patronum aſſumi queat, Decretum dumtaxat expoſtulat, quod *in Eccleſia univerſali titulo Sanctorum colatur*; ut autem de eo ratione Reliquiæ officium inſtitui valeat, præſens vult Sanctio, non quidem quod in Eccleſia univerſali titulum obtineat, ſed quod ſit *ex Sanctis approbatis*, adeoque, etſi Servi illi Dei, qui tamquam Sancti in Eccleſia univerſali coluntur, Sanctorumque titulum habent, quantumvis non ſint canonizati, in Patronos eligi queant, non tamen de iiſdem ratione Reliquiæ officium inſtitui poterit, cum adhuc non ſint *ex Sanctis approbatis*, ſeu canonizatis. Et quidem quod plus requiratur ad faciendum officium ratione Reliquiæ, quam ad hoc, ut quis in Patronum eligatur, ſatis evidens eſt, quia, ut ob Reliquiam officium inſtituatur, nec ſufficit, quod Sanctus ſit ex approbatis, ſeu canonizatis, ſed ulterius exigitur, quod ejuſdem nomen deſcriptum reperiatur in Martyrologio Romano, cujus deſcriptionis nulla apparet neceſſitas ad electionem Sanctorum in Patronos, cum Decreta hujuſmodi deſcriptionis nullam agant mentionem, nec ullibi ejuſdem neceſſitatem deſignent.

IX. Cur autem ita factum extiterit, ratio eſſe poteſt, quia Sancti canonizati, tametſi in Martyrologio Romano minime ſint deſcripti, jus habent ad ea omnia, quæ competunt Sanctis rite in Sanctorum Album relatis, inter quæ utique eſt Altarium, & Eccleſiarum erectio in eorumdem honorem, ac conſequenter & eorumdem electio in Patronos locorum; quapropter citra injuriam dicto jure ſpoliari nullatenus potuerunt, nec debuerunt, adeoque nec conſequenti jure habendi officium duplex primæ claſſis cum octava, quod hoc ipſo iiſdem competit in vi Rubricarum de Patronis principalibus Eccleſiarum, & Locorum tale officium demandantium. Quod autem Sancti canonizati ratione Reliquiæ inſignis officium habeant, non eſt jus quoddam vi ſanctitatis approbatæ iiſdem competens, quinimmo nec vi Rubricarum, cum iſtæ ratione Reliquiæ nullibi præſcribant officium eſſe faciendum, ſed merum eſt Indultum, & gratioſa conceſſio, atque adeo abſque ulla injuria iiſdem potuit denegari, & congruam ob rationem inferius referendam reipſa iis, qui in Martyrologio Romano minime ſunt deſcripti, extitit denegatum.

Eadem de cauſa conceſſio officii ob Reliquiam fuit reſtricta ad Sanctos approbatos, nec extenſa ad illos Dei Servos, qui cum canonizati non ſint, titulo tamen Sanctorum ſcientibus Summis Pontificibus in Eccleſia univerſali coluntur, qui tamen cum ab immemorabili forent in poſſeſſione cultus Eccleſiarum ſibi dicatarum, & ſui electionis in Patronos, & titulus ipſe *Sanctorum*, quo ab univerſali venerantur Eccleſia, id juris ipſis tribuat, non videbantur forſitan congrue dicto jure poſſe privari, ac conſequenter nec titulo habendi in caſu officium duplex primæ claſſis cum octava; hinc & Urbanus XIII. in ſuis Decretis jus ſuum integrum præfatis Dei Servis præſervavit, ſeſeque declaravit, iiſdem nullum velle præjudicium inferre.

X. Dices hinc ſequi, etiam quoslibet alios Beatos poſſe in Patronos aſſumi, cum præcedenter quilibet indifferenter ex iiſdem, licet in Eccleſia univerſali titulo Sanctorum minime culti, in Patronos locorum eligerentur, & memoratus Urbanus VIII. in ſuis Decretis nec illis, qui ab immemorabili id cultus habebant, in nullo voluerit præjudicare.

XI. ℞. Diſparem eſſe rationem, quoniam illi Dei Servi, qui cultum Sanctorum habebant, jam jus habebant ad Eccleſiarum erectionem in eorumdem honorem, ac conſequenter etiam ad ſui electionem in Patronos locorum, cum hæc ſit pars cultus, quæ Sanctis debetur, ut patet ex Bullis Canonizationum, in quibus in honorem Sanctorum canonizatorum hæc fieri conceduntur. Qui autem nec erant canonizati, nec titulum, nec cultum Sanctorum in Eccleſia univerſali ſortiebantur, jus nullum habebant ad Eccleſiarum erectionem in ſui honorem, cum hujuſmodi honor Beatis non debeatur, atque adeo etſi quibus talis honor fuerat impenſus, quoad præteritum, & factum Urbanus VIII., & Sacra Congregatio nihil voluerint eſſe innovandum, ac conſequenter in ſua eoſdem poſſeſſione eſſe manutenendos, attamen quoad futurum, & poſterum præfatus Urbanus VIII., & Sacra Congregatio in Decreto 23. Martii 1634. dicto jure, & cultu, qui minime iiſdem competebat, illos privandos eſſe cenſuerunt.

XII. Non ſufficit autem, ut ob Reliquiam officium inſtituatur, quod Sanctus ſit ex approbatis ſeu canonizatis, ſed ulterius exigitur, quod ſit ex deſcriptis in Martyrologio Romano, ut ſtatuitur per ea verba Decreti: *Et poſitis in Martyrologio Romano*, & inferius idem ſancitum videbimus in Decretis IX., X., & XI. hujus Capitis. Quatuor alia recenſet Decreta Eminentiſs. Lambertini, nunc ad Summum Pontificatum evectus, *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 29. nu. 19., & ſeqq.*, quorum primum editum fuit die 6. Aprilis 1658., in quo ad inſtantiam Cleri SS. Petri, & Pauli Loci Piticii Materanen. Diœceſis, ſupplicantis ſibi benigne indulgeri de quibuſdam Martyribus, quorum Reliquias habebat, recitari poſſe officium cum octava, quod jam ſub ritu duplici majori celebrare ſolebat, Sacra Congregatio reſpondit: *Nec licuiſſe, nec licitum eſſe, Oratoribus recitare officium intuitu Reliquiarum de Sanctis, qui non recenſentur in Martyrologio Romano*. Secundum eſt de die 17. Aprilis 1660., in quo petentibus Priore, & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Angeli Civitatis Viterbienſis, ut dies ſeptima Octobris aſſignaretur pro recitando officio in honorem SS. Savini, & Eugenii, quorum Corpora in ipſorum Eccleſia aſſervabantur, eadem Sacra Congregatio reſpondit: *Eas non poſſe recitare officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyrologio Romano*. Tertium emanatum fuit 21. Januarii 1662., in quo inſtantibus Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ S. Martini Turonen. pro facultate celebrandi ſub ritu duplici officium de Tranſlatione S. Venturini Martyris, cujus Corpus fuerat ipſis dono datum ab Epiſcopo Heliopolita, Sacra item Congregatio reſpondit: *Obſtare Decreta, quia non eſt de expreſſis in Martyrologio Romano*. Quartum demum editum fuit 20. Novembris 1683., in quo eadem Congregatio declaravit: *Non licuiſſe, nec licere recitare officia de Sanctis intuitu inſignium Reliquiarum, niſi conſtet de identitate earumdem, quod ſint videlicet de Corpore illorum Sanctorum, de quibus ea die fit mentio in Martyrologio Romano, & non aliorum ejuſdem nominis*.

XIII. Quemadmodum acturi de Martyrologio Romano, ſuo loco late trademus, plurima collecta fuerunt Sanctorum Martyrologia, quæ cum uſquequaque perfecta, & erroribus vacua non eſſent, Summi Pontifices neceſſarium eſſe duxerunt, curare, ut fieret, quantum fieri poterat, editio Martyrologii correcti, in omnibus Eccleſiis legendi. Cura itaque hæc a Gregorio XIII. demandata fuit ſeptem excellentibus Viris, qui opus perfecerunt, & triplex facta eſt editio novi Martyrologii correcti, ſed cum prima, & ſecunda mendis ſcaterent, purior, & ſincerior habita eſt illa, quæ facta fuit anno 1584., & huic tantum, ut legitimæ, atque germanæ acceſſerunt Literæ Apoſtolicæ datæ die 14. Januarii eodem anno, teſte Baronio *in Præfatione ad Martyrologium Romanum cap.* 8. qui anno 1586. ejuſdem Martyrologii novam fecit editionem cum adnotationibus magna eruditione confectis, nonnullis etiam in Textu factis immutationibus, at paucis tamen, & cum conſenſu, atque auctoritate Summi Pontificis, ut idem refert *cit. cap.* 8.. Sub Urbano VIII. facta fuit recognitio Baronianæ editionis, addita fuerunt nomina Sanctorum ſubſequenter canonizatorum, & Textus fuit multis in locis emendatus ad fidem Hiſtoriæ, teſte Gavanto *ſect. 5. cap. 21. num.* 7.. Hoc igitur eſt Martyrologium, quod *Romanum* dicitur, quodque a Gregorio XIII. in Choro legendum eſſe mandatur, & in eo inſerta eſſe debent nomina Sanctorum, ut ob eorumdem Reliquias, quæ habentur, officium fieri valeat. Verum cum noviſſimis hiſce temporibus Benedictus XIV. eruditione plurima & emendatione novam Martyrologii editionem molitus fuerit, non amplius illi, ſed huic modo ſtandum eſt.

XIV. Non eſt autem hujuſmodi Martyrologium, niſi Catalogus quidam Sanctorum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuſcujuſque laudem elogio. Certum tamen eſt, quod in eodem haud deſcripta inveniuntur nomina omnium Sanctorum canonizatorum ſive juxta antiquam, vel modernam Eccleſiæ diſciplinam; omnes tamen hujuſmodi Sancti jus habent, ut in eo deſcribantur, ſive loquamur de illis, qui poſt editionem Martyrologii a Summis Pontificibus in Album Sanctorum ſubinde relati fuerunt, ſive loquamur de aliis, qui aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis fuerunt canonizati; de omnibus enim eædem prorſus militant rationes, necnon quamplurima exempla idem aſſumptum comprobantia, quoniam nedum Sanctorum, qui poſt editionem Martyrologii in Sanctorum Album relati fuerunt, ſed etiam plurium aliorum, qui aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis præcedenter fuerant canonizati, ut S. Leonis III. ex Decreto Congregationis apud Bollandianos *ad diem* 12. *Menſis Junii tom.* 1., SS. Ptolomæi Diſcipuli S. Petri, & Romani Epiſcopi Nepeſini Martyrum anno ſolum 1672., S. Petri Eremitæ anno 1691., S. Stephani Abbatis Ordinis Grandimontenſis Inſtitutoris anno 1696., & plurium aliorum, quos opus haud eſt ulterius recenſere, nomina poſtmodum invecta fuerunt.

XV. Hujuſmodi autem additiones, vel mutationes, quæ factæ fuerunt in Martyrologio Romano, contrariæ non ſunt Litteris Apoſtolicis Gregorii XIII., quoniam additionis, & mutationis prohibitio, quæ fit per dictas Litteras, locum tantum habet in additionibus, & mutationibus factis authoritate privata, ſed non in illis, quæ fiunt intercedente Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Cum vero Sacrorum Rituum Congregationi plurimæ porrigerentur ſupplicationes, & inſtantiæ pro deſcriptione alicujus nominis in Martyrologio, ab eadem Congregatione edita fuere nonnulla Decreta pro admittendis, vel rejiciendis conſimilibus petitionibus; quorum primum eſt de die 30. Julii 1616., in quo ſtatuitur: *In Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos eſſe Sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui declarati fuerunt Beati poſt ultimam impreſſionem dicti Martyrologii Romani*; quod & confirmatum extitit per aliud Decretum 8. Aprilis 1628., necnon per aliud 31. Auguſti 1680., in quibus pariter ſancitum extitit, in dicto Martyrologio non eſſe apponendos, niſi Sanctos canonizatos, non autem beatificatos duntaxat.

XVI. Hoc tamen diſcrimen eſt inter Sanctos poſt impreſſionem dicti Martyrologii canonizatos, & inter eos, qui præcedenter aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis canonizati fuerunt, quod illis, cum de eorum canonizatione non diſputetur, & conſtet, negari non poteſt præfata deſcriptio, & ex ſe jus habent, ut deſcribantur, ſolumque approbari debet per Sacram Congregationem elogium in dicto Martyrologio apponendum, uti colligitur ex allegatis Decretis, necnon ex Reſcripto ejuſdem Congregationis 14. Decembris 1715. pro deſcriptione nominis Sancti Joannis de Deo, & ex altero Reſcripto pro deſcriptione S. Pii V. die 1. Julii 1713., in quibus ſupponitur, dictos Sanctos in Martyrologio Romano de jure eſſe recenſendos, ſolumque approbatur elogium in eorumdem laudem apponendum. Iſti vero, cum eorum canonizatio ſit probanda, jus non habent ad ſui deſcriptionem, niſi prius in Sacra Congregatione approbata ea fuerit, cujus unice defectu plenæ probationis in dicto Martyrologio, cum primum editum fuit, eorumdem nomina omiſſa fuerunt; & ideo in dicta Congregatione prius dubium proponitur: *An eorum nomen ſit deſcribendum in Martyrologio Romano*, & tunc diſcutitur de eorumdem legitima canonizatione, & nonniſi habita affirmativa reſolutione, agitur de elogio, cum quo deſcribi debent.

XVII. Quoad Beatificatos vero, & ſignanter poſt editionem Martyrologii factam tempore Gregorii XIII., & Sixti V., & multo magis poſt editionem tempore Urbani VIII., urget regula, & diſpoſitio ſupra memoratorum Decretorum, ſcilicet, quod non ſunt in Martyrologio Romano deſcribendi, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis Sacrorum Rituum Congregationi exponendis ipſa ſummo Pontifici id conſilium præſtet, tum Summus Pontifex annuat deſcriptioni eorumdem nominum in Martyrologio ipſo Romano, & hoc pacto introducta in ipſum fuere quamplurima nomina Beatorum, quemadmodum videre eſt in ipſo Martyrologio Romano, cum primitus in eo non haberentur deſcripti niſi Beatus Rocchus, & Beatus Joannes Columbinus, qui tamen ſunt ex Beatis præviis ad additionem Martyrologii factam tempore Gregorii XIII., ac conſequenter ex iis, de quibus minime procedunt ſuperius allegata Decreta. Cum itaque ad deſcriptionem præfatam requiratur ſpecialis conceſſio a Summo Pontifice confirmanda, & plura adſint exempla in quibus negata fuit Beatorum dicta deſcriptio, & aliorum ex gratia ſpeciali conceſſa, etiam in caſu Beatorum Beatificatione formali, patens utique eſt, quod jure ſuo nomina Beatificatorum quorumcumque non ſunt in Martyrologio Romano decribenda.

XVIII. Supereſt quædam difficultas, & hæc conſiſtit in examinando, an jure ſuo deſcribi valeant in Martyrologio nomina illorum, qui ſunt in poſſeſſione cultus immemorabilis, & multo magis ſi ab immemorabili tempore fuerint Sancti appellati, atque in eorum honorem, vel ab immemorabili tempore, vel ex Apoſtolica conceſſione fuerit Miſſa celebrata, & recitatum Officium. De his quippe loquendo, nonnulli ſentiunt, eos non eſſe comprehenſos citatis Decretis, tum quia nihil ipſis deeſt de eo, quod attinet ad canonizationem, tum quia nunquam dici poſſunt declarari Beati poſt ultimas editiones Martyrologii Romani, tum etiam quia ſi habent cultum officii, & Miſſæ, qui utique eſt major cultu deſcriptionis nominis in Martyrologio Romano, eis de jure nominis deſcriptio in eodem Martyrologio competere poſſe videtur; uti hæc, & ſimilia afferendo, late proſequuntur Pignatellus *Conſult. 33. num. 4.*, & Dominicus Fantinellus *in ſuo Reſponſo* 111. *cum duobus ſeqq.*

XIX. Verum hac in re opus eſt diſtinctione; Aut enim agitur de illis, qui ante Decretalem *in cap. Audivimus de Reliquiis & venerat. Sanctor.* coli cœperunt in Eccleſia univerſali non tam lege aliqua, quam conſuetudine conſenſu Summorum Pontificum, ſaltem tacito, approbata, necnon de illis, qui ante pariter prædictam Decretalem coli cœperunt in certis Provinciis ex Decreto particularium Epiſcoporum, & quorum cultus extenſus fuit ad univerſalem Eccleſiam, non tam lege aliqua Summi Pontificis, qui ſolus poteſt toti Eccleſiæ leges dare, quam conſuetudine ubique recepta, & ab ipſo Pontifice, conſenſu ſaltem tacito, approbata; & quoad iſtos, qui ſunt in tali poſſeſſione cultus immemorabilis, nulla eſt difficultas, quod verificatis verificandis in Sacrorum Rituum Congregatione, non ſint jure ſuo eorum nomina deſcribenda in Martyrologio Romano, cum hi juxta tunc temporis diſciplinam ſint vere, & propriæ canonizati.

XX. Aut agitur de illis, qui ſunt quidem in poſſeſſione cultus immemorabilis, ſed tantum poſt tempora dictæ Decretalis, & quorum cultus immemorabilis fuit in Sacrorum Rituum Congregatione diſcuſſus, & approbatus; & hi, non obſtante quod appellentus Sancti, & quod in eorum honorem fuerit vel ab immemorabili tempore, vel ex conceſſione Apoſtolica Miſſa celebrata, & recitatum Officium, non ſunt deſcribendi in Martyrologio Romano, niſi ex ſpecialibus circumſtantiis id ipſis a Sacra Congregatione indulgeatur. Primo quia revera canonizati dici non poſſunt aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis: 2. Quia Beatificati ad ſummum dici poſſunt quadam æquipollenti Beatificatione, unde ſi Poſtulatores poſt obtentam a Sacra Congregatione approbationem eorumdem cultus immemorabilis, cauſas eorum proſequi velint, eoſque ad canonizationem perducere, debent probare tum virtutes, quatenus antea non fuerint diſcuſſæ, & approbatæ, tum miracula. 3. Quia cum Beatificati Beatificatione formali poſt ultimas editiones Martyrologii non deſcribantur in Martyrologio Romano, incongruum profecto eſſet, ut non deſcriberentur nomina eorum, qui fuerunt Beatificati Beatificatione formali, prævia diſcuſſione tum virtutum, tum miraculorum; deſcriberentur autem nomina illorum, qui fuerunt Beatificati Beatificatione æquipollenti, hoc eſt dependenter a cultu immemorabili, & ſine prævia diſcuſſione virtutum, ac miraculorum. 4. Quia pluses, & plures adſunt, quorum cultus immemorabilis fuit approbatus, & quibus facta fuit conceſſio Officii, & Miſſæ, abſque eo quod eorum nomina fuerint deſcripta in Martyrologio Romano, uti patebit unicuique conſideranti ſeriem eorum hujuſmodi Beatorum, qui in particularibus locis cum Officio, & Miſſa honorantur; refertque Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex Maximus, *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 17. num. 13.*, quod dum ipſe munere fungebatur Fidei Promotoris, bis promota fuit in Sacrorum Rituum Congregatione inſtantia pro obtinenda deſcriptione nominis in Martyrologio Romano cujuſdam Beatæ, cujus cultus immemorabilis fuerat approbatus, & in cujus honorem jam facta fuerat conceſſio Officii, & Miſſæ cum lectionibus propriis, & inſtantia quidem ipſa bis pariter rejecta fuit, ideſt tum die 13. Julii 1709., tum die 11. Julii 1716. Ut autem egregie ſubdit præfatus celeberrimus Auctor, id quod dictum eſt quoad eos, quorum cultus fuis diſcuſſus, & approbatus in Sacrorum Rituum Congregatione, a fortiori ſibi vindicat locum in aliis, qui poſt dictam Decretalem ſunt in notoriâ poſſeſſione cultus immemorabilis, abſque eo quod tamen fuerit ille diſcuſſus, & approbatus in Congregatione Sacrorum Rituum.

XXI. Ex his abunde patet ad argumenta ſuperius producta, ex quibus nonnulli, ut dicebamus, ducuntur ad ſentiendum in oppoſitum. Ad primum quidem eos non eſſe canonizatos, alias ad eorumdem canonizationem non eſſet procedendum contra quotidianam Eccleſiæ diſciplinam, quæ ad dictorum Dei Servorum canonizationem procedit. Ad 2. poſt dictas editiones declaratos fuiſſe Beatos, dum eorum cultus immemorabilis fuit in Sacra Congregatione diſcuſſus, & approbatus, vel ab Urbano VIII. declaratum extitit, eoſdem in ſuo cultu eſſe manutenendos. Deinde memoratorum Decretorum ſenſum ſatis nobis oſtendit Clemens Papa XII., qui ad præoccupandas inſtantias, quæ ſæpe fieri ſolebant pro Beatis prædictis deſcribendis in Martyrologio Romano, ſequens edidit Decretum: *Cum alias Sacrorum Rituum Congregatio die 30. Julii 1616. annuente Sanctæ Memoriæ Paulo V. ſtatuerit, in poſterum non eſſe amplius apponendos in Martyrologio Romano Beatos quoſcumque, ſed ſolum canonizatos* (notentur hæc verba) *idemque Decretum a Sacra eadem Congregatione ſub die 31. Aug. 1680. fuerit denuo renovatum, & a Sanctæ Memoriæ Innocentio XI. confirmatum; nunc ad præoccupandas inſtantias, quæ ſæpe fieri ſolent pro prædictis Beatis, eadem Sacra Congregatio præſenti Decreto ſuo mandat, & præcipit ſupra memorata Decreta omnino in poſterum eſſe exequenda, ac in Martyrologio Romano noviſs Sanctos tantum canonizatos deſcribi poſſe, & apponi debere, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit: Die 13. Februarii 1734. Factaque deinde per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi XII. relatione, Sanctitas ſua Decretum iſtud Sacræ Congregationis confirmavit, & approbavit, atque in poſterum inviolabiliter ſervari juſſit: Die 6. Martii ejuſdem Anni 1734.* Ad 3. cultum Officii, & Miſſæ eſſe quidem majorem cultu deſcriptionis præfatæ, quoties officium eſt extenſum ad univerſalem Eccleſiam, ſecus vero ſi ſit coercitum ad particularia aliqua loca, vel perſonas, quoniam cultus, qui cauſam habet a deſcriptione nominis in Martyrologio Romano, eſt cultus extenſus ad Eccleſiam univerſalem; quatenus tamen deſcriptio nominis in Martyrologio Romano cultum importet, de qua re inferius habebitur ſermo. Verum quidquid ſit de hoc, exempla propemodum infinita eorum Beatorum qui in particularibus locis cum officio divino honorantur, & tamen in Martyrologio Romano non recenſentur, abunde demonſtrant, non valere illationem a conceſſione Officii, & Miſſæ pro aliquo determinato loco ad deſcriptionem nominis in Martyrologio Romano; conſtatque ex Rubricis ipſis dicti Martyrologii, in quibus permittuntur quidem annunciari, etiam primo loco, in Martyrologio nomina eorum, de quibus in particularibus locis recitatur officium, & non eorum nomina in eodem Martyrologio deſcribi.

XXII. His prælibatis hora profecto eſt, redeamus ad explanationem Decreti, in quo, uti dicebamus, exigitur, quod Sanctus ſit ex deſcriptis in Martyrologio Romano, ad hoc ut intuitu Reliquiæ de eodem officium fieri valeat. Martyrologium Romanum eſt catalogus Sanctorum ſumma diligentia confectus, & quantum fieri potuit, accurata ejuſdem, ac emendata, & omnibus numeris abſoluta prodiit editio; & licet inconcuſſæ, & infallibilis veritatis non ſint, quæcumque in eo reperiuntur inſerta, ut colligitur ex mutationibus, & correctionibus Sancta ipſa Sede demandatis, quinimmo nec deſint, qui contendant adhuc in dicto Martyrologio errores corrigendos ſupereſſe, attamen per hoc non minuitur ejuſdem auctoritas Martyrologii, opera tot illuſtrium virorum, & tot accedentibus laboribus emendati, uti late oſtendit Theophilus Raynaudus, *in ſua Anagnoſte ad eccleſiaſticam menſam §. 7. Operum tom. 13.*, & *in tract. de Martyrio per peſtem cap. 3. nu. 4. & ſeqq. Operum tom. 18.*; hinc *in admonit. 11. ad ſuum Martyrologium* per hæc verba admonet Florentinius: *Ceterum etſi aliqua videantur animadverſione digna, non cujuſque juris eſt, cenſorem agere, ſed expectandum, quouſque, re mature diſcuſſa, emendationem, ſi opus eſt, Eccleſia ipſa decernat.* Accedit, quod ſi quid minus certi forſitan in eo eſt reperire, ad Geſtorum memoriam, ac ad hiſtoriæ fidem facile pertinebit, non autem ad ſanctitatem deſcriptorum, quoniam ſi quid minimum dubium ſuper hanc incideret, nec dubito, quod ſtatim eorumdem nomina expungerentur, ſicuti hac de cauſa tempore Urbani VIII. Sulpitius Severius ex eodem Martyrologio Romano abraſus fuit, teſte Florentinio *loco ſupra citato*, & ſimiliter præſtitit noviſſime Benedictus XIV.

XXIII. Cum itaque in Martyrologio Romano deſcripti non reperiantur, niſi illi Dei Servi, quorum Sanctitas ab Eccleſia ipſa fuit quodammodo approbata, ac accurato examini ſubjecta, & qui apud univerſam Eccleſiam reperiantur in poſſeſſione publici cultus, eos dignos Sacra Congregatio adjudicavit, ut ubicumque particularem ſolemnem ſibi vindicent celebritatem ratione inſignis eorumdem Reliquiæ ibidem aſſervatæ; ſpecialius itidem coli poſſent, ac iiſdem exhiberi valeret particularii ille publicus cultus, ab Eccleſia inſtitutus, ac ejuſdem nomine præſtitus, videlicet divinum officium; quod exhiberi congrue paſſa non eſt Sanctis illis, ſeu Dei Servis, quorum nomina in dicto Martyrologio inſerta minime fuerunt, utpote quorum ſanctitas ab ipſa examinata plene non extitit, & adhuc foret probanda pro eorumdem deſcriptione in Martyrologio, quanto autem magis pro conceſſione officii, quod eſt particularis quidam cultus nomine ejuſdem exhibitus? His itaque voluit præſervandum eſſe cultum, ac venerationem fidelium, in cujus poſſeſſione ſunt, ſed non putavit ulterius eſſe indulgendum quoad Officium, & Miſſam ob Reliquias, quæ habentur, utpote qui ex vi Rubricarum officium minime important, ſed ex gratioſo dumtaxat, ut dicebamus, Indulto, nec dicti Sancti in legitima ejuſdem ſupponuntur poſſeſſione, ut magis patebit ex dicendis in expoſitione Decreti X.

XXIV. Decretum itaque non abſolute quidem inhibet officium recitari, niſi in honorem eorum, quorum nomina ſunt in Martirologio Romano deſcripta, alias adverſaretur tum Rubricis ejuſdem Martyrologii ſupponentibus, quod in aliqua Eccleſia celebrari poſſit officium alicujus Sancti, cujus nomen in eo deſcriptum non eſt, dum in eo caſu in dicto Martyrologio ab iiſdem præfati Sancti nomen primo loco pronunciari poſſe aſſeritur; tum conſuetudini Sanctæ

Sedis,

Sedis, de cujus conceſſione in particularibus locis recitatur officium in honorem Sanctorum non deſcriptorum, quinimmo & & Beatorum tam Beatificatione formali, quam ſola æquipollenti. Sed dumtaxat dictum officium inſtitui vetatur titulo Reliquiarum, quæ habeantur, qualiter ceteris in dicto Martyrologio deſcriptis univerſaliter indulgetur. Sedique Apoſtolicæ, apud quam verificari debent verificanda in hujuſmodi rei contingentia, facultas reſervatur diſponendi, prout melius ipſi videbitur, quæ quandoque ex gravibus cauſis, & circumſtantiis particularibus etiam officium fieri indulſit de Sancto aliquo ob ſacras exuvias, de quibus non conſtabat eſſe illius, de quo fiebat mentio in Martyrologio Romano, qualiter de die 26. Novembris 1676. conceſſit Metropolitanæ Senenſi Eccleſiæ pro S. Sergio Martyre.

XXV. Sit igitur Sanctus, cujus inſignis Reliquia habetur, ſignis, ac miraculis illuſtris, ſit a fidelibus magna in veneratione habitus, publicoque cultu honoratus, ſit ejuſdem ſanctitas certa, cujuſmodi ſunt Sancti illi Martyres, quorum corpora ex Sacris Romæ Cœmeteriis extrahuntur, ſit deſcriptus in quolibet Martyrologio, quod non ſit Romanum, puta Hieronymi, Bedæ, Adonis, Uſuardi, aut cujuſcumque alterius Auctoris, ſit ex Sanctis, de quibus alicubi officium fit ex conceſſione Apoſtolica, vel ex tempore immemorabili, ſit ex iis, in quorum honorem Altaria ſunt erecta, Eccleſiæ extructæ &c., ſi inſuper non eſt ex deſcriptis, ſeu poſitis in Martyrologio Romano, nullatenus de eo, etſi inſignis Reliquia, aut Corpus integrum habeatur, officium fieri poteſt, dummodo tamen ſuper hoc Sedes Apoſtolica ſpecialiter non indulſerit, ut colligitur ex præſenti Decreto, & adhuc clarius ex Decreto X. hujus Capitis.

XXVI. Non imus tamen inficias, quod ſufficiat ad agendum officium de Sancto, cujus inſignis Reliquia aſſervatur, quod vel expreſſo, vel ſuppreſſo nomine in Martyrologio Romano poſitus reperiatur; unde ſi inſignis Reliquia alicujus, puta ex Sociis S. Urſulæ, quæ non proprio nomine, ſed *Sociarum* in præfato Martyrologio exprimuntur, haberetur, de eadem officium inſtitui poſſet; Decretum enim ſolummodo requirit, quod Sancti ſint poſiti in Martyrologio Romano, nihil addens ſuper nominis expreſſionem; qua etiam de cauſa ſufficere ad effectum exiſtimamus adhuc generaliorem, quæ in dicto Martyrologio habeatur, adnotationem Sanctorum, ut 25. Decembris *Nicomediæ Paſſio multorum millium Martyrum*, dummodo tamen conſtet de identitate Corporis aut Reliquiæ inſignis, videlicet illud Corpus, vel inſignem Reliquiam, quæ habetur, eſſe alicujus ex illis Sanctis Martyribus, qui ſic ſuppreſſo nomine, & generaliori adnotatione in Martyrologio deſcripti habentur. De Sancto autem, cujus habetur Reliquia inſignis, & nomen ignoratur, fiet officium, ut in reſpectivo Communi, abſque ullius in Oratione, aut alibi nominis expreſſione.

XXVII. Verum adhuc nobis liceat Decretum ulterius extendere, ad Sanctos ſcilicet omnes, quorum nomina licet in Martyrologio Romano deſcripta non inveniantur, habent tamen jus integrum, ut in eodem adnotentur, ut Sancti illi, quos in Romano Martyrologio poni poſſe vel Summus Pontifex, vel Sacra Congregatio indulſit, licet poſtea in eodem Martyrologio deſcripti non fuerint, vel quia poſt tale Indultum facta non fuit ejuſdem Martyrologii impreſſio aliqua, aut ſi hæc habita fuit, ex Typographorum incuria, vel ex oblivione, aut inſcientia Decreti in præfato Martyrologio inſerti minime fuerunt; iſti enim jure, ſi non in re habentur in Martyrologio Romano, perindeque ſunt cenſendi, ac ſi de facto in eodem recenſerentur; quocirca ſtatim ac conſtat emanatio Decreti, ſeu Indulti, ut Sanctus aliquis in Romano ſcribatur Martyrologio, ſi ejuſdem Sancti habeatur Reliquia inſignis, ceteræque concurrant conditione exactæ, nihil obeſt, quominus officium duplex de eo fieri poſſit.

XXVIII. Ex quo inferes primo, quod cum ex Decretis ſuperius allegatis Sancti quilibet poſt dictas impreſſiones Martyrologii in Sanctorum Album relati, jus habeant ad ſui nominis deſcriptionem, in Martyrologio prædicto, nec novi alicujus ob id ſit neceſſaria emanatio Decreti, ſed ſolum pro componendo, vel approbando elogio, cum quo debent deſcribi, titulo Reliquiæ inſignis inſtitui poterit officium, ſtatim ac aliquis in Sanctorum Catalogo adſcriptus fuit, etſi nullum fuerit latum particulare Decretum de illius deſcriptione in dicto Martyrologio, quinimmo nec ſuper elogium, cum quo ejuſdem nomen inſeri debet; adhuc enim ex prædictis generalibus Decretis jus habet ad præfatam deſcriptionem.

XXIX. Inferes ſecundo Sanctos quoslibet præcedenter ad dictas impreſſiones aliquo ex modis ab Eccleſia approbatis canonizatos tali jure non gaudere, ſed pro eorumdem deſcriptione neceſſarium eſſe, quod prodeat particulare Decretum, unde, ut ſuperius aſſerebamus, de hujuſmodi Sanctis prius in Sacra Congregatione proponitur, *num eorumdem nomen ſit deſcribendum in Martyrologio Romano*, & non proceditur ad Decretum pro formatione, & approbatione elogii, niſi habita reſolutione affirmativa pro ejuſdem nominis deſcriptione. Fit igitur, quod præfati Sancti, cum præcedenter ad hanc particularem affirmativam reſolutionem nec reipſa, nec jure ſint in Martyrologio Romano deſcripti, titulo inſignis Reliquiæ officium habere non poſſint, bene vero dicta efformata affirmativa reſolutione, cum tunc jure, ſi non in re dictam habeant deſcriptionem. Quod autem diximus ſuperius de jure; quod

ad ſæpius repetitam habent deſcriptionem iſti Sancti, non eſt jus proximum, quod ad effectum, de quo agitur, exigitur, ſed jus quoddam dumtaxat remotum, in actum ſecundum non deducendum, niſi verificatis verificandis in Sacra Congregatione, & allatis probationibus canonizationis jam habitæ, ac conſequenter nonniſi habito memorato alio particulari Decreto, quo deſcribi eoſdem poſſe declaretur.

XXX. Inferes 3. Quod cum ex dictis Beati quilibet jus nullum habeant, ad hoc ut in Martyrologio Romano inſerantur, ſed ad id exigatur ſpecialis, & gratioſa conceſſio, nulli eorumdem intuitu Reliquiarum officium habere queunt, tametſi poſt dictas impreſſiones Martyrologii in Beatorum numero fuerint recenſiti; de jure enim, ut memorata cantant expreſſe, & diſerte Decreta, tantummodo canonizati locum habent in Martyrologio Romano, non autem beatificati dumtaxat; quapropter omnes ex iiſdem, qui reipſa in dicto Martyrologio non recenſentur, etiam ex defectu hujuſce conditionis ab habendo officio ob Reliquias depelluntur, quando adhuc aliunde minime repellerentur. De iiſdem, quorum nomina in Martyrologio Romano inſerta fuerunt ex conceſſione Apoſtolica, potior urgeret difficultas; aſt cum Decretum, ut ſuperius aſſerebamus, duo copulative expoſcat, videlicet & quod deſcripti ſint in Martyrologio, & quod ſint ex Sanctis approbatis, ex hoc capite profecto rejiciuntur, in nihilo ſuffragante præfata deſcriptione, quæ quando etiam importaret cultum extenſum ad univerſalem Eccleſiam, ut contendunt nonnulli, adhuc non conſtituit eos Sanctos approbatos, & canonizatos, ſed eoſdem in linea Beatorum relinquit, & ſolum eorumdem cultum, qui regulariter limitatus eſt ad quædam loca, & perſonas, dilatat, ac ad univerſalem Eccleſiam extendit, unde & de eiſdem non tamquam Sanctis, ſed tamquam Beatis mentionem inſtituit. Qui autem ita habet cultum extenſum, non continuo Sanctus eſt, cum & adſint Beati, qui talem cultum per particularem conceſſionem obtinuere, & tamen per hoc non fuerunt canonizati, neque declarati Sancti, ut diximus in Decreto I. Capit. III., conſtatque ex Adverſariis ipſis, qui Beatos, qui deſcripti ſunt in Martyrologio, canonizari poſſe minime denegabunt; qui autem canonizatus eſt, non indiget canonizari.

XXXI. Inferes 4. De Sanctis canonizatis, quorum habentur Reliquiæ, officium inſtitui poſſe tametſi in Martyrologio Romano ſub titulo *Beatorum*, vel adhoc *Venerabilium* reperirentur deſcripti, dummodo conſtet, eoſdem vere eſſe ex illis, qui juxta modernum, vel antiquum Eccleſiæ ſtylum Sanctorum numero cooptati fuerunt; per dictam enim deſcriptionem non deſinunt eſſe Sancti vere canonizati, ut dicebamus exponentes Decretum I. Capitis præcedentis, & inſinuat Baronius *in Notis ad Martyrologium ad diem* 27. *Maji*, ubi ait Bedam, etſi titulo *Venerabilis* in Martyrologio recenſeatur, adhuc uti Sanctum eſſe conſiderandum, & quæ vere Sanctis competunt, eidem æque convenire. Quod ſi Sanctos revera eſſe minime conſtet, denominatio *Beatorum*, quam in Martyrologio habent, eoſdem ab officio ob Reliquias utique depellit; tunc enim præſumptio ſtat pro ſola beatitate, ut cantat Martyrologium, & non pro ſanctitate.

XXXII. Quia vero e contra præſumptio ſtat pro ſanctitate, & non pro beatitate relate ad eos Dei Servos, qui licet revera Beati tantummodo ſint, adhuc in Martyrologio Romano vocabulum *Sanctorum* ſortiti fuerunt, idcirco dicendum venit, quod de iiſdem officium titulo Reliquiarum inſtitui valet, quoties non conſtat, eos eſſe ſolummodo de claſſe Beatorum, & non de ea Sanctorum. Ceterum quoniam demptis Sanctis notioribus, de quorum canonizatione liquido univerſaliter conſtat, circa ceteros ſemper dubitatio ferme exurgeret, an forent de Sanctis canonizatis, an vero de Sanctis dumtaxat denominatis, & conſequenter an rite de iiſdem officium cauſa Reliquiarum fieri poſſet, & memorata dubitatio non ita facile diſſolvi valeret, nos arbitramur, quod de cunctis in Martyrologio Romano ſub titulo Sanctorum deſcriptis officium cauſa Reliquiarum inſtitui queat; cum enim nullus Dei Servus in dictum Martyrologium induci valeat, niſi de conſenſu Sacræ Rituum Congregationis, & Sanctiſſimi, hoc ipſo quod aliquis de horum conſenſu introducitur cum titulo *Sancti*, tamquam Sanctus coli permittitur, cum tamquam Sanctus Eccleſiæ univerſali proponatur, ad cujus uſum, & regulam deſervit Martyrologium Romanum; nos enim in ea opinione ſumus, quod deſcriptio in Martyrologio Romano importet cultum permiſſum in univerſali Eccleſia juxta tenorem ejuſdem deſcriptionis, de qua re fuſius inſtituetur ſermo in altero Tomo in Capite de Martyrologio Romano.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XLVII.

De Reliquia inſigni officium eſt ſolum recitandum in Eccleſia, ubi aſſervatur, nec aliæ Eccleſiæ debent ſe uniformare cum Cathedrali, ſeu Matrice. S. R. C. 12. Maji 1618. *in Conchen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 40.

I. NE in Eccleſiarum diſtinctione diutius, quam præſens exigit inſtitutio, inaniter immoremur, adnotandum dumtaxat venit, quod ea Matrix dicitur Eccleſia, quæ

vel juriſdictionem habet in alias ſubjectas, ut Cathedralis, *cap. Placuit de præſcript.*, & *cap. Venerabili*, *de verbor. ſignific.* vel quæ Oppidi primaria eſt, ac præ aliis dignior, *Clemens. 1. de ſent. excommunic.*, vel denique eadem, quæ Baptiſmalis, quippe quæ *ſicut Mater generat, ita & ipſa regenerat*, ait Gloſſa ibidem. Vere autem Matrix dicitur Eccleſia, a qua aliæ excerptæ, & quaſi progenitæ ſunt; & in hoc ſenſu Metropolitanæ, ac Primatiales, ſeu Patriarchales, e quarum ſinu prima fidei ſemina in iiſdem ab Apoſtolis ſparſa, in reliquas circumcirca poſitas Civitates per Apoſtolicos viros deportata fuerunt, verius Matrices dicuntur, unde S. Gregorius Nazianzenus *Epiſt.* 22. habet de Cæſarienſi Eccleſia: *Cum omnibus Eccleſiis proſpiciendum ſit, tum maxime veſtra, quæ omnium fere Eccleſiarum circumvicinarum Mater, & antiquitus fuit, & nunc eſt, atque cenſetur.* Cathedrales quoque vere dicuntur Matres, quippe quæ alias inferiores, & ſibi ſubditas Eccleſias a ſe primum genitas, deinceps veluti filias regunt, ſalutique earum ac neceſſitatibus materna charitate proſpiciunt. Parochiales quoque, ac Plebanæ in aliquo ſenſu Matrices dici valent, ut habetur, *cap. Ex tranſmiſſa*, *de præſcript.*, in iis ſiquidem eſt fons Baptiſmalis, a quo veluti immaculato Eccleſiæ utero renaſcuntur filii adoptionis, quinimmo & Eccleſiæ illæ, quæ intra fines Parochiæ ſitæ ſunt, Parochiali veluti Matri obſequium præſtant, quodammodo ab eadem dependent, & forſitan etiam originem ducunt. Abbatiales quoque, Collegiatæ, aliæque ejuſmodi Eccleſiæ, quæ juſpatronatum in alias obtinent, earum quoque dici poſſunt Matrices, tum quia illæ ab his dependent; tum etiam quia forte adhuc ortum trahunt.

II. Cathedralis vero Eccleſia ea eſt, in qua Epiſcopus Sedem habet, & quæ juriſdictionem Hierarchicam, cujus partes ſunt ſacrum cultum, & quæ univerſim ad Religionem ſpectant, curare, & ordinare, in omnes Diœceſis Eccleſias per ſe habet. Dixi *per ſe* ratione Eccleſiarum exemptarum, quæ ſcilicet cum intra juriſdictionis locum conſiſtant, per ſe a Cathedrali dependere deberent, licet poſtea per accidens, ratione ſcilicet exemptionis, ſeu privilegii minime reipſa dependeant, cujuſmodi ſunt nonnullæ Eccleſiæ Collegiatæ, & omnes Monachorum, vel Regularium.

III. In adducto igitur Decreto duo firmata habentur, quorum primum eſt, quod de Reliquia inſigni officium eſt ſolum recitandum *in Eccleſia, ubi aſſervatur*, & in hoc concordant præcedens, & ſequens Decreta. Præcedens quidem, dum dicit, quod dictum officium eſt recitandum intuitu inſignis Reliquiæ, *ubi hæc aſſervatur*; ſequens vero, dum ſtatuit, quod ob Reliquiam non poteſt celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim Feſtum cum officio, *ſed tantum ubi aſſervatur corpus, aut inſignis Reliquia & non alibi*.

IV. Quoniam vero dubium oriri poterat, num id quoque procederet, quando Reliquia aſſervatur in Eccleſia Matrice, & præſertim Cathedrali, cujus feſta ad univerſas Diœceſis Eccleſias extenduntur, cum quaque ceteras dependentes uniformari decens eſſe videtur, idcirco per præſens Decretum ſancitum extitit, quod taliter de Reliquia inſigni eſt tantum recitandum officium in Eccleſia, in qua aſſervatur, ut licet talis Reliquia in Eccleſia Matrice, vel Cathedrali haberetur, adhuc ejuſdem officium ad inferiores Eccleſias non extenderetur, adeoque aliæ Eccleſiæ nec deberent, nec poſſent tali in caſu ſe uniformare cum Cathedrali, ſeu Matrice in celebratione officii intuitu præfatæ Reliquæ.

V. Advertit Guyetus *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 9., quod Eccleſia Cathedralis bifariam ſpectari poteſt, vel ut loci, & Diœceſis caput eſt, ac reliquarum Eccleſiarum ſibi ſubditarum parens, vel ut ſingularis Eccleſia eſt. Quæ ad eam attinent primo modo inſpectam, quemadmodum ſunt Feſta Dedicationis, & Titularis ejuſdem, protinus ad univerſum juriſdictionis locum, adeoque ad omnes ſubditas Eccleſias extenduntur. Quæ autem ad ipſam ſpectant, ut particularem tantum, ſeu ut hæc numero Eccleſia eſt, cujuſmodi ſunt Feſta Reliquiarum, ex legitima conſuetudine, vel particulari indulto, non item, ſed hæc extra illam nequaquam deducuntur. Hoc itidem docet Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. dum ait: *Non eo fieri debere officium de Sancto aliqua, quia conformare ſe debent Eccleſiæ minores Matrici, ſeu Cathedrali*; non enim abſolute negat de Sanctis, qui in Eccleſia Cathedrali, ſeu Matrice celebrantur, fieri debere officium in minoribus Eccleſiis; ſed non ob eam præciſe rationem, quod iſtæ ſe illi conformare debeant: fallit enim hæc regula in aliquibus, in iis videlicet, quæ ad eam non ſpectant, quatenus Cathedralem, & juriſdictionem in ceteras habentem, ſed quatenus particularem, & hanc numero Eccleſiam, quæ proinde æquum non eſt extra illam utique deduci. Quæ ſi ita ſe habent in Cathedrali reſpectu aliarum Diœceſis Eccleſiarum, a fortiori procedunt in Matrice, quæ Cathedralis non eſt, nec inſtar Cathedralis ſe habet, utpote cujus nec feſta primaria Dedicationis, & Titularis ejuſdem ad ceteras Eccleſias protenduntur, ut liquet ex Decretis, quæ dedimus in Capite I. agentes de Dedicatione Eccleſiæ, necnon ex iis, quæ in eorumdem expoſitione tradidimus.

VI. *Errat ergo*, ſunt verba Guyeti, *qui nulla diſcrimine adhibita, quæcumque feſta in Kalendario Diœceſis, ſeu Eccleſiæ primariæ proprio deſcripta legerint, ea ſibi protinus celebrare fas putant, compendiorum utique magis, quam cultus Sanctorum indagatores, ac ſcrutatores ſolliciti.*

VII. Non ſic tamen errant, qui cum ſint de gremio alicujus Eccleſiæ, etiam extra talem Eccleſiam officium recitant de Sancto, cujus Reliquia in ea cuſtoditur; quando enim dicitur, quod de Reliquia inſigni eſt ſolum recitandum in Eccleſia, in qua aſſervatur, non eſt ſenſus, quod ſolum intra ipſam Eccleſiam recitari poſſit, ſed quod ſolis illis liceat recitare, qui ſunt de Clero, ſeu Gremio illius Eccleſiæ, ut advertunt Neuſer, & Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *append.* 4. *lit. B.*, & Meratus *ſect.* 1. *cap.* 1. *tit.* 2. *num.* 4., colligiturque ex Decreto primo Capitis de Qualitate officii, in quo Sacra Congregatio 30. Auguſti 1602. ſancitum voluit; quod *qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium quod in choro dicitur, licet morentur alibi*; cujus Decreti expoſitio recoli debet, ut appareat, quinam ſint iſti, qui cenſendi ſunt de gremio Eccleſiæ ad effectum recitandi officium de Reliquia, quæ in eadem aſſervatur.

VIII. Si autem de Reliquia inſigni officium eſt ſolum recitandum *in Eccleſia, ubi aſſervatur*, neceſſum apparet, quod in Eccleſia, quæ eſt locus publicus, & communis, Reliquiæ aſſerventur, ut officium canonicum, quod eſt publicum, & commune, de iiſdem valeat celebrari, adeoque quod privato cuilibet liberum minime ſit, de Sanctis, quorum inſignes Reliquias apud ſe habet, officium recitare. Et quidem congruere nequaquam videtur, ut privatus quis ex peculiari, ſibique uni propria cauſa, a communi officii lege diſcedat.

IX. Nec ſufficiens ad officium putamus, quod Reliquiam privatus in Sacello domeſtico habeat; hoc ſiquidem Eccleſia non eſt, & Decretum Sacræ Congregationis, ut notat Gobat *loco citato lit. F.*, ultra proprietatem verbi extendendum non eſt; & quando quoque dictum Sacellum tale eſſet, ut nomen Eccleſiæ mereretur, privatus ille, etſi dominus illius Sacelli, de illius gremio non eſt, adeoque de Reliquiis in eo exiſtentibus officium facere nequit; ut enim ſuperius dicebamus, dum in Decreto aſſeritur, officium eſſe ſolum recitandum in Eccleſia, ubi aſſervatur, ſenſus eſt, ut ſolis illis tale officium liceat recitare, qui de ejuſdem Eccleſiæ gremio ſunt; non etenim officium recitatur ab Eccleſia materiali, ſed a formali, ſeu a Clero ejuſdem. Ubi igitur Eccleſia Clerum ſibi addictum non habet, non eſt, qui de Reliquiis in eadem aſſervatis officium facere valeat, quinimmo nec de ejuſdem Titulari, vel Dedicatione; haud imus tamen inficias, quod a Sacerdotibus confluentibus de dictis Reliquiis Miſſa in ea Eccleſia valeat celebrari, quemadmodum in caſu Dedicationis, vel Titularis proculdubio faciendum eſſe putamus.

X. Cenſetur vero Reliquia aſſervari in Eccleſia, etſi in ejus Sacriſtia, vel aliquo loco Monaſterii cuſtodiatur. Gobat *loco cit.* & Salmaticenſes *tom.* 4. *moral. tract.* 16. *cap.* 1. *punct.* 4. *num.* 36., nec Reliquiam exponere opus eſt, ut de ea officium recitetur, aſſervationem quippe duntaxat, & non expoſitionem expoſtulant Congregationis Decreta. Quarti *part.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4., Salmaticenſes *ibidem*, aliique communiter.

XI. An vero ad officium celebrandum ſat ſit, Monaſterium, vel Eccleſiam habuiſſe aliquando inſignem Reliquiam, licet incendio abſumpta, aut furto, caſuve alio poſtea deperdita fuerit? Quæſtio hæc eſt, cui Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 16. ſic abſolute reſpondet: *De Sanctis quorum habebantur Reliquiæ, ſed injuria temporum, vel malitia hæreticorum perierunt, fiet officium, ſicut ſolebat alias fieri, dum extabant eorum Reliquiæ.* Guyetus *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 7. vult, quod ſi poſt allatum caſum minime deſitum ſit ab officio, quod fiebat alias, neque ab eo deinceps eſſe deſiſtendum ratione conſuetudinis uſu non abrogatæ; ſin contra dimiſſum fuit officium, non eſſe denuo inſtaurandum, nulla ſuperſtite cauſa id deinceps præſtandi. Salmaticenſes denique *loco citato* deſiſtendum ab officio exiſtimant, & merito quidem, quia privilegium ceſſat, ceſſante cauſa conceſſionis, *ut ex l. nihil intereſt ff. de nautico fœnore*, docet Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 30. *num.* 16. Nec obſtat conſuetudo numquam interrupta, ſemperque continuata, quia hæc valida non eſt ad ſuſtinenda officia, niſi uſque ante Bullam Pii V. introducta exiſtat.

XII. Ab officio deſiſtendum tamen minime putarem iis in Eccleſiis, a quibus tempore belli, aut invaſionis Infidelium lipſana Sanctorum ad alia loca tamquam ad aſyla aſportantur, ſi non per notabile, ſed per breve hoc eveniat tempus; per accidens enim eſt, quod in illo brevi, & minimo tempore, quod in moralibus in conſiderationem non cadit, præfatæ Reliquiæ in illis Eccleſiis de facto non aſſerventur, adeoque tamquam eædem ibi adeſſent, moraliter cenſendum eſt, & ſic nihil in officio propterea innovandum, nec ab eo deſiſtendum. Ab officio tamen ceſſandum forſitan foret, ſi per notabile tempus lipſanorum abſentia contingeret, licet lipſana ad eas jure ſemper ſpectarent Eccleſias, quia non jus ad lipſana, ſed eorumdem aſſervationem Congregationis Decreta expoſcere videntur, & in moralibus ipſis abſentia, quæ per notabile tempus contingit, in conſiderationem incidit, nec pro præſentia cenſetur.

XIII. Ex quo recte inferes de Reliquiis, quæ per notabile tempus aliqua in Eccleſia ut quoddam depoſitum, commodatum, vel pignus aſſervantur, licet ad eam nequaquam attineant, officium duplex apte inſtitui poſſe, ſecus vero ſi per admodum breve tempus: hinc Gobat loco laudato affert, & probat praxim cujuſdam Cœnobii colendi ritu du-

plici

pſici præſtantiſſimas quaſdam Reliquias, tametſi ſpectent ad Principem Sæcularem, ac per modum meri depoſiti aſſerventur in Eccleſia dictorum Cœnobitarum. Et revera Decretum ſolam aſſervationem, & cuſtodiam exigit Reliquiarum ad effectum faciendi officium, non autem earumdem proprietatem, quapropter nec dubito, quod id licite fieri poſſit a quibuſcumque Eccleſiis in hoc, vel alio ſimili caſu.

XIV. Inferes ſecundo, quod cum Feſta Dedicationis, & Titularis Eccleſiarum acceſſoriarum, quas Eccleſia Cathedralis haberet, non ſpectent ad eam, qua Cathedralis eſt, ſed qua talis numero Eccleſia eſt, & propterea dicta Feſta etſi a Cathedrali ipſa celebrari valeant juxta dicta in Capite primo, non tamen ad totum juriſdictionis locum extenderentur, quemadmodum extenduntur Feſta Dedicationis, & Titularis ejuſdem Cathedralis.

XV. Supereſt inquiramus modo, num de Reliquiis, quæ aſſervantur in Eccleſiis acceſſoriis, officium recitari duntaxat valeat in Eccleſiis ipſis acceſſoriis, in quibus aſſervantur, an vero etiam in Eccleſia primaria, ſeu ad quam illæ acceſſoriæ ſpectant, atque dependent, & e contra, quemadmodum faciendum eſſe diximus de earumdem Dedicationibus, & Titularibus? Idem dubium promovetur de Eccleſiis unitis, de quibus egimus in Decreto XII. Cap. I., & in IV. Cap. II.

XVI. ℞. Primo certum eſſe, quod ſi Eccleſiæ ſint peræque principaliter unitæ, quatenus ſcilicet illæ habent unum, & eumdem duntaxat Rectorem, ceterum ipſæ ſeorſim ſemper ab invicem diſtinctæ perſeverant, perinde ac ſi duobus diſtinctis Rectoribus obedirent, intuitu Reliquiæ, quæ in una earumdem habeatur, non poteſt ab altera officium inſtitui; conſtatque hoc aperte ex memorato Decreto XII. Cap. I., in quo deciſum apparet, quod Clerus unius ex dictis Eccleſiis nec poteſt recitare de Feſtis primariis alterius, Dedicationis ſcilicet, & Titularis ejuſdem. Difficultas ſolum igitur foret, an id poſſit Rector ipſe, qui ad dictarum Eccleſiarum Feſta primaria itidem tenetur, ſed hæc reſoluta fuit in Decreto IV. Cap. II., ubi diximus Parochum, ſeu Rectorem teneri ad feſta Reliquiarum, & alia hujuſmodi ſolummodo illius Eccleſiæ, apud quam reſidet, non autem ceterarum.

XVII. ℞. 2. Quod ſi unio Eccleſiarum ita facta ſit, ut ex duabus Eccleſiis cenſeatur facta una, tunc Clerus utriuſque poteſt, & debet recitare de omnibus Reliquiis, quæ in utraque Eccleſia aſſervantur; & ita dicendum etiam eſt, quotieſcumque una Eccleſia ad aliam acceſſorie attinet, quia in his caſibus ambæ illæ Eccleſiæ cenſentur una, & eadem, unde Reliquiæ, quæ in una aſſervantur, reputantur aſſervari in alia. Videantur, quæ ſupra hujuſmodi Eccleſias in Decreto IV, Cap. II. dicta ſunt.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XLVIII.

Celebrari non poteſt per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum officio, eo quod in loco adſit aliqua Reliquia, ſed tantum ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. 8. Aprilis 1628. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 60.

I. ABuſus, de quo egimus in Decreto II. Cap. II., in Terras Italiæ olim irreptus, nedum ferebat officium agere per totam Civitatem, vel Diœceſim de Sancto quolibet, qui in loco habebat Eccleſiam aliquam in ejuſdem honorem erectam, ſed etiam de quocumque, de quo aſſervabatur Corpus, aut inſignis Reliquia in aliqua loci Eccleſia; hinc ad dictum abuſum eliminandum præſens prodiit Decretum, in quo decernitur, id minime licere, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, ſed tantum illud poſſe recitari, *ubi*, ſcilicet in Eccleſia, in qua *aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi*. De memorato abuſu, quatenus introduxerat officium de quocumque Titulari, ac de Sanctionibus in ejuſdem proſcriptionem editis jam fuſe egimus in præfato Decreto II. Cap. II., aſt quoniam quæ ibi diximus, faciunt non minus pro abuſu, qui irrepſerat, recitandi de quolibet Sancto, cujus Reliquia habebatur in loco, idcirco ſupervacaneum reputamus eadem hic repetere.

II. Firmat itaque Sanctio idipſum, quod per duas præcedentes Sanctiones jam item firmatum vidimus, videlicet de Reliquia inſigni officium inſtitui non poſſe, niſi in ea Eccleſia, in qua illa aſſervatur, & non alibi, ſeu extra dictam Eccleſiam, quemadmodum præſertim in Sanctione, a cujus expoſitione vix venimus, late aſſerebamus; ſi enim ob quamcumque Reliquiam, quæ in aliqua Eccleſia cuſtoditur, in toto loco officium fieri poſſet, cum multæ ſint Sanctorum Reliquiæ per univerſum Orbem diſtributæ, jam non eſſet finis officiorum cum totali ſuppreſſione ferialis officii, ac ſequela ferme infinitorum incommodorum, quæ alibi recenſuimus, & inferius recenſebimus.

III. Etſi autem abuſus prædictus de dictis Reliquiis inſtitueret officium novem lectionum, & communius ſub ritu ſemiduplici, adhuc Decretum inhibet illud etiam celebrare ſub ſimplici ritu, proſcribens una abuſum, qui ſi non erat introductus, induci tamen poterat, quapropter conſulto creditur dixiſſe *Feſtum cum officio*, quo etiam feſtum trium lectionum comprehendit. Si autem officium etiam trium lectionum, ſeu quodlibet feſtum Chori comprehendit, proculdubio non includit feſtum fori, unde adhuc cuilibet integrum erit, ejus diem ex devotione feſtivam agere, ac ſolemnitatem inſtituere, dummodo ab officio divino abſtineat, quinimmo & hoc poterit recitare, ſed poſtea non erit ſatisfactorium præcepti.

IV. Indirecte crederem item proſcriptam ire opinionem eorum, qui Reliquiis inſignibus officium dedere duplex, notabilibus, aut exiguis, ſed illuſtribus ſignis, aut in quibus ſingulariter paſſi ſunt Martyres, ſemiduplex, & exiguis, aut particulis partium ſimplex, cum enim præſens Decretum ſtabiliat, *Feſtum cum officio fieri tantum poſſe, ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia*, in apertam venit conſequentiam, officium celebrari non poſſe, licet ſemiduplex, aut ſimplex ob Reliquiam notabilem, aut exiguam, alias Feſtum cum officio fieret, etiam ubi inſignis non habetur Reliquia. Adde, quod in dicto Decreto ſolum conceditur officium ratione inſignis Reliquiæ, & in aliis caſibus recurrendum eſſe definitur ad Sedem Apoſtolicam, ſeu ad Sacram Congregationem his verbis: *De aliis Feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, nihil propria auctoritate conſtituatur, ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio*. Cum igitur de Reliquiis notabilibus, aut exiguis nihil præſcriptum habeatur in Rubricis Breviarii, vel in Kalendario Romano, omniaque Decreta Sacræ Congregationis, quæ de officio titulo Reliquiæ proſantur, ſemper exigant exiſtentiam Reliquiæ inſignis, ideo ob Reliquias non inſignes nullum officium, nec ſemiduplex, nec ſimplex propria auctoritate eſt conſtituendum, ſed penitus a quocumque officio ceſſandum erit, aut pro ejuſdem recitatione ad Sacram Congregationem recurri debebit, quæ licet pro Reliquia non inſigni, ad differentiam inſignis officium duntaxat ſemiduplex concedere ſoleat, etiam duplex quandoque conceſſit, ut teſte Monacello *in Formulario legali practico par. 4. in ſupplem. ad primum tomum* eadem Congregatio indulſit Parocho Albegni Bergomenſis, ut poſſit ſcilicet celebrari Miſſa ſub ritu duplici ſine Credo in ejuſdem Eccleſia pro Sancto in Martyrologio Romano deſcripto, cujus Reliquia non inſignis aſſervatur in eadem. Vide plura, quæ hic ſpectare poſſunt, in duobus ſequentibus Decretis.

V. Conceſſerat S. Pius V. Eccleſiis Hiſpaniæ, ut poſſent recitare officia propria Sanctorum illius Provinciæ, necnon quorum Corpora, ſeu notabiles Reliquiæ in aliqua Eccleſia Provinciæ aſſervabantur. Gregorius XIII. animadvertens, *quod hujuſmodi Sancti cum ſint plures numero, ex hoc ſequebatur* (ſunt verba litterarum Apoſtolicarum, incipiunt *Paſtoralis officii*, de die 30. Decembris 1573.) *ut officium majoris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii fere ſubverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædeceſſoris prædicti mentem ſano modo interpretantes declaramus, unamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non ſunt deſcripti, officia propria celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſunt naturales, vel ejus Eccleſiæ, ſeu Diœceſis ſunt Patroni, vel quorum Corpora, ſeu notabiles Reliquiæ, in ea Eccleſia, ſeu Diœceſi requieſcunt. De aliis vero Sanctis, etiamſi ſint naturales, vel Patroni alterius Diœceſis, etiamſi illorum Corpora, vel notabiles Reliquiæ in aliqua Eccleſia alterius Diœceſis requieſcant, non celebretur officium proprium, ſed ſervetur ordo Breviarii Romani.*

VI. Occaſione itaque præſentis Decreti poſterioris litteris præfati Gregorii XIII. indulgentibus ut ſupra, naſcitur dubium, num adhuc Hiſpania uti valeat Indulto memorati Gregorii XIII., ac recitare de ſingulis Sanctis, quorum Reliquiæ in aliqua Eccleſia Diœceſis cuſtodiuntur, an vero tale privilegium abrogatum cenſeri debeat, per præſens Decretum, expreſſe inhibens celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim officium ob Reliquiam, quæ habebatur in loco, atque præſcribens, recitari duntaxat poſſe in Eccleſia, in qua dicta Reliquia requieſcit, & non alibi?

VII. ℞. Hiſpanos Indulto Gregorii XIII. adhuc uti licite poſſe, neque hoc per præſens Decretum eſſe abrogatum. Quia Sacra Congregatio ſolum decernit id, quod de jure communi eſt obſervandum, & ſecluſo privilegio Sedis Apoſtolicæ, nec dictum privilegium eſt in tali Decreto revocatum, cum in eo nullum detur verbum revocatorium quorumcumque privilegiorum, quod neceſſarium erat, ut tale privilegium in ſui robore non perſiſteret. Quin potius in dicto Decreto id obſervandum dicitur, *niſi aliud a Sede Apoſtolica ſit conceſſum*, deinde in eo expreſſe, atque diſerte duntaxat inhibetur dictum officium introductum *per auctoritatem Ordinarii*, & Decretum ipſum latum fuit *ad tollendos abuſus, qui primum in Terras Italiæ, & poſtea in varia alia loca irrepſerant*. Cum itaque præfatum officium titulo Reliquiarum, quæ in Diœceſi habebantur, non ſit inibi, *per auctoritatem Ordinarii* introductum, nec quod celebretur, *abuſus ullus ſit*, cum ſuper hoc habeatur *ſpeciale Apoſtolicum Indultum*, idcirco præſens Decretum in nihilo offendit memoratum Indultum Gregorianum, ſed hoc in ſuo integro robore perſeverat. Ita etiam ſentiunt Caſtro Palaus *tom. 2. tract. 7. de Orat. diſput. 2. p. 2. numer.* 10. Quintanadv. *tom.* 1. *ſingul. tract. 7. ſingul. 9. a numer.* 2., Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap. 7. dub.* 14. *num.* 14., Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *numer.* 34. apud Salmanticenſes *tom.* 4. *Theol. mor. tract. 16. de Hor. Canon. cap. 5. punct. 4. n.* 34.

VIII. Ex dictis habes, quid ſit practicandum aliis in locis,

Digitized by Google

cis, ubi ſimile reperiretur Apoſtolicum Indultum; hinc admodum bene in Diœceſi Venetiarum celebratur officium novem lectionum de iis Sanctis, quorum corpora in Eccleſiis ejuſdem Diœceſis requieſcunt, & hoc, ut notat ejus Kalendarium, *ſecundum conſuetudinem Patriarchalis Eccleſiæ prædictæ, & ex Indulto Sedis Apoſtolicæ*, cui per allatum Decretum minime derogatur, utpote quod ſecluſo privilegio Sedis Apoſtolicæ, ut dicebamus, tantummodo procedit.

IX. Habes 2. quod adhuc abſque Apoſtolico Indulto licita foret præfata recitatio, ſi innixa eſſet conſuetudini ante Bullam Pii V. introductæ, ſemperque deinceps cuſtoditæ, licet ab Ordinariorum auctoritate ſuam originem agnoſceret. Tum quia omnia hujuſmodi officia in firmo, ac ſtabili reperiuntur ſtatu. Tum etiam quia diſerte habet Decretum in ſua prima parte: *Non poſſe, nec potuiſſe poſt Bullam Pii V. locorum Ordinarios addere officia aliqua Kalendariis etiam propriis &c.* per quæ infirmari videntur ſolummodo officia poſt dictam Bullam, non autem antecedenter per Ordinarios inducta.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XLIX.

Inſignes Reliquiæ (quarum ratione recitari poteſt officium ſub ritu duplici minori) ſunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitime ab Ordinariis approbata. S. R. C. 8. Aprilis 1628, *approbante Urbano VIII*, Ex Merato in Indice Decretor, Brev, num. 59.

I. SAcra Congregatio die 16. Januarii 1627. proſcribens abuſum, qui in Terras Italiæ irrepſerat, celebrandi in toto loco feſtum novem lectionum ſola Epiſcopi auctoritate pro omni Sancto habente Corpus, aut inſignem Reliquiam in loco, ſeu in aliqua loci Eccleſia, determinandum cenſuit: *In ſola Eccleſia, in qua Reliquia inſignis aſſervatur, & non alibi dictum officium poſſe recitari*; & ut quælibet tolleretur ambigendi, vel diſputandi ratio, aut occaſio, aliud Decretum faciendum eſſe ſtatuit, & mittendum per manus, in quo declararetur, quænam dicatur Reliquia inſignis ad effectum recitandi officium: *Et declaretur, quæ dicatur inſignis, & de hoc fiat Decretum de mandato Sanctiſſimi, & mittatur per manus*.

II. In ſequenti anno, ſcilicet 1628., efformatum extitit dictum Decretum, in quo inter alia confirmatur, quod in præcedenti ſtatutum fuerat circa recitationem officii coercitam intra limites Eccleſiæ, in qua Reliquiæ cuſtodiuntur, & de hoc ſatis egimus in Decreto, a cujus vix venimus expoſitione, & inſimul declaratur, quæ ex Reliquiis cenſeri poſſit, & debeat inſignis ad effectum præfatæ recitationis; & de hoc impræſentiarum ſumimus agere. Decretum autem non prius prodiit, quam *per Cardinalium manus miſſum*, rigoroſum non ſubiit examen, & *de mandato Sanctiſſimi*, ſcilicet Urbani VIII., a quo laudatum, & approbatum fuit, ut facilius ad cujuſcumque manus pro executione deveniret, in novis Breviariis impreſſum extitit: *Facta demum relatione horum Decretorum Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano Papæ VIII., ea laudavit, & approbavit, atque ab omnibus ubique ſub prædictis pœnis* (ſcilicet de non ſatisfaciendo præcepto Horarum Canonicarum) *ſervari præcepit, necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis ſuæ imprimendis apponi juſſit*.

III. *Quarum*, ſcilicet Reliquiarum inſignium, *ratione recitari poteſt officium ſub ritu duplici minori*, & hæc ſunt verba, quæ reipſa deſiderantur in Textu Decreti, propterea que conſulto media parentheſi a Merato in illum inducta, non quidem animo Textum alterandi, ſed in ejuſdem faciliori intelligentia Lectorem juvandi, eumque monendi, ad quem effectum dictæ Reliquiæ declaratæ fuerint inſignes, & quænam ſint Reliquiæ inſignes, ob quas per iterata Decreta conceſſum fuit, officium duplex minus recitari, ut videre eſt in duobus primis Decretis hujuſce Capitis. Hæc tamen licet ita ſint conſtituta, fas eſt, fateamur, quod ſi quæ verba in explicationem ut ſupra addi debuerunt, ly *officium ſub ritu duplici minori* Textus Decreti indubie non patitur, ſed magis *Feſtum cum officio*, uti reapſe habet in priori ſui parte idem Decretum, cujus pars altera, quam modo examinandam ſuſcepimus, non eſt, niſi declaratio Reliquiarum inſignium, ratione quarum in priori ſtatuerat, *Feſtum cum officio* poſſe tantum recitari in Eccleſia, in qua aſſervantur. Dicti Decreti pars prior efformat Decretum IV. hujus Cap., quod amabo recolat Lector, & rationem, ſi valet, deneget nobis ſuper his, de quibus eumdem monuimus. Etſi itaque officium, quod ratione Reliquiæ inſignis valeat inſtitui, excedere non debeat ritum duplicem minorem, ſed ſub hocce ritu ſit celebrandum, adhuc tu tene verba, quæ conformia ſunt Textui, & ſubintellige, non *officium ſub ritu duplici minori*, ſed *Feſtum cum officio*, qui dicendi modus, ut dicebamus exponentes præcedens Decretum, forſitan de induſtria obſervatus extitit, ut indicaretur, nec officium ſub inferiori ritu de Reliquia non inſigni poſſe celebrari.

IV. *Inſignes Reliquiæ ſunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr*: Ergo quæcumque aliæ Corporis partes, ac quælibet alia, quæ veluti Reliquias alicujus Sancti venerari in uſum habet Eccleſia, quæque nos ipſi in præliminaribus Capitis memoravimus, puta Capilli, Ungues, Cineres, Veſtes, Inſtrumenta Paſſionis, Brandea, aliaque in genus innumera, pro Reliquiis inſignibus haberi non poſſunt, ſaltem ad effectum inſtituendi officium earumdem cauſa. Conſequentiam paſſim laudant Auctores, inter quos Salmanticenſes *tom. 4. Theol. mor. tract. 16. de Hor. Can. cap. 1. punct. 4. numer.* 35. Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv. 9. ſect. 4. num.* 218. Bordonus *tom. 4. reſolut. 117. num. 32.*, Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4.*, Pittonnus *Deciſ. pro ſacr. ritib. num.* 545., aliique communiter. Id ipſum quoque ratio ipſa demonſtrat, quoniam ſi ob cunctas Reliquias officium liceret inſtitui, non eſſet finis officiorum, & in nihilum prorſus abirent officium feriale, ac Dominicale, & ſequerentur quæcumque alia incommoda, ad quæ unice præcavenda in præcedenti Decreto ſancitum vidimus, licitum haud eſſe, per totam Diœceſim, vel Civitatem officium agere ob Reliquiam Sancti alicujus, quæ in aliqua loci Eccleſia aſſervetur; & impræſentiarum declaratur, quæ ſint inſignes Reliquiæ ad effectum agendi de iiſdem officium. Decretum itidem VI. hujus Capitis, dum *Tibiam non eſſe Reliquiam inſignem* ſtabilit, proculdubio eamdem conſequentiam probat; Tibia enim non eſt ex inferioribus corporis partibus, quinimmo eſt præcipuum os, quod crus componit, quapropter ſi iſta inter inſignes Reliquias non computatur, utique neque manus, pes, digitus, maxilla, auricula, nec ſimiles corporis partes numerabuntur, & multo minus ea, quæ corporis partes nullatenus ſunt, ut veſtes, inſtrumenta paſſionis, brandea &c. Videatur tamen laudatum Decretum quoad ceteras corporis partes, & quoad inſtrumenta paſſionis, aliaſque ſimiles Reliquias recolatur Decretum VII. hujus quoque Capitis, in quibus habentur nonnullæ limitationes præſenti Decreto adhibendæ.

V. Quod ſi Reliquiæ inſignes ad effectum, de quo agitur, ſunt Caput, Brachium, aliæque ſuperius recenſitæ, utique & Corpus integrum, quod præfatas partes includit, immo & magna pars ejuſdem, ſi aliquam ex iiſdem claudat partibus, ſin autem, ob Decretum II. hujus Capitis, in quo S. Congregatio ſub die 3. Junii 1617. magnam Corporis partem indiſtincte pro officio recitando inter inſignes collocat Reliquias; habet enim: *Duplex officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit Corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut Caput*.

VI. Contendi poſſet, quod nomine *magnæ Corporis partis* veniat aliqua ex partibus, quas præſens numerat Sanctio, ſcilicet aut Brachium, Caput, aut Crus. Verum profecto hanc dictum Decretum non patitur expoſitionem; dum enim per particulam disjunctivam *Aut* recenſet Caput, quod eſt ex præcipuis Corporis partibus *Aut Caput*, aperte denotat, nomine *magnæ Corporis partis* Caput ſe minime comprehendere, ac conſequenter nec alias ſimiles ejuſdem ſingulares partes, ſed magis plures partes, ſeu acervum plurium partium, quæcumque poſtea eæ ſint, quæ Corpus integrant, aut componunt. Et quidem hunc videtur eſſe Decreti ſenſum, dum magnam corporis partem adjicit poſt mentionem præcedenter factam de corpore integro, *Vel ſit Corpus integrum, aut magna pars ejuſdem*; hujuſmodi enim dicendi modus indicat, quod ſi non habeatur corpus integrum, adhuc ſufficit magna pars ejuſdem corporis; hujus autem habetur magna pars, tametſi nulla ex partibus a præſenti Decreto exactis, ſcilicet Capite, Brachio, aut Crure, habeatur, dummodo non deſint plures aliæ partes, quæ corpus integrant, vel conſtant.

VII. Oppones præſens Decretum, in quo magnæ corporis partis nulla mentio habetur, & cum ſit poſterius, videtur allegato derogare. Verum fas eſt, ſciat Lector, quod præſens Decretum non procedit derogando, ſed magis permittendo *ea officia, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*, ut diſerte idem loquitur Decretum; quapropter cum magna pars corporis ſit ex Reliquiis, ob quas eadem Congregatio officium duplex concedit, & ad hunc effectum expreſſe declarat inſignem, utique per præſens Decretum, licet poſterius, allegato non derogatur, nec magna corporis pars inter non inſignes Reliquias rejicitur, ac per conſequens quoties Sancti alicujus plures habentur Reliquiæ, quæ ejuſdem corporis magnam efficiant partem, officium duplex fieri poterit, etſi nulla ex iiſdem habeatur per præſens Decretum exactis, & inſignitis.

VIII. Addere hic placet ex Sanchez *de præcept. Decalogi lib. 2. cap. 43. numer.* 10., quod Decreta poſteriora, quando prioribus expreſſe non adverſantur, ſunt per priora corrigenda, determinanda, & ſupplenda, quo legum correctio vitetur, ut expreſſe ſtatuitur *l. Sed & poſteriore, juncta Gloſſa verb. Pertinent, ff. de legib.* Quis autem arbitrabitur, ita præſens Decretum adverſari ſecundo hujus Capitis, ut juxta illud intelligi, per illudque ſuppleri, & declarari nequeat, ut hoc minime a ratione Reliquiarum inſignium excludat magnam partem corporis, quam dictum Decretum inter inſignes expreſſe recenſet?

IX. *Aut illa pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr*. Cum particula *Aut* disjunctiva ſit, nobis deſignat, non eſſe neceſſarium, ut officium duplex fiat, quod pars, in qua paſſus eſt Martyr, ſit Caput, Brachium, aut Crus, quæ ſunt corporis partes per Decretum recenſitæ, ſed cum nulla ex partibus corporis nominetur, ſed indiſcriminatim disjunctive dicatur,

Aut

Aut illa pars corporis &c., dicendum utique venit, quod ſufficit quæcumque corporis pars, dummodo una concurrant conditiones, quæ ab eodem Decreto exiguntur, videlicet quod *in ea paſſus ſit Martyr*, quod *ſit integra*, *& non parva*, & quod *ſit legitime ab Ordinariis approbata*.

X. Hoc habent privilegium Martyres præ ceteris Sanctis, quod ut de his officium duplex inſtituatur, determinate haberi debet aliqua Reliquia inſignis ex ſupra recenſitis, ubi in Martyribus ſufficit & ea pars, in qua paſſi fuerint; privilegiari enim ſane decuit eam partem, per quam tam privilegiata victoria fuit reportata. Et hujuſmodi privilegium non in eo dumtaxat ſitum eſt, quod in Martyribus etiam aliæ partes corporis, in quibus paſſi fuerunt, redditæ ſint Inſignes, ac habiles, ut officium inducant, ſed ulterius quia neceſſe non eſt, quod iſtæ ſint tantæ quantitatis, quantæ ſunt aliæ partes inſignes a Decreto addictæ, & allegatæ, merito ſupplente defectum quantitatis in illis, exceſſu qualitatis, ſeu circumſtantia Martyrii.

XI. Hinc in triplici genere lubet hic partiri corporis partes, videlicet in inſignes, notabiles, & minutas, ſeu exiguas. Inſignes, videlicet, quas memorat Decretum. Notabiles, quæ tantæ quantitatis quidem, ac illæ, non ſunt, ſed nec modicæ, ut manus, pes, tybia, maxilla &c.. Minutæ, ſeu exiguæ, quæ ſunt parvæ quantitatis, ut dens, digitus, unguis, auricula &c.; vel quæ ſunt partes aliquæ Reliquiarum inſignium, ut pars aliqua cranii. Minutas, ac exiguas, utpote quæ paſſim reperiuntur, ne nimis ob eas omiſſum veniat feriale, & dominicale officium, præfato privilegio exponant ea verba Decreti, *Et non parva*, de quibus infra redibit ſermo. Inſignes etiam in non Martyribus illo gaudent. Notabiles igitur eodem non carere exiſtimandum eſt. Gregorius quidem XIII. in Litteris *Paſtoralis officii*, de quibus in præcedenti Decreto, datis ad Hiſpaniæ Eccleſias ad effectum recitandi officium, etiam notabiles Reliquias inter inſignes recenſet. Aſt ibi Gregorius *Notabiles* Reliquias pro inſignibus uſurpat, nos vero non ſic, ſed quæ ſunt minoris quantitatis, ut dicebamus, adeoque quæ in Martyribus quidem, non autem in non Martyribus ad dictum effectum ſufficiunt. Ceterum quando etiam Gregorius prædictus in ſenſu noſtro illas uſurparet, nihil utique officeret, quia ibi indultum facit, ac privilegium Hiſpaniæ Eccleſiis, unde inde minime inferri poteſt, quod etiam in aliis non privilegiatis Eccleſiis notabiles, licet non inſignes, ſufficerent Reliquiæ.

XII. *Modo ſit integra*, ſubjungit Decretum. Hæc ſane verba, ut vel leviter conſideranti Decreti ſenſum manifeſte patebit, partem, in qua paſſus eſt Martyr, dumtaxat appellant, adeoque in ceteris memoratis inſignibus Reliquiis ex vi hujus Decreti integritas neceſſaria non eſt; quia tamen in Decreto ſequenti ſtabilitum apparet, quod *Tybia non eſt Reliquia inſignis*, licet ſit majus os, quod crus componit, ut ibi videbimus, ideo & in præfatis Reliquiis inſignibus integritatem requiri cenſendum eſt. Hæc autem integritas, quæ exigitur, moralis eſt, non phyſica, ita quod ſi quid parvum tantum deficiat, minime obſit, ut ait Paſqualigus *de ſacrific. nov. leg. q. 261. num. 4.*, alias res, quemadmodum advertit Euſtachius a S. Ubaldo *loc. cit.*, ſcrupulis plena foret.

XIII. Ex dictis habes primo, quod ſi Reliquia inſignis, aut pars, in qua paſſus eſt Martyr, caſu aliquo frangatur, & in plures partes ſeparetur, etſi omnia hujuſmodi fragmenta, ſeu fruſtra haberentur, adhuc quia tali in cauſa non verificaretur, quod haberetur, puta, caput, aut brachium integrum, cum hæc non ex partibus disjunctis, ſed unitis componantur, ideo ceſſaret licentia celebrandi officium; quam tamen minime deperdi, ſi ea fruſtra ita per artificialem unionem apte conjungantur, & ſimul agglutinentur, ut appareat integrum caput, aut brachium, docent Quarti *par. 1. tit. 1. dub. 4.*, Lohner *inſtruct. 1. par. 2. n. 1.*, & Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4.*, quia moraliter tunc haberetur Reliquia integra, nam ex unione partium reſultat integritas compoſiti. Nec obſtat, quod unio ſit artificialis, dummodo partes ſint naturales, quia idem ſequitur effectus in ordine ad finem intentum, & ſæpe ars conducit ad agglutinandas compartes ipſas corporis vivi.

XIV. Oppones non dici columnam integram, quæ eſt compoſita ex pluribus lapidibus, ſed quæ conſtat ex unico lapide indiviſo; ergo idem dicendum eſt in caſu.

XV. Reſpondet Quarti ibidem, non ſolere appellari columnam integram, quando ex pluribus lapidibus eſt compoſita, quia ibi integritas diverſimode ſumitur, videlicet pro ſimplicitate, cui contradicit pluralitas partium; in caſu autem noſtro ſumitur pro totalitate, quæ non opponitur pluralitati partium ſimul unitarum, alias nullum corpus humanum poſſet dici integrum, quod eſt falſum.

XVI. Habes 2., quod ſi alicubi habeantur plura fruſtra Reliquiarum ejuſdem Sancti, quarum nulla ſit ſecundum ſe inſignis, ſi attineant ad eamdem corporis partem, & ita uniantur, ut reſultet, puta integrum caput, aut major pars ejuſdem, poſſet de eo fieri officium: ſi autem ad idem corporis membrum non attinerent, nequaquam, etſi ex eorumdem unione reſultaret brachium, aut crus, quia partes propriæ requiruntur ad veritatem compoſiti, nec proſunt alienæ, niſi ad monſtruoſam compoſitionem. Quarti ibidem.

XVII. Habes 3. deperdi licentiam celebrandi officium, ſi in caſu aliquo deperdatur particula aliqua neceſſaria ad integritatem moralem illius partis, in qua paſſus eſt Martyr, vel proportione ſervata ad veritatem aliarum Reliquiarum inſignium; ceſſat enim privilegium ceſſante cauſa conceſſionis, ut late probant Sanchez *de Matrim. lib. 8. diſp. 30. num. 16.*, & alii Auctores.

XVIII. *Et non parva*. Altera hæc eſt ex conditionibus, quas expoſcit Decretum, & ſimiliter ſuper partem, in qua paſſus eſt Martyr, ſolummodo cadit, & exiguas, & minutas corporis partes, licet integræ ſint, & in eis paſſi ſint Martyres; excludit, hinc nedum particulæ partium exiguarum, aut inſignium, vel notabilium, ſed etiam partes ipſæ exiguæ, & minutæ, cujuſmodi ſunt dens, digitus, os, unguis, auricula, & ceteræ ſimiles non notabiles Reliquiæ, licet integræ ſint, ad officium recitandum nequaquam ſufficiunt, unde eſto in dentibus verb. gr. Sancta Apollonia particulariter paſſa ſit, pro uno tamen ejuſdem dente officium dici non poſſet; ſi enim hujuſmodi minutiores partes admitterentur, ſi non mortiferum, & lethale, atrox ſaltem, ac grave vulnus reciperet officium feriale, & dominicale, atque frequenter evenirent alia incommoda, ac perturbationes, ad quas unice tollendas Decretum noſcitur editum. Non imus tamen inficias, quod pro maxilla, ex qua extracti fuerunt dentes, poſſet officium celebrari de S. Apollonia, pro mamilla de S. Agatha, & ſic pro tybia, pro manu, pro pede, & pro aliis ſimilibus non exiguis, & minutioribus, ſed notabilibus corporis partibus, modo ſint integræ, de iis Martyribus, qui in eis particulariter paſſi eſſent, ſupplente in ejuſmodi caſu defectum quantitatis circumſtantia Martyrii, præſertim cum ex hoc non ſequantur allegata incommoda, ut videre eſt in exemplo addicto de S. Apollonia, in quo duobus ſolum in locis pro ejuſdem bina maxilla accideret officio de tempore officium de dicta Sancta ſubrogari, ubi admodum frequentior foret hujuſmodi ſubrogatio, ſi pro quolibet ejuſdem dente officium duplex inſtitui poſſet.

XIX. Dum autem audis: *Et non parva*, volo, ut id intelligas per ſe, & per accidens, adeoque ſi puer recenter natus in odium Chriſti, aut fidei in pede, aut manu tortus occumberet, etſi ille pes, aut manus parvi forent, adhuc ſi uter ex illis haberetur, officium fieri quiret, quia præfatæ corporis partes per accidens parvæ ſunt, & ex ſe natæ ad debitam magnitudinem pervenire, & non inter partes minutas, & exiguas, ſed notabiles per ſe computantur. Idem dic de brachio, capite, aut crure, ſi ea verba Decreti Reliquiis inſignibus etiam contendantur eſſe applicanda, ejuſdem Filii recenter nati, aut etiam in ventre Matris in odium fidei, & Chriſti perempti; quinimmo & cujuſcumque alterius Sancti, non Martyris, cujus præfatæ corporis partes, a Decreto inter inſignes recenſitæ, aliquam ob infirmitatem ad debitam magnitudinem non deveniſſent. Et quidem cum Decretum caput, brachium, & crus inter Reliquias inſignes abſolute, & ſimpliciter numeret, & ad inſtituendum officium ſufficere pronunciet, non crederem, a quopiam negatum iri poſſe, earumdem aliquam ad intentum non ſuffragari, ſi per accidens, & ob infirmitatem non ſit debitam magnitudinem aſſecuta; quid-ni igitur, etiam ſi hoc eveniat in illa parte, in qua paſſus eſt Martyr, quæ quoque ad effectum, & ob circumſtantiam per Decretum inſignitur?

XX. Non ſufficit demum, quod Reliquia, in qua paſſus eſt Martyr, ſit integra, & non parva, ſed ulterius requiritur, quod ſit legitime ab Ordinariis approbata: *Et legitime ab Ordinariis approbata*. Verum cum ex Tridentino *ſeſſ. 25.* approbatio Epiſcopi pro Reliquiis dumtaxat novis, aut noviter repertis expoſtuletur, ideo dictæ approbationis neceſſitatem ad Reliquias ſolummodo novas, aut noviter inventas reſtringendam eſſe exiſtimamus. Et quidem ſi ſolummodo Reliquiæ novæ, & noviter repertæ præfata indigent approbatione, ut publicæ Fidelium exponantur venerationi, non autem antiquæ, & quæ in legitima ab antiquo ſunt poſſeſſione cultus, non videmus, cur pro iiſdem neceſſaria eſſe poſſit, & debeat dicta approbatio, ut officium canonicum obtineant, quod non eſt, niſi portio quædam cultus, in cujus jam legitima poſſeſſione ſimiliter exiſtunt. Quæ dicta ſint, dummodo non contendas, id pro parte, in qua paſſus eſt Martyr, eſſe ſancitum, ut examinatæ remaneant conditiones ad officium divinum per Decretum exactæ, & de earumdem exiſtentia, & de legitima dicti officii recitatione per Ordinarii approbationem quivis certioretur, quodlibetque dubium deponat. Si quis ita ſentiret, non admodum quidem nos refragatores haberet, aſt poſtea quia Decretum dictam approbationem pro parte, in qua paſſus eſt Martyr, tantummodo expoſcit, haudquaquam procedere arbitramur, alias ad examinandam etiam integritatem Reliquiarum inſignium, Clerumque de legitima recitatione certiorandum, Ordinarii approbatio non minus præſcribi debuiſſet.

XXI. Quomodocumque tamen iſta ſe habeant, ex Decreti Textu eſt, quod ea verba, *Et legitime ab Ordinariis approbata*, ac per conſequens neceſſitas præfatæ approbationis tantummodo ſupra partem, in qua paſſus eſt Martyr, ſimiliter cadunt, & non ſuper reliquas allegatas Reliquias, videlicet caput, brachium, & crus, & ideo ſaltem iſtæ, ſi non ſint novæ, aut noviter inventæ, a neceſſitate dictæ approbationis erunt immunes, ut de iiſdem officium valeat recitari, dummodo morali certitudine conſtet de talium Reliquiarum identitate, quemadmodum dicemus inferius in Decreto IX. Si vero novæ, aut noviter repertæ ex Reliquiæ fuerint, uti Tridentinum

tinum

tinum Ordinariorum approbationem expoſcit, ut publicæ exponi queant venerationi, ita & conſequenter, ut officio canonico, quod cultus publicus, & particularis eſt, recolantur. Ratio vero eſt, quia quoties Reliquiæ novæ ſunt, aut noviter inventæ, agitur de cultu erga illas introducendo, & ideo ab Ordinariis, quibus divinorum cura præſertim commiſſa eſt relate ad reſpectivas Diœceſes, examinari debent, & per approbationem digne approbari quibus cultus exhibeatur, ne contingat Reliquias falſas venerari; quoties vero novæ non ſunt, ſed antiquæ, non agitur de cultu noviter inducendo, cum jam cultum habeant, ſintque in notoria, & pacifica, ac immemorabili poſſeſſione ejuſdem, & ideo approbatio minime requiritur, quia ſupponuntur, quando eorumdem cultus primitus inductus fuit, rite examinatæ, aut legitime in cultum poſitæ, ut fuſiori calamo dicetur in memorato Decreto IX. & X. Quod autem de cultu dictum eſt, etiam de officio divino procedit.

XXII. Aſt quorum Ordinariorum approbatio exigetur; Diœceſáne duntaxat? An vero ſufficiat ea cujuſcumque Orbis Epiſcopi? Non requiri approbationem Epiſcopi Diœceſis, ſed eam cujuſcumque Epiſcopi ſufficere, eſt opinio Salmanticenſium, *tom. 4. Theolog. Moral. tract. 16. de Horis canonic. cap. 1. punct. 4. num.* 35. & aliorum, eo quod approbationem Ordinarii, ſive Epiſcopi Decretum, & Tridentinum ſolummodo exigunt; atque adeo ſive ab hoc, ſive ab illo Antiſtite fiat. Verum cum communiori ſententia tu dicito Ordinarii loci approbationem expeti, & ſic conformaberis Sacræ Rituum Congregationis intellectui, quæ de quibuſdam Reliquiis Fidelium venerationi exhibendis differens in Decreto X. hujus Capitis, eas *ab Ordinariis locorum* (ſcilicet reſpective) debere eſſe approbatas, aperte decernit.

XXIII. Ad hanc autem legitimam approbationem habendam neceſſaria eſt certitudo moralis deducta ex probabilibus argumentis, nec exigitur evidens, & infallibiliter concludens. Præfata vero argumenta, cum ſint eadem, quæ probant identitatem Reliquiæ, recolat Lector in Decreto IX. hujus Capitis, ubi de iiſdem longus inſtituitur ſermo. Adhibere quoque debet Epiſcopus in conſilium Theologos, & alios pios viros, & poſtea facere, quæ veritati, & pietati conſentanea judicabit. Quod ſi aliquod dubium, vel aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus antequam controverſiam dirimat, Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectabit. Theologorum vota ſunt tantum conſultiva, Epiſcoporum in Concilio Provinciali deciſiva, quia Tridentinum a Theologis conſilium, & ab Epiſcopis petit ſententiam. Ita ex Tridentino *ſeſs.* 25. Diana Coord. *tom. 3. tract. 3. reſolut.* 91., Sallmanticenſes *loco citato punct. 4. num.* 35., Bordonus *tom. 4. reſol.* 117. *num.* 20., *& ſeqq.* aliique communiter.

XXIV. Notat Sanchez *lib. 2. cap. 43. num.* 18., & ex eo Bordonus *loco cit. num.* 7. ac Bonacina *tom. 2. diſp. 3. quæſt. 2. punct.* 4. opus non eſſe, quod Epiſcopus Diœceſis approbet Reliquias jam approbatas, cujuſmodi ſunt, quæ Roma afferuntur cum Bulla Apoſtolica, aut aliunde cum teſtimonio Epiſcopi loci, a quo in alium transferuntur, aut eorumdem veritatem examinet, cum jam legitime comprobatæ ſint, ſed fas eſſe, quod examinet, an Inſtrumentum, & Bulla ſint in forma probante, an ſigillum capſulæ, in qua collocatæ fuerunt, ſit conforme vero ſigillo; & an eæ ſint illæ, quæ teſtimonio Summi Pontificis, vel Epiſcopi legitime approbatæ fuerunt. Ad quam recognitionem faciendam tunc non tenetur formam traditam a Tridentino ut ſupra ſervare, ſed nemine conſulto poteſt eos titulos recognoſcere, & examinare.

XXV. Ut autem hæc pars tale privilegium reportet, opus eſt, ut in ea ſpeciali modo præ ceteris partibus paſſus ſit Martyr, quandoquidem ſpeciale privilegium, quo ipſa decoratur, ſpecialem cauſam in ea requirit, unde eorum Martyrum, quorum nulla corporis pars peculiare ſenſit tormentum, nulla itidem ejuſdem pars inter inſignes computari poteſt ad effectum inſtituendi de eadem particulare Feſtum, ſeu officium. Quæ tamen ita volumus eſſe intelligenda, ut in nihilo offendant, quæ ſtatim daturi ſumus, ſed cum dandis limitationibus accipienda.

XXVI. Primo itaque ſe offerunt Sancti illi, qui in carcere, aut exilio, aut alibi ærumnis confecti, & inedia conſumpti interiere, quorum plures recenſet Martyrologium Romanum, eorumdemque multa adducit exempla Antonius Gallonius *lib. de Cruciatib. SS. Martyr.*, aliorum ſcilicet exilio damnatorum, aliorum adſcriptorum operibus ædificiorum, & purgationi cloacarum, aliorum denique ad metalla damnatorum, unde de S. Marcello Papa legitur, quod contemnens, & deridens dicta, & præcepta Maxentii, qui eum adigere tentabat, ut Dæmonibus ſacrificaret, damnatus eſt ad catabulum, hoc eſt publicum ſtabulum animalium, ut eis deſerviret, & quod tandem in ſervitio animalium nudus, amictus cilicio, defunctus eſt. Hos uti Martyres Eccleſia veneratur, ſed in eorumdem officio tacendum edicit octavum Reſponſorium, *Hic eſt vere Martyr &c.*, & ejuſdem loco ſubſtituendum ſtatuit, *Domine prævenisti*. Verum cum hujuſmodi Martyres in nulla corporis parte peculiariter torti extiterint, nulla itidem eorumdem corporis pars videtur præfato privilegio donanda, alioquin melioris forent conditionis Sanctis Martyribus illis, qui ultra totius corporis indiſpenſabilem cruciatum, qui ex peculiari alicujus partis tortura promanat, aut alias in toto corpore ex ærumnis, & inedia paſſi eſſent, in parte aliqua ſpecialiter quoque torti fuiſſent; utpote quorum hæc pars duntaxat privilegiata veniret, ubi in illis totum corpus dictum privilegium reportaret. Hoc autem profecto indicat Sanctio ipſa, quæ dum ultra partes ſuperius recenſitas, in Martyre partem illam privilegio decorat, in qua paſſus eſt, *Aut illa pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr*, conſequenter deſignat, nullam habendam eſſe rationem tormenti illius, quod pars aliqua ex alterius tortura per conſenſum perſentit, quodve in toto corpore univerſale extitit, niſi hoc ſpeciale itidem foret, & ex ſe mortis illativum juxta inferius dicenda. Dum tamen Martyres hujuſce rationis præfato privilegio non potiri poſſe aſſerimus, in tota univerſalitate nolumus id eſſe intelligendum, ſed cum fallentia pro caſu, in quo ex memoratis ærumnis, doloroſum morbum aliquem, contraxerint, præſertim ſi talis fuerit, qui eoſdem ad mortem uſque perduxerit; partem enim illam, quæ a morbo illo peculiariter læſa fuit, non apparet memorato privilegio eſſe privandam.

XXVII. Secundo. Ejuſdem ſunt conditionis Martyres illi, quos *extorres* vocant, qui nempe timore correpti, ne fidem proderent, vel dira Tyranni perſecutione coacti, ſua ſuoſque relinquentes, in ſumma deinceps egeſtate, ſeu vagi, & errantes, ſeu latitantes in montibus, & ſpeluncis, gravibus, iiſque perpetuis periculis obnoxii, reliquum vitæ tempus traduxere, cujuſmodi ſunt ſeptem illi *Dormientes* dicti, de quibus mentionem habet Martyrologium die 27. Julii, qui perſecutionis Decii atrocitatem fugientes, in ea ſpelunca, in quam ſe receperunt, vel interierunt, vel obdormierunt. Tales itidem ſunt, quos idem recenſet Martyrologium 23. Junii: *Nicomediæ commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui in montibus, & ſpeluncis tempore Diocletiani latitantes, pro Chriſti nomine Martyrium læto animo ſubierunt*. His tamen adhuc limitationem illam, quam pro Martyribus præcedenter recenſitis fecimus, adhibendam quoque eſſe putamus.

XXVIII. Tertio. Iiſdem connumerandi veniunt Infantes nondum nati, ſi qui cum Matre ſimul interfecti fuerint, vel adhuc eadem ſuperſtite in maternis uteris ex odio in Fidem occidantur. Falleret hoc tamen, ſi pars aliqua corporis eorumdem ſpecialiter læſa veniret, quapropter ſi ſtylus, quo puta occiditur Mater, in utero latentis pueri partem aliquam offenderet, hanc prædicto privilegio ſpoliare non poſſumus.

XXIX. Quarto. Mortui in obſequio peſte laborantium inter veros Martyres a Raynaudo recenſentur, quam aſſumptionem late proſequitur *in Theol. antiqua de vera Martyrii notione*; & id deduci videtur ex Martyrologio, qui de præfatis ad diem 28. Februarii in hunc modum proloquitur: *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſime mortem oppetiere, quos veluti Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit*. Hi itaque, quatenus tamquam Martyres coli deberent, ſuperius memoratis, quorum nullam corporis partem dicto privilegio decoratam fecimus, adjungendi forent, niſi quis aſſereret, partem illam (quod nos reprobare non poſſumus) in qua bubones contrahunt, utpote quæ particulare ſentit tormentum, particulari etiam illo privilegio eſſe donandam. Verum cum Raynaudi ſententia pluribus impugnetur ab Hurtado *de vero Martyrio reſol.* 6a., aliiſque paſſim Auctoribus, & inter ceteros libros proſcriptos a Sacra Congregatione anno 1696., extet liber ille Raynaudi *de Martyrio per peſtem*, & in ejuſdem correctione ab eadem Indicis Congregatione demandata, hæc dici dicantur, *pro commendanda caritate eorum, qui inter miniſtrandum peſte contactis vitam amittunt, non tamen in ea acceptione, qua Patres, & Doctores, & Eccleſia vocant illos, qui in pugna, & certamine cum Tyranno propter Deum vitam non reſiſtentes ponunt*, uti notatur apud eumdem Raynaudum *tom.* 20. *pag.* 256., idirco hujuſmodi Sancti nonniſi lato modo dici poſſunt Martyres, non autem ſtricto, & juxta Eccleſiæ praxim, ac conſequenter privilegio illo, quod vere Martyribus fecit Eccleſia, frui non poſſunt; præſertim cum S. Aloyſius Gonzaga ex morbo contracto cauſa ſervitium præſtandi peſte laborantibus obierit, & tamen non ritus Martyris, ſed Confeſſoris ab Eccleſia fuit illi deſignatus. Nec in contrarium faciunt, quæ ex Martyrologio producta fuere; quoniam ibi non dicitur, eos cultu Martyrum in Eccleſia coli, ſed religioſam piorum fidem eos venerari *veluti Martyres*; particula autem *veluti* ſimilitudinem potius, quam veritatem ſignificat. Quoniam vero Cardinalis Capiſuccus *in ſua Controverſia de Martyrio* §. 11. Chriſtianos modo prædicto morientes inter vere, & proprie Martyres annumerat, quoties a Tyranno ex odio in Fidem addicerentur ſervitio peſte laborantium, ut ſic, attracta lue, occiderentur, ſecus autem, qui ſponte ſua, & caritatis argumento voluntariam præſtantes opem peſte laborantibus, in hoc caritatis officio, attracto morbo, morerentur, ideo licet non his, bene tamen illis quoad partem a lue ſpecialiter læſam dictum privilegium libenter concedimus.

XXX. Quinto. De iis, qui ardenti Martyrii deſiderio flagrarunt, illudque quærentes in remotas oras profecti ſunt, licet vel morbo, qui progredientes acrius vexabat, vel liberali, ſecus quam ſperaverant, infidelium tractatione redire compulſi, qualiter SS. Romualdo, Antonio de Padua, Francisco de Aſſiſio, aliiſque permultis contigiſſe, Auctorum aſſertio eſt, nunc ſumimus agere; & hos inter veros Martyres recenſeri obſervamus a Martino de Magiſtris *tract. de Martyrio quæſt.* 1.

& 4., ubi docet, de ratione Martyrii non eſſe actualem, & exercitam mortis voluntariam paſſionem. In contrarium tamen eſt turba Doctorum, quorum unus D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 4. in medium dumtaxat prodeat, obi ad perfectam rationem Martyrii requirit, quod aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum, & quæ in oppoſitum facere poſſunt, aſſerit eſſe intelligenda per quamdam ſimilitudinem. Eccleſia ipſa & memoratis Sanctis, necnon Sanctis Dominico, Tereſiæ, Joanni de Capiſtrano, Martino, Franciſco Xaverio, aliiſque, quos enixum patet ex hiſtoriis, probatiſque auctoribus habuiſſe Martyrii deſiderium, non cultum Martyrum, ſed Confeſſorum adſcribit. Quid igitur? Quid? Prædicti Sancti, etſi apud Deum, qui voluntatem reputat pro facto, gloriam, & coronam Martyrii, quæ a D. P. Auguſtino *lib. de Virginit. cap.* 46. vel in habitu animi, vel in ipſa paſſionis experientia conſtituitur, haud dubie promereantur, immo & conſequantur, non ſunt tamen vere, & præciſe Martyres catholici, quos ut tales veneretur Eccleſia, propterea que his favorabilis non poteſt eſſe præſentis diſpoſitio Decreti. Præterea hujuſmodi deſiderii Martyres in nulla corporis parte Martyrii ſignum aliquod, aut ſtigma extrinſecus habent, aut tormenta a Tyranno inflicta ſenſere; quæ igitur eorumdem corporis pars dicto privilegio decorabitur? Nec ſuffragatur, quod in eorumdem corpore ſtigma aliquod ex ciliciis, catenis, urticarum manipulis, aliiſque aſperrimis flagellis, quibus ipſi proprium corpus caſtigabant, inflictum appareat; hoc enim Martyrii ſtigma non eſt, nec pro tali ab Eccleſia reputatur, & non minus habetur in plurimis Confeſſoribus, qui prædicto Martyrii deſiderio non conflagrarunt, & ideo incapax eſt ad privilegiandam eam partem, in qua ſitum eſt, eo privilegio, quo ſtigma Martyrii donatur per præſens Decretum, cujus verba ad metaphoricum ſenſum, ac alienum a communi Eccleſiæ intelligentia, nequaquam ſunt detorquenda.

XXXI. Sexto. Dantur Martyres patientiæ, de quibus Sanctus Gregorius *homil.* 31. *in Evang.*, & S. Petrus Damianus *lib. 6. Epiſt.* 27. Dantur Martyres Religionis, hoc eſt, Clauſtralis obſervantiæ, de quibus Damaſcenus *lib.* 4. *de Fide cap.* 16. Dantur Martyres Virginitatis, quæ Martyrii nomen, & decus retulit apud Chryſoſtomum *in Orat. de S. Thecla, & in Orat. de S. Barlaam*, apud Ambroſium *lib.* 1. *de Virginib.*, & apud Bernardum *ſerm.* 1. *de Octava Paſchæ*. Dantur Martyres divinæ caritatis, qui igne, & zelo divini amoris abſumuntur; quod nempe Martyrium agnoſcunt Chryſoſtomus *homil.* 10. *in Epiſt. ad Corinth.*, & Petrus Damianus *ſerm. de S. Eleuchadio*. Verum hæc minus proprie Martyria appellantur, uti quoque libens admittit Raynaudus *tract. de Martyrio per peſtem in Præfat. partis* 2., & tamquam Martyria ab Eccleſia minime recognoſcuntur, dum Sanctis hujuſmodi cultum Martyris numquam tribuit, & ideo a Decreti diſpoſitione indubitanter eoſdem credimus expulſos, quando etiam in aliqua corporis parte ſtigma aliquod contraxerint, & hac de cauſa fuerint abſumpti. Quoad hoc tamen Lectorem amandamus ad Decretum VI. hujus Capitis, ubi forſitan nonnullas reperiet limitationes a nobis probabiliter factas.

XXXII. Septimo. Ultra mortem naturalem, per quam verum completur Martyrium, aliud genus mortis eſt, quæ talis habetur in foro externo, qualis eſt eorum, qui injuſta excommunicatione puniuntur, qui ſi invicta patientia eam toleraverint, Martyres a nonnullis reperiuntur appellati, de quibus Lupus *in Scholiis ad lib. Tertulliani cap.* 4. *pag.* 71. *edit. Veneta tom.* 9. Aſt hujuſmodi, aliique ſimilis rationis admodum utique improprie Martyres appellantur, & quod tales non ſint in ſenſu Eccleſiæ, cuilibet arbitramur eſſe compertum; unde non eſt, quod probemus, eoſdem dicti privilegii non eſſe participes, quoties etiam memorata de cauſa in aliqua corporis parte læſi fuiſſent.

XXXIII. Octavo. Ex communi Doctorum placito in Martyrio duæ Perſonæ debent intervenire, hoc eſt, Perſecutor, ſeu Tyrannus, qui pœnam infligat, & Martyr, qui eam patienter ſuſtineat: *In cujus glorioſo agone* (verba ſunt D. P. Auguſtini Serm. 44. de Sanctis) *duo ſunt præcipue conſideranda; ſævitia Tortoris, ut eam deteſtemur; patientia Martyris, ut eam imitemur*. Doctrina hæc contraire videtur Eccleſiæ uſui colendi ut Martyres pleroſque, qui propriis manibus ſibi mortem intulerunt, ut S. Apolloniam, quæ ſponte in ignem celeriter inſiliit, & conflagravit. Verum in hiſce Martyriis forte Perſecutor, ſeu Tyrannus non defuit, cum nomine Perſecutoris, ſeu Tyranni ille etiam comprehendi poſſit, qui Martyribus occaſionem ſubminiſtravit ſibi mortem inferendi, veluti docuerunt Raynaldus *de Martyrio per peſtem part.* 2. *cap.* 1. *numer.* 1. & 2. Sylvius *in* 2. *qu.* 64. *art.* 5. *ad* 5., Leſſius *de juſt. & jure lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 6. *num.* 24., Gobat *Theol. experim. caſ.* 18. *ſect.* 1. *numer.* 181. Quod ſi adhuc hoc minime ſufficere contendatur, dicito, interventum Perſecutoris, ſeu Tyranni dumtaxat expoſci in Martyrio juxta regulas ordinarias, non autem in Martyrio juxta regulas extraordinarias, quæ ex ſpeciali inſtinctu divino cauſam habent, cujuſmodi ſunt exempla S. Apolloniæ, & aliorum tamquam Martyrum ab Eccleſia veneratorum, qui ex divina inſpiratione ſibi mortem dedere. Cum igitur hujuſmodi Sancti ſint vere Martyres, & ab Eccleſia ipſa cultum Martyris obtineant, dubium non eſt, quod præfato gaudent privilegio in ea corporis parte, in qua ſibi mortem inflixerunt, quapropter Sophronia verb. gr. Romana fœmina, quæ teſte Euſebio a Marito derelicta, & in manibus Maxentii Tyranni relicta, tempus petiit, ut corpus ſuum decenter ornaret, at cubiculum ingreſſa, cum ſola eſſet, enſe ſeipſam transfixit, in transfixionis parte dictum privilegium reportaret, ſi tamquam Martyr ab Eccleſia recognoſceretur. Etſi autem Sophronia chriſtiana quidem eſſet, ejuſque cum laude meminerit Baronius *ad annum* 309. *numer.* 10., non eſt ab Eccleſia inter Sanctos relata, quia non babuit ſufficientia indicia, ut exiſtimare poſſet, ipſam inſtinctu Spiritus Sancti ſibi vitam ademiſſe, uti advertit Baillet *in Diſſert. gen. ad vitas Sanct.* §. 79.

XXXIV. Nono. Ad verum Martyrium conſtituendum paſſim ab Auctoribus exigitur, quod Perſecutor, ſeu Tyrannus reipſa mortem inferat, aut ſaltem ponat cauſam neceſſariam, & ſufficientem mortis naturalis; hinc dubium exurgit iis de partibus, quæ lethalia vulnera cum receperint, nihil tamen inde a tormentis per divinum miraculum læſæ fuerunt, nihilque doloris pertulere; num ſcilicet memorato privilegio debeant gaudere? Et dicendum videtur, quod non, quia de eiſdem non verificantur verba Decreti, nempe quod *in illis paſſi ſint Martyres*. Aſt quoniam partes illæ ſic tortæ, quia ſecluſo miraculo tormenta utique ſenſiſſent, quæ mortem intuliſſent, Sanctis ipſis, etſi alio ſupplicii genere, vel gladio a Tyrannis interempti Martyrium non compleant, proprium Martyris titulum, cultumque tribuere valent, ut videre eſt in S. Joanne Evangeliſta, qui a fervente oleo, in quo demerſus fuit, nihil læſus, Martyris nihilominus & nomine, & cultu ab univerſa afficitur Eccleſia, ita & præfato privilegio ipſæ decoratæ cenſeri debent, perindeque conſiderati, ac ſi tormenta reipſa expertæ fuiſſent. Ad rationem itaque dubitandi dicendum venit, ſufficere, quod iis in partibus Martyres paſſi ſint per ſe, & ex natura ſua, etſi per accidens, & Divina protegente virtute deinde reipſa tormenta non ſenſerint; hinc etiam Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui cum Statuam adorare noluerint, juſſu Nabuchodonoſor in ardentem fornacem fuerunt injecti, *in ſuis Epiſt.* a S. Cypriano, cum quo concordat Tertullianus *in Scorp. cap.* 8., inter Martyres recenſentur, & tamen de iiſdem legitur Daniel. 3. quod *eos non tetigit omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit*.

XXXV. Decimo. Idem a fortiori dicendum venit iis de Martyribus, quos tormenta ad mortem inferendam valida expertos, ſed miraculoſe a Deo ſanatos, conſtat ſpontanea deinceps morte deceſſiſſe; hi enim in illis corporis partibus, in quibus torti fuere, vere cruciatus perſenſerunt, qui vitam eiſdem ademiſſent, niſi Divina Omnipotentia eoſdem præſervaſſet.

XXXVI. Undecimo. Gravior incidit dubitatio de illis partibus, quæ particulariter quidem læſæ fuerunt, ſed non per vulnus lethale; an videlicet inſignes debeant reputari ad effectum inſtituendi ob eaſdem officium? Exemplum producitur in S. Apollonia, cui omnes contuſi fuerunt, & evulſi dentes, an ſcilicet puta maxillæ, ex quibus evulſi fuerunt, quæque doloroſum quidem, ſed non mortiferum vulnus receperunt, prædicto ſint privilegio donandæ? Ad quod dicendum videtur, quod non; Sanctos enim illos, qui a Tyranni ſuppliciis afflicti, ſed nec perempti, nec per vulnus ex ſe mortale plexi, in pace poſtmodum quieverunt, tamquam Martyres colere in uſu non habet Eccleſia; quapropter ſi tale vulnus vim non habet ad conſtituendum Sanctum in Martyrum Catalogo, nec vim utique dicto privilegio partem, quam affecit, decorandi habere poſſe videtur; hinc D. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 49. *qu.* 5. *art.* 3. *quæſtione* 2. habet: *Dicendum, quod ſi aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat, & ſupervivat, non eſt dubium, quin aureolam mereatur: Si vulnera non mortalia ſuſceperit, & adhuc carcerem ſuſtinens moriatur, adhuc aureolam meretur; & quorumdam Sanctorum Martyria in Eccleſia celebrantur, qui in carcere mortui ſunt, aliquibus vulneribus longe ante ſuſceptis, ſicut patet de S. Martello Papa &c. Si vero non continuetur uſque ad mortem, non propter hoc aliquis dicitur Martyr, ſicut patet de B. Silveſtro, de quo non ſolemnizat Eccleſia, ſicut de Martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas paſſiones ſuſtinuerit*. Accedit, quod alias per dictum vulnus non lethale inſignita redderentur membra illorum Sanctorum, qui eodem ſuſcepto in pace poſtmodum quieverunt, quique, propterea in Eccleſia Dei nonniſi cultum Confeſſoris aſſequuntur, quoniam ubi eadem cauſa eſt, ibi etiam idem debet adeſſe effectus: Opus eſt igitur, quod illa verba, *Aut illa pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr*, intelligenda veniant de paſſione, quæ Martyri mortem inferat, aut ex ſe apta erat mortem inferre, niſi per miraculum impedita in ſua activitate extitiſſet.

XXXVII. Hæc tamen non adeo multi facimus, ut eorumdem ponderi ſuccumbere arbitremur. Ut Sanctus aliquis dictum reportet privilegium, duo dumtaxat expoſcit Decretum, quæ ſi interveniant, nos non videmus, cur illi contendi queat. Sunt autem, & quod in aliqua parte particulariter patiatur, & quod per mortem Martyrium conſummet, ſeu quod Martyr occumbat. Iis, qui non lethali ſuſcepto vulnere in pace vitam finiunt, etſi primam ex conditionibus habeant, deeſt tamen ſecunda, & ideo, cum nec Martyres ſint, nec ut tales habeantur, privilegium neque aſſequuntur. Qui vero ulterius per ærumnas, aut alias per cauſas Martyrium conſummant, cum Martyres ſint, ac ut Martyres ab Eccleſia honoran-

norentur, qua de cauſa privilegium non reportabunt? Nonne nos monet Juriſtarum regula illa communiter recepta, quod favores ampliandi ſunt, non reſtringendi? Cur itaque verba Decreti nos reſtringere volumus ad paſſionem, quæ mortem reipſa inferat, aut ejuſdem ex ſe ſit illativa?

XXXVIII. Et quidem intentio Decreti fuit privilegiare partem illam præ ceteris, quæ particulariora tormenta perſenſit, eamdemque reddere inſignem, ſicuti inſignis ipſa extitit in illis ſufferendis. Item dictum privilegum latum fuit in aureolam, & ſignum reportatæ victoriæ: Cum itaque partes omnes, quæ crudelia præ cæteris, licet non lethalia, vulnera ſuſcepere, ſe inſignes præſtiterint in iiſdem patienter tolerandis, & invicte victoriam reportaverint, memorato privilegio privari non debuerunt; & hoc præſertim, quia magna alias Martyrum portio dicto privilegio defraudata veniret, ii ſcilicet omnes, qui gravibus, ac ſævis cruciatibus ſuperſtites, inter ærumnas, carceres, ac vincula poſtmodum ex hac vita migrarent, cum tamen iiſdem verba Decreti in omni rigore ſint adaptabilia.

XXXIX. Ultro tamen fatemur, quod ut hujuſce rationis partes in Martyribus dicto gaudeant privilegio, & cum ex ſe non ſint, ut reddantur inſignes, exigitur, quod in ſufferentia, ſeu victoria itidem inſignes extiterint, ac conſequenter quod gravia, crudelia, ac ſæva tormenta invicte perſenſerint, & non tantum levia, aut mitiora, vel minima, quæ in conſiderationem vel nullam, vel modicam cadunt, ut ſic præmium merito quodammodo reſpondeat. Qui igitur ex hiſce Martyribus unam verb. gr., vel alteram in odium Fidei ſuſciperet alapam, vel non ſanguineis cæderetur flagris, in cæſionis parte privilegio forte non frueretur.

XL. Duodecimo. De iſtis Martyribus, qui per crudelia, licet non lethalia, vulnera afflicti fuerunt, dubium modo emergit, num ſi poſtmodum per mortales plagas Martyrium compleant, privilegiati cenſeri debeant, nedum in partibus, in quibus exitialiter, verum etiam in quibus medicabiliter læſi fuerunt? ℞. Omnes hujuſmodi partes privilegio decorari; cum enim, ut modo dicebamus, vulnus quodlibet, dummodo ſævum, atque crudele, licet non mortale, ad privilegiandam partem ſufficiat; cur & non ſufficiet in iis Martyribus, qui per immedicabilia vulnera ab hac vita ulterius fuerunt adempti? Videantur, quæ ſtatim ſubdimus, utpote ad rem hanc omnino facientia.

XLI. Decimotertio. De iis Martyribus tunc diſputatio ſuſcipitur, qui per totum corpus, vel in pluribus ejuſdem partibus vel mortaliter, vel crudeliter torti fuerunt, & inquiritur, num quælibet ex partibus, aut totum corpus dicto privilegio frui poſſit, aut debeat? Et ſi attendatur loquendi modus, quem in numero ſingulari tenet Decretum, *Aut illa pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr*, una dumtaxat ex partibus dictum videtur poſſe conſequi privilegium, illa videlicet, in qua particularius paſſio emicuit. Nos tamen nihilominus in oppoſitum ſentimus, totumque reſpective corpus, aut omnes eas partes inſignitas fuiſſe arbitramur. Ducimur autem 1., quid ſi ea pars, quæ vulnus lethale, vel crudele ſuſtinuit, inſignis eſt iis in Martyribus, quibus unicum ex hujuſmodi vulneribus inflictum extitit, quomodo omnes ex illis partibus inſignes non erunt in iis Martyribus, qui plura lethalia, vel crudelia vulnera perpeſſi fuere? Quid enim demeriri habet Sanctus ille, qui in pluribus partibus, aut per totum corpus mortifere, vel crudeliter dilaniatus fuit, ut in eo non ſufficiat ad reddendam inſignem, ac privilegiandam paſſionis partem; id quod ſufficit in iis Martyribus, qui minora tormenta ſenſere, & forſitan nonniſi in una, vel altera corporis parte, ſeu non adeo graviter cruciati fuere? 2. Quia Congregationis intentio fuit privilegiandi partem illam, quæ cum particulariter torta fuerit, in victoria, & ſufferentia ſe præſtitit inſignem, ut ſic præfatum privilegium in præmium veluti, & ſignum deſerviret victoriæ, in ea parte patientiſſime, & invicte reportatæ; & ut, quemadmodum dicitur Sapient. 11. 7. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, ita & per quæ vincit, per ea etiam coronetur. Si itaque non in una dumtaxat corporis parte, ſed in pluribus, immo etiam in toto corpore victoria fuit inſigniter reportata, cur iiſdem etiam partibus, vel toti corpori non debebit dictum privilegium correſpondere? Nec officit locutio de parte in numero ſingulari, quam habet Decretum, quia vix verborum vim conſideranti dilucide patebit, quod nihilominus cuilibet ex partibus, in quibus paſſus eſt Martyr, licet plures numero ſint, in individuo eſt eadem æque profecto, & in omni rigore adaptabilis; de omnibus ſiquidem ſingillatim acceptis verificatur, quod *in ea parte paſſus eſt Martyr*.

XLII. Cum itaque Divus verb. gr. Laurentius toto in corpore aduſtus, ac aſſatus fuerit, nec diſſimiliter evenerit Sanctis illis, qui in ignem, vel ardentem rogum injecti fuerunt, vel Spiritus Sancti inſtinctu ſeſe præcipites dedere, ideo pro officio de hiſce, & ſimilibus inſtituendo, ſufficiet quæcumque, quæ haberetur, eorumdem corporis notabilis pars. Idipſum dicendum venit de iis Martyribus, qui in pluribus partibus, vel per fere totum corpus lethalibus, vel crudelibus plagis fuerunt afflicti; ut de S. Venantio, cujus paſſio utique mirabilis, ac in toto pene corpore extitit univerſalis, uti & de ceteris propemodum infinitis Martyribus relate ad omnes, vel eas partes, in quibus eorumdem paſſio particulariter emicuit.

XLIII. Decimoquarto. Nobis ſe offerunt Sancti illi, quos ut Martyres colit Eccleſia, qui per Divinam Omnipotentiam a mortis periculis, vel tormentis erepti, in pace poſtmodum obdormierunt; non quidem ii ex eiſdem quorum in parte aliqua corporis, licet per divinum miraculum, inaniter Tyranni ſæviere, quoniam hanc partem ſuperius privilegiatam fecimus; ſed ii, quorum parti nulli parata tormenta, reapſe admota fuere. Hujuſmodi eſt verb. gr., S. Thecla, quæ ad Beſtias damnata, ſpeciali ope divina incolumis evaſit, de qua licet nonnulli putent, eam revera Martyrium poſtea morte ſua conſumaſſe, alii tamen probabilibus cenſent, ipſam divinitus a periculis mortis liberatam, ſe in ſolitudinem contuliſſe, & ibi ſenio confectam in pace quieviſſe; inter quos Tillemont *tom. 2. in vita S. Theclæ pag. 63., & in not. 4. ad eamdem*, & Baillet *in ejus vita ad diem 23. Septemb.* De his autem dubium inſurgit, utrum pars aliqua eorumdem corporis, & quæ, ad rem, de qua agimus, poſſit cenſeri privilegiata? Et dicimus partes omnes, quæ dempto miraculo, paratorum cruciatuum vim, ac moleſtiam ſenſiſſent; unde in caſu S. Theclæ omnes ejuſdem corporis partes, utpote quæ a Beſtiis contritæ, ac abſumptæ fuiſſent. Ratio hujus eſt, quia uti tormenta illa, licet nulli corporis parti Sancti applicita, adhuc quia ſecluſa Divina virtute eidem adhibita fuiſſent, atque inflicta, poſſunt eidem Sancto nomen Martyris, & cultum præſtare, ita utique poterunt etiam partes illas eadem de cauſa inſignire.

XLIV. Decimoquinto. Quoniam quæ ſuperius dedimus de Dei Servis, qui per miraculum liberati a tormentis, quæ ipſis naturaliter mortem intuliſſent, in pace moriuntur, aut qui ex ærumnis uſque ad mortem continuatis, & pro Chriſto inflictis diem clauſerent extremum, ſolum procedunt de Dei Servis primorum Eccleſiæ ſæculorum, dubitandi ſupereſt ratio, num ſi quid ſimile hodie in Eccleſia contingeret, Martyrum Catalogo, an potius Confeſſorum eſſent iiſdem adſcribendi, & hoc ad effectum ſciendi, an partes, in quibus paſſi ſunt, inter inſignes debeant computari? Soto *in 4. ſent. diſt. 49. quæſt. 5. art. 2.* propoſita prima quæſtione, eam relinquit judicio Eccleſiæ definiendam. Et quidem cum præmiſſis probationibus vulneris, ſeu tormenti mortiferi, necnon miraculoſæ liberationis, demonſtrandum eſſet, ſic liberatum toto tempore, quo ſupervixit, caritate numquam excidiſſe, & ſe in virtutibus heroicis exercuiſſe, jam quiſque facile videt, maximopere etiam ponderandum eſſe, & diſcutiendum, utrum is in claſſe Confeſſorum, pro qua omnia concurrerent requiſita, an in Martyrum claſſe reponendus foret.

XLV. Hanc difficultatem agnovere Theologi, quam ut evadant, nonnulli reſpondent, ſic morientem in catalogo Martyrum eſſe deſcribendum, eo quia ſi Deus eum miraculoſe liberavit a morte, dicendum eſt quoque, & pie credendum, quod ipſum in gratia confirmavit, ut apud Hurtado *in reſol. de vero Martyrio, reſol. 35. aſſert. ult.* §. 4. Suarez *tom. 3. in 3. par. quæſt. 69. diſput. 29. ſect. 3.*, & noviſſime Eminentiſs. Gotti *in ſua Theolog. tom. 13. quæſt. 2. de Baptiſmo dub. 5.* §. *3. num. 20.* Verum cum nullum hujus confirmationis in divinis oraculis, aut Eccleſiæ definitionibus extet documentum, & exempla non deſint eorum, qui non ſine miraculo a morte, quam paſſuri erant, liberati, lethalibus criminibus ſe poſtea inquinarunt, uti deſumitur ex Procopio *lib. 1. de Bello Vandalico cap.* 8. dicente: *Chriſtianos Africæ tam crudeliter, tamque injuſte non vexavit, quam Honorigus. Cum enim illos ad ſectam Arianam compelleret, quoſcumque parum ad hoc ſequendum promptos deprehendebat, igne, aliiſque ſuppliciis excruciatos necabat. Multis linguam faucium tenus abſcidit, qui etiam noſtra ætate ſuperſtites Biſantii explanate loquebantur, nullum capientes ſenſum illius pœnæ. Ex his duo rem habere auſi cum meretricibus ſermonis uſum amiſerunt*; hinc quiſque facile videt, quod in hac re nihil certi ſtatui debet, & judicio Eccleſiæ eſt id relinquendum, & quod ſuperius adductum Theologorum placitum innititur tantum ſpeculationibus, quæ rem probabilem utique, ac veriſimilem, ſed certam minime reddunt.

XLVI. Confirmatur id etiam, nam B. Joſeph a Leoniſſa Ordinis Capuccinorum Conſtantinopoli ad unci ſupplicium a Turcarum Tyranno damnatus, ut fumo ſuppoſito moreretur, poſtquam triduo jejunus ab unco pependit, ab Angelo ſub pueri ſpecie liberatus, vulneribuſque ſanatis, in Italiam rediit, cicatricibus in talo, & manu dexteris ad perpetuum Martyrii teſtimonium apparentibus. Poſtulatores pro cauſa Beatificationis, & Canonizationis ejuſdem in ſuis ſcripturis nonnulla ad Martyrium ſuadendum attulerint; at excitatis difficultatibus tum quoad facti probationem, tum quoad neceſſitatem probandi perſeverantiam, & exercitium virtutum uſque ad obitum, qui multos poſt annos accidit, cauſam ejuſdem Servi Dei, non uti Martyris, ſed uti Confeſſoris poſtea proſecuti ſunt, & ejuſdem beatificatione peracta eidem itidem cultus Confeſſoris, & non Martyris decretus extitit.

XLVII. Dices, quod ſi juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſic morientes catalogo Martyrum fuerunt adſcripti, abſonum videtur, ſi in pari cauſa idem hodie non habeatur judicium. Ita tamen opponenti adaptabilis eſt reſponſio, quam D. P. Auguſtinus *lib. 1. de Civit. cap. 26.* adhibet his, qui pro Chriſto ſibi mortem intulerunt, fieri videlicet potuiſſe, & factum eſſe, quod Divina Auctoritas fide dignis atteſtationibus ſuaſerit Eccleſiæ, eorum memoriam ſic eſſe honorandam. Idip-

ſum

ſunt itaque nos dicimus de his, qui in pace mortui ſunt, poſtquam a tormentis miraculoſe fuerunt ſanati, aut ærumnis uſque ad mortem continuatis ex hac vita migrarunt. Id autem quoque fieri ab Eccleſia deberet, ſi conſimiles non deeſſent teſtificationes. Sed cum iſtæ juxta præſentem rerum curſum non habeantur, niſi modo in ſuperioribus indicato, hoc eſt, per documenta continuatum virtutum exercitium uſque ad obitum comprobantia; hinc niſi hujuſmodi documenta habeantur, præfati Sancti modo uti Martyres in Dei Eccleſia non proponuntur adorandi. Si quis autem plura cupit, recolat Guyetum *lib. 2. cap. 7. quæſt. 14.*, necnon Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontificem Summum, qui more ſuo eruditiſſime rem pertractat *de Canoniz. tom. 3. lib. 3. cap. 12., &c.* & ſuper ſuperius traditis, quorum plura ex eodem deprompſimus, plene fiet inſtructus, necnon ſuper ceteris, de quibus, utpote non ita neceſſariis, non mentionem minime fecimus: ceterum ad veram Martyrii notionem dignoſcendam apprime deſerviunt, puta an interceſſerit cauſa requiſita ex parte Tyranni, & apta ad Martyrium, quæ debet eſſe odium in Fidem, vel in opus bonum, prout a Fide Chriſti præſcriptum: An in Sanctis mortem præceſſerint diſpoſitiones illæ, quæ neceſſariæ communiter cenſentur; vel quæcumque alia dubitatio emergit, vel ratione provocationis Tyranni per ſpontaneam Martyris oblationem, aut dictis, ſeu factis inflammationem, ſive circa cauſam Martyrii ex parte ipſius Martyris ſe tenentem &c.

XLVIII. Admonendum denique Lectorem arbitramur, quod in hoc rerum themate recurrere debet ad Martyrologium Romanum, in quo Sanctus deſcriptus eſſe debet, ut de eo officium fiat ratione Reliquiæ. Si in præfato Martyrologio Sanctus, de quo agitur, tamquam Martyr adnoratus eſt, abſque ulteriori examine in dicta adnotatione quieſcat, & partem illam, in qua Martyr paſſus eſt, ad effectum ſciat inſignem, ſecus vero, ſi non tamquam Martyr, ſed tamquam Confeſſor deſcriptus habeatur. Diximus *abſque ulteriori examine*, quia ea, quæ in dicto Martyrologio habentur, Apoſtolica non carent approbatione, & in uſum univerſalis Eccleſiæ optime valent deſervire, quantumvis circa eadem dubium aliquod accideret haberi; admodum enim ſcite *in admonit. 11. ad ſuum Martyrol.* exaratum fecit Florentinius: *Ceterum etſi aliqua videantur animadverſione digna, non cujuſque juris eſt, cenſorem agere, ſed expectandum, quouſque, re mature diſcuſſa, emendationem, ſi opus eſt, Eccleſia ipſa decernat.*

XLIX. Ex hoc monito facile quiſque inferet, perperam igitur a nobis prolixe ad tædium uſque de Martyribus actum fuiſſe. Non ita tamen. Tum quia perſæpe de qualitate Sancti vel nihil habet dictum Martyrologium, ut præſertim cum de Prophetis agit, vel ſatis obſcure loquitur, unde inſurgere adhuc poteſt dubitatio, ut in caſu ſuperius adducto inſervientium peſte laborantibus, & in hoc caritatis officio defunctorum. Tum quia quæ habet Martyrologium, ad dignoſcendas partes ratione paſſionis ad præſentem rem inſignes, non ſatis apte deſerviunt, quemadmodum ex ſuperius per nos traditis dilucide conſtat. Tum denique, quia ut dicebamus in Decreto II. hujus Capitis, officium agi etiam poteſt intuitu Reliquiæ de iis Sanctis, qui reipſa in Martyrologio deſcripti non ſunt, habent tamen jus proximum ad ſui in eodem deſcriptionem, quales eſſe diximus, quotquot poſt dicti Martyrologii editionem in Sanctorum catalogo fuerunt annumerati &c. Recolat Lector, quæ ibi dicta ſunt.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE I.

Tybia non eſt Reliquia inſignis. S. R. C. 3. Junii 1662., *in una dubior.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. numer. 82.

I. CRus ex duobus oſſibus conſtat, quorum unum multo majus eſt, & craſſius, & Tybia vocatur, minus alterum, & ſitum ex parte carnoſa, & Sura dicitur. Crus quidem inſignis Reliquia eſt, aſt Tybia, & Sura diviſim ſumptæ, non item; vult enim ratio, quod ſi Reliquia inſignis in partes ſecetur, in Reliquias non inſignes dividatur. Etſi igitur Tybia ſit unum ex oſſibus crus componentibus, & majus, & craſſius, adhuc quia ſeorſim a Sura, crus non eſt, ſed pars cruris, Reliquia inſignis non erit, ſed pars inſignis Reliquiæ, adeoque Reliquia non inſignis.

II. Inferes ex his etiam in cætetis corporis partibus, ſcilicet capite, & brachio, quas inter inſignes Reliquias a præcedenti Decreto vidimus recenſitas, omnes earumdem partes expoſci, ut Reliquiæ inſignes reputentur; unde ſi aliqua pars deeſt, evadunt Reliquiæ non inſignes; adeoque officium divinum recitari minime poteſt. Hoc tamen intellige, dummodo deſit pars aliqua, quæ ad ejuſdem integritatem moralem ſit neceſſaria, quemadmodum ibidem dicebamus.

III. Eſto tamen Tybia ſeparatim a Sura Reliquia inſignis non ſit, cum inter notabiles corporis partes adſcribatur, & intes minutas, ac exiguas non recenſeatur, Reliquiæ inſignis nomenclaturam, & privilegium minime deperdet, ſi in ea paſſus ſit Martyr; & hoc pacto limitandum venit præſens Decretum juxta dicta in expoſitione præcedentis; dum enim in præſentiarum ſtatuitur, Tybiam non eſſe Reliquiam inſignem, id decernitur ſecundum ſe, & ſimpliciter, non autem ſi in ea concurrat circumſtantia, quæ ex ſe apta eſt Reliquiam de non inſigni inſignem facere, eamdemque privilegiare.

IV. Aliam addit limitationem Quintanadvennas, qui *tom. 1. ſingul. tract. 7. ſingul. 28. num. 7.* advertit, quod quoties Reliquia eſt eminentiſſimi alicujus Sancti, non ita magna pars, aut quantitas requiritur, ac ſi foret alterius non ita eximii Sancti; & ſic docet, quod S. Joannis Baptiſtæ, Sanctæ Annæ, SS. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, aliorumque ſimilium ſufficiunt oſſa ad palmum, vel quid æquivalens, ut Reliquia inſignis dicatur, licet integrum caput, brachium, aut crus non ſint, quia defectus quantitatis ab exceſſu qualitatis ſuppletur. Diſplicet tamen hæc ſententia Paſqualigo *de Sacrif. nov. leg. tom. 1. quæſt. 261. num. 6.* ubi docet defectum quantitatis Reliquiæ non ſuppleri a qualitate Sancti, quia tales Reliquiæ licet ſint inſignes relative ad Sanctos, non tamen ſunt inſignes ſecundum ſe, & conſequenter nec in ordinem ad recitationem officii. Cum Paſqualigo ſentiunt Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4.*, & Pittonus *Deciſ. pro Sacris Ritib. num. 545.*, quibus noſmetipſi ſubſcribimus, de qua re & in expoſitione ſequentis Decreti ſermonem habebimus.

V. Aliam magis Decreto præſenti limitationem exhiberemus, videlicet Tybiam, aliaſque, adhuc non notabiles, corporis partes inſignes Reliquias eſſe habendas, quas Deus ipſe peculiari charactere ſignavit, in quibuſque reſplendet peculiari modo paſſio Jeſu Chriſti, & Sancti ipſi a Chriſto quodammodo Martyres effecti ſunt, quatenus in iiſdem de paſſione ejuſdem Chriſti experti fuerunt. Ejuſmodi ſunt Manus, Pedes, & ea Coſtatus pars, in quibus S. Franciſcus, ac S. Catharina Senenſis receperunt Sacra Chriſti Stigmata. Cor S. Tereſiæ, quod tanto Divini amoris incendio conflagravit, ut Angelum viderit ignito jaculo ſibi præcordia transverberantem, uti legitur in Bulla Canonizationis §. 6. *Bullarii Romani tom. 4. inter eas Gregorii XV.*, & in lectionibus ſecundi nocturni, quæ in officio dictæ Sanctæ die 15. Octobris in Eccleſia univerſali recitantur; & adeo quidem ut in prædicto corde, quod ad publicam venerationem exponitur in Hiſpaniis, cicatrix adhuc appareat immiſſione jaculi afformata. Cor quoque B. Claræ de Montefalco Sanctimonialis Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, in quod Salvator ipſe humeris crucem ferens, Redemptionis myſteria mirabiliter impreſſit, quæ in præſentem uſque diem cernuntur. Frons Beatæ Ritæ de Caſſia ejuſdem Ordinis Sanctimonialis, in qua, dum ad Chriſti e Cruce pendentis imaginem intenſius oraret, ſpina e crucifixi corona ita transfixa eſt, ut inſanabile vulnus uſque ad mortem pertulerit. Has, aliaſque hujuſmodi partes, quas Deus ipſe peculiaribus hiſce chariſmatibus inſignes voluit, & reddidit, quis non inſignes exiſtimaret? Et ſi pars illa, in qua paſſus eſt Martyr, per hoc ſolum quod peculiare ſenſerit tormentum, adeo inſignis reputatur effecta, ut ſuper ceteras privilegiari meruerit, quis idipſum de aſſertis Sanctorum corporis partibus rite inficiari valebit?

VI. Dices: Pro officio Transverberationis cordis Sanctæ Tereſiæ ſupplicatum extitit in Sacrorum Rituum Congregatione, & ab hac ſub die 25. Maii 1726. conceſſum. Idipſum evenit pro Stigmatibus S. Catharinæ Senenſis, de quibus officium recitari per Benedictum XIII. indultum fuit die 18. Julii 1727. Non licet itaque abſque peculiari Indulto chariſmata præfata ſpeciali officio recolere, nam fruſtra precibus impetratur, quod jure communi conceditur.

VII. ℞. Producta, & alia quæcumque ſimilia exempla in nihilo obeſſe; Tum quia ibi agebatur, non de inſtitutione officii dictorum chariſmatum pro iis Eccleſiis, in quibus Reliquiæ iiſdem inſignitæ aſſervabantur, ſed pro totis illis Regularibus Inſtitutis, quæ Sanctæ præfatæ profeſſæ fuerunt: hanc autem extenſionem haudquaquam important Reliquiæ, ſed dumtaxat pro Eccleſia, in qua requieſcunt, officium inducunt. Tum quia agebatur de feſto peculiari inſtituendo in venerationem dictorum chariſmatum diſtincto a feſto, quod jam de prædictis Sanctis in Eccleſia univerſali erat inſtitutum, & in quo jam mentio fiebat de præfatis chariſmatibus: pro officio autem ratione Reliquiæ inducendo videtur abunde ſupplere officium jam in univerſali Eccleſia inſtitutum, cum illud fieri debeat in ejuſdem Sancti feſto, ut dicebamus in Decreto I. hujus Capitis, & hoc præſertim quia in Feſto jam inſtituto agebatur memoria illorum chariſmatum, unde in eodem videbantur ſufficienter exultæ illæ inſignes Reliquiæ.

VIII. Quæres primo, num ob hujuſmodi Reliquias inſtitui debeat feſtum peculiare, licet Sanctus jam officium habeat in Breviario, & in caſu, in quo in Breviario feſtum deſideretur, quanam illud die inſtitui debeat, an ſcilicet in die natalitia Sancti, an vero in die, in qua chariſmata a Domino Deo recepit?

IX. ℞. Propterea non eſſe novum feſtum inducendum, ſed jam inſtitutum ſufficere, quemadmodum ob partem, in qua paſſus eſt Martyr, licet reddita ſit inſignis, & ſufficiens ad agendum officium, adhuc novum non inducitur feſtum, ſed ſupplet feſtum, quod jam in univerſali Eccleſia recolitur; & quidem quantumvis Martyr non occubuerit ea die, in qua illa pars particulariter torta fuit. Ratio autem horum omnium eſt, tum quia Decretum I. hujus Capitis vult ratione Reliquiæ de Sancto, cujus ea eſt, officium eſſe inſtituendum *in die feſto ejus*, ſeu in die ejuſdem natalitio; tum quia in die feſto ejus recoluntur merita quæcumque Sancti, adeoque & dicta chariſmata; tum denique quia ab eccleſiaſtica exorbitat conſuetudine de eodem Sancto plura feſta inſtituere; & ſi quæ hujuſmodi inſtituta ſunt, peculiares habent rationes, & ſpe-

cia-

Digitized by Google

cialibus innituntur Indultis, quæ pro noſtro caſu nullatenus ſuffragantur.

X. Ex quibus ſequitur, quod ſi feſtum jam in Eccleſia univerſali non recolitur, debet quidem officium ob Reliquias inſtitui, ſed *in die Feſto Sancti*, ſeu ejuſdem natalitio, & non in die, in quo memoratis chariſmatibus illæ partes inſignitæ fuere. Quæ tamen ita rigide nolumus eſſe intelligenda, ut ſi alicubi dies dictorum chariſmatum ſolemnis foret, pro officio una recolendo aſſumi non poſſet, quemadmodum in ſimilibus alibi diximus.

XI. Quæres 2., Num ſi habeantur Tybia unius Sancti, & Sura alterius, tunc liceat officium facere?

XII. ℞. Nequaquam; etſi enim Tybia, & Sura faciant crus, quoties tamen ſunt diverſorum Sanctorum, non faciunt crus ejuſdem Sancti, adeoque ejuſdem Sancti ſemper ſolummodo habetur aut ſola Tybia, aut ſola Sura, adeoque numquam Reliquia inſignis, ob quam ſolam officium inſtitui valet. Ita communiter Doctores contra Quintanad. *tract. 7. ſingul. 27. num. 6.* Idem dicito aliis in ſimilibus caſibus, etſi ex Reliquiis non inſignibus diverſorum Sanctorum corpus integrum conflaretur. Secus vero dicendum foret, ſi ejuſdem Sancti haberentur plures Reliquiæ non inſignes, quæ magnam corporis partem facerent, juxta ea, quæ dedimus in Decreto V.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE LI.

Spinæ de Corona Domini Jeſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt. S. R. C. 21. Junii 1632. *in Conchen.* Ex Meratu in Indice Decretor. Miſſalis num. 264., in noſtro autem Indice datur ſub numer. 349. Ejuſdem etiam meminit idem Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4.*

I. TAmetſi nec a crucifixionis lege, nec a Pilato mandatum id eſſet, poſt violentiam flagellorum (proh dolor!) truces milites Coronam ſpineam impoſuerunt plectentes eam ſuper Caput Servatoris noſtri, ut deriderent eum, quia ſe Regem fecerat, ut belle ponderat Calmet *in cap. 27. Matth. verſ.* 28. Super Spinarum ſpecie, ex quibus contexta ea fuit, non una eſt Auctorum opinio, ſed veroſimilior apparet, licet a Baronio *ad annum Chriſti* 34. *num.* 86. reprobata, quæ ex juncis marinis eamdem putat fuiſſe compoſitam, unde Durandus *in Ration. divin. offic. lib. 6. cap. 77. §. 17.* ſcribit: *Corona fuit de juncis marinis, ſicut etiam vidimus in Theſauris Regis Francorum, quorum acies non minus duræ ſunt, & acutæ.* In Theſauris Regis Francorum dum aſſerit Durandus præfatam vidiſſe Coronam ſuggerit nobis, quod de eadem plures, ac graves referunt Auctores, videlicet, quod labente ſæculo 13. cum ærarium Imperatorum Gallorum, qui tunc Conſtantinopoli dominabantur, admodum depauperatum eſſet, coacti iidem fuere Venetis, recepta pecunia, pignori dare ultra alias ſacratiſſimas Reliquias Coronam ſpineam, quas deinde S. Ludovicus Galliarum Rex, prævia ceſſione jurium ſibi facta a Balduino II. ſoluta pecunia recuperavit, & in Cappella ſui Palatii in Civitate Pariſienſi collocari fecit, quemadmodum tradit Eminentiſs. Lambertini, nunc Benedictus XIV. *de Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 30. num. 9.*

II. Quoniam vero in uno dumtaxat loco tantum Theſaurum, ac Inſigne Dominicæ Paſſionis minus forſitan congruum erat aſſervari, ac ejuſdem ſpecialem, ac particulariorem cultum coerceri, Divina Providentia, ac Bonitate actum eſt, ut plures Spinæ de dicta Corona in alias mundi plagas deportarentur, ac diſpergerentur, quæ propterea cauſam dedere apud Sacram Congregationem inquirendi ſuper earumdem inſignitate. Vix enim prodierat ſupra expoſitum Decretum de die 8. Aprilis 1628., quod cum inter inſignes Reliquias collocet dumtaxat corporis partes, & partes, quæ nec exiguæ, nec minimæ ſunt quantitatis, præfatas Spinas a numero Reliquiarum inſignium depellere videbatur, & qua partes Corporis Chriſti haud fuerunt, ſed inſtrumenta paſſionis, & qua minimæ, & exiguæ entitatis. Aliunde vero ab excellentia Chriſti, cujus Caput transfixerant, ejuſque Sanguine imbutæ fuerant, atque reſperſæ, adeo dignificatæ, & qualificatæ videbantur, ut ſpeciali nota, & cultu dignæ poſſent jure cenſeri, ac conſequenter in diſpoſitione pro Reliquiis Sanctorum generaliter facta minime comprehenſæ.

III. Ad hanc dignitatem, ac excellentiam reapſe reſpexiſſe Sacra Congregatio videtur, dum pro inſignitate dictarum Spinarum præſens favorabile edidit Decretum, eaſque ſpeciali cultu, & nota dignas declaravit. Id univerſim de qualibet Reliquia eminentiſſimi alicujus Sancti docuerat Quintanadvennas *tom. 1. ſingul. tract. 7. ſingul.* 28. *num. 7.*, ſecutus a Gobat *tract. 3. numer. 683.* nec reprobatus a Salmaticenſibus *tom. 4. Theol. moral. tract. 16. cap. 1. punct. 4. num. 36.*, hinc cenſebat, quod unica Coronæ ſpina, Crucis non valde magnum fruſtum, aliquot Beatæ Virginis capilli, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ſufficiunt oſſa ad palmum, vel quid æquivalens, ea ductus ratione, quod defectus quantitatis ab exceſſu qualitatis ſuppletur.

IV. Hæc Quintanadvennæ ſententia diſplicuit Paſqualigo, qui *de Sacrif. novæ leg. tom. 1. tract. 1. quæſt. 261. num. 6.* vult defectum quantitatis Reliquiæ numquam ſuppleri a qualitate Sancti, atque adeo adducto in caſu Reliquias eſſe quidem inſignes relate ad Sanctos, non tamen ſecundum ſe, & conſequenter nec in ordine ad recitationem officii, & celebrationem Miſſæ.

V. Paſqualigi opinionem ſequuntur Meratus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 4.* & Pittonus *Deciſ. pro Sacris Ritib. num. 545.*, in hoc ſolum eam temperantes, ut non procedat quoad Spinas de Corona Domini, limitationis hujuſmodi nullam aliam adducentes rationem, niſi præſens Decretum, in quo prædictæ Spinæ inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ aſſeruntur; in cujus rei conſequentiam in Terra Terragæ, & alibi conceſſum poſtea autumant, ut poſſit recitari Officium, & Miſſa de Corona Domini, dummodo conſtaret, Spinas eſſe de dicta Corona, prout indulſit Congregatio Rituum *in Celſonen.* 1633. 20. Martii.

VI. Nos ipſi ſententiam Quintanadvennæ quoad Sanctos eximios procedere non poſſe exiſtimavimus in explanatione præcedentis Decreti, & ſi ea, quæ in expoſitione Decreti V. dicebamus, quoad corticem attendantur, eam quoad Spinas Chriſti quoque deſeruiſſe videbimur; ibi enim inſtrumenta paſſionis a numero Reliquiarum inſignium excluſimus, & præfatæ Spinæ non ſunt, niſi inſtrumenta Dominicæ paſſionis. Revera tamen nos in eam adducimur opinionem, ut exiſtimemus Quintanadvennæ quoad Reliquias Sanctorum eſſe minime adhærendum, bene vero quoad illas Beatæ Virginis, aut Chriſti Domini. Quoad Reliquias Sanctorum, licet eximiorum, quidem non, quoniam uti Sanctos ipſos, quorum eæ ſunt, in cultu Eccleſia minime diſtinguit, ſed omnes eodem cultu Duliæ indiſcriminatim proſequitur, ita nec Reliquias ipſas diſtinguendas eſſe putamus, ita ut aliquæ earumdem ſpeciali nota, & cultu dignæ cenſendæ ſint. Bene vero quoad Reliquias Chriſti Domini, ejuſque Matris, quoniam uti ſpecialis excellentia in iiſdem reperta, hos a quibuſcumque Sanctis in cultu diſtinguit, ita earumdem Reliquias ſpeciali nota, & privilegio, ac cultu dignas conſtituit. In his itaque defectus quantitatis ſuppletur a qualitate Sancti, & ea, quæ in memorato Decreto V., & alibi de Sanctis indiſtincte tradidimus, de his, uti ſpeciali nota dignis, minime procedunt.

VII. Spinæ igitur de Corona Domini Jeſu Chriſti, licet Dominicæ annumerentur inter inſtrumenta paſſionis, ac magnæ quantitatis non ſint, inter inſignes Reliquias utique computabuntur, quemcumque defectum abunde ſupplente exceſſu excellentiæ in Chriſto repertæ, a qua unice dignificantur, & qualificantur in veneratione, ac exiſtimatione, cum in ſeipſis excellentiam ullam, dignitatem, & ſanctitatem non habeant, ac proinde eadem ſpeciali nota, ac cultu ſpecialiſſimo Latriæ, quæ debentur Chriſto, redduntur dignæ.

VIII. Idipſum dicendum venit de cæteris inſtrumentis paſſionis Chriſti, ut Cruce, Lancea, Clavis, Spongia, & aliis hujuſmodi, quibus Chriſtus crucifixus, & paſſus eſt. Idem, a fortiori pronunciari debet de Præputio, & Sanguine Chriſti Jeſu, quæ cum propinquius ad Chriſtum attineant, Reliquiæ præſtantiores etiam cenſentur: Nec diverſimode de capillis, velis, ac aliis Reliquiis Beatæ Virginis dicendum eſt, quam ſpecialis excellentiæ a ceteris cunctis Sanctis ſpeciali cultu Hyperduliæ Eccleſia diſtinguit.

IX. An vero de Spinis, aliiſque memoratis inſignibus Reliquiis peculiare officium, ac feſtivitas abſque ſpeciali Indulto inſtitui poſſit iis in Eccleſiis, in quibus aſſervantur? Non videtur, quia cum officium non ſit conceſſum fieri de Reliquia, ſed de Sancto, cujus habetur Reliquia, vel ſi de Reliquia, nonniſi de ea per relationem ad Sanctum, cujus illa eſt, & aliunde pluries in anno Feſtum cum officio de Chriſto, & Beata Virgine fieri contingat, propterea hoc juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem & pro Reliquia ſupplere, & deſervire poterit, & debebit, ut exponentes Decretum primum dicebamus. Idipſum ſuadet univerſalis conſuetudo Eccleſiarum, quæ de hujuſmodi officiis peculiare feſtum minime peragunt, ſed per officia univerſali Eccleſiæ conceſſa iiſdem ſe ſatisfacere putant; unde ſi alicubi de dictis Reliquiis officium fieri contingit, ut de SS. Chriſti Sanguine, de ſacra Syndone, de Lancea, aliiſque ſimilibus, non ſine particulari Indulto id fit, uti in memorata Terra Terragæ, quæ conceſſionem recitandi de Corona Domini a Sacra Congregatione ſub die 20. Martii 1633. obtinuit.

X. E contra vero videtur de hujuſmodi præſtantiſſimis Chriſti, ejuſque SS. Matris Reliquiis non eſſe ita ſcrupuloſe loquendum, ut de iis aliorum Sanctorum, quoniam juxta præſentis diſpoſitionem Decreti Spinæ de Corona Domini ſunt Reliquiæ inſignes, etſi ſint de genere eorum, quæ non attinent ad corporis conſtitotionem, vel veritatem, ſed ſint mera inſtrumenta paſſionis, quæ in ceteris Sanctis Reliquiæ inſignes non ſunt. Sunt itidem ſpeciali nota, & cultu dignæ, adeoque de iiſdem haudquaquam procedunt, quæ de Reliquiis Sanctorum cetera Decreta diſponunt; quid igitur mirum erit; ſi pro officio ob Reliquiam debito in ceteris Sanctis ſupplet officium, quod jam in Breviario eſt inſtitutum, non autem in hujuſmodi Reliquiis, quæ *peculiari cultu* dignæ ſunt?

XI. Nec quamplurimarum deſiderantur exempla Eccleſiarum, quæ ſine ſpeciali Indulto de præfatis Reliquiis officium agunt; hinc de ſancta Corona Spinea feſtum celebrant Eccleſia Pariſienſis, multæque aliæ Galliarum die 11. Augiſti,

guſti, eo ipſo die, quo tam ſanctum pignus a S. Lodovico Rege magno pretio ab Orientalibus redemptum, ab ipſomet ſuſceptum eſt, & in ſacra Cappella Pariſienſi magnifice ab eo ad id extructa, ſummo totius Regni decore, ac bono, cum ceteris Dominicæ Paſſionis inſigniis, ac Sanctorum Reliquiis plurimis depoſitum. In eadem Eccleſia Pariſienſi Dominica prima Auguſti celebratur feſtum in memoriam ſuſceptæ circa annum 1100. partis non mediocris ligni S. Crucis. Habetur item in Menologio die 2. Julii Depoſitio venerandæ veſtis, & Zonæ B. Virginis in Blachernis; & ſimiliter in pluribus aliis Eccleſiis id obſervatum iri notat Guyetus *lib. 2. cap. 4. quæſt. 1., lib. 3. cap. 16. quæſt. 1., & alibi*.

XII. Et revera cum nec omnes anni dies in Chriſti Domini, ejuſque SS. Matris laudibus recenſendis ſatis judicentur expenſi, & Eccleſia ipſa in eorumdem feſtivitatibus, ut in iis Sanctorum, indulgendis, ac inſtituendis non ita parce procedat, non videre eſt, cur memorata præſentis Decreti benigna interpretatio, ac extenſio nequaquam fieri valeat; eo vel maxime quia de hujuſmodi Reliquiis celebrare diſſonum nec eſt a more Eccleſiæ, quæ in Romano ipſo Kalendario duo habet SS. Crucis feſta, & in particularibus locis, Religionibus, & Dominiis de Corona, de Spinis, de Lancea, de Clavis, aliiſque Dominicæ Paſſionis iſtrumentis officium facere large conceſſit. Imo ſi de SS. Ruſario, de Scapulari B. Virginis in Dominica prima Octobris, & die 16. Julii univerſa celebrat Eccleſia, ſi de ejuſdem Zona in Dominica poſt Feſtum S. P. Auguſtini Ordo ejuſdem S. Patris, a fortiori nec diſſonabit, de Reliquiis ejuſdem B. Mariæ, quæ proprius ad eam ſpectant, peculiare feſtum inſtitui.

XIII. Ex his ſatis quidem ſoluta remanent argumenta ſuperius allata, quatenus officere poſſent; & ſolum ſupereſt aliquid dicere ſuper particolaria Indulta, quibus aſſeruntur munita ea loca, quæ de præfatis Reliquiis officium celebrant; & dici poteſt primo, quæſtionem non eſſe circa factum, ſed circa jus faciendi, ſeu non inquiri, quid factum alicubi ſit, aut fiat, ſed quod jure fieri potuerit, vel poſſit. 2. Quod ſi alicubi cum particulari Indulto id fit, alibi ſine particulari conceſſione in uſum deducitur, & conſequenter ex facto pro neutra parte evincens, aut ſolidum argumentum deduci non poſſe. 3. Quandoque plura in ſpecie peti, & impetrari, quæ jam per generales conceſſiones licite fiunt, ut recte nos monent Salmanticenſes *Theol. mor. tom. 4. tract. 18. cap. 1. num. 118.*, & hoc evenit vel ex ignorantia generalis Indulti, vel ex aliquorum ſcrupulis dubitantium de Indulti extenſione ad caſum occurrentem. 4. Quamplurima ex hujuſmodi Indultis non tam officium *proprium* reſpicere, ſeu per ea non fieri facultatem recitandi officium, ſed recitandi *tale officium proprium*, quod certe ſine ſpeciali aliquo Indulto attentari non valet. 5. Memorata Indulta, ſi bene attendantur, non eſſe lata pro Eccleſiis, in quibus prædictæ Reliquiæ requieſcunt, ad quas ſolummodo extenditur officium ratione Reliquiæ, ſed pro toto loco, Civitate, vel Ditione, intra cujus confinia dictæ aſſervantur Reliquiæ; aden iſtæ etenim reputantur dignæ peculiari cultu, ut licet plura ſint feſta Domini jam inſtituta, licet in particularibus Eccleſiis, in quibus cuſtodiuntur, forſitan de iiſdem recitetur officium, adhuc earumdem cultus intra dictas Eccleſias non exiſtimetur coercendus, ſed ad totum locum, Civitatem, Provinciam, & Ditionem extendendus, qualiter fere ubique videre eſt illum eſſe protenſum; hinc in tota Ditione Regis Sardiniæ agitur de ſacra Syndone, quæ Taurini aſſervatur; in toto Statu Mantuano de pretioſiſſimo Chriſti Sanguine in Collegiata S. Andreæ Civitatis Mantuæ cuſtodito; de Lancea in Germania ob ejuſdem aſſervationem Pragæ Germaniæ Urbis, in cujus officii conceſſione hæc pronunciat Innocentius Papa IV. *Licet Lancea, & Clavi, aliaque Dominica Paſſionis ſalutaria inſtrumenta ſint a cunctis Fidelibus Chriſti ubilibet veneranda, & de ipſa etiam Paſſione in eadem Eccleſia ſolemnia annis ſingulis officia celebrentur, & fiant; dignum tamen, & conveniens reputamus, ſi de ipſius Paſſionis ſpecialibus inſtrumentis, & præſertim in Partibus, in quibus inſtrumenta ipſa dicuntur haberi, ſolemne, ac ſpeciale Feſtum celebretur, & fiat.* Ex quibus liquido conſtat, quam dignum, & conveniens poſtea ſit, ut de præfatis Reliquiis in iis Eccleſiis, in quibus venerantur, ſpeciale inſtituatur officium.

XIV. Hæc itaque etſi univerſali forſitan non ſint uſu recepta, ratione tamen, quæ ea in uſum deduci poſſe evincat, non videntur deſtituta. Ut autem reipſa deducantur, neceſſe eſt, quod conſtet de identitate earumdem Reliquiarum, ne falſis Reliquiis vice dictarum præſtantiſſimarum contingat cultum exhiberi, unde Sacra Congregatio 20. Martii 1633. *in Celſonen.* concedens memoratæ Terræ Terragæ officium recitare de Spinis Dominicæ Coronæ, ſubdendum exiſtimavit: *Dummodo conſtet Spinas eſſe de dicta Corona.* Neceſſe autem non eſt, quod altera ex conditionibus ad inſtitutionem officii de Reliquiis a Decretis exacta, verificetur, quod ſcilicet *ſint deſcripta in Martyrologio Romano*; quandoquidem Sanctorum deſcriptio in Martyrologio Romano unice requiritur in teſtimonium eorumdem canonizationis, & approbatæ ſanctitatis; de præfatis autem Reliquiis, hoc ipſo quod de earumdem identitate conſtet, jam ſatis abunde habetur approbatæ ſanctitatis argumetum.

XV. Sunt autem hujuſmodi Reliquiæ Crux, Spinæ, Columna, Flagella, Lancea, Spongia, Clavi, Syndones, & reliqua Paſſionis inſignia; pignora quoque ejus ſacratiſſimæ Infantiæ, ut Præſepe, Veſtes, Faſciæ &c. Præputium item, Sanguis in terris relictus, Sepulcrum, & alia ſimilia, quæ longum eſſet referre. Beatæ autem Mariæ ſunt, vel quæ fuerunt corporis ejus pars aliqua, ut Lac, ac Capilli, ſive quæ ex ſacro ipſius contactu cultum, ac reverentiam promerentur, cujuſmodi ſunt veſtes, vela, induſia, zona, vittæ annuli &c.

XVI. Quæ licet ita ſint, adhuc nos ita temperanda eſſe putamus, ut ratione earumdem Reliquiarum neceſſe minime ſit, peculiarem inſtitui feſtivitatem, ſi jam de iiſdem celebretur feſtivitas aliqua, vel myſterium aliquod, ad quod illæ ſpectent, & tamquam appendices revocentur, quemadmodum in ſimili dicebamus in Decreto VI. Capitis II.; quapropter de Cruce, cum duo feſta ejuſdem in Kalendario Romano jam habeantur; neceſſaria non foret peculiaris feſtivitas, uti nec de Clavis, quibus Chriſtus Cruci affixus fuit cum ad eamdem Crucem attineant, ac revocentur. Præſepe item & faſciæ, atque cunabulum ſpectant ut appendices ad Nativitatis myſterium, Præputium ad feſtum Circumciſionis, & ſic de reliquis. Pro aliis vero Reliquiis, de quibus non habetur peculiaris aliqua feſtivitas, nec celebratur myſterium aliquod ad quod facile reducantur, ac ut appendices ſpectent, peculiare feſtum inſtitui debebit, ut de ſacra Syndone, de Spinis, de Columna, Flagellis, Lancea, Spongia &c., officia enim, quæ de Paſſione Chriſti Eccleſia celebrat, nimis generalia ſunt, ut dictæ Reliquiæ in iiſdem ſatis cenſeantur excultæ, & feſtum Crucis, ad quod reduci contendi poſſet, non videtur ad eaſdem celebrandas admodum aptum, quia lex crucifixionis haudquaquam ferebat, quod crucifigendus per flagella verberaretur ad columnam, in capite per ſpinas pungeretur, in latere per lanceam perforaretur, media ſpongia felc, & aceto potaretur &c.; ad differentiam v. g. Clavorum, quos ad Crucem ſpectare diximus, quia crucifigendus certe medio aliquo inſtrumento Cruci affigi debebat, ſive poſtea funes forent, vel clavi, vel quodlibet aliud.

XVII. Diximus, quod *Crucifixionis lex haud ferebat, quod crucifigendus per flagella prius cæderetur*; & in hoc contrarium habere videmur Hieronymum, qui *in cap. 27. Matth.* hæc verba pronunciat: *Statutum eſt, ut is, qui crucifigitur, prius flagellis verberetur*, qua de cauſa Calmet *in idem cap. 27. Matth. verſ. 16.* arbitratus eſt, Chriſtum bis fuiſſe flagellatum, prima vice ante ſententiam mortis, nempe, *ut ejus injuriis* (ſunt verba D. Patris Auguſtini tract. 116. in Joan:) *Judæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſque ad ejus mortem ſævire deſiſterent*; altera vero vice poſt latam crucifixionis ſententiam, ut legum mandatis ſatisfieret. Verum quoniam Evangeliſtæ unanimiter, atque concorditer nobis teſtantur, a Pilato Hebræis Chriſtum *flagellatum, & non flagellandum* traditum eſſe, ut crucifigeretur, probabilius inferunt alii, Chriſtum una dumtaxat vice flagris cæſum fuiſſe. Ex quo ſequi videtur, quod etſi ut plurimum cruci affigendus (ut nos putamus) prius flagellis cæderetur, non id tamen indiſpenſabiliter ferebat legum diſpoſitio, cui proculdubio ſatisfactum minime fuiſſet per priorem Chriſti flagellationem, utpote quæ alia de cauſa modo ex Auguſtino inſinuata, eidem adhibita fuit, & ante latam crucifixionis ſententiam; niſi placeat dicere, legis mandatum locum dumtaxat habuiſſe in iis, qui alias flagellati non extitiſſent. Quidquid tamen ſit de Chriſti duplici flagellatione, & de legis præſcripto, cum adhue flagellatio foret indubie actio admodum diſtincta, & ex ſe minime connexa cum crucifixione, & ad hanc prævie in uſum deducta, nos non videmus, quomodo ad crucifixionem ita reducatur, ut flagellorum Reliquiæ in Feſto Crucis adeo cenſeantur excultæ, ut pro iiſdem particularis feſtivitas inſtitui non valeat, præſertim loquendo de iis flagellis, quibus (ſi duplicem Chriſtus ſuſtinuit flagellationem & multo magis ſi unicam) Chriſtus primitus verberatus extitit, utpote quæ non in obedientiam crucifixionis legis, ſed magis ut Chriſtus a crucifixione ipſa liberaretur, ac a manibus Judæorum eriperetur, noſcimus fuiſſe adhibita.

XVIII. Ceterum hujuſmodi Chriſti, ejuſque SS. Matris Reliquias adeo eximias, & peculiari cultu dignas exiſtimamus, ut non multum refragatores nos haberent Eccleſiæ illæ, quæ de iiſdem ſolemnem cum officio diem facerent, quo memoratæ Reliquiæ inventæ, ſuſceptæ, recuperatæ, translatæ, elevatæ, vel depoſitæ fuerunt, quemadmodum in uſu eſt apud plurimas Eccleſias, quæ aliqua earumdem Reliquiarum inſignitæ reperiuntur.

XIX. Remanet modo examinare, quodnam officium cum Miſſa in feſto dictarum Reliquiarum recitandum foret. Verum cum hujuſmodi Reliquiæ nequaquam per ſe proprie ſubſiſtant, ſed vel in ipſa perſona involvantur, vel tamquam appendices ad præcipuum aliquod myſterium revocentur, aut cum eo aliquam affinitatem habeant, idcirco ab aliquo ejuſdem feſto, vel myſterio, quod in Eccleſia univerſali, vel illa particulari recolitur, deſumendum erit; unde v. g. pro Reliquia S. Præſepis, vel Faſciarum a Nativitatis myſterio, SS. Præputii a feſto Circumciſionis, Coronæ ſpineæ, Lanceæ, Clavorum, & aliorum inſtrumentorum Paſſionis a feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, & ſi quæ alia ſunt, quæ affinitatem cum aliquo alio non videntur habere, a feſto Transfigurationis, mutatis dumtaxat lectionibus ſecundi nocturni, ſi

bene non quadrent, in alias congruentiores, quæ in Romano Breviario die aliquo habentur, ſervata tamen temporis, ſive Septuageſimæ, ſive Paſchalis ratione. Si tamen alicubi ex conceſſione celebraretur feſtum aliquod Chriſti Domini, cujus officium aptius conveniret, ut feſtum SS. Redemptoris, quod celebratur in Statu Veneto, Coronæ ſpineæ in pluribus Galliæ Civitatibus, & Religionibus, Lanceæ, & Clavorum &c. in Germania &c., illud uſui eſſe poſſet (quibus eo uti ratione loci fas eſt) in eo particulari feſto de Chriſto Domino. Vult demum Guyetus *lib. 3. cap. 16. quæſt. 1.*, quod in defectu cujuſcumque alterius officii recurrendum ſit ad officium SS. Trinitatis, cujus in myſterio tres ipſæ Perſonæ continentur.

XX. Quantum vero ad Feſtum, quod ob Reliquias Beatæ Mariæ inſtituer tur, omnia deſumenda forent ex iis ejuſdem feſtis, ad quæ dictæ Reliquiæ ut appendices ſpectant, vel cum iiſdem affinitatem habent. Aptum quoque utique eſt officium Nativitatis ejuſdem, mutato dumtaxat nomine *Nativitatis* in *Feſtivitatis*. Sed adhuc præſtat officium B. Mariæ, ad Nives, depromptis dumtaxat lectionibus ſecundi Nocturni a die Nativitatis; in iiſque mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*, ut quaſi ſancitum apparet per Decretum Sacræ Congregationis VI. Capitis II., in cujus Decreti esplanatione plura dedimus, quæ ſunt omnino conſulenda.

XXI. De Sanguine miraculoſo ex Imagine Chriſti (quale miraculum anniverſaria commemoratione recolitur in Martyrologio die 9. Nov.) fuſo, Hoſtiave ſacra iis pro Eccleſiis, in quibus reperitur, ac adoratur, idem ſentiendum eſt, uti & de Carne mirabiliter in Hoſtia apparente, quæ alicubi conſervetur, imo & de Hoſtiis miraculoſis, quæ certis in locis aſſervantur; de omnibus enim iſtis, tamquam de inſignibus Chriſti Reliquiis loquendum eſt, & officium inſtitui poſſe non dubitamus, in priori caſu officium S. Crucis, vel aliquod aliud congruentius, ſi habeatur, uſurpando; in poſteriori vero officium SS. Corporis Chriſti, quemadmodum de facto Eccleſia Aurelianenſis in feſto, quod vocat *S. Salvatoris*, ſeu fuſarum ex imagine Crucifixi ubertim lacrymarum, officium S. Crucis adhibet, & Eccleſia Senonenſis officium corporis Chriſti in feſto recuperationis Hoſtiæ.

XXII. Idem eſto judicium de Sanguine, qui ex Imaginibus B. Mariæ per perditos homines percuſſis defluxit, necnon de lacrymis ex oculis ejuſdem B. Virginis, vel Divini ejus Filii abunde non ſemel profuſis, ſi alicubi collectæ fuerint, de eorumdem identitate conſtet, & cuſtodiantur, atque venerentur. Quibus in caſibus uſurpandum erit, ac deſumendum officium, prout ſuperius dicebatur.

XXIII. Hujuſmodi autem officia, ſeu feſtivitates inſtituendæ ſunt eo ipſo die, quo tam præclara prodigia evenere; qui ſi in hominum memoria non habetur, vel ex ea exciderit, ab Epiſcopo dies, qui congruentior videbitur, ſtatui poterit, quemadmodum dicebamus in Decreto VI. Capitis II. & in ſequenti hujuſce ipſius Capitis pronunciabimus.

XXIV. An autem officium inſtitui poſſit in memoriam memoratorum prodigiorum; ubi evenere, aut ubi aſſervantur imagines illæ Crucifixi, aut B. Mariæ, ex quibus ſanguis, vel lacrymæ defluxere, non tamen ſanguis ipſe, aut lacrymæ cuſtodiuntur? Nos minime præterit, id aliquibus in Eccleſiis in uſum deduci, quem nullatenus reprobamus, ubi jam conſuetudo illum legitimum fecit; aſt noviter induci, aut id legitime fieri poſſe, aſſerere non audemus, quin potius ejuſmodi in caſibus apud Sedem Apoſtolicam, aut Sacram Congregationem ſupplicandum putamus, & nihil propria auctoritate eſſe tentandum. Idem ſentimus de Apparitionibus miraculoſis Chriſti Domini, ſigni S. Crucis, B. Virginis, aliiſque ſimilibus.

XXV. Sedes autem Apoſtolica, quæ magnopere exoptat, cultum erga Servatorem noſtrum & Beatiſſimam Mariam, tamquam totius orbis Catholici inſignem Patronam, & Advocatam confoveri, augeri, & dilatari, non difficilis eſt in conceſſione dictorum officiorum, ita tamen ut ſi adſint prodigii, vel apparitionis valida argumenta, ejuſdem mentionem in lectionibus ſecundi nocturni ſinat haberi; ſi autem plenæ probationes non allegentur, officium quidem permittit, ſed de communi recitandum, nulla prodigii, vel apparitionis habita in divinis officiis commemoratione.

XXVI. Prioris rationis ſunt Indulta facta Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei Urbis ſub die 23. Junii 1679. in commemorationem Apparitionis Sacræ Imaginis Sanctæ Mariæ in Porticu, quæ mirabiliter apparuiſſe dicitur in Ædibus Sanctæ Gallæ Patritiæ Romanæ prope Marcelli Theatrum intra Porticum Octaviæ, Joanne I. Summo Pontifice, dum eadem Galla duodecim pauperibus ex quotidiana conſuetudine in honorem Dei, & B. Mariæ epulum præbebat; necnon ſub die 22. Auguſti 1716. Civitati Piſtorienſi in memoriam cujuſdam Imaginis Beatiſſimæ Virginis, quam fertur, memorata Civitate civilibus vexata bellis, plurium dierum ſpatio manaſſe non exiguam ſudoris partem.

XXVII. Poſterioris rationis eſt Indultum ſub die 7. Julii 1725. factum Civitati Dertuſanæ, recitandi quotannis in Dominica ſecunda Octobris Officium de B. Maria, totum deſumendo de comuni, ob Apparitionem quamdam, quæ non ſufficienter probabatur, ejuſdem Beatiſſimæ Virginis cuidam Presbytero, cum depoſitione cujuſdam cinguli ſuper Altare ab ipſa manufacti, ut in ſui pignus amoris apud Dertuſanos remaneret; necnon plures aliæ ſimiles conceſſiones multis aliis locis in ſimilibus factæ, quas recenſere noſtri non putamus eſſe inſtituti.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE LII.

Epiſcopus non poteſt ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti Martyris, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia. S. R. C. 23. Junii 1667. *in una dubior.* Ex Merato in Indice Decretorum Brev. num. 82.

1. QUam in primi explanatione Decreti promiſimus, ſumimus examinare quæſtionem, videlicet qua die ſit faciendum officium de Sancto, cujus Reliquia inſignis habetur, ſed ejuſdem natalis dies ignoratur? Equidem hujuſmodi caſus impoſſibilis evenire videtur; cum enim ad inſtituendum officium ratione Reliquiæ, neceſſe ſit, quod Sanctus ſit deſcriptus in Martyrologio Romano, hoc ipſo quod in apertis eſt ejuſdem præfata deſcriptio, liquido conſtat & dies ejuſdem natalitia, in qua in dicto Martyrologio Sancti quilibet aſſolent adnotari, aut ſaltem patens eſt, qua die officium debeat celebrari, quoniam ut ibi dicebamus, quoties dies obitus in obſcuris eſt, ſequenda eſt dies deſcriptionis præfatæ.

II. Verum haudquaquam res ita ſe habet; ſi enim v. g. deperdantur Eccleſiæ Tabulæ, ſi per multum temporis, vel ob hoſtium invaſionem, aut cauſa peſtis, vel belli omittatur officium, aut aliquo alio modo excidat a labili hominum memoria, qua die illud in præteritum celebraretur, & aliunde fama conſtans ſit, conſtitiſſe, Sanctum illum eſſe ex iis, qui in Martyrologio Romano reperiuntur deſcripti, ſi in eodem Martyrologio plurium Sanctorum ejuſdem nominis, & qualitatis memoria adnotetur, cur tunc præfatus non erit poſſibilis caſus?

III. In hujuſmodi igitur, vel alio ſimili caſu, in quo ignoretur dies obitus Sancti, cujus inſignis habetur Reliquia, officium fieri non poſſe, docuere Sanchez *lib. 7. Conſil. cap. 2. dub. 24. num. 3.*, & Perſicus *de Horis Canon. cap. 6. dub. 3. num. 13.*, eo nixi fundamento, quod privilegium celebrandi ex cauſa Reliquiæ eſt ſolum pro illa die, in qua incidit feſtum illius Sancti, ut liquet ex verbis illis primi Decreti *In ejus Feſto*, quæ nos ipſi de die natalitio expoſuimus, & ideo ſi feſtum non ſciatur umquam incidere, perinde eſt, ac ſi neque ſit privilegium, ſicut & privilegium lucrandi indulgentiam ſolum conceſſam pro certo die ſemper eſt nullum, quamdiu ignoratur, pro quo die, ſit conceſſum.

IV. Antiquiores celebrabant allato in caſu feſtum illius Sancti die, quo in Martyrologio alterius Sancti ejuſdem nominis memoria fiebat; ut egregia eſt Baronii obſervatio *in Notis ad Martyrologium die 12. Febr. lit. E*, ubi trium Modeſtorum mentio unice fit, eo quod eo die natalis utrius illorum occurrebat, & aliorum neſciebatur, in quem ille incideret. Idipſum probat exemplo S. Colombæ Virginis, & Martyris Cordubenſis, cujus quamdiu natalis dies latuit ob deperditas ejus Eccleſiæ Tabulas, fiebat memoria ultimo die Decembris, quo item die natalis eſt S. Columbæ Senonenſis æque Virginis, & Martyris. Hujuſmodi ritus placet Gavanto *ſect.* 8. in præliminaribus, dummodo non teneatur error in Populis, qui credant, eum, quem colunt, eſſe eumdem, qui in Kalendario, vel Martyrologio Romano deſcriptus eſt; & olim in uſum communiter inducebatur, & inductus fuit ab Eccleſia Cordubenſi, donec patuit, natalem prædictæ Sanctæ Columbæ incidiſſe in diem 17. Septembris, ad quem ſtatim tranſlata rite extitit dictæ Sanctæ feſtivitas. Verum ob erroris, quem memorat Gavantus, periculum a praxi iſtius ſententiæ abſtinendum eſſe, inferius patebit.

V. Scarfantoni *par. 1. Lucubr. canon. lib. 2. tit. 5. num. 14.* vult, celebrandum eſſe officium die tranſlationis corporis, ſeu inſignis Reliquiæ in illam Eccleſiam; quod & probatur a Gavanto *loco citato*, & nos ipſi diem præfatum, vel alium ſimilem, puta Inventionis, Ordinationis, Elevationis, Depoſitionis &c. optime aſſumi probabimus, nec adhuc id diſplicet, dummodo accedat aſſignatio ejuſdem diei facta ab Epiſcopo, vel Prælato, ut ſtatim dicemus.

VI. Guyetus *lib. 2. cap. 2. quæſt. 10.*, Baldellus *Theol. mor. lib. 3. diſp. 30. num. 20.*, Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv. 9. ſect. 4. num. 219.*, aliique in ea ſunt ſententia, ut velint, tunc ab Epiſcopo, vel Prælato decerni debere, & poſſe diem, qua feſtum celebretur. Nos ipſi quoque pro iſtis ſtamus, ſi noſtram quiſquam requireret opinionem; cum enim tali in caſu habeatur Reliquia inſignis Sancti approbati, ſcripti in Martyrologio Romano, ac de ejus identitate conſtet, nihilque aliud deſideretur atentis Decretis Sacræ Congregationis, quam ſcire diem, quo celebrari debeat, non videtur, quare hunc non poſſit aſſignare Prælatus ſive Epiſcopus; quia, ut ait Baldellus ibidem, hoc non eſt ex ſe malum, nec ſpecialiter eſt illi prohibitum, & abſolute non eſt ex cauſis gravioribus, quæ ſint reſervatæ ſoli Papæ, & ideo non excedit illius poteſtatem, & facultas, quam habet ex jure communi ad Feſta ſtatuenda *Cap. Pronunciandum de conſecr. diſt. 3.*, & *Cap. Conqueſtus de feriis*, non eſt reſtricta potius ad unam diem, quam aliam. Sic ille.

VII.

VII. Et quidem ſicut Ordinarius ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 18. Auguſti 1629., de quo in Decreto V. Capitis I., poteſt aſſignare diem pro celebratione feſti Dedicationis, quando conſtat de conſecratione, & ignoratur dies, ita pariformiter non videtur eidem deneganda facultas ſtatuendi diem pro celebratione feſti, de quo habetur inſignis Reliquia, & ignoratur dies obitus, ſive natalitius ejuſdem Sancti; ubi enim eadem eſt ratio, ibi eadem debet eſſe juris diſpoſitio, uti pluribus juribus allegatis, atque Doctoribus advertit Barboſa *de Axiomatib. Axiomate 197. num. 3.*

VIII. Ad fundamentum itaque primæ ſententiæ dicimus privilegium celebrandi officium ratione Reliquiæ non eſſe ita reſtrictum ad diem, in quam incidit feſtum, ſeu diem natalitiam illius Sancti, ut ſi hæc ſit impedita, nullum evadat; cum enim ſit officium de præcepto, ſi dies, pro qua celebrandum mitat, impedita reperiatur, non omittendum, ſed alia die eſſe celebrandum clamant omnes Breviarii Rubricæ, & Decreta Congregationis, ita tamen, ut ſi impedimentum ſit accidentale, & uno dumtaxat, vel altero accidat anno, prima die ſecundum Rubricas non impedita ſit reſumendum, ſi vero impedimentum ſit perpetuum, in alteram fixam, & ſtatam diem ſit immutandum, ut dicemus in Cap. de Immutatione feſtorum. Quodnam autem majus impedimentum, quam ignoratio propriæ diei? Tali igitur in caſu utique aſſignari poteſt dies ſtata, ac fixa pro celebratione prædicti officii perinde ac ſi foret perpetuo impeditum.

IX. Ex his patet ſatis diſcriminis inter privilegium pro lucranda indulgentia ſolum conceſſa pro die certa, ita ut transferri minime poſſit, etiamſi feſtum, ſeu officium ob impedimentum transferri contingat, ut ſæpe decrevit Sacra Congregatio, & præcipue die 30. Septembris 1670., & die 10. Junii 1690., ac inter privilegium pro celebrando officio de illo Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, quod uti dicebamus, non eſt ita reſtrictum ad diem certam, ut ea impedita non poſſit, imo non debeat altera die celebrari; & ideo nil mirum, ſi illud evadat quaſi nullum ex ignorantia certæ diei, non autem hoc.

X. Videre itaque ſolummodo remanet, quænam dies ſtatui debeat pro hujuſmodi feſti celebratione. Et in primis per præſens Decretum in exceptis poſita videtur dies Dominica: *Non poteſt ſtatuere diem Dominicam*, quapropter Epiſcopus circa hoc non valet ſecus diſponere, ſiquidem inferior nullam habet poteſtatem circa id quod ſuperior determinavit, ut patet ex leg. *Fermam cod. de officio Præfecti Prætor. Cap. cum inferior. de majorit., & obed. Clement. Ne Romani de elect:* Multæ quidem, ac inſignes ſunt excellentiæ, ac prærogativæ, quibus gaudet dies Dominica, quæque fuſe dabuntur in Capite de Diebus Dominicis, & ideo æquum non erat, ut ab ordinaria Epiſcoporum auctoritate perpetuo impediri valeret ejuſdem officium, quod officium Domini eſt, cauſa agendi de Domini Servis; hinc & Sacra Congregatio 26. Novembris 1735. faciens auctoritatem Archiepiſcopo Hiſpalenſi certam aliquam diem aſſignandi pro celebratione officii Patrocinii S. Joſeph, ubi perpetuo contingit eſſe translatum, expreſſe hiſce verbis, *Quæ non ſit dies Dominica fixa*, diem Dominicam, excipiendam eſſe dixit, ut in ejuſdem expoſitione Decreti clarius apparebit in cit. Cap. Videantur autem quæ dicta ſunt in interpretatione Decreti I. Cap. I., ubi ab Epiſcopo pro Anniverſario Dedicationis diem Dominicam ſtatui non poſſe firmavimus, quamvis in actu conſecrationis ſit eidem facta poteſtas alteram diem ſtatuendi pro Anniverſario recolendo; quanto autem magis id facere nequaquam poterit in aliis caſibus, pro quibus nullibi legitur poteſtatem ſtatuendi aliam diem, eidem fuiſſe factam?

XI. Hæc verba, *Quæ non ſit dies Dominica fixa*, nobis ſuggerunt limitationem quamdam, quæ præſenti Decreto adhiberi poſſe videtur, nimirum non poſſe quidem ab Epiſcopo ſtatui pro celebratione feſti alicujus Sancti Martyris, cujus inſignis aſſervatur Reliquia, diem Dominicam fixe, & permanenter, bene tamen pro una, vel altera vice, gravi, vel rationabili interveniente cauſa, puta Translationis, quæ tunc fiat ejuſdem Sancti, aut publicæ, & communis ad eum ſupplicationis, ut in caſu peſtis, aliorumque generalium malorum. Hujus ſunt opinionis Suarez *tom. 2. de Relig. cap. 11. num. 6.*, D. Antoninus 4. *part. tit.* 13. *cap.* 4. §. 2., Tabiena *num.* 16., Armilla *num.* 13., Navarrus *cap.* 27. *num.* 217., Portellus *in dub. Regul. verb. Horæ Canonicæ num.* 17.; Donatus *Prax. rerum Regul. tom.* 4. *tract.* 18. *q.* 63., aliique permulti, qui id fieri & poſſe a Prælato Regulari non inficiantur. Horum tamen opinio diſplicet Euſtachio a S. Ubaldo *de Dei bened. obſer. 9. ſect.* 1. *num.* 185., ubi alios adducit. Verum de hoc habebitur ſermo in Dec. I., & XI. Cap. de Additione Breviario fieri inhibita.

XII. Conſtat igitur ex dictis, non poſſe Epiſcopum, vel quemcumque Prælatum, ſaltem fixe, & permanenter, ac per modum legis ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum feſtum Sancti alicujus, cujus Reliquia poſſidetur, licet ignoretur dies obitus ejuſdem Sancti, ac multo minus, ſi ſciatur, vel in caſo perpetui, vel accidentarii impedimenti.

XIII. Ultra vero diem Dominicam extra dubium eſt pro celebratione feſti, cujus dies natalitia ignoratur, ſtatui non poſſe diem, qua Sanctus ille huic Mundo natus eſt; unde D. P. Auguſtinus ſerm. 13. de Diverſis. *Quid eſt Fratres? Quando natus eſt, ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus, ſed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus; illo enim traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum.*

XIV. Excludendam non minus cenſemus diem illam, in qua in Kalendario, vel Martyrologio alterius Sancti ejuſdem nominis memoria recolitur, ne Populus, immo Clerus ipſe tractu temporis decipiatur, putans Sanctum, qui colitur, illum eſſe, qui in Kalendario, vel Martyrologio, ut optime advertunt Gavantus *dict. ſect.* 8., & Euſtachius a S. Ubaldo *obſerv. 9. ſect. 4. num.* 219. Id deduci poſſe etiam videtur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 26. Novembris 1678., in quo eadem Congregatio ad inſtantiam Eccleſiæ Metropolitanæ Senenſis poſtulantis aſſignari aliquam diem pro celebratione officii de S. Sergio Martyre, cujus Corpus habebat, & ejuſdem Sancti diem natalitiam, Depoſitionis, & Translationis ignorabat, aſſignavit diem tertiam Octobris, non autem diem aliquam, in qua in Martyrologio Romano ſit memoria alterius Sancti Sergii.

XV. Conſultius igitur erit, determinare diem Translationis, Receptionis, Inventionis, Ordinationis, Elevationis, Depoſitionis, vel inſignis alicujus manifeſtationis ejuſdem Sancti per miracula, aut proximiorem, ſi ille ſit impeditus, ſequendo Eccleſiæ praxim, quæ Feſtis perpetuo impeditis aliquem ex dictis diebus pro eorumdem celebratione ſemper aſſignare conſuevit, ut non ſemel infra factum fuiſſe in animadverſione habemus. Vel denique aſſignari poterit dies illa, quæ commodior videbitur, ac celebrando Feſto magis idonea. Recolantur, quæ dicuntur in Decreto XIII. Cap. de Immutatione Feſtorum.

XVI. An vero prædictum feſtum addici queat certæ Dominicæ, puta primæ Maji, more feſtorum mobilium, ſi ejuſdem Translatio, Inventio &c. tali Dominica primum peractæ fuerint?

XVII. Reſpondet Guyetus *lib. 2. cap. 3. quæſt.* 4. loquens de conſtituendo die feſto Translationis: *Quibus in Eccleſiis uſus ille pridem receptus inolevit, retineatur vi conſuetudinis; ad ipſum vero de novo inducendum, ne tu meum expectes ſuffragium.* Quod ſi non approbatur, Feſtum Translationis permanenter affigi diei Dominicæ, in qua revera contigit, multo minus in noſtro caſu, in quo agitur de aſſignando die Feſto, quod neſcitur, in quanam die occurrat; quapropter nec nos dictum agendi modum approbare poſſumus, præſertim quia tali in caſu dies Dominica æque ſtatueretur ad celebrandum dictum Feſtum contra diſpoſitionem Decreti. Quinimmo nec laudamus aliquam feriam mobilem aſſignari, ſed magis ſtatam, ac fixam Kalendarii diem juxta generalem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ Feſta obitus, vel Translationum Sanctorum, non feria mobili, qua contigerunt, ſed ſtata, & fixa anni die, in quam tunc dicta feria incidit, celebrat.

XVIII. Ad completam adhuc hujuſce Decreti explanationem ſuperſunt nonnulla notanda. Primo. Quod dum a præſenti Decreto adimitur Epiſcopis omnibus facultas conſtituendi diem Dominicam ad celebrandum feſtum Reliquiæ, hoc ſolum intelligi debet de feſto cum officio, quod unice officium Dominicæ tollit, non autem de feſto ſine officio; feſtum enim ſine officio ab Epiſcopis, adhuc poſt Conſtitutionem Urbanam, in ſua Diœceſi indici poſſe, communis Doctorum opinio eſt, & ex dicendis in Cap. de Diebus feſtivis diſerte conſtabit. Immo ſi feſtum pro feſtivitate cum ſola ſolemnitate, pompa exteriori, & apparatu intelligas, etiam cujuslibet privati auctoritate diem Dominicam pro ejuſmodi feſti celebratione decernendi uſus in Eccleſia invaluit, nullique reperitur inhibitum.

XIX. Secundum, quod notandum venit, deſignat nobis, quod licet Decretum diſpoſitionem ponat in Feſto Sancti Martyris, de quo aſſervatur Reliquia inſignis, adhuc æque veritatem habet in quocumque alio Sancto licet non Martyre, de quo Reliquia inſignis habetur; non enim adeſt peculiaris ratio aliqua, ob quam Epiſcopus id non poſſit in Feſto S. Martyris, quæ non procedat pro Feſto aliorum Sanctorum; quinimmo cum motiva præſentis Sanctionis generalia ſint, videlicet ne impediatur officium Dominicæ, idcirco & generalem reddunt ipſam diſpoſitionem, quapropter nedum hæc locum habet in quocumque Feſto Sancti, cujus habetur Reliquia, ſed univerſim in quolibet Feſto, quod vel ob ignorationem diei, vel alia de cauſa per Epiſcopum ad aliquam diem valet determinari.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE LIII.

De aliquo Sancto Martyre, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia, celebrari non debet officium, & Miſſa in ipſa die ſui Martyrii, niſi Reliquia ſit de Sancto ſcripto in Martyrologio Romano, & niſi conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. S. R. C. 3. Junii 1662. *in una Dubior.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 82.

I. DE Sanctis, quorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ aſſervantur, nec Officium, nec Miſſam, quæ ſequitur officium, celebrari poſſe, niſi in Martyrologio Romano reperiantur deſcripti, pluribus Decretis, videlicet præſenti, duobus ſequentibus, & ſecundo hujus Capitis, conſtanter manet firmatum, nec hacce in re cum ibi dictis, quæ addantur,

tur, habeamus, gradum facimus ad alteram ex conditionibus per præſens, & duo ſequentia Decreta ad memoratum effectum ſimiliter exactam, nimirum quod debeat conſtare de indentitate Corporis, ſeu Reliquiæ ejuſdem Sancti: *Et niſi conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti*.

II. Antiquitus ſanctorum Corporum, & Reliquiarum identitas probabatur ignis experimento, uti pluribus antiquum hunc morem Reliquias probandi per ignem illuſtrant Theodoricus Ruinartus *in Appendice ad Gregorium Turonenſem*, & Gonzal. *in cap. Cum ex eo, litt. C. de Reliq., & Venerat. Sanctorum*; hinc in vita Sancti Meinvverci Epiſcopi Paderbonenſis, ubi agitur de Monaſterio ab ipſo conſtructo, & de miſſo ad eumdem a Vvolfango Aquilejenſi Patriarcha corpore Sancti Felicis cum duobus Palliis, ſic legitur: *Experiri volens*, ſcilicet Epiſcopus Paderbonenſis, *an ſibi, ſuoque ſuccurrere poſſet Populo, rogum maximum in medio Clauſtri ſub die fieri præcepit, in quem cum tertio corpus miſiſſet, totieſque in favillam redactus ignis extinctus fuiſſet, cum maxima omnium exultatione, & laudum jubilatione corpus manibus propriis excipiens, ſuper principale Altare detulit, & omnium veneratione ſolemnem Sanctum illum deinceps haberi inſtituit*.

III. Verum cum ejuſmodi uſus ceſſaverit, & ab eo ſit abſtinendum, quemadmodum bene adnotavit Ferrand. *in Diſquiſit. Reliquiar. lib. 2. cap. 32. art. 1. §. Quando autem*, hodie conſtare debet de Corporum, & Reliquiarum identitate per probationes concludentes, &, ſi non certitudine metaphyſica, vel phyſica, ſaltem morali certitudine certas; ſi enim non ſufficeret certitudo moralis ad habendam probationem identitatis Reliquiarum, opus eſſet, ut duo Teſtes nullam exceptionem patientes deponerent, ſe vidiſſe, tale os fuiſſe ex. gr. deſumptum ex corpore talis Sancti a ſe bene cogniti, idque fuiſſe repoſitum in tali loco, a quo ſciunt numquam fuiſſe remotum, nec potuiſſe ullo temporis momento removeri; quæ probatio utique eſt impoſſibilis, atque adeo, quatenus tamquam neceſſaria admitteretur, ſacram Reliquiarum identitatem deſtrueret, hinc Doctores communiter cenſent, in re, & ad effectum, de quo agimus, ſufficere certitudinem moralem, videlicet Suarez *in 3. par. D. Thomæ diſputat. 55. ſect. 2.*, Ambroſius Morales *in 3. part. Hiſtoriæ generalis Hiſpaniæ lib. 17. cap. 5. in fine*, Sanchez *lib. 2. ſumma cap. 43. numer. 15.*, Motta *de Canoniz. Sanct. par. 4. cap. 29. num. 15.*, Salmanticenſes *tom. 4. Theolog. mor. tract. 16. cap. 1. punct. 4. num. 35.*, Diana Coord. *tom. 3. reſol. 91.* Bordonus *tom. 4. reſol. 117.*, Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei bened. obſerv. 9. ſect. 4. num. 217.*, Gobat *tract. 3. num. 683.*, Quintanadvennas *in ſuis ſingular. Theol. mor. tom. 1. ſingul. 27. num. 10.*, Quarti *part. 1. tit. 1. dub. 4.*, Guyetus *lib. 1. cap. 9. quæſt. 2.*, Monacelli *in formul. legali practico par. 2. tit. 13. num. 25.*, Papebrocchius *in Reſponſ. ad exhibit. error. ad art. 19. num. 12.*, & demum Eminentiſs. Lambertini, nunc Pontifex Maximus *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 23.* ex quo plura hic tranſcribimus.

IV. Accedit, quod teſtimonium Seniorum de Clero pro vindicandis ſacris Reliquiis exquiſitum fuit a Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo, teſte Sulpicio Severo *in ejus vita cap. 8.*, & in Inventione corporum SS. Gervaſii, & Protaſii teſtimonium Seniorum magni fecit Sanctus Ambroſius: *Nunc ſenes repetunt, audiſſe ſe &c.*, ait ille *epiſt. 22. tom. 1. Operum*; & Gregorius Magnus *epiſt. 31. lib. 11.* ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſcribit, non eſſe ad venerationem exponendas Reliquias cujuſdam Sixti, quatenus *neque aliqui de antiquioribus exiſtunt, qui ſe a Parentibus paſſionis ejus ordinem audiſſe fateantur*. Colligitur quoque certitudinem præfatam moralem ſufficere ex cap. *Placuit de conſecr. diſt. 1.*, & adhuc clarius ex Concilio Tridentino *ſeſſ 25.*, ubi loquens de Epiſcopo Reliquias recognoſcente, & approbante ait: *Ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit*.

V. Judicium Corporum, & Reliquiarum ad cultum publicum exponendatum a memorato Tridentino *ſeſſ. 25. de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanctor.* utique defertur Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, ſed & Sanctæ Sedis judicium interponitur, vel quando ad eam habetur recurſus, vel quando petitur, ut Epiſcopale judicium auctoritate Apoſtolica confirmetur, vel quando negotium adeo arduum eſt, aut dubium, ut Sedis Apoſtolicæ judicium neceſſarium eſſe videatur, ad tramites Textus *in cap. Cum ex eo de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*. Cum autem Apoſtolica approbatio majoris ſit momenti, quam approbatio Epiſcopalis, hinc fit, quod urgentior quo ad illam, quam quo ad hanc probationum ſeries requiritur; certitudo enim moralis recipit plus, & minus.

VI. Facit ad rem exemplum Judicii ſuper identitate capitis Sancti Brunonis olim Epiſcopi Signini. De ea nempe cum primo acturn fuerit in Sacrorum Rituum Congregatione, nulla capta fuit reſolutio propter ſuffragiorum diſſenſionem, uti colligitur ex Decreto edito die 11. Julii 1643. Cumque eadem cauſa ſubinde iterum propoſita fuerit, licet eadem ſuffragiorum diſſenſio perduraverit, unanimi tamen conſenſu reſolutum fuit, quod inſinuaretur Epiſcopo, ut non obſtante appoſitione manus Sanctæ Sedis, procederet ad examen identitatis juxta normam Concilii Tridentini, quia licet probationes allatæ ſuper identitate non exigui ponderis eſſe viderentur, non erant tamen tanti ponderis, ut Apoſtolicam approbationem mereri poſſent, quemadmodum habetur ex Decreto edito die 8. Auguſti 1643. Ut autem titulo Reliquiæ officium inſtitui valeat, ſufficit, quod de ejuſdem identitate conſtet, vel per Apoſtolicam, vel Epiſcopalem approbationem, uti colligitur ex Decreto V. hujus Capitis, nec plus exigit præſens Sanctio, quæ ſolum expoſcit, quod de identitate Reliquiæ conſtare debeat, nec verbum habet, quod conſtare debeat per Apoſtolicam approbationem, adeoque Epiſcopalis ſufficit approbatio, quæ & ſufficit, & ordinarie ſolum adhiberi debet ad effectum Reliquias exponendi ad publicum cultum, & Fidelium venerationem.

VII. Bordonus, & Monacelli locis citatis conveniunt in adducendis argumentis, quibus probari poteſt identitas Reliquiarum, & aſſerunt probari primo Bullis Pontificiis, aut inſtrumentis publicis; ſunt enim claræ probationes, quæ per Bullas, & inſtrumenta habentur, inſtrumentis ſiquidem ſtatur, donec probetur contrarium *l. cum precibus §. 1. de probat.*, & inſtrumentis lux veritatis aſſiſtit, Cravera *conſil. 54. num. 15.*, & nulla efficacior probatio, quam ea, quæ per inſtrumentum exhibetur, Bald. *in cap. cum cauſam, de probat. num. 2.*, Dec. *conſil. 146. num. 14.*, Roland. *lib. 1. conſ. 2. num. 59.* Procedit, ſive inſtrumentum confectum ſit per perſonam Eccleſiaſticam, ſive laicam, utriuſque enim fideles adhibentur in his, ſicut in aliis rebus, cum fides Notariis adhibeatur non ex qualitate rerum, ſed ex conditione perſonæ publicæ, & juratæ ratione ſui officii, interventu Prælati Eccleſiaſtici.

VIII. Secundo. Scriptura ſubſcripta a Superiore Eccleſiæ cum duobus ad minus teſtibus, *auth. de inſtr. cauſ. §. ſed inſtrumenta coll. 6. cap. quoniam de probat.*, vel quæ habet ſigillum authenticum cum ſubſcriptione Superioris, *cap. 2. de fide inſtr. cap. poſt ceſſionem de probat.*, *Gloſſ. 1. cap. 1. de fide inſtar.*, *Gloſſ. ut authenticæ, cap. dicenti 16. 25. qu. 2.*

IX. Tertio. Scriptura etiam non authentica reperta apud Reliquias, ex Hoſtienſi *in cap. 2. de Reliq.* apud Graff. *par. 1. lib. 2. cap. 66. num. 28. per alia jura ab eo citata*. Libri Hiſtoriarum item probant ex eodem Graff. *num. 30.*, in antiquis ſiquidem probatio præſumpta ſufficit etiam in his, ex difficultate probationis, *arg. l. qui ex litteris, ff. de ſec. tabul.*

X. Quarto. Traditione ſeu publica voce, & fama conſtanti, facta enim antiqua per ora hominum ſucceſſive probant. Anton. Roſellus *in repit. cap. manifeſta 2. quæſt. 1.*, Graff. *tom. 1. conſil. 17. de ſentent. excom. num. 30.* Si enim traditio hominum, & Eccleſiæ probat ad fidem, ergo a fortiori ad Reliquias.

XI. Quinto. Lapide marmoreo, aut inſcriptione antiqua nomen Sancti continente, ubi Reliquia reperitur, *arg. Gloſ. V. dictis cap. ſane 6. 24. q. 2.*, *Gloſ. cap. cum cauſam de probat.*, & in terminis Graff. *tom. 1. conſil. 17. de ſent. excom. num. 28.*

XII. Sexto. Juramento ſaltem (*ait Monacelli*) duorum proborum hominum, (Bordonus) hominis probi; eſt enim juramentum confirmatio veritatis, *cap. & ſi Chriſtus 26. de juram.*, & in defectum aliarum probationum ſuccedit, Gloſſa *V. vel ſaltem cap. ſtatutum 9. cum vero, de reſcript. 126.* & dicitur probatio legitima, Gloſſa *V. juramento cap. Præſentium 31. de teſtib.* & bene procedit in caſu noſtro, cum non agatur de præjudicio tertii, tunc juramentum valide probat defectu aliarum probationum. Fel., Dec. & Gemin. *in cap. Cognoſcentes de conſtit.* Ita in terminis Bordonus loco cit. Baldellus quoque *Theol. mor. lib. 3. diſp. 16. nu. 11., & 12.* citans alios Auctores, jura, ac praxim, oſtendit ſufficere unicum teſtem omni exceptione majorem. Criſpinus tamen *de viſit. par. 2. §. 5. num. 6.* apud Monacelli *cit. loco num. 9.* monet, quod ſi agatur de Reliquiis dubiis exponendis in Eccleſiis Regularium, ſuper illarum cultu, identitate, & antiquitate, non eſt deferendum atteſtationibus ipſorum Regularium, quamvis Superiorum, niſi adſint aliæ demonſtrationes, quæ identitatem demonſtrent, & antiquitatem. Idem dicito de atteſtationibus quorumcumque aliorum reſpective ad Reliquias in eorumdem Eccleſiis exponendas.

XIII. Septimo. Addit Monacelli probari identitatem Reliquiarum omnibus aliis argumentis, & conjecturis, quibus probatur identitas omnis rei juxta generalem regulam apud Rot. *coram Cavaler. deciſ. 146. num. 2., &. coram Coccin. deciſ. 1873. num. 48.*, Gratian., *diſc. 554. num. 56. ubi de nomine & cognomine*.

XIV. Dices, quod ſi ſufficeret certitudo moralis ex prædictis argumentis petita, contingere poſſet, Reliquias falſas venerari, atque officio coli.

XV. Reſpondent Auctores contingere poſſe deceptionem ad ſummum materialem, numquam tamen formalem, quæ fidelibus nocere poſſit; omnis enim Sanctorum veneratio directa ad ſuas Reliquias, habet adjunctam conditionem tacitam, ſi vera eſt Reliquia, aliter cultus ſolum intelligitur directus ad Prothotypum, in quod tandem terminatur. Placet hic tranſcribere, quod monet Papebrochius *in Reſpon. ad exhibit. error. ad art. 19. num. 12.*, ubi ait: *In hac materia Reliquiarum, potius quam alibi, procedendum magis ex piæ credulitatis affectu, quam ex notitia certa eorum, per quorum manus tranſierunt illæ: Et Epiſcopi, qui ex prudenti judicio procedere jubentur a Tridentino in illis recognoſcendis, & publico exponendis, acquieſcere debent, cum ſcripta, vel occulata fide eis probatur, Reliquiam aliquam bona fide acceptam a loco, ubi fuerat in honore, vel cum vero ſimilibus antiqui cultus indiciis reperta alicubi, velut talis, vel talis Sancti, licet ejuſmodi probatio & fallere poſſit, & fallat ſæpe. Æquum enim*

eſt, ut

eſt, ut ibi ſubſiſtat humanæ inquiſitionis diligentia, ubi ulterior labor eſſet fruſtraneus; & a ſuperſtitionis periculo tuta ſit Reliquias venerantium religio, quatenus ea tendit in primarium ſuum objectum, ideſt Sanctorum honorem, etſi fortaſſis eorum ipſa non eſſent, quæ ut tales proponuntur. Cultus Reliquiarum eſt reſpectivus, & ſic ad Sanctos dirigitur.

XVI. Quibus ex ſuperius recenſitis argumentis ſatis haberi certitudinem moralem, quæ eſt neceſſaria pro identitate Sacrarum Reliquiarum, evidens fit ex reſolutionibus quas refert Eminentiſs. Lambertini nunc Benedictus Papa XIV. *cap.* 23. *cit.*, *& ſeq.*, per Sacram Congregationem editis in quamplurimis cauſis ſuper dicta identitate in eadem propoſitis, nonniſi enim vi dictorum, & ſimilium argumentorum ad Reliquiarum approbationem proceſſit; ne autem tædio Lectori ſimus, a recenſione dictarum reſolutionum abſtinemus, ad præfatum Eminentiſſimum remittentes, qui plenius inſtrui cupit.

XVII. Unum tamen, utpote notatu dignum, volumus ex prædicto celeberrimo Auctore depromptum docere Lectorem, videlicet, quod cum in quadam cauſa Fanenſi ageretur de identate cujuſdam Mitræ, quæ dicebatur eſſe S. Pii V., necnon cujuſdam Indumenti, quod dicebatur eſſe S. Felicis a Cantalicio, quæ Reliquiæ aſſervabantur in Monaſterio Monialium S. Tereſiæ dictæ Civitatis: per Sacram Congregationem die 13. Julii 1709. reſponſum fuit, *non conſtare de identitate, nec eas ad publicam venerationem eſſe exponendas*, ita autem, ait ipſe, fuit reſponſum, quia in ſuis animadverſionibus ponderaverat, quod tota identitatis ratio deſumebatur ex depoſitione cujuſdam Sororis Agathæ Catharinæ conſtitutæ in nonageſimo ſecundo ſuæ ætatis anno, quæ prævio juramento, & ſub interrogatoriis dixerat, ſe a teneris annis fuiſſe Romæ educatam in Domo Ruſticuccia, ſeque ad Civitatem Fanenſem acceſſiſſe, ubi Religioſam Profeſſionem emiſit, & ſe denique in dicta Domo Ruſticuccia vidiſſe venarabiliter aſſervari Mitram B. Pii V., & Indumentum prædictum, necnon Mitram, & Indumentum, quæ erant in Domo Ruſticuccia, eſſe illa, quæ in ſuo Monaſterio Sanctæ Tereſiæ reperiebantur. Quamvis teſtimonium eſſet veriſimile, aliiſque probabilibus conjecturis fulciretur, tum propter familiaritatem, & ſanguinis neceſſitudinem, quæ inter Sanctum Pium V. & Cardinalem Hieronymum Ruſticuccium interceſſerat, tum quia idem Cardinalis pio mentis affectu Sanctum Felicem a Cantalicio proſequebatur, unicum tamen Fœminæ, licet piæ, & Religioſæ teſtimonium adminiculis quoque vallatum, non fuit reputatum ſufficiens ad aſtruendam moralem certitudinem, quæ eſt neceſſaria, ut ad publicum cultum Reliquiæ exponi poſſint.

XVIII. *Quod S. Congregationis judicium*, ſubit idem Eminentiſs. Lambertini, *ſatis eſt ad demonſtrandum, non ſubſiſtere aſſertionem nonnullorum Doctorum, qui cenſuerunt, unius teſtimonium ſufficere ad aſtruendam moralem certitudinem, quæ ex ſupradictis eſt abſolute neceſſaria in judicio identitatis ſacrarum Reliquiarum, quam videlicet opinionem, ceteris collectis, amplexus eſt Pater Gabriel a Sancto Vincentio reſponſ.* 37. *pag.* 74. Ego vero ex ejuſmodi judicio ſolum deducerem limitationem illam, quam ex Criſpino ſuperius dedimus, videlicet non eſſe deferendum atteſtationi unius Perſonæ piæ, & Religioſæ ſuper cultu, identitate, & antiquitate Reliquiarum, quando agitur de Reliquiis dubiis exponendis in ejuſdem Eccleſia; in præfata enim cauſa Fanenſi agebatur de identite Reliquiarum ad publicam venerationem exponendarum in Monaſterio, in quo profeſſa erat Soror illa Agatha Catharina, quæ ſuper dicta identitate teſtimonium proferebat.

XIX. Quæres primo, num petentibus Poſtulatoribus facultatem recitandi officium, & Miſſam celebrandi propter inſignem alicujus Sancti Reliquiam, quam habent in ſua Eccleſia, ſi petitis annuatur, cenſeatur approbata Reliquia ipſa?

XX. ℟. Quod hujuſmodi petitionibus Sacra Congregatio reſcribere conſueſcit: *Pro gratia, citra tamen approbationem Reliquiæ*. Quod utique magna cum prudentia fit, ne ſi citra debitum examen identitatis Reliquiæ gratia indulgeatur abſolute, & ſimpliciter, ea, utpote relativa ad ſupplicationem Poſtulatorum, habeantur tamquam approbativa Reliquiæ; & ita quidem, ut exortis difficultatibus ſuper ejus veritate, & identate, fateri opus ſit, gratiam conceſſam fuiſſe ſine examine veritatis, & identitatis Reliquiæ, & habita fide expoſitioni Poſtulatorum, Quid autem ſi reſcriptum fuit abſolute *Pro gratia* abſque additione illorum verborum *citra tamen approbationem Reliquiæ?* Reſpondetur adhuc ex dicta conceſſione non evinci approbationem identitatis Reliquiæ, ut aſſerit laudatus Eminentiſſimus Lambertini *cap.* 24. *num.* 55. pro caſu Lanceæ in Civitate Pragenſi conſervatæ, in cujus honorem Innocentius VI. facultatem fecit feſtum celebrandi in Germania, & Bohemia feria ſexta poſt octavam Paſchæ, & indulgentiam elargitus fuit illis, qui ſacram Reliquiam devote viſitaverint; hinc in hæc verba prorumpit: *Sed hinc argumentum inferri non poſſe dicimus ad Apoſtolicum Judicium ſuper identitate Lanceæ, quæ Pragæ aſſervatur, quod eadem videlicet ſit, quæ Chriſti Latus aperuit, teſte Raynaldo ad annum Chriſti* 1354. *num.* 18., *ubi inquit:* Quæ de Lancea, qua Chriſti Latus in Cruce tranſverberatum eſt, retulit Innocentius, hæc ex Caroli Imperatoris relatione repetivit; *& ad rem quoque conſuli poteſt Cardinalis Baronius ad annum* 909.; quapropter evidens fit, quod in conceſſione officii ob Reliquias quandoque innititur dumtaxat fidei Poſtulatorum, ac per conſequens ex ea deſumi non valet validum argumentum pro identitate Reliquiæ.

XXI. Dices: In conceſſione officii titulo Reliquiæ apponi ſolet: *citra tamen approbationem Reliquiæ*; ergo quando hujuſmodi verba appoſita non habentur, Reliquia approbata cenſeri debet.

XXII. ℟. In noviſſimis dumtaxat conceſſionibus ea verba apponi conſueviſſe, non autem in antiquis, quapropter ad ſummum ex illis approbatio Reliquiæ inferri valeret. Verum cum & in noviſſimis illa clauſula poſita dumtaxat fuerit ad cautelam, ac abundantiam, immo nec ſemper, idcirco ex omiſſione ejuſdem non eruitur validum argumentum pro identitate Reliquiæ. Habebat etiam Metropolitana Senenſis Eccleſia ex conceſſione Apoſtolica indulgentiam plenariam pro viſitantibus in die feſto S. Sergii Martyris, cujus Corpus in illa requieſcit, & tamen ex hoc minime approbata cenſetur identitas dicti Corporis, ut manifeſtum eſt ex Decreto S. R. C. de die 26. Novembris 1678.

XXIII. Quæres 2. Num adſit aliquod aliud argumentum, unde probari queat identitas Reliquiarum?

XXIV. ℟. Miracula quoque in hoc identitatis judicio maximopere prodeſſe, quocirca ſi probabiles urgeant rationes ex traditione, famaque antiqua, & conſtanti ex. gr. deſumptæ, miraculorum autem fiat acceſſio, pietati, & veritati conſentaneum erit aſſerere, & judicare, quod Reliquiæ alicujus ſint Beati, vel Sancti, immo vero ſint illius Beati, vel Sancti, pro quo urgent rationes, & cujus invocatione Deus dignatus eſt miracula operari, uti late probant Ferrandus *Diſquiſit. Reliq. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 2. *art.* 5. & Ricciul. *Variar. Lucubrat. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 8. Dictum eſt autem *maximopere prodeſſe*, ſed non eſt dictum, miracula eſſe neceſſaria in judicio identitatis; ſubſtantialia quippe hujuſce judicii requiſita unice conſiſtunt in conjecturis, & probabilibus argumentis, quæ haberi poſſunt etiam ſeparatim a miraculis. Ita ex Eminentiſs. Lambertini nunc in Petri Cathedra ſedente *loco cit. cap.* 23.

XXV. Quæres 3. An officium faciendum adhuc ſit, quando de identitate Reliquiarum plene non conſtat?

XXVI. ℟. Quod quando de identitate Reliquiarum Sanctorum in Martyrologio deſcriptorum ita conſtat, licet non plene, ut permitti poſſit, quod publicæ exponantur venerationi, ſufficienter etiam conſtat ad officium, quod etiam non eſt, niſi publicus, licet particularis earumdem cultus; hinc cum per Barboſam *de offic. Epiſc. alleg.* 97. *num.* 12., quem ſequitur Gavantus *in Manuali Epiſc. verb. Reliquia Sanct. num.* 11., Gallemart *ſuper Concil. in Decret. de invocat. Sanct. verſ. pen.*, ubi Decretum Congreg. refert, nec reprobat Monacelli *Formul. legal. pract. par.* 2. *tit.* 13. *num.* 8., Reliquiæ, quas per teſtes conſtat fuiſſe expoſitas publicæ venerationi, & cultum habuiſſe per curſum temporis ſexaginta annorum, quod tempus in Teſtibus ex Garz. *de benef. par.* 2. *capit.* 2. *num.* 264., *& ſeqq.*, Rota *cor. Coccin. deciſ.* 1045. *num.* 2. eſt tempus antiquum, permitti poſſit, ut exponantur ut prius, quamvis de identitate aliunde plene non conſtet, ita & de iiſdem officium recitari poſſe videtur. Idem dic in aliis ſimilibus caſibus.

XXVII. Quid vero, ſi de Reliquiarum idemitate quidem conſtet, ſed poſtea ita mixtæ ſint incertis, ut nequeant diſcerni? officium poſſe recitari tenet Gobat *tract.* 3. *num.* 696. *append.* 4. *lit. h. num.* 7. citans Brunon., alioſque; habentur enim in hoc caſu Reliquiæ inſignes Sancti approbati, ſcripti in Martyrologio Romano, & de earumdem identitate conſtat, adeoque nihil deſideratur, quominus fieri poſſit, quod cum dirigatur ad veras Reliquias, nec locus eſt venerationi Reliquiarum apocrypharum.

XXVIII. Idem dicendum eſt ea de Reliquia, quam aliqui dicunt eſſe ex. gr. caput S. Bartholomæi, aliis aſſerentibus caput ejuſdem eſſe alibi, modo Epiſcopus approbarit. Ita Gobat *loco cit.* Et quidem cum hujuſmodi Reliquias ſuppoſita approbatione abſolute adorari poſſe ſuſtineant Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 9., Bonacina *tom.* 2. *diſput.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 6., & apud hos Suarez, Sanchez, Caſtropalao, aliique communiter, non apparet, cur etiam de eiſdem officium recitari non poſſit. Debet autem præcedere Epiſcopi approbatio, quia hac accedente dubium, quod circa dictas Reliquias emergit, prudenter evaneſcit, ac diſſipatur, & ſic ſufficienter conſtat de earumdem identitate.

XXIX. Quæres 4. an Epiſcopi approbatio requiratur, tametſi de Reliquiarum identate conſtet, ut officium fiat?

XXX. ℟. Huic quæſtioni jam partim ſatisfactum fuiſſe in expoſitione Decreti V., unde conformiter ad ibi dicta reponimus Epiſcopi approbationem eſſe neceſſariam in Reliquiis novis, aut noviter inventis, quia nonniſi præfata earumdem præſuppoſita approbatione publicum earum cultum, ac venerationem (conſequenter nec divinum officium) Tridentinum *ſeſſ.* 25. permittit: *Nec novas Reliquias*, ſunt verba Tridentini, *recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo*. In antiquis autem non ita. Tum quia Tridentinum Epiſcopi approbationem minime expoſtulat ad earumdem publicum cultum. Tum etiam quia præſens Decretum, & duo ſequentia ſolum expoſcunt, quod *de Reliquiarum identitate conſtet*, & ſi Decretum ſtatim exponendum aliquid addit *de Ordinariorum approbatione*, loquitur de Reliquiis Sanctorum in Martyrologio Romano non deſcriptorum, nec incongrue intelligitur de Reliquiis novis ad præſcriptum memorati Tridentini, ut in ejuſdem Decreti interpretatione infra dicemus.

XXXI. Confirmatur id autem, quia Reliquias antiquas haben-

habendas eſſe ea veneratione, qua hactenus ſunt habitæ deciſum ex Barboſa refert Gavantus *in Manuali Epiſc. verb. Reliquiæ Sanct. num.* 11., docentque Bordonus *loco cit. num.* 49., & apud ipſum Bonacina, Naldus, & Lezana *tomo* 4. *verb. Reliquiæ, num.* 8.; cum enim præfatæ Reliquiæ ſint ab antiquo in pacifica poſſeſſione publici cultus ideo etiamſi de Epiſcopi approbatione non conſtet, adhuc eo ſpoliari non debent, ſed in eo manuteneri, cum legitima ſit, atque canonica talis poſſeſſio. Recolantur etiam, quæ ſupra dedimus in reſponſione ad præcedens quæſitum.

XXXII. Confirmatur 2. quoniam Reliquias Sanctorum exiſtentes in Eccleſiis Regularium, quæ exponuntur publicæ venerationi Fidelium, non poſſe ab Epiſcopo viſitari, eo quod non conſtet fuiſſe umquam ab ipſo viſitatas, aut approbatas juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini, declaravit, atque reſpondit Congregatio Concilii *in Urbitanen.* apud Paſcuccium *in Compend. ad conſult. Canonic. Jac. Pignatell. par.* 1. *tit. de Canoniz. Sanct.*, ubi etiam addit, quod ideo antiquæ Sanctorum Reliquiæ habendæ ſunt in illa veneratione, in qua hucuſque fuerunt; ſi vero ſint novæ, Epiſcopus ſervet prædictum Concilii Decretum, nempe viſitet, atque cognoſcat, etiam in Eccleſia exempta, ex Naldo *in ſumma verb. Reliquiæ Sanct. num.* 1. Ut igitur antiquæ Sanctorum Reliquiæ venerationi publicæ exhibeantur, ac in poſſeſſione publici cultus conſerventur, neceſſarium non eſt, præcedat, aut intercedat Epiſcopi loci approbatio. Si autem hæc neceſſaria non eſt ad publicum cultum, de quo procedit diſpoſitio Tridentini, utique nec ad divinum officium, circa quod nec verbum in Decretis Sacræ Congregationis.

XXXIII. Dices, quod in Decreto V. exigitur diſerte approbatio Reliquiarum per Ordinarium habita, ut fiat officium: *Et legitime ab Ordinariis approbata.*

XXXIV. ℞. Quod ea verba, ut ibi dicebamus, tantummodo partem, in qua paſſus eſt Martyr, appellant, unde dicta approbatio ad ſummum neceſſaria foret pro ea parte, forſan, ut Epiſcopus in ea parte; quam Congregatio in ſpecie non determinavit, recognoſceret, an concurrant omnes conditiones exactæ, ſcilicet, *an Martyr in ea ſpeciali modo paſſus ſit, an ſit integra, & non parva*, ut officium fieri valeat. Quæ ratio nequaquam militat de ceteris inſignibus Reliquiis in ſpecie determinatis. Adde, quod dicta diſpoſitio optime reſtringitur juxta mentem Tridentini ad Reliquias novas, aut noviter inventas. Recolantur, quæ dicta fuere in expoſitione allegati Decreti V.

XXXV. Quæres 5. quid circa officium faciendum foret, ſi Epiſcopus, vel Prælatus in viſitatione dictas Reliquias antiquas aliqua de cauſa ipſimet cognita a cultu ſuſpenderet?

XXXVI. ℞. Statim & ab officio divino eſſe penitus abſtinendum; uti etiam Reliquiæ, de quarum identitate aliquod dubium exoritur, accedente Epiſcopi approbatione redduntur indubiæ, ita accedente Epiſcopi reprobatione, ſeu ſuſpenſione, quam non ſine juſta, ac gravi cauſa factam eſſe exiſtimandum eſt, quæ videbantur certæ, evadunt dubiæ, & ſic cum non conſtet amplius tali in caſu de earumdem identitate, ſi a cultu, a fortiori quidem etiam ab officio ſtatim deſiſtendum erit.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE LIV.

Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu Inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante, quod ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur: Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (prout hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium, aliiſque in Conſtitutione Beati Pii V. contentis. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Decreto Generali approbante Innoc. XII.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 165.

I. DEcretum, quatenus firmat *ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ officium recitari poſſe dumtaxat de Sanctis in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus, non autem de ceteris Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, vel de quorum Corporum, vel Reliquiarum identitate non conſtat*, proculdubio ulteriori expoſitione non indiget, cum eam jam ſatis fuſe, & diſerte dederimus in præcedentibus hujus Capitis Decretis, quorum præſens non eſt, niſi innovatio, & confirmatio.

II. Habet tamen præſens clauſulam quamdam, videlicet *Aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum*, quam expreſſe non tenent quidem præcedentia Decreta, bene vero implicite. Per eam denotatur autem, quod de Sanctis adhuc non deſcriptis in Martyrologio Romano poteſt recitari officium ratione Reliquiæ, ſi habeatur a Sancta Sede ſpeciale Indultum; & huic limitationi non adverſantur utique præcedentia Decreta, quæ dum inhibent officium inſtitui titulo Reliquiarum de Sanctis non deſcriptis in Martyrologio Romano, procedunt in vi Indulti generalis, quo facultas generaliter fit inſtituendi officium ob Reliquias inſignes, quæ habeantur, non autem ſuppoſita conceſſione ſpeciali, qua ſtante nec minimum dubium eſſe poteſt, quod officium inſtitui valet non obſtantibus Decretis generaliter id inhibentibus; ſpecialis enim diſpoſitio derogat generali pro caſu, quo illa lata eſt, & facit, quod in contrarium ſit jus commune extra illum caſum. Joan. de Imola. *conſ.* 139. *in fine verſ. non obſtat ultimo.* Hujuſmodi autem ſpeciales conceſſiones ex particularibus quibuſdam circumſtantiis in exemplum non ita facile adducendis aliquando a Sacra Rituum Congregatione prodiere, ut die 26. Novembris 1678. pro Sancto Sergio Martyre, de quo conceſſum fuit Eccleſiæ Metropolitanæ Senenſi officium recitare, tametſi non conſtet ſacras exuvias, quæ inibi aſſervantur, ejus martyris eſſe, de quo fit mentio in Martyrologio Romano.

III. Inſurgit modo quædam difficultas, & eſt, num ſi habeatur alicubi Indultum ſpeciale recitandi officium ſub ritu ſemiduplici de Sancto aliquo non deſcripto in Martyrologio Romano, poſſit inibi ſub ritu duplici recitari in ea Eccleſia in qua habetur Reliquia inſignis, & approbata de illo Sancto? Caſus eſt: In Diœceſi Bergomenſi ex Apoſtolica conceſſione pro die quinta Januarii indultum eſt recitari officium ſub ritu ſemiduplici de Sancto Domnone Martyre, qui non eſt Domneo ille, cujus ſub die 16. Julii meminit Martyrologium Romanum, ſed Martyr alter ab hoc diſtinctus, ejuſdemque Nepos ſub Maximiano Imperatore nonis Januarii martyrio coronatus, licet ejuſdem nulla memoria habeatur in præfato Martyrologio Romano; quæritur ergo, num in Eccleſia Parochiali S. Andreæ ejuſdem Civitatis, in qua præfati Martyris lipſana aſſervantur, ſub ritu duplici recitari valeat de eodem officium divinum?

IV. Ad quod dicendum videtur, quod ſic; ſunt enim hujuſmodi Sancti, licet eorum memoria non habeatur in Martyrologio Romano; per præſentis verba illa Decreti, *Aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum*, in exceptuatis poſiti, adeoque non eſt, cur eorumdem officium, ex Apoſtolica conceſſione jam ſemiduplex, ratione Reliquiæ inſignis, quæ ibi aſſervatur, ad ritum duplicem minorem elevari non poſſit, & ſub eodem celebrari juxta diſpoſitionem generalium Decretorum in materia Reliquiarum editorum, quæ ſub ritu duplici minori edicunt officium pro iis Eccleſiis, quæ Reliquiam inſignem aſſervant Sancti alicujus.

V. Verum ſi Sanctio ſevero ſubjiciatur examini, ejuſmodi ſenſum proculdubio non ſuſtinet; firmat enim primo, quod *officia recitanda ratione corporis, ſeu inſignis Reliquiæ, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis*: hinc tamquam quid neceſſario conſequens deducit, quod *de ceteris Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante quod*, videlicet quantumvis *ipſorum corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur*. Quoniam vero dictio *Dumtaxat* in diſpoſitione poſita, de ſui natura excludit omnes alios caſus, & omnes perſonas præter expreſſas, *ex l.* 3. *§. cum Titio, ff. de adim. legat. l.* 2. *c. de legibus, cap. cum Eccleſia, de verb. ſignif. clem.* 1., *& ex Doctoribus communiter*, idcirco in conſequenti, quod ex ea eruit, limitationem quamdam apponendam eſſe cenſuit, videlicet *Aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum*, per quam reſtringit vim præcedentis dictionis *Dumtaxat*, ut non excludat Sanctos illos, licet non deſcriptos in Martyrologio Romano, quibus per ſpecialem conceſſionem Apoſtolicam aliter indultum eſt; non enim intendit derogare ſpecialibus Indultis, & conceſſionibus; unde nec ullam habet clauſulam derogatoriam, ſed iis intactis ſolummodo generalem diſpoſitionem facere, rigoroſe ſervandam in omnibus Sanctis illis, qui ſpecialem conceſſionem non habent. Diximus *limitationem quamdam*, niſi mavis dicere *declarationem*, quoniam generalis proviſio mandata non ſe extendit ad ſpecialiter proviſa, ſed ſpecies derogat generi, ut omnia Jura clamant, & Juriſconſulti atteſtantur.

VI. Eſt itaque præſervata ſpecialis Apoſtolica conceſſio, quocirca indubium, eſt, quod ſi Sancti aliqui, qui non ſunt deſcripti in Martyrologio Romano, habeant ex ſpeciali conceſſione, quod de ipſis poſſint ratione Reliquiæ officia recitari, non obſtantibus hoc, & quibuſcumque aliis Decretis generalibus id inhibentibus, de iiſdem officium inſtitui poterit ratione Reliquiæ inſignis, quæ eorumdem habeatur. Aſt ſi hoc certum eſt, ſua difficultate non caret, an exceptio illa, *Aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum*, comprehendat ſolum Sanctos illos, de quibus ſpecialiter conceſſum eſt officium poſſe recitari *ratione Reliquiæ*, licet non ſint deſcripti in Martyrologio Romano, an vero quoſcumque Sanctos ut ſupra non deſcriptos, qui ex ſpeciali conceſſione habent, quod de ſeipſis officium alicubi queat recitari, licet ſpeciali in illa conceſſione nec verbum habeatur de eorumdem Reliquiis, ſed officium inibi ſpecialiter conceſſum fuerit, puta quia eſt Sanctus indigena, ut evenit in caſu propoſito S. Domnonis Martyris, vel alia de cauſa, ex. gr. quia in publicis neceſſitatibus ſua interceſſione maximopere opitulatus fuit, vel alia ſimili?

VII. Ut autem hac in re certa ab incertis ſeparemus, non

non credimus a quopiam contenſum iri poſſe, quod Sanctus ille hujuſmodi, qui ex ſpeciali Indulto alicubi, puta Bergomenſi in Diœceſi, officium habet, extra talem locum poſſit ratione Reliquiæ inſignis, quæ alibi poſſet aſſervari, officium ſortiri, ex. gr. in Diœceſi Brixienſi, quoniam pro hac non ſuffragatur Indultum, utpote reſtrictum ad Diœceſim Bergomenſem; quapropter relate ad Diœceſim Brixienſem Sanctus ille ſe habet, perinde ac ſi de eo latum non fuiſſet ſpeciale memoratum Indultum; paria ſiquidem ſunt Indultum nullum eſſe, & ibi non ſortiri effectum, uti pluribus Juribus, & Auctoribus allegatis aſſerit Barboſa *de Axiomatibus Axiom.* 174. Et quidem ſi ratione Reliquiæ inſtitui poſſet officium de quibuſcumque Sanctis, qui etſi in Martyrologio Romano non recenſeantur, adhuc ex ſpeciali conceſſione alicubi habent officium, in nihilum, vel fere in nihilum abirent omnes toties repetitæ Congregationis Sanctiones, rigide inhibentes officium ratione Reliquiæ recitari de Sanctis, qui in dicto Martyrologio non reperiuntur deſcripti, quandoquidem fere nullus ex Sanctis juxta modernum, vel antiquum Eccleſiæ ſtilum canonizatis eſt, qui alicubi, ſcilicet vel ubi natus, ſeu mortuus, aut in vita fovuit, aut mirabiliter adjuvit, ſive in Populi devotione verſatur, lipſanave ejuſdem aſſervantur, officium non habeat.

VIII. Reſtringitur itaque difficultas ad ea loca, in quibus jam ex ſpeciali conceſſione cum officio recolitur, & adhuc dicimus nullatenus ſuffragari Decretum, quoniam exceptio, quam per allegata facit verba, debet eſſe de regula, *l. nam quod liquide*, *§. fin. ff. de penu. leg.*, & Doctores communiter apud Barboſam *Axiom.* 85., quapropter cum in memorato Decreto agatur de officio recitando ratione Reliquiæ, exceptio illa *Aut quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter indultum*, debet eſſe de Regula, ſeu conceſſio illa ſpecialis debet eſſe de officio inſtituendo ratione Reliquiæ, tametſi Sanctus ille non ſit ex deſcriptis in Martyrologio Romano; qua ſpeciali conceſſione non ſtante declaratur poſtea, quod *de eodem officium celebrari non debet*, *non obſtante*, *quod ipſius Corpus*, *vel inſignis Reliquia in Eccleſia aſſervatur*, ita confirmando, quod præcedenter ſtatuerat, videlicet quod *officia ratione corporis*, *ſeu inſignis Reliquiæ recitanda*, *intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis*.

IX. Accedit, quod ut legitimum ſenſum diſpoſitio teneat, Dictio *Aut* in eadem poſita non alternationem, ſed conditionem debet ſignificare, quam quandoque facere habetur ex Apoſtil. ad Rom. *conſ.* 179. *verb. Regulariter*, *verſ. Interdum autem*, quam refert Cardin. Tuſch. apud Barboſam *dict. ſea.* Legendum eſt itaque: *De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis*, *ſi quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum*, *officia recitari*. & *Miſſæ celebrari non debent*, *non obſtante quod ipſorum corpora*, *vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur*. Nota: *Niſi aliquibus a Sancta Sede fuerit ſpecialiter conceſſum*, quandoquidem ſi *ſpecialiter*, ergo contra jus commune, ſeu legem, quæ ibi præſcribitur univerſaliter obſervanda, ut bene ponderant Doctores declarantes vim, & naturam hujuſce dictionis *ſpecialiter*; Ibi autem agitur, atque ſtatuitur de officio non recitando ratione Reliquiæ de Sancto non deſcripto in Martyrologio Romano, ergo ly *ſpecialiter* utique deſignat, niſi alicui in ſpecie conceſſum ſit, ut de eo officium recitari queat ratione Reliquiæ, quantumvis non ſit ex deſcriptis in dicto Martyrologio. Textui quæſo Lector ſeriam adhibe ponderationem, & poſtea ſententiam dicito, num eidem congruat noſtra interpretatio.

X. Ex his igitur abunde liquet, quod nullatenus licet iis Eccleſiis, quæ aſſervant Reliquiam inſignem Sancti alicujus non deſcripti in Martyrologio Romano, vi Reliquiæ ſub altiori ritu, quam patitur Indultum, præfatum Sanctum recolere, atque adeo prædictam Eccleſiam S. Andreæ cum reliqua Diœceſi Feſtum S. Domnonis ſub ritu ſemiduplici dumtaxat celebrare poſſe, non autem ſub ritu duplici ratione Reliquiæ inſignis, quæ de dicto Sancto in ea Eccleſia cuſtoditur. Et ex his patens eſt reſponſio ad rationem dubitandi ſuperius propoſitam.

XI. *Quibus tamen*, proſequitur Decretum, *ab Ordinariis locorum approbatis*. Sermo eſt de Sanctis in Martyrologio Romano non deſcriptis, quorum Reliquiæ ut fidelium venerationi exhibeantur, peculiaris quædam ratio approbationem Ordinariorum magis neceſſariam eſſe demonſtrat, quam pro Reliquiis Sanctorum, de quibus memoriam facit prædictum Martyrologium; cum enim Sancti illi in Martyrologio Romano, quod teſte Quarti *part.* 1. *tit.* 4. *dub.* 7. eſt Catalogus Sanctorum approbatorum, & manifeſtum teſtimonium Canonizationis, non recenſeantur, Ordinariorum examen nedum debet verſari circa identitatem, & veritatem Reliquiarum, uti contingit in Reliquiis Sanctorum de Martyrologio Romano, ſed ulterius circa ſanctitatem virorum Dei, videlicet, an eæ Reliquiæ ſint alicujus ex Dei Servis, quibus juxta Apoſtolica Decreta debita eſt Fidelium veneratio, cujuſmodi ſunt omnes ſecundum antiquam, & præſentem Eccleſiæ diſciplinam in Sanctorum Album relati, quibuſque Urbanus VIII. per ſua Decreta ſub die 5. Julii 1634. publicata, in nihilo præjudicari voluit, ſed illos integre reliquit in quaſi poſſeſſione ſui cultus. Aliorum autem Dei Servorum, licet cum fama ſanctitatis in Domino defunctorum, ſigniſque, miraculiſve inſignium Reliquias pro veneratione approbare, non Epiſcopi, ſed Summi Pontificis ſolummodo eſt, ut ex *Cap. fin. de Reliq.*, & *venerat. Sanct.* colligunt omnes Doctores.

XII. An autem Reliquiæ Sanctorum in Martyrologio Romano non deſcriptorum debeant neceſſario eſſe ab Epiſcopo approbatæ, ut Fidelium venerationi exhibeantur; Quæſtio hæc eſt, cui reſpondendum venit affirmative quoad Reliquias novas, aut noviter inventas, quoniam agitur de cultu iiſdem primitus exhibendo, ac conſequenter neceſſe eſt, ut prius examinetur, an omnia concurrant, quæ juxta Apoſtolicas Sanctiones exiguntur, ut publicæ exponi valeant venerationi, ne contingat fidelium deceptio, præſertim in caſu Reliquiarum Sanctorum in prædicto Martyrologio non deſcriptorum, in quo nedum evenire poſſet adoratio Reliquiæ falſæ, ſed inſuper adoratio Perſonæ alicujus ut ſanctæ, quæ tamen ſancta non eſt, cum cultus Reliquiarum, utpote reſpectivus, dirigatur ad Perſonam illam, cujus illæ Reliquiæ eſſe creduntur; hinc & Tridentinum *ſeſs.* 25. novas Reliquias ſtatuit eſſe ab Epiſcopo recognoſcendas, & approbandas.

XIII. Si vero ſermo ſit de Reliquiis antiquis, & quæ ſunt in antiqua pacifica cultus poſſeſſione, non credimus neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi, ut publico cultui, ut prius, exponantur; ſunt etenim illæ in poſſeſſione legitima, & canonica publici cultus, & ſic abſque injuria ſpoliari non poſſunt, ſed iiſdem manutentio debetur, donec, & niſi gravi aliqua de cauſa ab Epiſcopo a cultu ſuſpenſæ venirent; aut expreſſe reprobatæ, quemadmodum & ſuperius dicebamus. Quapropter dum præſens Decretum abſolute Ordinariorum approbationem expoſcit, credimus intelligendum eſſe de approbatione vel poſitiva, vel negativa, quatenus ſcilicet illas non reprobant, ſed eaſdem in ſua poſſeſſione relinquunt.

XIV. Appellatione *Ordinariorum locorum*, quorum approbationem Decretum expoſtulat, non veniunt Prælati Regulares, neque pro Eccleſiis ſibi ſubjectis, utpote qui licet vere *Ordinarii* dici queant, & ſint, non tamen *Ordinarii locorum*, quemadmodum opportuniori loco dicetur; Tridentinum autem eos *Epiſcopus* vocat, dum *ſeſs.* 25. ait: *Nec novas Reliquias recipiendas*, *niſi eodem recognoſcente*, & *approbante Epiſcopo*. Appellatione autem Epiſcopi ad effectum, de quo agitur, veniunt etiam Patriarchæ, & Archiepiſcopi, imo & quicumque Prælati Epiſcopo inferiores, qui juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem in loca aſſequuntur, uti unanimi conſenſu docent Doctores. Horum tamen ſunt aliqui, ut vidimus ſuperius in Decreto V. qui contendunt ſufficere approbationem cujuſcumque Epiſcopi; tu autem pro certo cum communiori ſententia, tene requiri approbationem Epiſcopi loci, in quo Reliquiæ ſunt exponendæ, unde & præſens Decretum exigit approbationem habendam eſſe *ab Ordinariis locorum*, illorum ſcilicet, in quibus præfatis Reliquiis veneratio eſt permittenda; & ita fieri debere & ratio ipſa ſatis oſtendit, ut vel leviter conſideranti patebit. Quomodo autem Epiſcopus loci ſe gerere valeat relate ad Reliquias, quæ Roma ad ſuam Diœceſim afferuntur cum Bulla Apoſtolica, vel aliunde cum teſtimonio Epiſcopi loci, jam diximus in Decreto V. hujus Cap.

XV. *Sed abſque officio*, hoc eſt ratione Reliquiæ, ut ſuperius dicebamus, non autem ſi officium ex alio legitimo titulo iiſdem competeret, puta vel quia forent Titulares Eccleſiæ, ſeu Patroni locorum, ſeu in ejuſdem antiqua poſſeſſione antecedenter uſque ad Bullam Pii V.; ſunt enim hujuſmodi tituli utique legitimi, a Rubricis ipſis, & Decretis Apoſtolicis approbati, ut in ſuis reſpective locis late traditur. An autem deficientibus ejuſmodi titulis officium adhuc de eiſdem privatim, & ex propria devotione liceat recitare? Non licere aſſerit Granado *in* 2. 2. *controv.* 1. *tract.* 7. *diſp.* 4. *ſect.* 2., quia divinum officium eſt cultus publicus ordinatus ab Eccleſia in honorem Sanctorum approbatorum, & ceteris exhiberi inhibitus. Verum nimis rigida hæc opinio videtur quoad officium privatum, & non ad ſatisfaciendum obligationi, ſed ex mera devotione, uti deduci poteſt ex præſenti ipſo Decreto, quod recitanti officium in honorem dictorum Sanctorum nullam aliam pœnam imponit, quam *non ſatisfaciendi præcepto recitandi officium*. Licet ergo cuilibet officium ex devotione, & privatim de dictis Sanctis recitare, etſi poſtea per hujuſmodi recitationem præcepto Horarum Canonicarum minime ſatisfiat; officium enim, quod ex privata devotione, & non nomine Eccleſiæ recitatur, eſt cultus privatus, & non publicus; cultus autem privatus a Decreto præfatis Sanctis non eſt inhibitus exhiberi, ſed ſolummodo publicus nomine Eccleſiæ per divinum officium porrectus; quem ſolum etiam Beatis exhiberi inhibitum eſſe diximus in Decreto I. Cap. II., non autem officium de iiſdem privatim, & ad propriæ indulgendum devotioni recitari.

XVI. Gravior eſt difficultas, num de dictis Sanctis poſſit divinum officium publice in Eccleſiis decantari, non quidem ad ſatisfaciendum præcepto Horarum Canonicarum, cum huic ſatisfieri non poſſit, niſi per officium conceſſum, ſed ad majorem feſti ſolemnitatem, vel ad indulgendum votis Populi, aut Cleri, ſeu ad magis horum devotionem confovendam?

XVII. ℞. 1. Utique, ſi ſint ex Sanctis aliquo ex legitimis modis ab Eccleſia approbatis in Sanctorum album cooptatis; hi enim jus habent ad omnia, quæ fieri permittuntur in honorem Sanctorum canonizatorum, & in Martyrologio Romano deſcriptorum, niſi quæ iiſdem exhiberi expreſſe ſunt

vetita;

vetita. Cum itaque in honorem Sanctorum de Martyrologio Romano permiſſum ſit publice in Eccleſiis officium divinum decantari, & id nullibi reperiatur expreſſe inhibitum pro Sanctis legitime canonizatis, licet ut ſupra non deſcriptis, idcirco ſi conſtet de eorumdem canonizatione, dictam publicam officii recitationem non poſſumus reprobare; præſens enim Decretum ſolum inhibet in honorem eorum officium fieri ratione Reliquiæ, quod ſit ſatisfactorium præcepti, ut ſuperius dicebamus.

XVIII. R. 2. Beatis impendi non poſſe, quoniam quoad cultum hiſce impendendum, *non licet excedere terminos verbales indultorum, nec per hoc quod conceſſa ſit in eorumdem honorem Altarium erectio, Miſſam, & Officium celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumitur, niſi ſpecifica, & expreſſa ſuper his habeatur conceſſio, & in locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum eſt, non inde publica officii recitatio permiſſa cenſetur, ſed tantummodo privata*, ut expreſſe, atque diſerte ſtatuit Sacra Rituum Congregatio coram Alexandro VII. die 27. Septembris 1659., dicta autem recitatio, licet non ſatisfactoria præcepti, ratione loci publica cenſetur. Quod ſi id fieri minime licet pro Beatis Beatificatione formali, multo minus id fieri licebit in honorem Beatorum Beatificatione dumtaxat æquipollenti.

XIX. R. 3. Id fieri quoque poſſe in honorem eorum Dei Servorum, quorum cultus juxta Decreta Urbani VIII. non eſt imminuendus, ſed manutenendus, ſi talis cultus fuerit iiſdem exhibitus per præfatam etiam officii divini publicam recitationem. Quinimmo adhuc tale officium foret ſatisfactorium præcepti Horarum Canonicarum, ſi ita ferret immemorabilis dicta conſuetudo. Videantur, quæ dicuntur in Capite de Feſtis ex conſuetudine.

XX. *Et abſque Miſſa*. Quod intellige *ſecundum ordinem Officii*; cum enim Miſſa ſequatur officium, de iis Sanctis, de quibus officium dici non poteſt, nec Miſſa juxta ordinem officii poteſt celebrari. An autem de iiſdem Miſſæ votivæ dici valeant? Hujus non eſt loci inveſtigare, ſed hujuſmodi ſpectant ad Commentaria ſuper Decretis ad Miſſale ſpectantibus, ubi ſuper hanc rem tractare reſervamus.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE LV.

Conſuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari poſſit recitatio officii de aliquo Sancto in Eccleſia, in qua aſſervatur ejus Corpus, niſi doceatur, an ſit deſcriptus in Martyrologio, & de ejus identitate conſtet. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brevia. num. 199.

I. SUnt quidem aliqua Feſta, quæ cum ſuis titulis, ac juribus non ſatis firma conſiſtant, ac in periculo ſint, ne ſummoveantur, nutantia unice erigit, ac tuetur conſuetudo. Hujuſmodi ſane ſunt feſta, ſeu officia, quæ de aliquo Sancto introducta ſunt recitari in Eccleſia, in qua aſſervatur ejus Corpus, vel inſignis Reliquia, ſed nec de ejuſdem Sancti deſcriptione in Martyrologio Romano, nec de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis poſtea conſtat; cum enim ut officium rite inſtitui, & fieri poſſit de Sanctis ratione inſignium Reliquiarum, & de Sanctorum deſcriptione in Martyrologio Romano, & de Reliquiarum identitate debere conſtare per plura Decreta, quæ ſuperius dedimus, ac late examinavimus, luculenter maneat ſancitum, hujuſmodi Sanctorum feſta, ac officia ſuis utique juribus inconcuſſa, atque immota ſtare non poſſunt, niſi conſuetudinis fundo, atque munimine conſtringantur, atque firmentur.

II. Scio quidem Bartholomæum Gavantum, virum, ſi quis umquam fuit alius, Rituum Eccleſiæ ſcientiſſimum, plus difficultatis ſibi fingentem, quam reperientem, vim conſuetudini omnem adimere, feſtaque omnia ex recepto pridem uſu variis in locis, ſeu Eccleſiis celebrari conſueta reprobare. Aſt dari feſta aliqua ex conſuetudine, dubitare nec ſinunt textus ipſi Rubricarum haud unici, necnon quampluri ma Sacræ Rituum Congregationis Decreta infra in Capite de Feſtis ex conſuetudine late examinanda.

III. Alii vero e contra plus virtutis, quam par eſt, conſuetudini tribuentes exiſtimarunt, conſuetudinem triginta annorum ad ſuſtinenda officia, quæ alio legitimo titulo minime gaudent, validam eſſe; quorum opinio occaſionem porrexit, apud Sacram Congregationem inquirendi, num vi trigenariæ conſuetudinis continuari poſſet recitatio officii ratione Reliquiæ de aliquo Sancto, cujus deſcriptio in Martyrologio Romano ignoratur, & de ejuſdem Reliquiæ identitate minime conſtat: Qui enim dubium propoſuere, utique ſciebant attentis iteratis ejuſdem Congregationis Decretis, tale officium in ſolido non eſſe ſtatu, niſi per conſuetudinem firmatum veniebat.

IV. Ad quod Sacra Congregatio reſpondit: *Dictam conſuetudinem nequaquam ſufficere, niſi ulterius conſtet de deſcriptione Sancti, de quo agitur, in Martyrologio Romano, necnon de ejus identitate*. Conſtans utique ex hacce reſolutione apparet Sacræ Congregationis mens, ut ratione Reliquiæ de nullo Sancto fieri queat officium, niſi de identitate Reliquiæ conſtet, necnon de deſcriptione ejuſdem Sancti in Martyrologio Romano, quemadmodum ſuperius vidimus, id pluries fuiſſe ſancitum, unde quoad hanc partem non ſunt ulteriora verba facienda.

V. Supereſſet ſermonem convertere ad oſtendendum, quod conſuetudo triginta annorum titulus ſufficiens non eſt ad tuendum dictum officium; aſt quoniam in memorato Capite late demonſtrabitur, conſuetudinem non eſſe validam ad tuenda officia, niſi introducta ad minus ea ſit ante Bullam Pii V., quæ edita fuit de anno 1568., idcirco non eſt, cur ſuper hanc rem hic verba feramus. Vel enim præfata conſuetudo ſumitur relate ad tempus præſens, vel ad tempus editionis præſentis Sanctionis, & certum eſt, quod retrocedendo non ſiſtitur ante tempus Datæ Bullæ Pianæ, ac conſequenter quod non ſuffragatur memorata conſuetudo. Vel ſumitur relate ad tempus paululum poſterius ad editionem dictæ Bullæ, ita tamen ut ante eam fuerit inducta; & tunc vel fuit poſtmodum continuata, vel non fuit continuata, ſed interrupta. Si fuit ſemper continuata, & numquam interrupta, valeret quidem, ut inferius conſtabit, ſed non eſt ad caſum propoſitum, quia tunc ea conſuetudo non eſt tantum trigenaria, ſed pluſquam centenaria, cum ab anno 1568., in quo emanavit Bulla Piana, uſque ad annum præſentem tranſierint anni 174., & uſque ad annum emanationis præſentis Sanctionis anni 130. Si vero non fuit continuata, ſed interrupta, jam hoc ipſo radices non habet ante præfatam Bullam, quia ejus initium tunc peti non poteſt, quando primo incœpit, cum per diſcontinuationem, & interruptionem jam eſſe deſierit, ſed peti debet ab eo tempore, in quo poſt diſcontinuationem, ſeu interruptionem iterum cœpit induci. Quomodocumque ergo ſumatur, liquido conſtat, quod conſuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari poſſit recitatio officii de Sancto aliquo in Eccleſia, in qua ſervatur ejus corpus niſi doceatur, an ſit deſcriptus in Martyrologio Romano, & de ejus identitate conſtet.

VI. Contendere quis poſſet, quod ſufficiens ſit, quod Sanctus ſit deſcriptus in aliquo Martyrologio, puta Hieronymi, Bedæ, Uſuardi, vel alterius cujuſcumque Auctoris, quoniam Decretum abſolute, & ſimpliciter dumtaxat exigit deſcriptionem Sancti *in Martyrologio*, nec verbum habet, quod hocce Martyrologium debeat eſſe Romanum. Aſt ſi præſens Decretum Martyrologium ſimpliciter memorat, & non Martyrologium Romanum, hujus tamen meminerunt ſuperius recenſita Decreta, juxta quæ utique intelligendum venit, ac exponendum & præſens. Deinde Decretum non dicit, quod Sanctus debeat eſſe deſcriptus *in aliquo Martyrologio*, quo in caſu locum haberet adverſaria interpretatio, ſed abſolute, & ſimpliciter *in Martyrologio*; quocirca utique intelligi debet de eo Martyrologio, quo utitur Eccleſia, quodque cum officio quamdam connexionem habet; verba enim intelligi debent ſecundum ſubjectam materiam, *cum pater*, §. *donatum*, *ff. de leg. 2. l. ſi uno*.

VII. Ceterum etiam non emendicatis iis, quæ alibi dicenda ſunt, cum attento jure Canonico requiratur tempus 40. annorum, ut conſuetudo aliqua valeat contra jus Eccleſiaſticum, utique conſuetudo 30. annorum valida eſſe nequit ad tuendum officium Sancti non ſcripti in Martyrologio, deque cujus identitate non conſtat, contra iterata Decreta has conditiones expreſſe exigentia.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE LVI.

Epiſcopus Ripanus Sacræ Congregationi Rituum exponit, aſſervari in Parochiali Eccleſia Caſtri Sancti Benedicti Corpus cujuſdam Sancti Benedicti Martyris, & in ejus honorem ab immemorabili tempore celebratum fuiſſe Sacrificium Miſſæ, & recitatum Officium de communi; aſt cum obſtare videatur Decretum Sacræ Congregationis editum die 11. Auguſti 1691., quærit, an id in poſterum permittere debeat. Et eadem Sacra Congregatio cenſuit, nihil eſſe innovandum, & ratione immemorabilis temporis permittendam eſſe continuationem recitationis officii, & celebrationis Miſſæ de communi unius Martyris. S. R. C. apud Eminentiſſ. Lambertini, nunc Pontificem Maximum *de Canoniz. Sanctorum lib. 4. par. 2. cap. 17. num. 29.* & datur in noſtro Indice ſub num. 350.

I. MIraberis forſitan, quod adducatur Decretum, & Data ejuſdem nec quoad diem, nec quoad annum adnotetur, eſt cum in loco, unde illud deſumpſimus, tempus editionis minime allegetur, aditus utique nobis idem ſignandi præcluſus extitit; hinc tamen de ejuſdem authenticia nec minima dubitatio exurgere valet, cum a tunc Cardinali, nunc Summo Pontifice numquam ſatis celebrato Lambertini referatur, & referatur editum, dum ipſemet fungebatur munere Fidei Promotoris, quocirca una quoque innoteſcit tempus circumcirca, quo prædictum Decretum a Sacra Congregatione emanavit.

II. Dubium per Epiſcopum Ripanum in Sacra Rituum Congregatione declarari propoſitum, ex ſe ſatis evidens eſt; in Eccleſia enim Parochiali Caſtri S. Benedicti intra terminos ſuæ Diœceſis ſita, aſſervabatur corpus cujuſdam Sancti Benedicti Martyris, & in ejus honorem ab immemorabili tempore celebratum fuerat Sacrificium Miſſæ, & recitatum officium de communi. At cum ſub die 11. Auguſti 1691. a Sacra Congregatione prodierit Decretum illud generale, quod efformat Decretum X. hujus Capitis, ad tollendos abuſus, qui irrepſerant circa recitationem officii ratione Reliquiæ, in quo ſtatuitur, haudquaquam licere recitare officium titulo

Reli-

Reliquiarum, niſi da Sanctis in Martyrologio Romano deſcriptis, & niſi conſtet, quo Reliquiæ, quæ habentur, illiusmet Sancti ſint, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus, videbatur dictum Decretum obſtare præfatæ celebrationi; erat enim Sanctus ille ex Sanctis, qui dicuntur Baptizati, cujuſque corpus fuerat probabiliter erutum e cœmeteriis Urbis, ac conſequenter non erat ex Sanctis deſcriptis in dicto Martyrologio, nec conſtabat, quod corpus illud foret Sancti alicujus, quorum meminit præfatum Martyrologium.

III. Aliunde vero allegatum Decretum, licet ad tollendos abuſus editum, obeſſe non videbatur præfato officio, quod immemorabili nitebatur conſuetudini, quæ numquam cenſetur ſublata, niſi expreſſa mentio de ea in lege, vel conſtitutione habeatur, ut communiter tenent Doctores apud Barboſam *de Clauſulis uſufreq. cauſ.* 87., hinc ad quamcumque tollendam dubietatem memoratus Epiſcopus Ripanus petiit a Sacra Congregatione declarari, num non obſtante laudato Decreto poſſet in poſterum permittere dictam recitationem officii?

IV. Ad quod Sacra Congregatio cenſuit, *nihil eſſe innovandum, & ratione immemorabilis temporis permittendam eſſe continuationem recitationis officii, & celebrationis Miſſæ*. Concors eſt hujuſmodi reſolutio quamplurimis aliis referendis in Capite de Feſtis ex conſuetudine, ubi videbimus quodlibet officium, adhuc de Sanctis non canonizatis, in valido eſſe ſtatu, & nullatenus nutare, ſi innitatur immemorabili conſuetudini. Quænam autem dicatur ad effectum immemorabilis conſuetudo, & an ſufficiat centenaria, ex ibi dicendis conſtabit, nec putamus hic inutiliter inſerere, quæ ibi tamquam in opportuniori loco ſunt differenda. Etſi igitur valida non ſit conſuetudo triginta annorum ad ſuſtinendum officium ratione Reliquiæ de Sancto, qui deſcriptus non eſt in Martyrologio Romano, uti dicebamus in expoſitione præcedentis Decreti, bene vero conſuetudo immemorialis, cui non officit citatum Decretum de die 11. Auguſti 1691. quod licet ad tollendos abuſus editum fuerit, nullam tamen mentionem facit de conſuetudine immemorabili, ac conſequenter huic minime derogat, juxta communem Doctorum ſententiam.

V. Officium vero, & Miſſam *de communi* ſumendam eſſe præſcribit Decretum, & in hoc quoque concordat cum Decretis in dicto Capite referendis, ubi præfatæ diſpoſitionis plurimam adducemus rationem; pro nunc vero ſufficiat, quod cum Acta Martyrii Sanctorum Baptizatorum ignorentur, utique nihil proprium in eorumdem officio rite legi valet, & per conſequens ex neceſſitate recurrendum venit ad Communia Sanctorum, ex quibus ſemper depromitur, quidquid ex conceſſione non habet proprium Sanctus, de quo fit officium.

VI. Hujus occaſione Decreti nonnulla veniunt dicenda circa hujuſmodi Sanctos, quorum Corpora ex Catacumbis, ſeu Cœmeteriis Urbis extrahuntur, & ad ceteras Civitates aſportantur. Loca Urbis, in quibus Sanctorum Martyrum, aliorumque Fidelium mortuorum Corpora ſepulturæ mandabantur, Cœmeteria, ac Catacumbæ dicta fuere. In hiſce Cœmeteriis licet ſoli Chriſtiani ſepelirentur, non omnes tamen, qui ibi ſepulti ſunt, haberi debent pro Sanctis, ſeu pro Martyribus, quoniam illa erant communia omnium Fidelium conditoria, & in uſu communi fuerunt quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis, quibus certum eſt, non omnes Chriſtianos, qui mortui ſunt, Sanctos fuiſſe, & martyrio coronatos, uti probat Panvinius *in Libello de Cœmeteriis cap.* 11., & late proſequitur Scacchus *de Notis, & Signis Sanctitatis ſect.* 9. *cap.* 2.

VII. Indubium autem eſt, quod fere innumeri Martyres in illis Cœmeteriis, ſeu Catacumbis ſepulti ſunt, quorum nomina ut plurimum ſoli Deo ſunt nota. Propriorum tamen nominum in hiſce Martyribus defectus non incuriæ, aut negligentiæ Chriſtianorum, qui alioquin diligentiſſimi, & accuratiſſimi fuerunt, ſed Gentilium furori eſt adſcribendus: furentibus etenim eorum perſecutionibus, attenta potiſſimum multitudine occiſorum, tempus colligendi nomina defuit, vixque datum eſt, corpora ſepelire cum notis, & ſignis martyrii. Quocirca eruditus Pater Ruinart *in ſua Præfatione ad Acta Martyrum*, hiſce ponderatis ait: *Mirum non eſſe, ſi in tanta Martyrum, & prope innumera multitudine multi ſine alia inſcriptione fuerunt*: & aptius ad rem, de qua nunc agimus, Arringhius *Rom. ſubterr. lib.* 3. *cap.* 22. hæc habet: *Quorum*, videlicet Martyrum, *nomina pia Chriſtianorum manus aſſequi non poterat, eorumdem ſepulcra martyrii ſignis prænotabant, & veneranda eorumdem pignora intra cœmeteriales ſpeluncas, ne merito cultu deſtituerentur, condita diligenti ſtudio Poſteris commendabant*.

VIII. Signa autem, per quæ Corpora Sanctorum Martyrum in Catacumbis Urbis exiſtentia ſecernuntur ab aliis Corporibus Chriſtianorum, quæ in iiſdem locis fuerunt tumulata, plurima ſunt, & primum eſt inſcriptio, dummodo nullis ambagibus, & diſputationibus ſit obnoxia, ſed clara, & nullis difficultatibus ſubjecta. Ut autem talis ſit, debet exprimere nomen ejus, cujus oſſa ſub ea ſunt ſepulta, necnon titulum Martyris, nec ſufficit, quod titulum *Sancti* habeat, quia hujuſmodi titulus tunc temporis omnibus Chriſtianis communis erat ratione ſanctitatis Religionis, quam profitebantur, quemadmodum inter alios bene obſervavit peritus, atque eruditus Canonicus Boldettus *in ſuo Opere de Cœmeteriis Urbis lib.* 1. *cap.* 47.

IX. Secundum ſignum conſiſtit in martyrii inſtrumentis, quæ aliquando in ſepulcris conſpiciuntur, unde S. Ambroſius *in Exhortatione ad Virgines in principio* fatetur ſe ſumpſiſſe e ſepulcro Sancti Agricolæ Crucem, & Clavos, quibus ille cruci fuerat affixus. Si vero non ipſa inſtrumenta, ſed tantum eorum imagines in tumulis apparent depictæ, dicit Arringhius *Romæ ſubter. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 30. *numer.* 12., quod licet dictæ imagines poſſint dici appoſitæ ad denotandum genus martyrii, attamen id dubium eſt, cum talis pictura deſignare etiam valeat opus Artificum, quod vivens quiſque manibus exercebat.

X. Tertium conſiſtit in Symbolo X., quod explicatur pro Chriſto; & de hoc ſigno dubitatur, an denotet, illum, cujus corpori appoſitum eſt, martyrium ſubiiſſe? Affirmative reſpondet Ricciul. *Lucubr. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 10., e contra vero Caſalius *de veter. Chriſtian. Ritib. cap.* 66. aſſerit, illud non eſſe ſignum martyrii, ſed potius, quod ille, qui cum dicto ſigno tumulatus eſt, inter Confeſſores eſt recenſendus. Scacchus autem *de Notis & Signis Sanctitatis cap.* 55., & verius, vult tantum Symbolum illud denotare, quod ſepultus cum ipſo Chriſtianam Religionem profeſſus ſit.

XI. Quartum ſignum conſiſtit in Palmis, quæ in omnium ſententia incitæ dicuntur ad denotandum martyrium, exemplo ducto ab Apocalypſi Joannis, qui de Martyribus ait: *Et Palmæ in manibus eorum*.

XII. Quintum ſignum conſiſtit in Phialis, ſeu Vaſculis ſanguinis, quæ in dictis ſepulcris reperiuntur, quæ eſſe indubitata ſigna martyrii aſſerunt Arringhius, Mabillonius, aliique Auctores.

XIII. Notatu autem dignum apparet, quod ex productis ſignis duo tantum per Sacram Congregationem Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſitam approbata fuere, Palmæ ſcilicet, & Vaſcula ſanguine tincta, ut apparet ex Decreto edito ſub die 10. Aprilis 1668. *Cum de notis diſceptaretur, ex quibus veræ Sanctorum Martyrum Reliquiæ a falſis, & dubiis dignoſci poſſint, Sacra Congregatio, re diligentius examinata, cenſuit Palmam, & Vas illorum ſanguine tinctum pro ſignis certiſſimis habenda eſſe, aliorum vero ſignorum examen in aliud tempus rejecit*. Putant Bollandiani *ad diem* 20. *Maji*, & alii non ſufficere Palmam ſine præfato Vaſculo ad certum ſignum martyrii, decepti a lectione adducti Decreti, quod aliis verbis credunt eſſe conceptum, aſt cum tale Decretum in Regeſtis Sacræ Congregationis cantet, uti ſupra viſum eſt: *Cenſuit Palmam, & Vas illorum ſanguine tinctum pro ſignis certiſſimis habenda eſſe*, non Palma, & Vas, ſed aut Palma, aut Vas ſanguine tinctum conſtituunt certum martyris indicium.

XIV. Sacrarum Reliquiarum effoſſio, vel extractio fieri non poteſt, niſi adſit Sacerdos a Cardinali Urbis Vicario deſignatus, qui diligenter inquirere debet, & recognoſcere ſigna, quæ certiora eſſe cenſuit Congregatio Indulgentiarum; qua facta recognitione Corpora ipſa, & Reliquiæ ſunt in Capſis recondendæ, quæ ſigillis clauſæ deferuntur vel ad Epiſcopum Præfectum Sacrarii Apoſtolici, vel ad Sacerdotem a Cardinali Vicario deputatum, ut ab iſtis cuſtodiantur. Non poſſunt autem iſta Corpora, & Reliquiæ diſtribui, nec ad publicam exponi venerationem, niſi prius Cardinalis Vicarius, vel alii, quibus hæc cura demandata eſt, illas examinaverint, & niſi prius vel ab ipſo Romano Pontifice, vel a Congregatione Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſita fuerint approbatæ. Hæc diſerte ſtatuta fuere per Clementem Papam X. in ſuis Litteris *Ex commiſſa* editis ſub die 13. Januarii 1672., & a nobis hic fuerunt tradita, ut quilibet agnoſcat indubiam ſanctitatem Sanctorum Baptizatorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ e Cœmeterii Urbis extrahuntur, diſtribuuntur, & publice venerationi exhibentur.

XV. Quoniam vero caret ut plurimum nomine ſacra Corpora, quæ a dictis Cœmeteriis extrahuntur, laudabilis mos invaluit imponendi iiſdem nomen aliquod a Cardinali Vicario, eo quod compertum eſt, quod Fideles ferventiori affectu feruntur erga Reliquias illorum Sanctorum, qui certis nominibus indigitantur, quam erga alias, quæ etiamſi ſint Reliquiæ Sanctorum, nomine nihilominus carent, ut bene adnotavit Ferrandus *Diſquiſit. viſit. Reliq. lib.* 1. *cap.* 5. Qui mos utique antiquiſſimus eſt; hinc Chriſtiani initio naſcentis uſque Eccleſiæ cum ignorarent nomen illius Athletæ Chriſti, qui ſe comitem adjunxit Sancto Felici in actu martyrii, *Adauctum* appellarunt, eo quod Sancto Felici adauctus fuit ad coronam, ut legitur in Martyrologio, & in Breviario Romano ad diem 30. Auguſti. Quatuor quoque Fratres Severus, Severianus, Carpophorus, & Victorinus martyrii palmam aſſecuti, de quibus Martyrologium, & Breviarium Romanum ſub die 8. Novembris, eo quod eorumdem nomina ignorarentur, appellati fuerunt *Quatuor Coronati*, qui mos etiam, poſtquam eorumdem nomina revelata fuerunt, in Eccleſia perſeverat.

XVI. Quæres, quænam ſint nomina, quæ dictis Corporibus, & Reliquiis imponuntur?

XVII. R. Nomina eſſe appellativa, quæ omnibus Sanctis communia ſunt, uti colligitur ex Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & ſacrarum Reliquiarum edito die 23. Junii 1670., in quo hæc habentur: *Actum eſt de nominibus, quæ Sanctorum Martyrum Reliquiis fere imponuntur; cum nullibi appareat, quo nomine appellarentur. Et Sacra Congregatio dixit: In Decretis*: Statuerat enim Clemens Papa IX. *ea ſola nomina adhiberi, quæ omnium Sanctorum communia ſint*,

atque

atque appellativa; Omnes enim & Juſti, & Candidi, & Deodati, & Victores vocari merito poſſunt; quocirca Baldellus *Theol. mor. lib. 3. diſp. 16. num. 16.* loquens de illis, qui nomina Sanctis ignotis imponunt, Pontifice videlicet, & Epiſcopis, ait: *Et hi quoque debent cavere a mendacio, & a deceptione; neque poſſunt hanc Reliquiam verb. gr., cujus nomen ignorant, appellare Sanctum Petrum Apoſtolum, Sanctum Laurentium Martyrem, vel Sanctum Franciſcum Confeſſorem, quæ eſſent manifeſta mendacia, & peſſima deceptiones Fidelium, ſed ſolum poſſunt nomine aliquo appellativo appellare Sanctum Felicem, Sanctum Fortunatum, Sanctum Deodatum, Sanctum Theophilum, aut Dei Amicum: & hoc modo certiſſimi ſunt, quod neque mentiuntur, neque decipiunt, cum omnes Sancti ſint vere felices, & vere fortunati, & deodati, & theophili, vel Dei amici.* Ex iſta autem impoſitione nominis iidem Sancti *Baptizati* appellantur, exemplo ducto a praxi Eccleſiæ, quæ dum homines baptizat, iiſdem & nomen imponit.

XVII. His poſitis ceſſant ea, quæ a nonnullis in contrarium dici conſueverunt. Prima oppoſitio deducitur ex mendacio, cum imponatur nomen, quod Sanctus ille numquam habuit. Secunda ex ſuperfluitate, eo quod ſupervacaneum videtur, dicta nomina imponere. Tertia ex confuſione, quia cum idem nomen pluribus Sanctis imponatur; hinc fit, quod multæ Civitates contendunt, ſe unius, & ejuſdem Sancti Corpus habere. At poſito, quod nomina appellativa tantummodo imponantur Sanctis ignotis, & quod Fidelium cultus augeatur propter horum nominum impoſitionem, jam quiſque videt, nec mendacium, nec ſuperfluitatem ullum ſibi locum vindicare poſſe. Contentiones autem, quæ dicuntur exoriri, aut facile tolli poſſunt, aut quatenus tolli non poſſunt, nullum afferunt pietati, & Religioni præjudicium, teſte Guiberto Abbate *de pignor. Sanctorum lib. 1. cap. 4. §. 2.* ubi habet: *Quæritur quoque ab aliquibus, utrum eorum Reliquiæ, cum alteræ pro alteris honorentur, & non ſint ejus, cujus eſſe putantur, aliquid perniciosum colentibus importare credantur; quod ego non exiſtimo, cum enim Dominus de eis dicat (Joan. 17.) ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus, cum ipſorum univerſitas ſub Chriſto Capite ſit, quaſi quædam identitas corporis, & unus cum Deo ſint ſpiritus ipſi inhærentes, inter eorum oſſa, qui Sancti ſunt, non eſt error, ſi alia pro aliis excolantur, qui commembres in ſui Auctoris corpore dignoſcuntur.* Verum cum hæc noſtri non ſint inſtituti, ea indicaſſe ſufficiat, & qui plura cupit, recolat Auctores de hac materia fuſe tractantes.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE LVII.

Dedecet, quod Sacra Corpora, & Reliquiæ Sanctorum Martyrum, quorum Zelotypus eſt Chriſtus, & ſpecialiter inſignes, collocentur, & conſerventur in Domibus privatis, & apud Laicos, cum ſint cuſtodiendæ, & adorandæ religioſe in Eccleſiis. In Alma Urbe non conceduntur Corpora integra, nec Reliquiæ inſignes, niſi petentes deferant Litteras Ordinarii Loci, a quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari, & decenter cuſtodiri; excipiuntur tamen ab hac prohibitione magni Principes, & conſpicui Eccleſiæ Prælati, & ne pietas aliorum Fidelium hiſce omnino privetur ſacris Theſauris, eis conceduntur Reliquiæ minus inſignes. Clemens XI. 19. Februarii 1704. *in ejus Bull. particul.* Ex Metato in Indice Decretor. Miſſalis num. 582., in noſtro autem ſub num. 351.

I. DUdum id jam ſtatutum fuerat per Clementem X. in ſua Conſtit. *Ex commiſſa* ſub die 13. Januarii 1672. per hæc verba: *Quoniam vero eadem ſacra Corpora, & inſignes Reliquias, videlicet Caput, Crus, Brachium, & eam Corporis partem, in qua paſſus eſt Martyr, ſi tamen integra eſt, nec in privatis ædibus, nec apud Laicos homines, ſed in Eccleſia religioſe collocari, & aſſervari, par eſt, ideo jubemus, ea, & eas nemini in poſterum concedi, qui Ordinarii Litteras non afferat, quibus ad Urbis Vicarium pro tempore exiſtentem commendetur Eccleſia, pro qua petuntur, dignitas, teſtatumque fiat, opera pretium eſſe, petitis Sanctorum Reliquiis Eccleſiam illam donari, ut in futurum ea, qua decet, Religione cuſtodiantur, & colantur: excipiendos tamen volumus magnos Principes, & præcipuos Eccleſiæ Prælatos, cum quibus liberalius agendum erit; & ut ceterorum quoque Fidelium pietas hoc ſancto munere omnino privetur, minus inſignes Reliquiæ illis concedentur: in omnibus autem modum ſervari jubemus, quoniam pea copia ſæpius accidit, ut ſanctiora quæque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum eſt.*

II. Statutum eſt itaque primo, quod decens haud eſt, ſacra Corpora, & Reliquias Sanctorum Martyrum, & ſpecialiter inſignes, collocari, & conſervari in domibus privatis, & apud Laicos, ſed cuſtodiendas eas eſſe, & religioſe adorandas in Eccleſiis. *Sanctorum Martyrum* aſſerit quidem Sanctio, veruntamen tu id extende ad Reliquias quorumcumque Sanctorum, immo & Beatorum, ſive Martyres hi ſint, aut Confeſſores, vel Virgines; identitatis enim ratio memoratam extenſionem proculdubio inducit. *Specialiter inſignes* itidem ſubdit, quapropter in conſequentiam venit, etiam Reliquias non inſignes decens eſſe in Eccleſiis, & non in privatis ædibus cuſtodiri, ly enim *Specialiter* ſtat pro *Præſertim*, quæ eſt dictio exprimens caſum minus dubitabilem, denotanſque idem eſſe jus in ſuo poſitivo, ſeu contrario, uti pluribus allegatis juribus, & Doctoribus advertit Barboſa *dict.* 177., quoniam dictiones *Præſertim*, vel *Maxime* in legibus, vel ſtatutis poſitæ ſolum deſignant, eſſe majorem rationem in caſu, in quo ponuntur, ut tradit Jaſ. *lib. 1. num. 37. ff. de offic. ejus poſt* Butr., & Imol. *in cap. Cum Apoſtolica de iis, quæ fiunt a Prælatis &c.*

III. *Sacra* ſunt Sanctorum Corpora, atque Reliquiæ, & ideo & decens eſt, quod in *Sacris* ædibus cuſtodiantur, & quemadmodum Sancti, dum viverent, publicum dedere ſuæ virtutis exemplum, æquum etiam videtur, ut eorum Reliquiæ communi utilitati in publicis Eccleſiis ſerventur, in iiſque ad publicum emolumentum detineantur, quodque univerſali, ac publico pateant cultui, non autem quod in ſæcularibus, & privatis domibus collocentur, earumque cultus ad privatas aliquas, ac particulares perſonas coerceatur. Apprime ad rem non deſunt exempla plurima, per quæ evincitur, id etiam optare Sanctos ipſos; hinc S. Fructuoſus privatorum in ædibus paſſus non eſt, Reliquias ſuas conſiſtere, ſed eaſdem in communem Eccleſiam deferri juſſit, *num. 6. Act. S. Fructuoſ. apud Ruinart pag.* 193., & S. Saturninus vetuit cuidam homini, ne ædem incoleret, in qua ejuſdem S. Martyris Reliquiæ brevi temporis ſpatio depoſitæ fuerant: *Ne maneas* (apud Gregorium Turonicum lib. 1. de gl. Martyrum cap. 48.) *in hoc loco: ſanctificatus eſt enim a pignoribus Martyris Saturnini.*

IV. Quod autem de Sanctorum Reliquiis in ſacris ædibus cuſtodiendis hic ſancitum habemus, jampridem etiam ſtatutum fuerat, hinc inter Canones Arabicos Concilii Niceni I. hic ſecundo loco poſitus eſt: *Sanctorum Martyrum, & omnium, qui bonum certamen pro Chriſto, ejuſque Orthodoxa fide certarunt, oſſa deponantur in Eccleſiis, & Monaſteriis, ut emanent ex iis ſanitates, & utilitates ægrotis, infirmis, paralyticis, & indigentibus*; quo in Canone efformando ad publicum Eccleſiæ bonum, ac commune fidelium emolumentum, de quo ſuperius dicebamus, reſpectum fuiſſe videtur. S. item Carolus Borromæus *Conſil. 4. Mediol. cap. 2.* expreſſe præcipit: *Reliquiæ Sanctorum nec in privatis ædibus, neve apud laicos homines, ſed in Eccleſia &c. collocentur.*

V. Accidit quoque nonnumquam, & forſitan non ita raro, vel ingeſcente devotione illius, qui reliquias obtinuit, vel Reliquiis ipſis ad hæredes devolutis, vel nullam, aut modicam venerationem iiſdem exhiberi, ac in locis ſanctitati rei non admodum aptis aſſervari, nec cum ea decentia iis Sanctorum membris debita, quæ exuviarum viva fuerant inſtrumenta virtutum, cuſtodiri. Id prævidens evenire poſſe Reliquiis, quas apud ſe aſſervabat præclariſſimus Turonenſis Epiſcopus Perpetuus, abuſionem præveniendam eſſe exiſtimavit, hiſque verbis in ſuo teſtamento (additum habetur a Ruinart Gregorii Turonici libris) poſt mortem Sororum ſuarum, quas ſacro munere non abuſuras eſſe confidebat, præfatas Reliquias Eccleſiæ alicui legavit: *Soror mea Filia Perpetua crucem parvam auream ex emblaſmate, in qua ſunt de Reliquiis Domini, do, lego, quam tamen obnixe rogatam velim, ut ſi forte, jubente Domino, eam contingat migrare ante Dadolenam Virginem Eccleſiæ meæ, ei poſſidendam relinquat. Te etiam rogo, Soror Dadolena, ut moriens eam Eccleſiæ, quæ libuerit, addicas, ne veniat ad indignos. Quod ſi tranſeat Dadolena ante te, ſit tibi liberum, cariſſima Soror Filia Julia Perpetua, prædictam crucem, cui volueris, Eccleſiæ relinquere; volo ſtatuo.* Ut itaque ab hujuſmodi injuriis, multiſque aliis periculis, quibus Sanctorum Reliquiæ in privatis domibus obnoxiæ ſunt, vindicentur, utique conveniens eſt eaſdem in Eccleſiis aſſervari.

VI. Statutum eſt 2. quod non concedantur Corpora integra, nec inſignes Reliquiæ, niſi *petentes deferant litteras Ordinarii loci, a quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari, & decenter cuſtodiri*, ſeu ut habet memoratus Clemens X., *commendetur Eccleſia, pro qua petuntur, dignitas, teſtatumque fiat, opera pretium eſſe, petitis Sanctorum Reliquiis Eccleſiam illam donari, ut in futurum ea, qua decet, religione cuſtodiantur, & colantur.* Sunt quædam etiam Eccleſiæ, rurales præſertim, & villares, quæ multis ſubduntur periculis, atque incommodis, quæque rerum egeſtate tenentur, ac fidelium frequentia deſtituuntur, unde haud idoneæ reputantur, quæ Sanctorum Reliquiis decentem exhibeant ſepulturam, ac frequentem fidelium venerationem, quibuſque eædem credantur, quas veteres *theaſurum ineſtimabilem* ſæpe appellarunt: Merito itaque exigitur, antequam dictæ concedantur Reliquiæ, *quod per litteras Ordinariorum exponatur, & commendetur qualitas Eccleſiæ, pro qua petuntur, & in qua debent collocari, teſtatumque fiat, opera pretium eſſe, petitis Sanctorum Reliquiis Eccleſiam illam donari, ut in futurum* (ſaltem ad evitanda ea incommoda, quæ præteritis temporibus irrepſerant, ac per rerum experientiam in notitiam venerant) *ea, qua decet, religione cuſtodiantur, & colantur.* Hæc eadem ratio forſitan olim cauſa extitit Canonis illius Concilii Epaunenſis, ſane in hanc rem valde memorabilis: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis villaribus non proponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcumque Parochiæ vicinos eſ-*

ſe

ſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.

VII. Tertio in exceptis poſiti ſunt magni Principes, & præcipui Eccleſiæ Prælati, cum quibus Sedes Apoſtolica liberalius agere conſuevit. Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 1. ſcribit: *Ex eo vero tempore, quo Franci Longobardos bello victos ex Italia ejecerunt, cæpit introduci mos, ut etiam per Occidentem Oſſa, & Corpora Martyrum transferentur alio. Francorum enim Reges, ac ceteri Principes a Romanis Pontificibus vehementer efflagitabant, ut ex Urbe, & aliis locis ejuſmodi Reliquias, e terra, ubi jacebant, ſublatas, & erutas, in Galliam, & Germaniam tranſportari permitterent, ut in Templis a ſe ædificatis honorificentius recondi poſſent.* Hoc tamen, ſi verum fateri debemus, indubie haud evincit conceſſionem Principibus factam de ſacris Reliquiis, quæ apud ipſos, ſed apud Eccleſias ab iiſdem extructas aſſervari deberent, & inſimul inſinuat antiquiorem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ minime patiebatur, Oſſa, & Corpora Sanctorum ad Principes mitti, ſed tantum ſudaria, & vela ad Sacras Reliquias admota, aut olea ex lampadibus ad illas ardentibus accepta, vel raſura aliqua, non quidem oſſium, ſed vel catenarum, vel aliorum paſſionis inſtrumentorum pro magno munere ad viros illuſtres, & Principes fœminas mittebantur, licet pro conſecratione Eccleſiarum deſervire deberent. Unde Gregorius *lib.* 3. *Regiſtri Epiſt.* 30. ad Conſtantinam Auguſtam ſcribens, quæ poſtulaverat, ut Sancti Pauli caput, vel aliquid aliud de corpore ipſius ad ipſam tranſmitteret, quod in Eccleſia a ſe extructa ſub ejuſdem Apoſtoli invocatione, & nomine honorifice collocaret, reſpondet *ſe vehementer dolere, quod id facere nec poſſet, nec auderet, & Romanis conſuetudinem non eſſe, quando Sanctorum Reliquias dant, ut aliquid tangere præſumant de corpore, ſed ſolum mittere brandeum, ideſt velum ad Corpora Sanctorum admotum, illudque reponi in Eccleſia conſecranda &c.* Hæc ille, qui ad finem Epiſtolæ ait, *ſe ad eam ſudarium tranſmittere, quod corpus Pauli tetigerat; & curaturam partem aliquam ex catenis, quas Paulus Apoſtolus in collo, & in manibus geſtaverat, tranſmittendam.* Tempore itaque per Azorium memorato Corpora, & Oſſa Sanctorum cœperunt diſtribui, & Principibus, & conſpicuis Eccleſiæ Prælatis concedi, cum id antea in frequentiori ſaltem uſu minime fuerit, quæ poſtea licet fere ſemper apud Eccleſias, aut magnifica Oratoria depoſita fuerint, nonnumquam tamen apud eoſdem etiam in privatis ædibus in decenti loco fuere cuſtodita.

VIII. Et quidem præfatæ conſuetudinis diſtribuendi Sanctorum Corpora, ac Reliquias inſignes Principibus, atque præcipuis Eccleſiæ Prælatis, antiquitatem evincit Reſcriptum, quod Gregorius IV. fecit Ottario Archiepiſcopo Moguntino: *De Corpore vero ſancto, quod nobis humiliter veſtra quæſivit prudentia, quod dirigeremus, non habuimus; quoniam cuncta Sanctorum corpora Prædeceſſores noſtri nobiſcum communiter detulerunt, & unumquodque eorum Eccleſiis noviter dedicatis ſumma veneratione condidimus. Proinde benevolentiam veſtram precamur, ut nobis ſpatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus ſanctum invenire valeamus ad veſtram complendam petitionem; & ſi inventum fuerit, veſtra nobis credere dignetur induſtria, ſtatim, quod petiſtis, perficiemus: modo vero illud non miſimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.* Conſimile eſt, quod Clemens IV. ſcripſit Regi Caſtellæ, ut *tom.* 2. *collect. Epiſt. dicti Pontificis* habetur apud Martene: *Verum Reliquias, quas petiſti, non habemus nobiſcum, & idcirco colligi facimus, Excellentiæ tuæ, quam cito poterimus, tranſmittendas.*

IX. Cum itaque in Eccleſia admodum antiquus mos invaluerit concedendi Sanctorum corpora, atque inſignes Reliquias Principibus, & præcipuis Eccleſiæ Prælatis, & aliunde apud hos Reliquiæ ſatis honorificam vel in Eccleſiis, vel in Oratoriis magnificentiſſime extructis, habeant ſepulturam, in quibus immunes a quibuſcumque periculis, & injuriis, aut univerſali, ſeu ſatis amplo patent cultui, memorati Clementes Papæ X. & XI. hanc ſuper rem nihil innovandum eſſe duxerunt, ſed Principum, & dictorum Prælatorum petitionibus adhuc indulgeri poſſe permiſere.

X. Quoniam vero novit Eccleſia, Sanctos admodum noſtri amantes eſſe, de noſtraque ſalute apprime ſollicitos, dum eorum corpora, & inſignes Reliquiæ in ſacratis ſervantur ædibus, non ingratum quid eiſdem facere exiſtimavit, ſi quoad locum Reliquiarum non inſignium diſpenſaret, ſineretque has in privatis ædibus, & apud homines etiam laicos cuſtodiri, *ne pietus*, ut loquitur Decretum, *aliorum Fidelium hiſce omnino privaretur Sacris Theſauris*; ex quibus quamplurima in nos derivant bona, & multa procul arcentur mala, perinde ac ſi inſignes haberentur Reliquiæ; Unde Ambroſius *Serm.* 14., qui eſt de SS. Nazario, & Celſo: *Etſi per univerſum Orbem ſeminetur in cineribus portio, manet integra in virtutibus plenitudo.*

XI. Emolumentis vero, atque utilitatibus, quæ ex Reliquiarum cuſtodia hacce percipiuntur, is facile aſſentietur, qui noſcet a vitiis, & criminibus averti homines, atque incitari ad virtutem ab iis rebus omnibus, quæ virtutem laudabilem eſſe evincunt, vitia autem odio, atque averſione digniſſima. Porro num inter hæc rectiſſime enumerari poſſint Reliquiæ, quis vertere in dubium poterit? Nonne iis conſpectis continuo in mentem ſubeunt Sanctorum geſta, exempla, virtutes, relati triumphi, quibus quidem perurgemur ad eorum ſequenda exempla, & veluti exprobati venimus de diſſimili, quam agimus, vita, extimulatique ad eam vivendi rationem, quam iidem Sancti tanto cum ſui emolumento, & ſummo cum populorum plauſu, & laude geſſerunt? Cum itaque Reliquiarum apud nos cuſtodia hæc omnia in memoriam frequentius revocet, tenuvia quædam earumdem fragmenta privatorum utilitati, & pietati frequentius, commodiuſque exercendæ rite relinquere potuit Eccleſia, ea tamen impoſita lege, ut decentiſſime, & honorificentiſſime cuſtodiantur.

XII. Huic nec mori deeſt antiquitatis honos; hinc in Actis SS. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum legitur, quod Saturus mortem propter Chriſtum ſubiturus ita Pudentem eſt allocutus: *Tunc Pudenti militi: Vale, inquit, & memor eſto fidei meæ, & hæc te non conturbent, ſed confirment, ſimulque anſulam de digito ejus petiit, & vulneri ſuo merſam reddidit, hæreditatem pignoris relinquens illi, & memoriam ſanguinis.* Et in Actis S. Hadriani habetur, Nataliam ejuſdem Sancti uxorem, præfati S. Hadriani manum furtim ſublatam domum detuliſſe, *eamque purpura obvolutam, & myrrha perfuſam repoſuiſſe ad caput ſuum*; & D. P. Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. *num.* 6. refert, quod in privatis domibus terra ſancta Hieroſolymis, ubi ſepultus eſt Chriſtus, allata detinebatur, eaque aliquando in cubiculis ſuſpendebatur, ne quid mali incolæ paterentur. Verum ulteriora hujuſce moris antiqua monumenta afferre abſtinemus, qui ex iis, quæ infra ſtatim trademus de laudabili more geſtandi ſacras Reliquias collo appenſas, affatim confirmatus remanet.

XIII. Boldettus *in ſuis Obſerv. ad ſacra Cœmeteria lib.* 3. *cap.* 15., & ex eo nunc Benedictus XIV. *de Canoniz. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 25. *num.* 2. aſſerunt, quod quando in litteris Cardinalis Vicarii, aut Sacriſtæ Palatii Apoſtolici, quibus conceduntur certis, determinatiſque perſonis aut ſacra corpora, aut inſignes Reliquiæ, legitur, quod *penes ſe eadem retinere poſſint*, id eſt intelligendum, ut non perpetuo ea retinere valeant, ſed ſolum ad tempus, & uſquequo cum debito apparatu in Eccleſiis collocentur. Si ſermo ſit de ſacris corporibus, vel Reliquiis inſignibus, quæ magnis Principibus, aut præcipuis Eccleſiæ Prælatis conceduntur, non videmus, quomodo id verum eſſe queat, cum Clementes Papæ X., & XI. iiſdem expreſſe concedant, ut in privatis ædibus conceſſas Reliquias retinere valeant, dum eoſdem a præmiſſa diſpoſitione excipiendos duxerint: quapropter ſat eſt, quod eaſdem vel in Oratorii, ſeu Cappellis ſuorum Palatiorum cuſtodiant, & certe non in iis ædibus, quæ domeſticis uſibus ſunt deſtinatæ. Si vero ſermo ſit de ſacris corporibus, vel inſignibus Reliquiis, quæ privato alteri donantur, non procul utique abeſt a vero, cum præfati Pontifices expreſſe inhibeant, dictas Reliquias in privatis domibus aſſervari, & ab inhibitionis lege ſolos magnos Principes, & conſpicuos Eccleſiæ Prælatos excipiant; hæc autem inhibitio ad minus intelligi debet permanenter, & ad longum tempus. Quantum autem ad Reliquias minus inſignes nec dubitamus in privatis ædibus poſſe aſſervari ex præfata favorabili dictorum Pontificum diſpoſitione, quam reſtringere utique nobis non licet, & præſertim cum uniſonæ quoque ſunt memoratæ earumdem conceſſionis litteræ.

XIV. Quæ licet ita ſint, admodum tamen laudare non poſſumus illos, qui conceſſas Reliquias, ſi notabiles ſint, etſi ad inſignium qualitatem non pertingant, in Eccleſiis religioſe non traderent aſſervandas, quinimmo & qui minus inſignes, ſi prævideant, aut prudenter metuant futurum fore, ut tranſeant ad indignos, exemplo ducto a Perpetuo Epiſcopo Turonenſi, cujus teſtamenti verba ſuperius tradidimus, ac ad hanc rem ſunt valde memorabilia.

XV. Quænam ſint autem inſignes Reliquiæ, quas in privatis ædibus aſſervari pas non eſt, Clemens ipſe X. in memoratis litteris aperte deſignat, ſcilicet *ſacra corpora, necnon caput, crus, brachium, & ea corporis pars, in qua paſſus eſt Martyr, ſi tamen integra eſt*, de quibus nos luculenter egimus in Decreto V. hujus Capitis. Quoniam vero in Decreto VII. Reliquias Chriſti, ejuſque intemeratæ Matris, licet exiguas, & modicæ quantitatis, inſignes fecimus, & in Decreto VI. inter inſignes Reliquias quoque collocavimus partes illas, in quibus peculiaria Sancti aliqui chariſmata receperunt, idcirco has omnes in privatis ædibus aſſervari non poſſe ſentimus; & quando in conceſſionis litteris privatæ earumdem cuſtodiæ licentia fieret, cum limitatione, quam dictis Boldettus facit litteris, non dubitamus eſſe intelligendas.

XVI. Sanctum denique proculdubio eſt, quod ultimo loco ſtatuitur per Clementem X., videlicet *in omnibus*, tam ſcilicet in diſtributione Reliquiarum inſignium relate ad Principes, vel Prælatos, quam non inſignium reſpective ad reliquos Eccleſiæ fideles, *modum ſervari debere, quoniam præ copia ſæpius accidit, ut ſanctiora quæque minus in pretio habeantur*, uti revera experientia ipſa demonſtrat; *& hoc maxime cavendum eſt*, cum tunc diſtributio & ſuo careat fine, & Reliquiæ ipſæ debita defraudentur veneratione, & veluti contemptui, & injuriis exponantur.

XVII. De more geſtandi aut collo appenſas, aut alia decenti ratione ſacras Reliquias, ſuccedit quæſtio, quam non modo Proteſtantes, verum etiam Catholici aliqui impetere ſtudent. Attamen laudabilem eſſe plerique Catholici cenſent, inter quos D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *ad* 3., S. Antoninus 2. *part. tit.* 12. *cap.* 1. §. 13., Summa Aſtenſis, Summa Armilla, Sum-

Summa Tabiena *ad verbum Reliquia*, Navarrus *Manual. cap. 11. numer.* 35., & Bonacina *diſp.* 3. *in* 1. *Decalogi Præcept. quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 7., ubi argumenta etiam colligit, quibus eidem mori auctoritatem conciliet, & laudem. Et quidem Perpetuum Turonenſium Epiſcopum ſacras Reliquias geſſiſſe, compertum faciunt verba illa ſui teſtamenti ſuperius laudati: *Tibi Fratri, & Conſacerdoti dilectiſſimo Eufronio thecam ex argento de Reliquiis Sanctorum do, lego. Illam intelligo, quam deferre ſolebam.* Sanctum quoque Carolum Borromæum conſuevisse exiguam crucem Reliquiis refertam, collo ſuſpenſam deferre, ſcriptis prodidit Juſſanus *lib.* 8. *cap.* 2., & hunc morem ſecutos fuiſſe quamplures illuſtres Epiſcopos antiquorum uſque ſæculorum, ſatis oſtendunt, quæ tradunt Martene *tom.* 3. *Anecdot. act. Epiſc. Tullenſium*, & *cap.* 21. *hujuſce diſſer.* §. 13., Gregorius Turonicus *de glor. Martyr. cap.* 11.; & Surius *die* 19. *Maji*. Ex qua conſuetudine profectum arbitrantur multi, ut cum Miſſam ſolemnem Epiſcopi celebrant, inter eccleſiaſtica ornamenta Crux, in qua Reliquiæ incluſæ habentur, recenſeatur.

XVIII. Verum ne videatur Epiſcopis, vel Presbyteris id reſervatum fuiſſe, Gregorii Magni accedat auctoritas, qui ſæpe Reliquias miſit ad viros probos, tametſi ſæculares, ut eas collo appenſas deferrent, ſcilicet ad Dynamium, ad Recharedum Regem, & ad Andream Illuſtrem de Dybiria, ut diſerte legitur *in ejuſdem lib.* 2. *epiſt.* 33. *lib.* 7. *Indict.* 2. *epiſt.* 127., & *lib.* 1. *epiſt.* 29. Placet hic quoque Nicolai I. in reſponſ. ad conſulta Bulgarorum nonnulla verba adjungere: *Sciſcitamini propterea, ſi liceat crucem Domini cum Reliquiis mundo, ſive immundo hanc habenti, oſculari, vel portare, quod ei, qui mundus eſt, omnino licet. Immundo autem hanc portare nullo modo permittimus. De Reliquiis vero Sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa, & vaſa fuere, ſuntque Dei.*

XIX. Eumdem morem commendabilem reddit & finis, ob quem eſt invectus, quem *cap.* 43. *de Reliquiis* his verbis nobis deſcribit Signius: *Eſt autem propria hujus deportationis ratio, ſi ad ſui defenſionem contra malignorum iniquitates deferantur, in aliudque auxilium pro noſtris neceſſitatibus: vel ut ſint nobis ad evitanda peccata tamquam frænum potentiſſimum ob reverentiam illarum.* Et quidem ex Gregorio Turonico, aliiſque probatis Scriptoribus, a quorum recenſione, quia nimis longa foret, putamus abſtinere, quiſque manifeſte comperiet utilitatem plurimam ex Reliquiis pie, decenterque delatis percepiſſe Fideles. Quod ſi apud aliquos irreligioſitas accidat, non propterea utique mos iſte ex ſe laudabilis, & honeſtos ob fines inductus, redditur reprehenſione dignus, alias in ſanctioribus quibuslibet id eveniret.

DECRETUM XIV. CAPITIS, IN ORDINE LVIII.

Nullo modo probatur Sacræ Congregationi, ut ſancta Corpora reponantur in Arca Cryſtallina, exponenda ſuper Altare, quemadmodum ſcribitur Patres Cappuccinos intendere, cum id a ritu, & uſu Eccleſiæ alienum ſit, quæ ſolet Sanctorum Corpora tenere ſub terra, vel intra Altaria, ſupra quæ tremendum Sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulcrum Altare marmoreum, intra quod prius rite conſecratum ſacra Corpora reponantur ſic, ut illa collocentur diſtinctim intra tres Artulas plumbeas, ſin vero aliter videatur, intra unam, ſeparatim tamen per intervalla. Ipſa autem involvantur ſericis pannis coloris convenientis ordini eorum, puta Confeſſorum, vel Martyrum: atque intra eamdem capſam, ſeu capſas ponatur lamina ænea cum litteris bene ſculptis continens Sanctorum nomina, & tempus, quo iſthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo tranſlati fuerunt. Facienda præterea erit Tabula marmorea, vel ænea, & loco Eccleſiæ conſpicuo affigenda, per quam conſtet, intra ejuſmodi Altare eſſe Corpus, vel Corpora ejuſdem Sancti, vel Sanctorum, qui illuc transferrentur; addito expreſſe id factum de licentia ſuæ Sanctitatis. Poterunt autem per Patres aliquæ Reliquiarum non admodum grandes reſervari, ut hierothecis decentibus incluſæ in eorumdem Sanctorum Feſtis, aliiſque Solemnitatibus Populo ſupra Altare venerandæ exponantur. *Ita reſponſum fuit nomine Sacræ Congregationis Rituum a Cardinali Ruſticaccio anno* 1592. *cuidam petitioni apud eamdem Congregationem factæ a Patribus Cappuccinis Civitatis Neapolitanæ*. Ex Eminentiſs. Lambertini, nunc Benedicto XIV. *de Canoniz. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 25. *num.* 3., & in noſtro Indice datur ſub. num. 352.

I. VIdimus in præcedenti Decreto, quinam eſſe debeat locus, in quo ſacra Corpora, inſigneſque Reliquiæ ſunt conſervandæ, atque ſtatutum obſervavimus in Eccleſiis, & non in privatis domibus illas eſſe cuſtodiendas; nunc quæſtio inſurgit de loco loci, ſeu in qua parte Eccleſiæ memoratæ Reliquiæ debeant aſſervari, & hanc admodum aperte, atque diſerte diremptam per præſens habemus Decretum, occaſione cujuſdam petitionis apud Sacram Rituum Congregationem factæ a Patribus Cappuccinis Civitatis Neapolitanæ, qui inventa corpora SS. Euphebii, Fortunati, & Maximi ejuſdem Civitatis Epiſcoporum exponere cupiebant ſuper Altari majori in magna capſa cryſtallina. Statutum eſt autem, intra Altaris menſam illas eſſe collocandas, & non ſuper Altari; & licet reſponſio prodierit a Cardinali Ruſticuccio, cum tamen juſſu Congregationis, ac ejuſdem nomine fuerit facta, perinde utique eſt, ac ſi a prædicta Congregatione immediate emanaſſet. Poſtremis etiam hiſce temporibus petita fuit facultas collocandi corpus tunc Beati, nunc Sancti Joannis Nepomuceni ſuper Altare; aſt cum nunc Benedictus XIV., tunc Fidei Promotor oppoſuiſſet, juxta antiquam Eccleſiæ praxim, & Sacræ Congregationis Decreta ſacra corpora non ſupra Altare, ſed intra menſam Altaris eſſe reponenda, Sacra Congregatio reſpondit, corpus Beati Joannis eſſe intra menſam Altaris collocandum, uti deſumitur ex Decreto 7. Junii 1721. per Innocentium XIII. approbato die 25. ejuſdem Menſis, & Anni.

II. Equidem ritus recondendi Sanctorum corpora intra Altaria, ſuper quæ Sacrificium Miſſæ celebratur, in Eccleſia eſt antiquiſſimus, & a primis uſque ejuſdem temporibus obſervatus. Hieronymus *lib. adverſus Vigilantium cap.* 3. *numer.* 9. ait: *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificium, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur Altaria.* Ambroſius *Epiſt.* 85. *de Inventione SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani* inquit: *Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt: ſed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub Altare, qui illius redempti ſunt paſſione. Locus iſte Martyribus debebatur.* Satis celebre eſt etiam, quod ad rem hanc habet D. P. Auguſtinus *ſerm.* 4. *de Innoc.*, ad quem Lectorem rejicimus, ne in re notiſſima per textus longitudinem eumdem tædio afficiamus; infinita enim propemodum ſunt antiquitatis monumenta, ex Actis Sanctorum, ex libris Eccleſiæ Patrum, ac veterum Scriptorum deprompta, ex quibus mos iſte evidenter deducitur, & hanc conſuetudinem adeo invaluiſſe conſtat, ut hæretici ipſi, quum vellent aliquem & eorum grege ſanctitatis fama celebrem facere, ſub Altare tumulaſſent; unde Atticus Epiſcopus *in annot. Sirmondi ad caput* 1. *lib.* 4. *Facundi Hermianenſis pag.* 369. ſcribit de Eudoxio ſub Altari tumulato: *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis ſepultura, neque Apoſtolis Arii pietatis ſectator Eudoxius ſub ipſum Altare conditus.*

III. Hæc dicta ſunt de collocatione ſacrorum Corporum, atque Reliquiarum tamquam in loco permanenti, ad effectum autem expoſitionis ſuper Altare faciendæ in eorumdem Sanctorum feſtis, aliiſque ſolemnitatibus reſervari poſſe edicit Sanctio aliquas Reliquiarum non admodum grandes, quapropter in conſequentiam utique venit, eadem integra Sanctorum Corpora in dictis feſtivitatibus ſuper Altare eſſe minime collocanda, ſed per ſolam remotionem repagulorum, quæ ea ut ſupra intra Altaris menſam tumulata noſtris obducunt obtutibus, eſſe præfatis diebus Populorum cultui proponenda, & ſuper Altare partes illas dumtaxat ut ſupra reſervatas. Hoc tamen ita rigide non arbitramur eſſe accipiendum, ut Corpora ipſa integra, ſeu Capſas, in quibus eadem recondita ſunt, ſuper Altare vetitum abſolute ſit, publicæ venerationi exponi, ſed ſolum quod paſſim, & quacumque de cauſa id fieri non debeat; Leo enim Papa IV., quem anno 847., obiiſſe ajunt, id expreſſe permittere videtur, dum in homilia de cura paſtorali hæc ait: *Super Altare nihil ponatur, niſi Capſa cum Reliquiis Sanctorum, aut forte quatuor Sancta Dei Evangelia, aut pyxis cum Corpore Domini ad viaticum*, quod inculcatum poſtea item fuiſſe a Concilio Rhemenſi non multo poſt celebrato affirmat Bocquillot *tract. hiſt. liturg. ſacr. pag.* 100., & 101. Et quidem non videtur, cum Reliquiæ minus inſignes ſuper Altare ad publicam exhiberi venerationem probentur, cur denegari id poſſit de Corporibus integris, quæ ſunt Reliquiæ inſigniores, & celebriores, quaſi ex inſignitate, qua præ illis gaudent, aliquid iiſdem obveniat, vi cujus eorumdem cultus coerceatur, cum potius in eadem augmentum cultus deberet derivare.

IV. Non dubitamus itaque, quod impræſentiarum vetita minime ſit integrorum Corporum ſuper Altare expoſitio, ſeu Capſæ, in qua illa recondita ſunt, collocatio, ſed ſolum quod minus laudata veniat ob impedimentum aliquod, quod Celebranti afferre poteſt, ac incommodum, & difficultatem, quas indiſpenſabiliter invehit eorumdem collocatio ſuper Altare, quod hoc ipſo ad quæcumque alia munia redditur minus aptum, præſertim quia in caſu Decreti agebatur de Capſa tria Sanctorum Corpora continente. Adhuc itaque id fieri integrum erit, præſertim ſi non in Ara ipſa, ſeu in Altaris planitie, ut fert noſtrorum temporum uſus, collocentur, ſed in tali Altaris loco, qui Aram præfatam minime impediat; quinimmo id agi forſitan erit commendabile, quoties feſtum Sancti magna cum ſolemnitate, & concurſu Populi celebratur, aut fit expoſitio ob gravem, urgentemque, ac publicam cauſam, ut ſic concurrentium Fidelium devotioni ſatius ſatisfieri valeat, hique magis ex eorumdem conſpectu ad pietatem excitentur, & accendantur. Idipſum dicendum venit quoties Sanctorum Corpora ſunt per Proceſſionem circumferenda, aut alio transferenda, vel aſportanda quemadmodum reipſa factum extitiſſe plura antiquitatis monumenta evincunt, & nos ſuo loco trademus.

V. Paſſim igitur in Sanctorum feſtis Corpora eorumdem ſuper Altare non erunt exponenda, ſed *Reliquiæ non admodum grandes*, quas ad hunc effectum reſervandas eſſe edicit Sanctio: Reliquiæ autem, quas ſuperius expoſita Decreta inſignes appellant, ſcilicet Caput, Brachium, Crus, & ea pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr, non admodum grandes ſunt, adeo-

adeoque & reſervari, & exponi ut ſupra poterunt; & revera talis eſt communis Eccleſiarum conſuetudo, quæ per hoc Decretum reprobata minime venit, ſed potius laudata.

VI. Duplicat nonnullis hæc conſuetudo, eo quod Altare uni Deo, & Chriſto ſervari debet, nec Sanctis participari illud poteſt. Verum etſi uni Deo, & Chriſto Altare ſervari debeat, reduplicative ut Altare eſt, ſub qua ratione eo utimur ad ſacrificandum Deo hoſtiam immaculatam, Chriſtum Jeſum, non autem ſub eo reſpectu, quem in illo intuemur, dum ſuper illud ſacras collocamus Reliquias, quatenus ſcilicet illud, cum ſit editior quidam locus, eſt ſitus admodum commodus collocationis Reliquiarum, unde conſpici facilius illæ poſſint, & fidelium venerationi exhiberi, & ex earumdem conſpectu nos ad pietatem, & ad reliquas virtutes excitari. Quæ conſuetudo ob laudabiles utique fines cum noſcatur inducta, ab Eccleſia approbata ſemper extitit, unde in Miſſalis Rubricis jubetur Sacerdos ſolemniter celebrans thus adhibere Reliquiis, quæ intra Candelabra ſuper Altare poſitæ ſunt, & ante conſecrationem Altaris Reliquias, quæ mox intra, vel ſub Altari condendæ ſunt, ſuper Altare ponere conſueſcit, unde Gregorius Turonicus *cap. 3. lib. 2. miracul.* inquit: *Depoſitis ergo ſuper Altare ſacroſanctis Reliquiis, vigilata nocte, cum grandi pſallentio ad antedictam ferebamur Eccleſiam.* Concilium denique Mediolanenſe IV. præfatam expoſitionem laudat, ac probat, affertque modum, ac ritum, qui in eadem expoſitione debet ſervari.

VII. Quæ autem diximus de cuſtodia ſacrorum Corporum intra Altaria, ſuis non carent fallentiis, ſed plurimas iſtarum utique ſuſtinent. Fallunt itaque primo, quoties locus ille non admodum tutus foret, & prudenter dubitari poſſet, ne ibidem cuſtoditæ Reliquiæ ſurripi poſſent, & alio furtive aſportari; ſunt etenim multi, qui licet non ſecundum ſcientiam, ullo abſque peccato Reliquias cauſa pietatis, & devotionis rapi poſſe putant, & etiam plurimi, qui propriam conſcientiam minime reformidant maculare, dummodo ſe, aut Patriam ſuam perinſignibus Reliquiis ditare queant.

VIII. Fallunt 2. Quando probabilis timor foret, ne Reliquiis intra Altare poſitis a loci humiditate, vel alia de cauſa præjudicium aliquod poſſet obvenire; quinimmo ſi quid ſimile eveniret, quando ibidem etiam poſitæ ſunt, deberent cito removeri, & in alium locum Eccleſiæ aſportari, & adhuc extra Eccleſiam ipſam in ſacriſtiam, vel alium aptum locum, ubi a dictis, vel ſimilibus injuriis, aut incommodis, vel periculis tutæ eſſe poſſent, & ad Eccleſiam ſolummodo, cum exponendæ ſunt, deferri.

IX. Fallere poſſunt 3. Quoties alicubi, cum Sanctorum Reliquiæ maximis ſint illuſtres virtutibus, & miraculorum ſignis, & in grandi habitæ veneratione, magnifica extruuntur, ac ſumptuoſa ſepulcra pro iiſdem aſſervandis, quæ intra Altare vel nullatenus, vel ægre excipi queunt, vel forſitan adhuc minus id convenit fieri, ſed magis in altiori loco, unde facilius conſpici queant ad excitandam, confovendam, augendamque Fidelium pietatem, ac devotionem, eorumdemque votis indulgendum, qualiter in uſu eſt apud plurimas inſignes, ac celebres Eccleſias, dummodo tamen non ſint ſuper aras ipſas, menſam Altaris occupent, aut impediant, ſed retro ad Altare poſita ſint, vel in alio opportuniori loco.

X. Nedum autem integra Sanctorum Corpora, verum etiam Reliquiæ inſignes intra Altare debent collocari, immo & minus inſignes, & quæ pro expoſitione reſervantur, ita tamen ut reponantur, ubi ceteræ ejuſdem Corporis partes, vel aliæ Sanctorum Reliquiæ cuſtodiuntur, & pro minus inſignibus neceſſe non ſit, ſi nullæ aliæ habeantur Reliquiæ, proprium parari ſepulcrum, ſed aſſervari optime poterunt in loco aliquo apto, & decenti Eccleſiæ, vel adjacentis Sacrarii. Uſus autem, quem tenent nonnullæ Eccleſiæ, aſſervandi ejuſmodi minutas, & non inſignes Reliquias intra Tabernaculum SS. Sacramenti, etſi in eo non adſit Corpus Chriſti, quando etiam non haberentur aliæ graves, & urgentes rationes pro ejuſdem abrogatione, omnino ablegandus utique venit, eo quod Reliquias ſuper Altare permanenter collocari ſemper Eccleſiæ diſciplina refugiit.

XI. Novi apud Eccleſias aliquas diverſos vigere uſus aſſervandi Reliquias, præiertim non inſignes, quos tamen, ſaltem omnes, condemnare non poſſum. Vidi in ſublimi loco parietis ad dexteram, vel ſiniſtram Altaris alicubi cuſtodiri Reliquias, & hunc morem etiam antiquitus obſervatum extitiſſe teſtatur Bocquillot *lib. 1. cap. 5. tract. hiſt. liturg.* & inſinuare videntur ea, quæ *cap. 31. lib. 7. hiſt. Francor.* narrat Gregorius Turonicus: *Illo quoque* (Mummulo) *inſiſtente, ut ſanctas videret Reliquias, ducentos aureos obtulit, & nec ſic obtinuit eum recedere, niſi ipſa pignora viderentur. Tunc Mummulus elevari ad parietem ſcalam jubet) erant enim in ſublime parietis contra altarium in capſula repoſita) & diaconum ſuum ſcandere fecit.* In Sacriſtiis quoque cuſtoditas fuiſſe aliquando ſacras Reliquias teſtatur Tillemont *tom. 1. hiſt. Eccl. de S. Joann. Bapt. ar.* 10., necnon Anaſtaſius Bibliothecarius *in vita Sergii I.* In Baptiſteriis item teſte Gregorio Turonico *in lib. Vitæ Patrum cap. 7., & lib. 10. cap. 31. hiſt. Franc.* ipſas ſacrorum Templorum fores, ſeu parietes exteriori januæ Templi proximos, fuiſſe ſacris Reliquiis decoratas diſcimus ex Baronio *in annot. ad Martyr. ad diem 18. Novemb.*, hinc putarunt nonnulli, ad honorandas præſertim Reliquias in iiſdem poſitas & oſcula a Fidelibus fuiſſe impreſſa liminibus ſacris, & feſtivioribus diebus ea ornari conſueviſſe. Inventæ etiam fuerunt pluribus aliis in locis Eccleſiæ Sanctorum Reliquiæ, vel intra murum clauſæ, vel in angulis, aut columnis poſitæ &c. Quod factum eſſe creditur aut ad augendam ſanctitatem ſacratum ædium, ſeu ut rapinis, ac profanationi ſubducerentur. Duo priores Reliquias, maxime non inſignes, aſſervandi modi, quoties deeſt ſepulcrum intra Altare, videntur congruentiores, ille, qui ad fores attinet, penitus obſolevit, & deſiit, & multis de cauſis forſitan nec convenit, ceteri vero nonniſi pro finibus, pro quibus id factum extitit, in uſum deduci debent, puta in caſu invaſionis Infidelium &c., quoniam ſic Reliquiæ debita veneratione defraudantur.

XII. *Ut hierothecis decentibus incluſæ Populo ſuper Altare venerandæ exponantur*, aſſerit Decretum de Reliquiis, quæ ad effectum expoſitionis earumdem faciendæ reſervari permittuntur, & ſimul indicat nobis, oſſa nuda exponi non poſſe, ſed vel intra capſam, vel intra hierothecas incluſa. In Can. 62. Concilii IV. Lateranenſis, quod refertur in cap. *cum ex eo de Reliqu., & venerat. Sanct.*, de expoſitione ſacrarum Reliquiarum ſtatutum habetur: *Cum ex eo, quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ Religioni detractum ſit ſæpius, ne in poſterum detrahatur, præſenti Decreto ſtatuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales.* Ubi duo diſpoſita manent, & primo ne Reliquiæ ullatenus oſtendantur extra capſam, & redditur ratio, *ne in poſterum detrahatur Chriſtianæ Religioni*; notant autem *ibi* Panormit., Sylv. *verb. Reliquia num.* 1., Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 43. numer.* 11., aliique, quod ſi Sanctorum Reliquiæ viderentur extra capſam, ideſt oſſa nuda, & multum corroſa, & conſumpta, facile daretur occaſio detractoribus Chriſtianæ Religionis contra illam obloquendi, & ipſis etiam fidelibus ſimplicioribus, & rudioribus dicendi intra ſe, quod ſi eſſent oſſa Sanctorum, non eſſent conſumpta, ſiquidem dicitur Pſ. 16. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, & Pſ. 33. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, & unum ex his non conteretur.* Cum tamen meminiſſe deberent, generaliter omnibus fuiſſe dictum Gen. 3. *Cinis es, & in cinerem reverteris*, & ſolum ex privilegio ſervari aliquos incorruptos, & tantum dici, quod Deus non det Sanctos ſuos videre corruptionem, & quod cuſtodit illorum oſſa, in quantum tandem omnes reſuſcitabit cum Chriſto, & in æternum vivificabit ut membra Chriſti, neque ſinet eos videre corruptionem æternam. Verum hujuſmodi ratio non admodum quadrare videtur, quoniam oblocutionibus Infidelium non propterea locus præcluditur, & memoratis ſcandalis, aut offenſionibus puſillorum fidelium non inde ſatis occurreretur. Et quidem uſus ipſe communis mox adducendus non videtur approbare rationem, cum ad capſam, & thecas Reliquiarum apponantur vitra, & per illa tranſpareant oſſa nuda, perinde ac ſi exponerentur extra capſam.

XIII. Fagnanus *in 2. par. 3. lib. Decret. in cap. cum ex eo num.* 28. id præſcriptum fuiſſe autumat, ne detur occaſio Reliquias auferendi, & falſas pro veris ſupponendi. Abbas *ad dictum Textum* ne tepeſcat multorum devotio, & Gonzal. *in dicto cap.* quia debita ſacris Pignoribus reverentia operimentum expoſcit.

XIV. Nos hac in re dicere poſſumus, quod mos nonniſi Reliquias operimento aliquo circumdatas venerationi, ac Fidelium oſculis proponendi ſua non caret antiquitatis laude, unde Vigilantius apud Hieron. num. 4. Chriſtianos his verbis irridet: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oſcularis? .... Et ubicumque pulviſculum neſcio quod in modico vaſcula pretioſo linteamine circumdatum oſculantes, adorant.* Quamvis tamen priſca hæc conſuetudo, ac rationes per Abbatem, & Gonzal. allatæ, cauſa præfatæ diſpoſitionis eſſe potuerint, nos ejuſdem potiorem rationem fuiſſe putamus, quam Fagnanus protulit, ne videlicet falſæ Reliquiæ pro veris ſupponantur, quod ſemper maximopere cavit Eccleſia, qua de cauſa utique in capſis, vel loculis eas obſeratas eſſe voluit, atque ſigillatas, aliaque iiſdem adhiberi cautelæ remedia, quæ recenſebimus, cum de clavibus, quibus munita eſſe debent loca ipſa, in quibus capſæ, & loculi præfati cuſtodiuntur, agemus.

XV. Non minoris eſt utique momenti alterum, quod in memorato Cap. 62. Concilii IV. Lateranenſis ſtatuitur, videlicet, *Ne Reliquiæ exponantur venales*, cum quo concordat etiam Tridentinum, dum *ſeſſ. 25. de Invocat., & Venerat. Sanct.* ſancitum fecit, quod *in Reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur.* Senſus autem duplex eſt diſpoſitionis illius, qua cavetur, *Ne Reliquiæ exponantur venales*, ideſt ne vendantur accepto pretio ipſarum Reliquiarum, & præterea ne exponantur venales accepto pretio ipſius expoſitionis, & oſtenſionis, ut notat Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 14. num.* 24., & Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 43. num.* 22. Dubium non eſt, quod prima venditio eſt vere ſacrilega, & ſimoniaca, uti advertunt communiter Canoniſtæ, atque Theologi, cum Reliquiæ ſint res ſacræ, & ideo invendibiles, & pretio inæſtimabiles. Quod autem etiam altera venditio expoſitionis, & oſtenſionis Reliquiarum, quatenus certum pretium pro illa in pactum deducitur, ſit ſimoniaca, & ſacrilega, expreſſe habent Suarez, & Sanchez locis cit. Patet id autem, quia etiam expoſitio, & oſtenſio rei ſacræ eſt intrinſece actio ſacra, & ideo invendibilis, & non recipiens æſtimationem, quantum ex ſe, & præſcin-

Digitized by Google

ſcindendo a labore aliquo extrinſeco, & accidentali, qui forte eſt ſubeundus, & pro quo poteſt licite accipi aliqua merces, ut communiter dicitur in materia de Simonia, & fortaſſe hunc quæſtum appellat turpem, & omnino eliminandum Tridentinum loco laudato.

XVI. Ut venditionem Reliquiarum illicitam, ſacrilegam, & ſimoniacam damnant plures Auctores, etiam illam, qua nullo inito pacto, aut conventione de certo pretio, exponuntur Reliquiæ ea intentione, & ad eum finem, ut largiores eleemoſynæ offerantur. Alii id limitant, quando principaliter ob majores has eleemoſynas oſtenderentur, ſecus quando eſſet finis minus principalis. Alii vero aſſerunt, id non eſſe damnandum ut ſimoniacum, quia ſimonia numquam committitur, niſi pecunia, vel lucrum temporale intendatur ut pretium rei ſpiritualis, quod non contingit in caſu, in quo ſolum intenditur ut eleemoſyna ſponte oblata ad ſuſtentandos Eccleſiæ miniſtros, nec ullatenus deducitur in pactum, adeoque tametſi finis principalis eſſet acquiſitio largiorum eleemoſynarum, adhuc ſimonia nequaquam committeretur. Immo nec eſſet mortale, ſed ſolum veniale ſic intendere principaliter illas eleemoſynas, quia eſt ſola pravæ ordinationis ad finem culpa, quæ quando finis non eſt mortalis, ſolam culpam venialem conſtituit. Videatur Sanchez loco citato.

XVII. Reliquæ, quæ in ſolemnitatibus exponendæ reſervantur, Fidelibus oſculandæ quandoque exhibentur, cui profecto conſuetudini verba illa, quæ habet Nicolaus I. reſpondens ad conſulta Bulgarorum *cap. 7. pag. 1538. t. 9. Concil. Labbei*, auctoritatem conciliant, & laudem. *Sciſcitamini propterea, ſi liceat Crucem Domini cum Reliquiis mundo, ſive immundo hanc habenti, oſculari, vel portare, quod ei, qui mundus eſt, omnino licet; nam in oſculo quid niſi amor, quo quiſque circa ea flagrat, innuitur?* Verum præfatæ conſuetudinis nedum ob amoris, ſed etiam ob venerationis argumentum, antiquiora monumenta nobis ſuppedita id, quod ex Vigilantio ſuperius protulimus: cui adjungi etiam poteſt, quod *de Revel. S. Steph. cap.* 8. tradit Lucianus: *& oſculantes ſanctas Reliquias, iterum clauſerunt*, ſpectatque pariter, quod *epiſt. 5. lib.* 2. ſcribit Iſidorus Peluſiota: *Nam qui & terræ, & maris imperium obtinet, ad Piſcatoris ſepulcrum exoſculandorum oſſium cauſa ſe confert*. Qui plura cupit, recolat Gregorium Nyſſenum *num. 2. Orat. in S. Theodorum*, Paulinum Nolanum *V. 125. & ſubſequentibus Natalis ſexti*, Prudentium *lib. Coron. hym.* 5. *v.* 553., & Gregorium Turonicum *cap. 29. lib. 10. hiſt. Francor.*, *& cap. 10. lib. 2. Miracul. S. Martini*.

XVIII. Dices: Optatus Milevitanus *lib. 1. pag. 18. edit. Albaſpin.* teſtatur, Lucillam factioſam feminam a Cæciliano tum Archidiacono reprehenſam fuiſſe, quod os Martyris oſcularetur. Verum reprehenſa ea fuit, non quod os Martyris, ſed quod os Martyris *nondum vindicati* (ideſt ab Eccleſia approbati) oſcularetur: quapropter utique hinc non infirmantur, ſed maxime roborantur, quæ de præfato more tradidimus.

XIX. Cetera diſpoſitionis capita, que tenet Decretum, remanerent explananda, at cum ſatis perſpicua ea ſint, & quos ob fines indicta, ab ulteriori examine profecto nos eximunt: hinc dumtaxat adnotandum eſſe cenſemus, ea in majoris honorificentiæ, diſtinctionis, memoriæ, cuſtodiæ, & defenſionis argumentum fuiſſe præſcripta, atque adeo non talem obedientiam expoſcere, ut aliter fieri non valeat, dummodo ſufficientia, ac neceſſaria ad tutam, decentem, & diſtinctam Reliquiarum cuſtodiam, & ſepulturam non deſint. Quis enim intra Altare poni non poſſe exiſtimaret Sanctorum Corpora, ſi marmoreum non foret? Quis, ſi arcula non foret plumbea? Quis, ſi Corpora ſericis non forent involuta pannis? Quis, niſi ponatur Tabula marmorea, vel ænea in loco Eccleſiæ conſpicuo, indicans Reliquias in Altari reconditas? Quis niſi &c.? Univerſalem in hiſce aſſervandis Reliquiis amabo perſpiciat Lector Eccleſiæ conſuetudinem, ab ejuſdem Præſulis minime reprobatam, ſed paſſim permiſſam, & rationem, ſi poteſt, deneget nobis.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE LIX.

Quando exponuntur ſacræ Reliquiæ, ultra lampadem debent continuo ſuper Altare ardere duo ſaltem lumina, alias non exponantur. S. R. C. 22. Ian. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*. Ex Merato in Indice Decretor. Miſſalis num. 354., in noſtro autem Indice ſub num. 353.

I. Bifariam Reliquias exponi contingit, primo quando ſuper Altare ponuntur, ut a Fidelibus adorentur, ſecundo quando Reliquiæ intra Altare collocatæ, publicæ exhibentur venerationi per ſolam remotionem repagulorum, quæ illas noſtris obducunt obtutibus. An in hac Reliquiarum expoſitione locum habeat Decretum, diſcutietur inferius; nunc enim de illa, quæ fit ſuper Altare, agere ſumimus, & de ea indubium apparet. Decretum procedere, quod propterea ſuper Altare lumina ardere debere ſancit, ut ſcilicet ardeant in loco, in quo eædem expoſitæ ſunt.

II. Duo itaque lumina ad minus, neceſſe eſt, ardeant, quoties ſuper Altare exponuntur Sanctorum Reliquiæ, ſiquidem dictio *Saltem* adjecta diſpoſitioni numerali, non excludit majorem numerum, quam fuerit expreſſum, ſed eſt dictio ſubſidiaria, & diminutiva, ita quod in diſpoſitione aliqua poſita, cenſeatur ad minus petere, & per ſubſidium ſic, ſi quid plus fieri non placeat, uti docent communiter Juriſconſulti. Quod ſi duo lumina haberi nequeant, jam Decretum diſponit, quod Reliquiæ non debeant exponi. *Alias non exponantur*; ſatius eſt enim, Reliquias non exponi, quam exponi ſine debita decentia. An autem in aliquo caſu, & in quo, ſuper hoc luminum numero diſpenſari queat, & cujus materiæ eſſe debeant dicta lumina, ex inferius hic dicendis apparebit.

III. Concilium IV. Mediolanenſe ſaltem quatuor candelas accenſas exponit, loquens ſiquidem de Reliquiis habet: *Dum in Altari expoſita ſunt, candelæ, ſaltem quatuor, grandiores accenſæ ibi colluceant*. Laudabile id quidem eſt, cum major luminum ardentium numerus deſerviat ad majorem ornatum, cultum, venerationem, ac reverentiam, quæ ſacris Reliquiis debentur, & ſi commode fieri poteſt, dignitas ipſarum Reliquiarum id faciendum eſſe ſuadet. Attamen hoc dumtaxat in conſilio per dictionem *ſaltem* noſtrum voluit eſſe Decretum, & non in præcepto, ne cauſa egeſtatis, vel nimiæ timore expenſæ ab expoſitione Reliquiarum Eccleſiæ deterrerentur, & ſic loco promovendi majorem earumdem cultum, & honorem, veneratio minueretur, cultuſque frigeſceret Fidelium, & hi illis maximis privati venirent beneficiis, quæ ex ſacrarum ferventi Reliquiarum veneratione in nos aſſolent derivare; ſatius enim abſque timore horum incommodorum non plus oneris pro dicta expoſitione imponere adjudicavit, pro certo habens, quod ubi ferventior viget devotio, etiam apponentur ea lumina, quæ ad majorem ornatum, & reverentiam deſerviunt, quæque in conſilio relicta extitere. *Candelas* item, & *grandiores* dictum Concilium expoſtulat, Decretum vero *duo lumina*, quæ an candelæ neceſſario eſſe debeant, inferius tradenus.

IV. *Sacris etiam Reliquiis*, ſunt verba ejuſdem Concilii IV. Mediolanenſis, *ſi Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento non ita prope quidem ea collocatæ ſunt, ut illius Lampade harum cultui ſatisfiat, lampas propria aſſidue prælucеat: niſi hanc impenſam nimis & Eccleſiæ, & populi egeſtas Epiſcopi judicio non patitur. Ceterum Corporibus Sanctorum, & Reliquiis, Epiſcopi judicio inſignibus, Lampas omnino una ſemper colluceat*. Quod hic Concilium circa lampadem ardentem ante locum, in quo ſacræ Reliquiæ permanenter cuſtodiuntur, diſponit, diſpoſitum voluit Decretum pro iiſdem Reliquiis, quoties ſunt expoſitæ, ut inferius advertetur. An autem id obſervari neceſſe ſit, etiam quando minime expoſitæ ſunt, nos affirmare non audemus; cum enim admodum multæ modo per Eccleſias paſſim habeantur Reliquiæ, non exiguum onus Eccleſias premeret, quod generaliter loquendo non ſine gravi incommodo exequi poſſent, præſertim ſi ante omnes, etiam non inſignes, Reliquias lampas continuo ardere deberet, qualiter dictum Concilium exigere videtur, quinimmo etiamſi ante omnes dumtaxat inſignes, niſi pro Reliquiis inſignibus eas accipias, quæ inſignes ſunt miraculis, ac opitulationum ſignis illuſtres, uti verior ferre videtur Decreti textus, dum aſſerit, *Corporibus Sanctorum Epiſcopi judicio inſignibus*, ſiquidem in alio ſenſu certum eſt, quod quæcumque Sanctorum Corpora Reliquiæ ſu is inſignes, ut patet ex ſtatutis per Decretum II. hujus Cap. Sit igitur & id dumtaxat in conſilio poſitum, & nullatenus in præcepto; Decretum enim ſolum in caſu expoſitionis profatur, & nos ultra per Sacram Congregationem præſcripta Eccleſiam univerſalem gravandam eſſe non arbitramur. An autem id præſtari debeat ab Eccleſiis Provinciæ Mediolanenſis, non dubitamus, utpote quas ligat Mandatum illud particulare præfati Concilii. Idipſum dicito de quatuor ſaltem Candelis grandioribus, dum Reliquiæ in Altari ſunt expoſitæ.

V. Uſus ſuccendendi lampades, & luminaria ad ſepulcra Martyrum, & Sanctorum perantiquus utique eſt in Eccleſia, & ab hujus uſque priſcis temporibus multum viguit, quem, dum irridet, apertiſſime indicat Vigilantius apud Hieron. num. 4. his verbis: *Prope ritum Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in Eccleſiis Sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi &c. Magnum honorem præbent hujuſcemodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore majeſtatis illuminat*. Non itaque ad fugandas tenebras, cum id fieret *Sole adhuc fulgente*, ſed cauſa honoris Martyribus præſtandi, cereos accendendi in uſum habebat Eccleſia. Hoc obſequio, quod irridebat Vigilantius, ſuum gratum animum teſtificatus eſt homo ille, qui per miraculum ſanitatem a S. Stephano recepit, ut refert Auctor librorum de Miraculis S. Stephani *cap. 4. lib.* 1., quos recolat Lector, qui plura cupit; nos enim hæc tantummodo verba exſcribimus: *Poſtquam diu oravit, cereos accendit, baculum dereliquit &c.*

VI. Hujuſce conſuetudinis cum laude meminere D. Hieronymus *in Epiſt. ad Riparium* 53., D. P. Auguſtinus *lib. 8. de Civit. cap. ult.*, *& lib. 6. Confeſſ. cap.* 2., Paulus Diaconus *de geſtis Longobardorum*, Fortunatus *in Vita S. Martini*, S. Gregorius *lib. 3. Dial. cap.* 24., *&c.*, & videri poteſt apud Bellarminum *lib. 2. de Reliquiis Sanct. cap. 4. ad 4. tom.* 2. Sæpe approbata etiam extitit evidentibus miraculis lampadum cum ſola aqua interdum conflagrantium, per ſeipſas, & abſque humano miniſterio lumen concipientium, abſque ulla diminutione olei indeſinenter die noctuque ardentium, immo & oleo redundante, cujus & unctione pleique liberabantur a va-

riis

rius ægritudinibus. Quæ miracula hic recenſere noſtri non putamus eſſe inſtituti, uti & plurima alia, quæ ex Gregorio Magno, Gregorio Turonico, & Moſcho referuntur in Prato Spirituali cap. 180., quibus tamen oſtendere viſi ſunt Sancti, ſibi cereos, & faces accenſas accepiſſimas eſſe, adeoque & Deo ipſi, qui honoratur in Sanctis, & cujus denique gloriæ vertitur honos is, qui miniſtris, diſcipulis, & amicis ejus defertur.

VII. Fuit etiam olim uſus lumina apponendi ad ſepulcra Defunctorum, licet nondum approbatorum, & etiam cadavera Fidelium ſepeliendi cum luminibus accenſis intra ipſa ſepulcra clauſis; quæ lumina cum hiſce fidelibus defunctis non accenderentur, ut ſacrificia, vel tamquam ſignum publicæ adorationis, & cultus, ſed ſolum ut ſignum particularis, & privatæ lætitiæ, ſiquidem ignis communiter accendi ſolet ad ſignificandam lætitiam, ut fit in natalitiis, vel electionibus Principum, in victoriis obtentis, aliiſque ſimilibus caſibus; vel ut ſignum gloriæ, qua ſperamus, & optamus illos frui, ſicuti olim in ſignum claritatis, & gloriæ etiam Romanis Imperatoribus ignis præferebatur ex Herodiano *lib.* 1., vel denique in ſignum, & proteſtationem æternæ vitæ, quam credimus in cælis vivere ipſas animas, & ſuo tempore eſſe victura etiam corpora, & per lucem illam iiſdem precamus lucem æternam; utique prælatus uſus, quantum ex ſe eſt, honeſtus erat, nullaque dignus reprehenſione. Quia tamen in poſtremis Eccleſiæ temporibus uſus communiter inoleverat non accendendi lumina, niſi ad SS. Euchariſtiam, Deiparam, aut ad Sanctos probatæ ſanctitatis, & aliunde non conſtabat de finibus aſſertis, ob quos lumina ad Defunctorum non probatæ ſanctitatis ſepulcra apponebantur, facile contingere poterat, quod habetur *cap. 2. de Reliq., & vener. Sanct.*, ſcilicet ut qui accederent ad Eccleſias cauſa venerationis, deciperentur hujuſmodi ſignis, & documentis, idcirco per Urbanum VIII. prohibitæ extitere in Eccleſiis lampades, & lumina ante Defunctos non probatæ ſanctitatis, & memorati antiqui uſus non remanſit, niſi conſuetudo accendendi lumina ad cadaver recens expiratum, uſquedum traditur ſepulturæ, necnon in quibuſdam locis etiam apponendi præfata lumina in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ſuper ſepulcra mortuorum; cujus conſuetudinis cum cuilibet innoteſcat finis, & cauſa, in deceptionem Fidelium utique deſervire non valet.

VIII. Sanctis autem cerei, ac lampades accenduntur ad eos honorandos, ad eorum virtutes indicandas, ad noſtram lætitiam ex eorum victoriis, & triumpho ſignificandam, ad lucem æternam, qua eorumdem animæ in cælis ſplendent, & poſt reſurrectionem ſplendebunt & corpora, denotandam, necnon novam lucem, quæ ex eorumdem virtutibus illata eſt mundo, quoniam *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*, ut dicitur *Prov.* 4. 18. Religionis itidem ergo, & venerationis, qualiter lumina conſueviſſe ab Hebræis ipſis (multorum judicio) innuere videtur liber Actuum Apoſtolorum *cap.* 20. 8., iis verbis *Erant autem lampades copioſæ in Cœnaculo, ubi eramus congregati*, necnon quod dicitur *Exod.* 25. 31., *& Num.* 8. 3. de candelabro aureo, & lucernis in Templo accenſis.

IX. Ritum denique in expoſitione Reliquiarum obſervandum, ex Concilio IV. Mediolanenſi depromptum, *ſect.* 12. *n.* 10. *& ſeq.*, hiſce verbis nobis ſignificat Corſettus: *Cum exponuntur, fiat Proceſſio a Clero Eccleſiæ, & cum luminibus, ſed antequam oſtendantur, thurificentur, & idem fiat a Thuriferario præeunte in Proceſſione, idemque fiat, cum reconduntur, & cum Proceſſione. Deferantur ab induto cotta, & Stola, vel etiam Pluviali cum hymnis in via, & oratione in fine opportunis*, ſcilicet prout in reſpectivo Communi, vel ut in proprio, ſi propria aliqua habeantur. Sufficit autem, ſi Proceſſio fiat intra limites Eccleſiæ, & poſitæ Reliquiæ in loco pro adoratione incenſari itidem debent, ſemper tamen a Sacerdote ſtante, & non genuflexo, nec cum Reliquiis benedicendus eſt populus. Hæc autem curſim tradidimus, quia longiori calamo ſunt alibi proſequenda.

X. Quæres primo, num etiam lampas debeat ardere? Et ſi verba attendantur Decreti, id redditur indubium, dictio enim illa *Ultra*, quæ ſupra lampadem cadit, eſt incluſiva, & implicativa, uti innumeris allegatis Doctoribus refert Barboſa *dict.* 428. Verum nos putamus, quod licet id fieri debeat, & laudabile ſit, attamen haudquaquam ſit ita neceſſarium, ut ſi alicubi lampas non habeatur, propterea ſit ab expoſitione temperandum. Duobus etiam tantummodo ardentibus luminibus Sacroſanctum Miſſæ peragitur Sacrificium, in quo Fidelibus ſub ſpeciebus panis, & vini Deus ipſe oſtenditur adorandus, & licet Rubrica XX. Miſſalis aſſerat a parte Epiſtolæ parandum eſſe cereum, ad elevationem Sacramenti accendendum, adhuc nullus ex Auctoribus eſt, qui tertium ejuſmodi lumen taliter expoſcat, ut ſi haberi non poſſit, vel alia eo non utendi adſit rationabilis cauſa, continuo ſit a Sacrificio abſtinendum; ſi autem Dominus ipſe in Miſſa Fidelibus manifeſte exhibetur venerandus ardentibus duobus dumtaxat luminibus, quis credet, majora requiri lumina, ut ejuſdem Servi publicæ proponantur venerationi? Et quod Rubrica, quæ in Miſſa ad elevationem alterum poſcit lumen, non ſit præceptiva, ſed directiva, præſens autem Decretum, dum etiam lampadem ardere debere diſponit, ſit ita præceptivum, ut aliter fieri non valeat Reliquiarum expoſitio? Credimus ergo, quod dictio illa *Ultra* præceptum non involvat, ſed ſolum id, quod laudabilius eſt, & ad majorem ornatum deſervit, oſtendat; quinimmo veriſimile apparet, quod occaſione ſola petitionis, quæ erat, num cum ſola lampade ardente Reliquiæ exponi poſſint, ſit in Decretum ipſum invecta, non autem cauſa ponendi ſtrictum, ac rigoroſum præceptum lampadem ardentem expoſtulans. Quomodocumque tamen res iſta ſe habeat, ſi commode fieri poteſt, lampadem quoque ſuccendendam eſſe putamus.

XI. Quæres 2. Ex qua materia ardere debeant duo illa lumina, quæ ut ſupra pro expoſitione Reliquiarum exiguntur?

XII. ℞. Quod Decretum nihil hujuſmodi diſponit, ſed abſolute, & ſimpliciter duo lumina expoſcit, ac conſequenter etiam abſolute, & ſimpliciter arbitramus illud eſſe intelligendum, ita ut ſufficiant duo lumina prælata ex quacumque materia poſtea ardeant, ſive ſcilicet ex cera, quod decentius eſt, ſive ex oleo, uti non infrequens inolevit uſus, aut ex ſevo, quod tamen extra caſum neceſſitatis, vel impotentiæ fieri collaudare non poſſumus. Et quidem ſi quantumvis allegata Rubrica XX. Miſſalis ad Miſſæ Sacrificium duas expoſcat candelas accenſas, adhuc Doctores communiter, ut videre eſt apud Quarti *par.* 5. *tit.* 20. *dub.* 31., licitum eſſe aſſerunt in caſu neceſſitatis celebrare cum luminibus ex oleo, vel ſevo, & quidem licet gravis non ſit neceſſitas, ſed puta quia Sacerdos vult celebrare Miſſam, vel ad ſuperandam tentationem, vel ad lucrandum ſtipendium, quo pauper Sacerdos indiget, vel adhuc ad propriæ dumtaxat ſatisfaciendum devotioni, multo magis id fieri licebit in caſu noſtro, nedum ſi lumina ex cera abſolute haberi non poſſint, vel ſine magno, aut aliquo incommodo, ſed abſolute, & ſimpliciter, cum Decretum non duas candelas accenſas, ſed duo lumina tantummodo expoſcat, & duo lumina æque ſint, ſive ardeant ex cera, ſive ex oleo, aut ſevo.

XIII. Quæres 3. An cum unico lumine, vel ſine ullo prorſus exponi valeant in caſu neceſſitatis, vel impotentiæ?

XIV. ℞. Jam ſuperius nos dixiſſe nec neceſſitatem, nec impotentiam ſuffragari poſſe ad exponendas licite Reliquias ſine ullo prorſus lumine, vel cum unico dumtaxat, eo quod jam pro caſu defectus Decretum ipſum diſpoſuit, *Alias non exponantur*. Verum cum pro expoſitione Reliquiarum lumina ex quacumque materia ſufficiant, credimus haud facile contingere poſſe aut neceſſitatem, ita ut abſolute haberi non poſſint, aut impotentiam, ita quod paupertas talem expenſam fieri inhibeat. Ceterum ſi caſus neceſſitatis, vel impotentiæ contingere poſſe ſupponatur, & aliunde devotio, concurſus, aut votum Populi ad dictas exponendas Reliquias urgeat, arbitramur adhuc cum uno ſolo lumine exponi poſſe, & ſic devotioni, ac deſiderio Populi ſatisfieri; ſi enim Doctores licitum eſſe autumant Sacerdoti aliqua exiſtente neceſſitate, vel impotentia celebrare cum unico lumine cauſa propriæ indulgendi devotioni, licet Rubrica duo lumina expoſtulet, cur nobis non licebit aſſerere, omni vacare culpa Reliquias cum unico exponere lumine ad ſatisfaciendum communibus Populi votis, ac univerſalem conſovendam, & dilatandam devotionem, quantumvis pariter Decretum duo lumina exquiras? Uti enim Rubrica, ita Decretum non procedunt pro caſu neceſſitatis, vel impotentiæ.

XV. Sine ullo autem prorſus lumine quemadmodum Doctores nullatenus licitum eſſe aſtruunt celebrare, neque ad communicandum moribundum, ita nos dicimus licitum haud eſſe Reliquias exponere, quia hoc vergeret in gravem irreverentiam tuum Sacrificii, tum præfatarum Reliquiarum.

XVI. Dices: licet communis, & inviolabilis conſuetudo totius Eccleſiæ, quam etiam confirmat Rituale Romanum Pauli V. *tit. de Euchar.* §. *Hoc autem*, ferat, ut etiam extra tempus Sacrificii numquam deſit lumen ante Altare, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, attamen non deſunt Auctores, qui in aliquibus Eccleſiis ruralibus, in quibus ob nimiam paupertatem hoc ſervari non poteſt, excuſant Parochos ob impotentiam, quamdiu hæc durat, ita ut aſſervare queant SS. Sacramentum adhuc ſine lumine; ergo idem dicendum in caſu noſtro pro expoſitione Reliquiarum.

XVII. ℞. Satis diſparem eſſe rationem, quoniam aſſervatio SS. Sacramenti eſt neceſſaria, ut cum eo refici queant graviter ægrotantes, unde omitti non poteſt, eo quod ante illud continuo lumen ardere non poſſit: quapropter lex de apponendo lumine excuſationem admittit ob impotentiam, cum nemo queat ad impoſſibile obligari: at cum expoſitio Reliquiarum neceſſaria non ſit, idcirco potius omittenda, ſi decenter fieri non valeat, nec lex, ſeu præceptum illas cum lumine exponendi excuſationem admittit, nec inde ſequitur, quod quis ad impoſſibile obligetur, quoniam ad dictas Reliquias exponendas nullatenus adſtringitur. Aut igitur non exponat, aut reverenter exponat.

XVIII. Quæres 4. An inceſſanter tempore, quo Reliquiæ ſunt expoſitæ, debeant præfata lumina ardere, & ita ut etiam eo tempore, quo fores Eccleſiæ ſunt præcluſæ, cum minori numero luminum illæ manere non poſſint expoſitæ.

XIX. ℞. Quod dictio illa *Continuo*, quæ in Decreto habetur, biſariam valet uſurpari, pro omni ſcilicet temprore, ita ut omne momentum exigat, & pro horis, & temporibus competentibus dumtaxat, ut juribus, & Doctoribus allegatis advertit Barboſa *in dict. Aſſidue, & Continuo*. Non crederem autem priori modo, ſed poſteriori eſſe in ſenſu Decreti intelligendam, ac conſequenter tempore, quo fores Eccleſiæ manent præcluſæ, neceſſe haud eſſe, quod omnia præfata lumina ardeant; cum enim fores Eccleſiæ ſunt præcluſæ, Reliquiæ rigoroſe dici non poſſunt expoſitæ, cum publico

non pa-

non pateant cultui, ac conſequenter quaſi ac ſi in cuſtodia aſſervarentur, videntur cenſendæ. Dixi *quaſi*, quia cum tamen extra proprium locum revera ſint collocatæ, & collocatæ ut honorificentur, arbitrarer, quod adhuc eo tempore abſque ullo lumine non ſint deferendæ, ſed quod reverentia iiſdem debita unum ſaltem lumen expoſcat.

XX. Quæres 5., an hucuſque dicta itidem procedant, quoties Reliquiæ non exponuntur ſuper Altare, ſed quæ intra menſam Altaris ſunt, publicæ exhibentur venerationi per remotionem illorum impedimentorum, quæ illas occludunt?

XXI. ℞. Affirmative; lumina enim accenduntur ad cultum, & reverentiam, ad ornatum, & lætitiam, necnon ad advertendum Populum, ubi adorare debeat; adeoque cum hujuſmodi omnia concurrant, tametſi ſuper Altare Reliquiæ non ſint expoſitæ, ſed intra menſam Altaris detectæ, idcirco ne dubito, quod præordinata lumina itidem ardere debeant, non tamen ſuper Altare, cum inibi non adſint Reliquiæ, ſed intra Altaris menſam, ubi ſi uſus cereorum commodus non eſt, lumina ex oleo optime poterunt deſervire. Id etiam ſtatuit Concilium Mediolanenſe IV. his verbis: *Cum Reliquiæ Sanctorum non in Altari exponuntur, ſed e loco ſuperiori, aliove, in quo recondita ſunt, populo oſtenduntur; omnis eadem ratio plene ſervetur, proceſſione excepta.*

XXII. Quæres 6. An, & quot lumina ſuccendi debeant, quoties Sacræ Reliquiæ non quidem publice exponuntur, ſed alicui Magnati, vel Devoto oſtenduntur?

XXIII. ℞. Currere diſpoſitionem Decreti quoad duo ſaltem lumina, licet poſtea lampadem etiam ardere neceſſarium non reputemus; id enim exigere videtur reverentia, qua res ſacræ debent tractari. Idem dicendum eſt, quoties cum Reliquia alicujus Sancti in Eccleſia benedicuntur Infirmi, & laudabile quoque eſt, ſi itidem fiat, dum in privatis ædibus eamdem fieri evenit benedictionem.

XXIV. Quæres 7. Quid dicendum ſit de Reliquiis, quæ in ſolemnitatibus in Altari inter candelabra exponuntur?

XXV. ℞. Vim quoque habere Decretum; ſi enim earumdem Reliquiarum talem rationem habendam eſſe diſponit Rubrica Miſſalis, ut earumdem incenſatio omitti non poſſit, ita nos dicimus appoſitionem luminum præſcriptorum haudquaquam eſſe prætereundam; cum enim tunc tales Reliquiæ publico pateant cultui, & expoſitæ ſint, non eſt, cur lumina ante eas ardere non debeant. Non ſic tamen dicendum venit de parvis Reliquiis illis, quibus quandoque reperitur ornata Crux, quæ in Altari collocatur; illæ enim non exponuntur propter ſe, & ut adorentur, ſed ad ſolum Crucis ornatum, unde earum nulla habenda eſt ratio.

XXVI. Quæres 8. An idipſum obſervari debeat in expoſitione Reliquiarum Beatorum?

XXVII. ℞. Utique; & hæ enim veniunt nomine Reliquiarum ſacrarum, de quibus ſermonem habet Decretum, & quando etiam haudquaquam venirent, ſed diſerte loqueretur Sanctio de Reliquiis Sanctorum, adhuc ad Reliquias etiam Beatorum extendi deberet propter identitatem rationis, quæ in utroque caſu æque procedit. Advertendum tamen eſt, quod Beatorum Reliquiæ publicæ exponi non valent venerationi, niſi id ſit ſpecialiter indultum, quemadmodum diſponunt Decreta coram Alexandro VII. edita 27. Septembris 1659. In Eccleſiis vero, in quibus officium, & Miſſa de Beatis celebrari poſſunt, licitum eſt etiam eorum Reliquias exponere, ex Decreto S. R. C. 17. Aprilis 1660.

DECRETUM XVI. CAPITIS, IN ORDINE LX.

Feſtum ſacrarum Reliquiarum, quæ aſſervantur in Eccleſiis Ordinis Benedictini, celebrandum eſt ab ipſis Monachis de præcepto, & quidem die 30. Octobris S. R. C. 23. Junii 1736. *in Eindſidlen*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 328.

I. EST multarum teſte Guyeto *lib. 1. cap. 9. quæſt.* 8. inſignium Eccleſiarum, quas ibidem ad longum recenſet, conſuetudo, uſu pridem confirmata, Feſtum, quod *Reliquiarum* vocant, quotannis conſtituta die celebrandi. Tres hujus inſtitutionis præſertim cauſas enumerat, quarum prima eſt multiplicitas Reliquiarum, qua fit, ut cum de ſingulis officium ſeorſim commode celebrari nequeat, omnes ſaltem uno ſimul feſto recenſeantur. 2. Quod inter Reliquias non paucæ aliquando occurrant, quæ ſunt vel Chriſti Domini, puta de ſacro Præſepio, de Lancea &c., vel B. Mariæ, puta de ejus lacte, de velo &c., aliæque ſimiles, quæ omnes cum pretioſiſſimæ ſint, & ſolemni præ aliis veneratione digniſſimæ, nec tamen opportune ſatis in Feſtis Myſteriorum toti Eccleſiæ communibus recoluntur. 3. Denique cauſa eſt ipſarummet Reliquiarum Suſceptio, Inventio, aut Recuperatio &c., quarum in officio, quod adhuc de qualibet Reliquia in particulari inſtituitur, nequaquam ſolemnia celebrantur.

II. Indubium eſt, quod Eccleſiis de Breviario Romano nihil in hac parte fas eſt innovare; etſi enim de Sanctis ſingulis ſeorſim, quorum apud Eccleſiam aliquam inſignes aſſerventur Reliquiæ, hæc feſtivum officium agere queat, de omnibus tamen conjunctim id fieri nullibi legitur fuiſſe permiſſum, adeoque ſi quid ſecus a quaquam tentatum fuerit, illegitimum prorſus, ac irritum cenſeri debet juxta Decretum initio Breviarii affixum: *Non potuiſſe, neque poſſe poſt Bullam Pii V. locorum Ordinarios &c.* Verum nedum illicita eſt præfati feſti inſtitutio, quin & minus conveniens, ſi de individua Eccleſia aliqua ſermo procedat; cum enim de ſingulis Reliquiis inſignibus cuſtodit, & quas apud ſe habet, officium peragat, de iiſdem in genere officium ſuperflui, in hoc minime ſuffragantibus nonnullis, quæ poſſent haberi, non inſignibus Sanctorum exuviis, minima ſiquidem in conſiderationem non cadunt. Falleret id tamen, ubi non inſignium acervus haberetur lipſanorum, aut tanta inſignium copia, ut ſingulis ſeorſim intra annum vel nimis ægre, vel nullatenus celebrandis locus maneret, vel ſaltem nonniſi cum lethali ictu ferialis officii, & indiſpenſabili ſequela plurimorum incommodorum, quæ opportuniori loco recenſebuntur.

III. Aſt ſi inſtitutio Feſti Reliquiarum in genere relate ad individuas Eccleſias forſitan, ſaltem univerſim, non ſit admodum commendabilis, relate tamen ad Eccleſias Matrices, ac ad Regulares Ordines in ordine ad Reliquias omnes, quæ in toto ſuæ juriſdictionis loco, aut Religionis Monaſteriis reſpective cuſtodiuntur, & commendabilem, ac appoſitam non pauca, quæ ſubduntur, eam eſſe evincunt rationum momenta.

IV. Quarum prima ſit. Vere enim, quod dudum Eucherius de ſua Lugdunenſi Eccleſia prædicavit, poſſunt & alii permulti Antiſtites, & omnes Regulares Ordines ſuis itidem arrogare: *Agnoſcamus circa Eccleſiam noſtram uberiorem divinorum munerum largitatem. Exultant ſingularum urbium populi, etſi unius ſaltem Martyris Reliquiis muniatur: Ecce nos populos Martyrum poſſidemus.* Cum itaque per Eccleſias cujuſlibet Diœceſis, ac Regularis Ordinis quampluriмæ, & etiam ex inſignioribus, ſint diſtributæ Sanctorum Reliquiæ, ex quibus in Diœceſim ipſam, ac totum Ordinem magnus honor, non exiguum decus, ac particulare præſidium derivat, non incongruum ſane fore videtur, ſi nedum in particularibus Eccleſiis, in quibus cuſtodiuntur, ſed etiam per totam Diœceſim, vel Ordinem earumdem memoria in divinis recolatur officiis. Ex hujuſce veluti congruitatis debito originem traxit uſus ille, celebrandi per totam Civitatem, vel Diœceſim feſtum cum officio de Sancto, cujus Reliquia aſſervabatur in loco, licet poſtea cum ob multitudinem Reliquiarum foret everſivus totius ferialis officii, perturbativus ordinis a Breviario præſcripti, & plurimorum cauſa incommodorum, per Sacram Congregationem per Decretum IV. hujus Cap. merito proſcriptus extiterit. Attamen utique non minus apte Feſtum Reliquiarum omnium ſubrogatum fuit, in quo, cum una abſolvatur die, Reliquiæ omnes noſtris non carent obſequiis, nec inde ſequuntur incommoda, aut perturbationes ullæ, exemplo ducto ab univerſali Eccleſia, quæ cum ob Sanctorum copiam de ſingulis officium facere non poſſet, ſub unica ſolemnitate Feſtum Sanctorum omnium inſtituit.

V. Secundo. Adſunt Sanctorum Reliquiæ plurimæ, quæ cum exiguæ, & minutæ corporis partes ſint, & etiam ipſarum partium exiguarum particulæ, vel ſi notabiles ſunt, ad inſignium quantitatem non pertingant, neque in Eccleſia, in qua cuſtodiuntur, divinum ſibi vindicant officium. Ejuſdem extant rationis veſtes, & alia utenſilia, quibus in vita Sancti uſi ſunt; vela, & alia, quæ ad eorumdem demortuorum corpora admota fuere; inſtrumenta paſſionis, ut craticula, in qua aſſatus fuit S. Laurentius, vel flagella, aut cilicia, quibus voluntarie propria corpora caſtigarunt; hæc enim omnia, & ſimilia ab omnibus coluntur, & habentur pro ſacris Reliquiis, ſed juxta Decreta cum officio coli non valent. Quoniam autem teſte Paſchaſio Abbate Corbejenſe præfatione in paſſione SS. Rufini, & Valerii *Veſtis exigua particula, vel modicus reſoluti corporis pulvis de Sanctorum memoriis comparatus ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur;* hinc & decens videtur, quod noſtris penitus non deſtituantur obſequiis, ac per conſequens quod ſub una ſaltem feſtivitate recolantur.

VI. Tertio. Guyetus ſuperius laudatus in Feſto Reliquiarum in genere memoriam etiam cenſet haberi de ſolemnibus Reliquiarum Suſceptionibus, Depoſitionibus, Inventionibus, Recuperationibus, ac Tranſlationibus, de quibus in ſpecie vel nullibi fit officium, vel ſolum ex particulari Indulto in Eccleſiis, in quibus contigere. In eodem quoque recenſet Reliquias Chriſti, & B. Mariæ, quas non ſatis in Feſtis eorumdem communibus recoli autumat. De his tamen particulare etiam feſtum poſſe inſtitui nos opinati fuimus in Decreto VII. hujus Capitis, niſi ſermo ſit de iis Reliquiis, quæ particulari non inſtituta feſtivitate ad Myſterium aliquod reducuntur, in quo forſitan ſatis non judicentur excultæ.

VII. Quarto. Nec deſiderantur plura Sanctorum Corpora ex ſacris Romæ Cœmeteriis, aut ex aliis Sanctorum Sepulcris extracta, vel Reliquiæ, etiam inſignes, de quarum deſcriptione in Martyrologio Romano, vel identitate cum minime conſtet, de iiſdem officium etiam in Eccleſiis, in quibus aſſervantur, recitari Decreta non ſinunt; ex quarum tamen cuſtodia cum non minus decus, honos, ac præſidium emanent, non minus particulariorem noſtrum cultum exquirunt.

VIII. Nec dicas, quod ſi ita foret, pateret locus cultui per officium falſarum Reliquiarum, immo & Sanctorum non approbatorum; quod ob periculum unice præcavendum, in particularibus Reliquiis Sacra Congregatio pluries exegit & deſcriptionem Sanctorum in Martyrologio Romano, & moralem

cer-

certitudinem de Reliquiarum identitate, ut de iiſdem officium fieri valeat.

IX. ℟. Nullum adhuc profecto cultui apocrypharum Reliquiarum, vel Sanctorum non approbatorum locum adaperiri, quia Reliquiarum feſtum nullam Reliquiam in individuo, ac particulariter reſpicit, ſed omnes in communi, & omnes ſolummodo, quæ ſunt *Sanctorum approbatorum*; quapropter ſi quæ ex dictis Reliquiis Sanctorum appobatorum vere non eſt, illa nequaquam in eodem manet incluſa. Non ſic autem evenit in caſu officii ob particularem Reliquiam, quia cum tunc hanc tantummodo officium inſpiciat, ſi ea falſa foret, ad falſam Reliquiam dirigeretur, quinimmo & ad Sanctum ex non approbatis, ſeu canonizatis, ſi Sanctus, cujus ea Reliquia eſt, reipſa talis non ſit; & ideo ad inſtitutionem officii ob particulares Reliquias, & deſcriptio Sancti in Martyrologio Romano, quod eſt teſtimonium ſanctitatis approbatæ, & canonizationis, & moralis certitudo de identitate Reliquiarum, bene extiterunt exactæ. Hinc igitur ſequitur dumtaxat, quod Feſtum Reliquiarum in communi inſtitui non valeat, ſi omnes Reliquiæ ſint Sanctorum in dicto Martyrologio non deſcriptorum, vel ſi de nullius ex iiſdem identitate conſtet, & quod neceſſarium redditur, quod aliquæ earumdem ſint Sanctorum ut ſupra deſcriptorum, & de ſui identitate moralem certitudinem habentium, ut in omni eventu ad has officium dirigi queat.

X. Claudit itaque Feſtum Reliquiarum in genere Reliquias omnes inſignes, de quibus in particularibus Eccleſiis, in quibus cuſtodiuntur, ſeorſim celebratur officium. Quaſcumque non inſignes, vel exiguas ad corporis veritatem, aut integritatem artinentes, vel non artinentes, ſed extrinſecas, ut veſtes, inſtrumenta paſſionis &c., de quibus in particulari officium recitari permiſſum non eſt: omnes ſive Sanctorum, ſeu Chriſti, aut B. Mariæ, vel de his particulare inſtituatur, vel non inſtituatur officium: Quinimmo & omnes ex iiſdem, etſi de earumdem identitate minime conſtet, & ſint Sanctorum in Martyrologio Romano non deſcriptorum, dummodo tamen reipſa ipſæ falſæ non ſint, & ſint Sanctorum approbatorum, & juxta modernam, vel antiquam Eccleſiæ diſciplinam canonizatorum; moralis enim certitudo de Reliquiarum identitate utique non exigitur, niſi ne falſas pro veris contingat officio coli Reliquias, & deſcriptio Sanctorum in Martyrologio Romano itidem non expoſcitur, niſi in teſtimonium approbatæ ſanctitatis, & canonizationis, cujus rationis dumtaxat Sanctos officio coli permittit Eccleſia. Nihil autem ejuſmodi accidere poteſt in Reliquiarum feſto, hoc ipſo quod ſolummodo in ſinu ſuo comprehendat Reliquias, quæ veræ ſunt, & Reliquias Sanctorum ut ſupra approbatorum, quinimo ad cautelam inniti debeat Reliquiis aliquibus de Martyrologio Romano, & de quarum identitate conſtat, uti ſuperius dicebamus.

XI. Haud nos latet, quod nunc Benedictus XIV. *de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 6. num.* 14. ſentit: videtur, quod dictum Reliquiarum feſtum ſit ſolum in honorem Reliquiarum inſignium, eccleſiaſtici Epiſcopi judicio approbatarum. Verum nos non videmus, cur ab eo debeant cenſeri excluſæ Reliquiæ non inſignes, præſertim quæ ſunt approbatæ, & de quarum identitate conſtat; etſi enim, eo quod inſignes non ſunt, officio particulari inſigniri non debuerint, haud tamen ulla apparet ratio, vi cujus a feſto generali excludi valeant; quinimmo ſi attendantur momenta, ob quæ de iiſdem particulare officium vetitum eſt inſtitui, ſcilicet ſtrages officii ferialis, perturbatio ordinis a Breviario præſcripti, & alia plurima incommoda, quæ inde ſequebantur, cum hæc nullatenus locum habeant in Reliquiis non inſignibus, quatenus in dicto generali feſto manent incluſæ, utique non videtur, cur ab hoc cenſeri debeant excluſæ.

XII. De reliquiis Sanctorum nullo ex modis ab Eccleſia approbatis canonizatorum, qui ex legitima conſuetudine alicubi habent officium, quibuſve Urbanus VIII. in nihilo præjudicatum voluit, ſed eoſdem in ſua poſſeſſione eſſe manutenendos, potior urget difficultas, num in dicto Reliquiarum feſto cenſeri debeant incluſæ relate ad eas Eccleſias, quæ præfatam non habent conſuetudinem? Diximus *relate ad eas Eccleſias, quæ præfatam non habent conſuetudinem*, quoniam in Eccleſiis, ubi talis viget conſuetudo, cum jam tales Sancti habent poſſeſſionem officii, non videtur adeo valida ratio dubitandi.

XIII. ℟. Nequaquam, quoniam per iterata Decreta hujuſmodi Sanctorum cultus ultra antiquam obſervantiam numquam cenſetur extenſus, niſi id expreſſe in Indulto habeatur; & hac de cauſa nec credimus in eodem comprehendi Reliquias dictorum Sanctorum relate ad eas Eccleſias, in quibus habent legitimam officii poſſeſſionem, licet & talis obſervantia foret officii ratione Reliquiæ inſtituti.

XIV. Quomodocumque tamen hæc ſint, non deſunt quamplurima exempla tum Feſti Reliquiarum, quæ in particulari aliqua Eccleſia, vel Monaſterio aſſervantur, tum Reliquiarum, quæ in tota aliqua Diœceſi, vel Religione cuſtodiuntur. Prioris extant rationis Indultum Sacræ Congregationis die 22. Auguſti 1620. factum Monaſterio Hiſpaniarum S. Laurentii in Eſcuriali pro Reliquiis in eodem Monaſterio aſſervatis; necnon conceſſio die 5. Decembris 1693. edita in favorem Monaſterii S. Galli in Helvetia pro Reliquiis, quæ in ejuſdem Eccleſia requieſcunt. Baſilica quoque Vaticana recitat officium omnium Reliquiarum in ipſa conditarum die 22. Junii. Poſterioris vero ſunt rationis Indulta, vi quorum Ordo Minorum Conventualium S. Franciſci ſimile facit officium eadem die 22. Junii de Reliquiis, quæ in Eccleſiis totius Ordinis reperiuntur, Ordo Ciſtercienſis S. Benedicti, & Servorum B. Mariæ die 30. Octobris, & aliis diebus aliæ Religiones, & Diœceſes, quarum exempla ſuperfluum eſt recenſere.

XV. Quæres 1., Num Eccleſiæ, quæ celebrant Feſtum generale Reliquiarum, poſſint etiam officium facere de Reliquiis particularibus inſignibus, quas habent, quando Sanctorum, quorum ſunt, natalitia occurrunt?

XVI. ℟. Cum diſtinctione; vel enim ſermo eſt de Eccleſia aliqua, aut Monaſterio particulari, quod cum gauderet plurimis Sanctorum Reliquiis, quarum particularibus officiis vel nullatenus, vel nimis ægre incumbere poterat, horum loco cum debita licentia Feſtum generale dictarum Reliquiarum omnium inſtituit; & tunc certum eſt, quod de Reliquiis particularibus officium celebrare non valet, cum hujus vice officium præfatum Reliquiarum ſucceſſerit, ac fuerit ſubrogatum. Quod ſi officia aliqua, puta de principalioribus, vel inſignioribus Reliquiis fuerint præſervata, hæc recitari utique poterunt in conſortio Feſti generalis Reliquiarum omnium, inſtar feſti omnium Sanctorum, quod non impedit celebrationem feſtorum jam conceſſorum, licet in eodem & hæc ſint incluſa. Si vero Feſtum Reliquiarum inſtitutum foret in honorem Reliquiarum dumtaxat non inſignium, non eſt, cur prohibemus, quod officia particularia de ſingulis Reliquiis inſignibus non permittit. Si denique reperiatur invectum in memoriam Reliquiarum inſignium, & non inſignium, celebratis officiis particularibus de ſingulis Reliquiis inſignibus, corruit feſtum generale, & e contra, quia feſtum præfatum generale in honorem dumtaxat inſignium primario, & principaliter, & in non inſignium tantummodo ſecundario, & minus principaliter cenſetur inductum, niſi aliter in Indulto ipſo expreſſum ſit.

XVII. Si vero ſermo procedat de feſto Reliquiarum omnium, quæ aſſervantur in Eccleſiis totius alicujus Regularis Ordinis, vel Diœceſis, tunc quælibet particularis Eccleſia dicti Ordinis, aut Diœceſis debet officium facere de Reliquiis inſignibus, quas apud ſe habet, & adhuc celebrare Feſtum generale Reliquiarum, quia hoc feſtum etſi primario itidem reſpiciat Reliquias tantum inſignes, non tamen quæ ſolum in Eccleſia aliqua particulari cuſtodiuntur, ſed omnes, quæ in qualibet Eccleſia Diœceſis, vel Ordinis requieſcunt, & ideo adhuc celebratis officiis de cunctis Reliquiis inſignibus Eccleſiæ, vel Monaſterii N., non corruit principale, & primarium fundamentum dicti feſti, adhuc apud dictum Monaſterium N. Exemplum habetur in Feſto omnium Sanctorum, quod quia in honorem omnium univerſim inſtitutum eſt, nec impedit particularem celebrationem aliquorum, nec ab iſtis impeditur, tametſi iidem in dicto feſto ſimiliter maneant incluſi.

XVIII. Quæres 2., num Monaſterium ex particulari Indulto habens Feſtum Reliquiarum omnium, quæ in eodem aſſervantur, poſſit hoc celebrare, & inſuper Feſtum Reliquiarum omnium, quæ in cunctis Eccleſiis Ordinis requieſcunt? Et quidem videtur, quod non, quoniam in Feſto Reliquiarum omnium, quæ in Eccleſiis Ordinis habentur, incluſæ etiam manent Reliquiæ omnes, quæ in Monaſterio illo cuſtodiuntur, adeoque hoc celebrato utique videtur adimi locus Feſto Reliquiarum dicti Monaſterii, uti ex ſuperius dictis celebratis officiis particularibus de omnibus Reliquiis inſignibus, quæ in aliquo Monaſterio ſervantur, corruit feſtum generale Reliquiarum omnium ejuſdem Monaſterii.

XIX. Hoc tamen minime obſtante dicendum eſſe arbitramur, utrumque ex dictis Feſtis Reliquiarum in communi eſſe celebrandum. Ita enim ſe habet Feſtum Reliquiarum Monaſterii ad Feſtum Reliquiarum Ordinis, uti Feſtum Sanctorum omnium alicujus Religionis ad Feſtum Sanctorum omnium Eccleſiæ univerſalis, nam in hoc non minus utique comprehenſi habentur Sancti omnes illius Religionis, ſed hoc non obſtante Religio fere quælibet celebrat Feſtum Sanctorum omnium indigenarum in conſortio Feſti Sanctorum omnium Eccleſiæ Catholicæ, ergo & Monaſterium particulare celebrare poterit Feſtum ſuarum Reliquiarum in conſortio cum Feſto Reliquiarum omnium Ordinis. Ratio autem eſt, quia Feſtum Sanctorum omnium Eccleſiæ catholicæ non excludit Feſta particularia de Sanctis aliquibus, ſed ſolum excluderet Feſta particularia de ſingulis Sanctis, quia tunc exhaurita veniret ratio ſuæ inſtitutionis, quæ fuit, ut ſaltem ſub una ſolemnitate recoleret merita ſuorum inclytorum Filiorum, quos ob eorumdem copiam diſtinctim recolere non valet? Unde cum Feſtum Sanctorum omnium alicujus Religionis inductum ſit loco officiorum particularium, quæ itidem de cunctis ſuis germinibus inclytis ob horum multitudinem diſtinctim celebrare non poteſt, & aliunde officia particularia adhuc de Sanctis omnibus alicujus Religionis non exhauriant rationem inſtitutionis Feſti Sanctorum omnium Eccleſiæ univerſalis, utpote quæ ſe protendit ad omnes omnino Sanctos, ideo Feſtum Sanctorum omnium Eccleſiæ univerſalis non expellit, ſed optime patitur conſortium Feſti Sanctorum omnium alicujus Religionis, etſi hi omnes incluſi ſint, & comprehenſi in Feſto Sanctorum omnium Eccleſiæ univerſalis. Pariformiter loquendum venit de

Feſto Reliquiarum alicujus Monaſterii, quod invectum noſcitur loco officiorum particularium, quæ de iiſdem fieri deberent, & quæ ſi adhuc diſtinctim fierent, non exhaurirent rationem inſtitutionis Feſti Reliquiarum omnium in Eccleſiis Ordinis aſſervatarum. Non par autem eſt ratio de Feſto Reliquiarum omnium alicujus Monaſterii, quod corruere diximus celebratis officiis particularibus de ſingulis Reliquiis inſignibus, quæ in eodem cuſtodiuntur, quoniam per celebrationem horum officiorum exhauritur ratio, ſaltem primaria, inſtitutionis Feſti Reliquiarum in genere ejuſdem Monaſterii, utpote quæ non extenditur, niſi ad Reliquias inſignes dicti Monaſterii, & ad non inſignes vel nullatenus, vel ſolum ſecundario.

XX. Quæres 3. quid fieri debeat in concurſu Feſti generalis Reliqniarum cum Feſto alicujus inſignis Reliquiæ, quod in particulari aliqua Eccleſia celebraretur?

XXI. ℟. Ex ritu eſſe judicandum circa integritatem, vel Veſperarum dimidiationem, & quamvis Reliquia particularis ſit ex comprehenſis in Feſto-Reliquiarum in genere, hoc tamen illius non excludere commemorationem. Te doceat exemplum Feſti omnium Sanctorum, quod non excludit commemorationem feſti particularis ſimul concurrentis, uti deciſum extitit per Decretum 23. Junii 1736., in cujus expoſitione diluta manebunt, quæcumque in contrarium facere poſſunt. Idem dicito de Feſto Reliquiarum totius ordinis in caſu concurrentiæ cum Feſto Reliquiarum alicujus monaſterii ejuſdem ordinis.

XXII. Quæres 4., cujuſnam coloris paramenta eſſe debeant in prædicto Reliquiarum Feſto?

XXIII. Reſpondet Guyetus *lib. 3. cap. 29. quæſt. 5.*, quod ſi Reliquiæ ſint omnes Martyrum, color *rubeus* eſt adhibendus, ſi omnes non Martyrum, *albus*, ſi vero confeſſorum ſimul, & Martyrum, itidem *albus* inſtar Feſti omnium Sanctorum, in quo color albus ab Eccleſia uſurpatur. Dubium non eſt, quod in caſu Reliquiarum de ſolis Martyribus, color *rubeus* debeat adhiberi, & *albus*, ſi omnes de non Martyribus extent, cum id ſit juxta Miſſalis Rubricas. Aſt non item, quod color *albus* in uſu eſſe poſſit, ſi Reliquiæ ſint ſimul Martyrum, & non Martyrum; hoc enim in caſu colorem *rubeum* eſſe adhibendum, ſequentia argumenta demonſtrant.

XXIV. Primo. In Reliquiarum Feſto officium ut plurimum deſumitur de communi plurimorum Martyrum, quidni igitur & color, qui in feſtis Martyrum uſurpatur? 2. Nec abſimilem expoſtulat dignitas, qua pollet Martyr præ Confeſſore, imo & multitudo Reliquiarum, quæ Martyrum ferme cunctæ ſunt, non Martyrum perpaucæ. 3. Accedit uſus Eccleſiæ, quæ in feſto SS. Nazarii, & Sociorum rubeum adhibet colorem, etſi in eo claudatur S. Innocentius, qui Martyrii palmam non eſt aſſecutus. Demum quia par non eſt ratio de Feſto Omnium Sanctorum, in quo includuntur Chriſtus, B. Maria, & Angeli, qui dignitate quam maxime præſtant Martyribus.

XXV. Prævaleat nihilominus Guyeti auctoritas, & color *albus* in dicto Feſto adhibeatur, exemplo ducto a memorato uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ in Feſtum Omnium Sanctorum colore utitur *albo*, etſi Martyres ex Sanctis, qui in eo coluntur, ſint forſitan numero plures non Martyribus. Idipſum probat conſuetudo Regularium Ordinum, qui in feſto Omnium Sanctorum indigenarum colorem itidem *album* aſſignant. Hujus deciſionis ratio potior habebitur in ſolutione argumentorum; hinc

XXVI. Ad primum dicimus, pro dicto feſto officium depromptum extitiſſe ex communi plurimorum Martyrum, quia nullum aliud ex communibus eſt, quod Martyribus, & non Martyribus ita appoſite quadret; quis autem ex hoc colorem *rubeum* eruet eſſe uſurpandum? Id autem utique erueretur, ſi tale commune electum extitiſſet, quia Martyres in dicto feſto exculti, non Martyribus præſtarent numero, vel dignitate.

XXVII. Ad 2. dignitatem, vel numerum Martyrum non relevare in conſpectu Sanctorum ſolemniorum, atque digniorum, ut patebit in Cap. de occurrentia. Ex Reliquiis autem, quæ v. g. apud Regulares Ordines aſſervantur, ſolemniores, & celebriores colorem album ut plurimum expoſcunt, videlicet SS. Fundatorum, & eximiorum Filiorum, ut in Ordine Auguſtiniano ſunt D. P. Auguſtinus, S. Nicolaus Tolentinas, S. Thomas a Villanova &c., in Ordine Franciſcano S. Franciſcus, S. Antonius Patavinus, S. Bonaventura &c., in Ordine Prædicatorum S. Dominicus, S. Vicentius Ferrerius, S. Antoninus &c., & ſic de ceteris Regularibus Ordinibus. Uti itaque iſti etſi de numero Confeſſorum in occurrentia, & forſitan etiam in concurrentia præferuntur Martyribus, ita & colorem, quem iidem expoſcunt, præferendum eſſe demonſtrant. Adde, quod in Feſto Reliquiarum coluntur quoque Reliquiæ Chriſti, ejuſque Matris, quæ ut plurimum colorem album expoſtulant; quis autem ex Martyribus cum iſtis ſuper dignitate contendet?

XXVIII. Ad 3. bene in caſu, quia Martyres præſtant numero, & dignitate, & qui Confeſſor eſt, nulla gaudet ex rationibus præferre facientibus, uti evenire in caſu noſtro dicebamus.

XXIX. Ad 4. corruere diſparitatem adductam, quia in Feſto Reliquiarum comprehenduntur etiam Reliquiæ Chriſti, ejuſque SS. Matris.

XXX. Quæres 5., num in Miſſa Feſti Reliquiarum ſymbolum, & *Credo* dici debeat?

XXXI. ℟. In Directoriis Regularium Ordinum dicendum aſſignari tantummodo in Eccleſiis, in quibus habetur Reliquia aliqua inſignis, quia cum in dicto feſto de ea etiam agatur, locum habere videtur Rubrica XI. Miſſalis præſcribens, Symbolum eſſe dicendum, *ubi habetur Corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur*. Tu autem dicito in omnibus omnino Eccleſiis, etiamſi in iiſdem nulla inſignis Reliquia habeatur, eſſe dicendum; dictum enim Feſtum omnes omnino comprehendit Reliquias, quæ in Eccleſiis Religionis habentur, & inter has difficile eſt, non inveniantur nonnullæ Chriſti, aut B. Mariæ, Apoſtolorum, Eccleſiæ Doctorum, aut principalium Patronorum, ſcilicet Religionum reſpective Fundatorum, quorum Miſſæ juxta Rubricarum mandata Symbolum debetur. Enim vero in Feſto omnium Sanctorum Regularis cujuſcumque Inſtituti *Credo* aſſolet recitari, etſi in eo non comprehendantur, niſi Martyres, Pontifices, Confeſſores, Virgines, & Viduæ, quibus *Credo* nequaquam debetur; & hoc bene, quia in eo feſto colitur etiam Inſtitutor Ordinis, cui ut principali Patrono ſymbolum Rubricæ conceduntur, uti docet Meratus *part. 1. tit.* 11. *numer.* 13., quanto igitur magis recitari debebit in feſto Reliquiarum, in quo regulariter colitur Inſtitutor Ordinis, necnon ceteri cuncti ſuperius memorati, quibus *Credo* Rubricæ paſſim indulgent?

XXXII. Potior utique foret dubitandi ratio de Feſto Reliquiarum alicujus particularis Monaſterii, & quantum ad colorem paramentorum, & quoad ſymbolum præfatum; aſt quoniam ſupponitur, quod innoteſcat qualitas Sanctorum, quorum habentur Reliquiæ, facile utique evadit quæſtionem dirimere; unde quoad ſymbolum reponimus, eſſe dicendum, quotieſcumque habetur Reliquia aliqua inſignis, cujuſcumque Sancti ea ſit, juxta aſſertam Rubricam XI. Miſſalis. Diximus, *Reliquia aliqua inſignis*, quia ſi feſtum prædictum inniteretur ex particulari conceſſione Reliquiis dumtaxat non inſignibus, cum hæ ſymbolum non importent, nec præfato feſto deberetur. Reliquiæ autem inſignes quænam ſint, jam patet ex dictis in Decretis V., VI., & VII. hujuſce Capitis, in quorum duobus poſtremis partes illas, in quibus Sancti aliqui a Domino Deo chariſmata ſpecialia recepere, ac Reliquias quaslibet Chriſti, & B. Mariæ inſignes fecimus. Quoad colorem vero locum habet ſententia Guyeti, ita ut ſi omnes Reliquiæ ſint Martyrum, color rubeus ſit adhibendus, & albus, ſi omnes ſint non Martyrum. Si ſint Martyrum ſimul, & non Martyrum, cum Martyris dignitas in iis, quæ ad divinum officium attinent, non multum relevet, major prævalebit numerus, qui trahit ad ſe minorem, niſi inter Reliquias aliqua ſit, quæ cum inſignibus ſit illuſtris virtutum, & miraculorum ſignis, ſpecialem ſibi vindicet conſiderationem; Si autem inter dictas Reliquias aliqua foret Chriſti, aut B. Virginis, hujus ut ſpeciali cultu, & nota dignæ color ſequi poterit.

XXXIII. Hora eſt, ad Decreti veniamus expoſitionem, quam brevibus expedimus verbis. Ciſtercienſis Ordo dicti feſti inſtituendi facultatem obtinuit, quod diei 30. Octobris addixit. Die 19. Auguſti 1719. pro Reliquiis, quæ in Eccleſiis S. Benedicti cuſtodiuntur, extenſum fuit ad omnes Monachos Regulam S. Benedicti profitentes per Decretum cantans expreſſe *pro die 30. Octobris*, & ſub ritu *de præcepto*, & per verba *debere indulſit*; Quid igitur mirum, ſi per præſens Decretum præfatum dicitur feſtum *de præcepto* eſſe, & quidem *pro die 30. Octobris*? Quidquid enim ſit de terminis, ſub quibus Ordini Ciſtercienſi conceſſum fuit, nos utique non immoramur, qui unice attendere debemus ad terminos, ſub quibus extenſum extitit, a quorum tenore dumtaxat pendet ejuſdem recitatio in Ordine S. Benedicti. Nec in contrarium facit verbum illud *Indulſit*, quoniam ex ſe indifferens quidem eſt ad ſignificandam quamcumque rationem officiorum, at cum in caſu noſtro conjunctum ſit cum verbo *debere*, & *de præcepto*, nec dubium remanet, quod ad ſignificandum officium de præcepto determinatur. Vide, quæ fuſiori calamo dabuntur in Cap. de Feſtis ad libitum.

DECRETUM XVII. CAPITIS, IN ORDINE LXI.

Quando Vigilia Omnium Sanctorum venit in Dominica, & conſequenter anticipanda eſt in Sabbato, quod tunc erit dies 30. Octobris, in qua a Patribus Benedictinis celebratur feſtum ſacrarum Reliquiarum totius Ordinis, tunc a prædictis Monachis facienda eſt commemoratio tantum de Vigilia Omnium Sanctorum. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſid.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 303.

I. PEccare videtur hæc reſolutio, dum in occurrentia Feſti Reliquiarum, & Vigiliæ omnium Sanctorum ſolam commemorationem de vigilia præſcribit, in Rubricam *VII. de Vigiliis num.* 1., quæ in ſimili occurſu ultra commemorationem, legendam item eſſe nonam lectionem de homilia vigiliæ aperte diſponit.

II. Aſt cum Evangelium *Deſcendens Jeſus &c.* una cum ejuſdem homilia S. Ambroſii Epiſcopi *Adverte omnia &c.*, ſit communi tum officio vigiliæ, tum officio ſacrarum Reliquiarum, nona lectio de homilia vigiliæ legi minime debet, ne in eodem tertio nocturno ejuſdem Evangelii, & ejuſdem expoſitionis bina lectio habeatur. Hujus exemplum ha-

bemus

bemus in officio Expectationis Partus B. M. V., cujus cum idem ſit Evangelium cum officio feriæ quartæ quatuor Temporum, etſi eadem adhuc non ſit expoſitio, ideo quando dictum Feſtum Expectationis occurrit in memorata feria quatuor Temporum, illud unicum Evangelium recitari, & in fine Miſſæ legi initium Evangelii S. Joannis, ordinat Rubrica Breviarii in dicto Feſto poſita; quanto igitur magis id in uſum deduci debebit in noſtro caſu, in quo occurrit ipſeitas Evangelii, & expoſitionis, ſeu homiliæ?

III. Scio quidem Breviarium Tertii Ordinis S. Franciſci in ſimili occurſu, ut juxta præſcriptum Rubricæ *de Vigiliis* nonam lectionem legat de homilia vigiliæ, & una ejuſdem Evangelii repetitionem effugiat, aliud Evangelium de reſpectivo communi officio occurrenti aſſignare, regulam Breviarii Romani *de Comment. num.* 8. ſecutum, quæ in caſu ipſeitatis antiphonæ, aut verſus & pro officio, & pro commemoratione variandos eos eſſe, & alios ex eodem communi ad varietatem diſponit ſubrogandos.

IV. At horum aperte diſpar eſt ratio; ſi enim in caſu ipſeitatis antiphonæ, aut verſus & pro officio, & pro commemoratione ipſi non variarentur, aut eorumdem repetitio effugi non poſſet, aut commemoratio feſti ſimul occurrentis omnino foret omittenda; in noſtro autem caſu licet aliud Evangelium de communi non ſubſtituatur, adhuc æque bene in eo officio legitur illa lectio homiliæ, quam inveheret nona lectio vigiliæ; lectio enim, quam induceret homilia Vigiliæ, eſſet ſupra memorata *Adverte omnia &c.*, quæ jam in officio lecta eſt. Et quando etiam homilia vigiliæ eadem non foret, adhuc nona lectio vigiliæ non eſſet legenda ſtante ipſeitate Evangelii, ut demonſtrat exemplum ſuperius adductum Feſti Expectationis Partus B. Mariæ, & ratio ipſa ſuadet, quoniam nona lectio non præſcribitur legenda, niſi ut inducatur expoſitio Evangelii, quod proponitur; unde cum quoties idem eſt Evangelium feſti, & feriæ, jam in feſto habeatur expoſitio illius Evangelii, ideo opus non eſt ulla variatione Evangelii, aut alterius expoſitionis ſubrogatione, quia æque bene per lectionem homiliæ feſti occurrentis habetur, quod ſupplet.

V. Ex his habes, quod cum non minus caveri debeat repetitio ejuſdem Evangelii in Officio, ac in Miſſa, unde in tertia Miſſa Nativitatis Domini, in qua legitur Evangelium Initii S. Joannis, ne ejuſdem lectio iteretur, in fine ejuſdem Miſſæ dicendum præſcribitur Evangelium Epiphaniæ; in fine Miſſæ in caſu allato repetendum non erit idem Evangelium, ſed dicendum Evangelium ordinarium, ſcilicet de Initio S. Joannis.

VI. Habes ulterius, quid faciendum ſit in eodem, vel ſimili caſu, ſi enim in præfata vigilia omnium Sanctorum, vel in quacumque alia vigilia, aut feria occurrat, vel transferatur feſtum habens idem Evangelium cum vigilia, aut feria, legi non debebit nona lectio de homilia vigiliæ, aut feriæ, ſed nona lectio officii occurrentis deſerviet pro nona lectione homiliæ vigiliæ, aut feriæ præfatæ; & in fine Miſſæ non repetetur Evangelium vigiliæ, aut feriæ, ſed legetur Initium Evangelii S. Joannis.

VII. Quæres, an quando idem eſt Evangelium feſti occurrentis, & feriæ, ſed tamen eſt diverſa expoſitio dicti Evangelii, legi debeat expoſitio ejuſdem Evangelii, quæ in feſto aſſignatur, an potius quæ in feria?

VIII. R. Quod memoratum exemplum Feſti Expectationis Partus Beatæ Mariæ nos edocet in caſu identitatis Evangelii feſti, & feriæ, & diverſitatis expoſitionis, ſeu homiliæ, legi debere homiliam feriæ cum reſponſoriis feſti; ſic enim faciendum præſcribit laudata Rubrica in eodem feſto poſita, quæ pro ſimilibus caſibus ad exemplum, & normam videtur debere deſervire. Quia tamen aliunde officium feſti occurrentis præferentiam habet ſuper officium feriæ, ita & expoſitio, ſeu homilia, quæ feſto aſſignatur, præferenda non minus videtur in conſpectu homiliæ feriæ, acceſſorium quippe ſequitur ſuum principale, ideo præſcripto memoratæ Rubricæ non putamus mordicus inſiſtendum. Ut igitur iſta apte ad concordiam revocentur, dicendum venit, quod quotieſcumque homilia feſti non eſt ex approbatis pro Eccleſia univerſali, debet ea omitti, & ejus vice legi homilia feriæ, ſeu vigiliæ, quia ut alibi dicetur, officia univerſalis Eccleſiæ, utpote caſtigatiora, & magis examinata, ac uniformitatem cum Eccleſia univerſali inducentia, ſemper præferri debent propriis, & hoc ſolum evincit Rubrica Feſti Expectationis. Si autem etiam feſtum ſit ex indultis univerſali Eccleſiæ, tunc homilia feſti legenda venit, & ea feriæ, vel vigiliæ eſt omittenda, & hoc ſuadet ratio ſuperius in ponderatione poſita. Quoad commemorationem faciendam in caſu vigiliæ omnium Sanctorum, recole dicenda in expoſitione Decreti 23. Junii *1736.*, quod exponetur in Cap. de Commemorationibus.

CAPUT QUINTUM.

De ſeparatione Feſtorum.

I. PAſſim in Kalendario occurrunt exempla, in quibus Eccleſia de pluribus Sanctis eadem die ſimul feſtum celebrat, ac officium inſtituit. Duplici de cauſa id regulariter evenit fieri. Primo, ex occaſione tantum, quod videlicet eadem die paſſi fuerint, vel obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de cauſa, cujuſmodi ſunt SS. Fabianus & Sebaſtianus, Vincentius & Anaſtaſius. Secundo, aſſociantur Sancti quaſi per ſe, quod ſcilicet eodem ſimul die, ac loco, eamdemque ob cauſam, curſum vitæ hujus feliciter conſummarunt, ut SS. Innocentes, Mauritius & Socii, Januarius & Socii, Urſula & Sociæ. Dum autem dicimus, quod ut Sancti cenſeantur per ſe juncti, neceſſe eſt, quod eodem die, & eodem in loco fuerint defuncti, id nolumus ita ſevere eſſe accipiendum, ut ii, qui ſimul capti, in eadem perſecutione ſimul afflicti, & ſimul pro Chriſto interempti, inter Sanctos per ſe junctos annumerari non debeant, tametſi quempiam illorum una, vel altera die poſt, vel ante Socios ad gloriam evolare contigerit; quare etſi ex. gr. S. Symphoroſæ mors evenerit pridie ad mortem ſeptem Filiorum ejus, adhuc inter Sanctos per ſe junctos relate ad Filios ſuos annumerandam eſſe putamus, a quorum profecto ſerie nec excludendus erit ver. gr. S. Melithon natu minimus inter quadraginta Martyres, quorum glorioſum triumphum die 10. Martii Eccleſia quotannis in divinis recolit officiis, quantumvis non in eodem loco, in quo ceteri, ſed in humeris Matris vehicula aliorum Sociorum Martyrum corporibus onuſta proſequentis, vita functus fuerit; hæc namque moraliter, & in prudentum exiſtimatione intelligenda ſunt.

II. Dantur & Sancti per ſe juncti, & ex natura rei, & hi ſunt, qui habent, quidquid requiri diximus ad Sanctos per ſe junctos; & ulterius inter eoſdem aliqua debet intercedere conſanguinitas, vel affinitas, ratione cujus dicuntur ex natura rei conjuncti, quatenus natura quodammodo eoſdem vinxit. Debent itaque eodem die, eodem anno, eodem in loco, & eadem de cauſa ex hac lacrymarum valle ut ſupra eſſe ſublati, & inſuper inter ſeſe aliquam affinitatem, vel conſanguinitatem habere, cujus rationis ſunt SS. Gervaſius & Protaſius, Coſmas & Damianus, qui Fratres erant, Symphoroſa & Filii, aliique ſimiles.

III. Affinitas autem, & conſanguinitas debet eſſe vera, & carnalis, nec ſufficit ſpiritualis, qualis eſt ea, quæ intercedit inter Religioſos ejuſdem Inſtituti, qui ſe *Fratres* nuncupant, inter Confeſſorem, aut Directorem, qui vulgo dicitur *Pater Spiritualis*, & pœnitentem. Idem dicendum eſt de affinitate, quæ exoritur inter Baptizantem, & Baptizatum, & Parentes Baptizati, ac inter hos, & Patrinos tenentes ad fontem puerum, vel in Sacramento Confirmationis; hæ enim non ſunt veræ affinitates, ſed dumtaxat impropriæ, & ex fictione juris, quapropter ex natura rei conjuncti dici non poſſunt; unde nec Eccleſia ipſa in officio plurimorum Martyrum ejuſdem Ordinis Regularis, licet vulgo *Fratres* nuncupentur, & ſpiritualiter ſint, quatenus eamdem Religionem tamquam Matrem, & eumdem Inſtitutorem ut Patrem recognoſcunt, recitat reſponſorium illud *Hæc eſt vera fraternitas*, quod in officio plurimorum Martyrum Fratrum dicendum eſſe inſtituit. Idipſum eadem de cauſa intelligendum venit de affinitate illa, quæ inſurgit inter Adoptantem, & filium adoptatum; hæc ſiquidem neque ex natura, ſed ex jure dumtaxat ortum trahit.

IV. Ex præfatis itidem Sanctis, qui per accidens, vel per ſe, aut per ſe, & ex natura rei juncti dicuntur, vel ſunt ſimul deſcripti & in Martyrologio, & in Kalendario, vel in ſolo Martyrologio, & non in Kalendario, quatenus ſcilicet de iiſdem nullum officium recitari conceſſum eſt. Qui in Kalendario deſcripti inveniuntur; alii ritum ſimplicem, ſemiduplicem alii, & alii duplicem habent. Nihil autem refert, quod non deſcripti ſint in Kalendario Romano, dummodo deſcripti ſint in proprio, ſeu in proprio alicujus Eccleſiæ officium ex conceſſione habeant, de omnibus ſiquidem iſtis eadem currit ratio; non autem de iis, qui ſolum in Martyrologio ſimul deſcripti ſunt, quia Socii ejus, de quo juxta Rubricas officium faciendum eſt, nullum officium habent, nec jus ad officium.

V. Evenit autem non ſemel ex hiſce Sanctis alterum dumtaxat in Titularem Eccleſiæ, vel Locorum Patronum aſſumi, aut unius ſolummodo inſignem Reliquiam haberi, quas ob rationes officium illud, quod habent in Breviario, ad altiorem evehitur ritum, qua officium illius tantummodo eſt, non autem qua Sociorum, & ideo jam tradita doctrina, quod ad ejuſmodi Socios ſermonem vertamus, expoſcit. Sit itaque

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXII.

In Eccleſia SS. Nazarii, & Celſi transferendum eſt Feſtum SS. Victoris, & Innocentii in primam diem non impeditam (poſt Feſtum SS. Nazarii, & Celſi) ſub ritu ſemiduplici, ſed cum Evangelio, & Oratione eorumdem, in qua omittuntur Socii. S. R. C. 12. Februarii 1633. *in Mediolanen.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. numer. 74.

I. DIE 28. Julii Feſtum SS. Nazarii, Celſi, Victoris, & Innocentii, quorum tres primi Martyres ſunt, Innocentius vero in Apoſtolica Sede dumtaxat Petri Succeſſor, ac Confeſſor egregius, officio de communi plurimorum Martyrum ſub ritu ſemiduplici una ſimul univerſa colit Eccleſia. Duo primi, qui iiſdem die, anno, loco, & cauſa proprium pro Chriſto effuderunt ſanguinem, ſunt ex Sanctis per ſe junctis, non ſic autem Victor, & Innocentius,

nec inter ſe ſe, nec relate ad Nazarium, & Celſum, cum conſtet nec eodem anno, nec eodem loco eſſe defunctos, quinimmo Innocentius Confeſſor, ceteri vero Martyres renati fuerunt in gloriam.

II. Mediolani vero, ubi fidem Nazarius, & Celſus diſſeminarunt, & conſtantiſſime Chriſtum Deum confitentes capite plexi fuerunt, ubique eorumdem lipſana Dei monitu a Beato Ambroſio inventa, honorifice cuſtodiuntur, altiori quidem ritu, videlicet duplici minori, ſed itidem unitim cum SS. Victore, & Innocentio, & de communi plurimorum Martyrum celebrantur. Cum autem inibi adſit perinſignis Eccleſia SS. Nazario, & Celſo dicata, exortum fuit dubium, num in eodem officio agi deberet itidem de omnibus conjunctim, an vero SS. Victor, & Innocentius transferri deberent, & in caſu translationis, quale Evangelium, & Oratio, ſeu quodnam officium, aut de quovis communi dici deberet in feſto SS. Victoris, & Innocentii, cum eorum unus Martyr ſit, Confeſſor alter?

III. Ad quod reſpondit primo Sacra Congregatio: *In Eccleſia SS. Nazarii, & Celſi transferendum eſſe Feſtum SS. Victoris, & Innocentii.* Nihil habet difficultatis reſolutio præſens, cum innitatur expreſſæ Rubricæ Breviarii Romani, quæ *ſub tabula occurrentiæ numer.* 8. ita diſponit: *Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia ſit tantum de Patrono, vel Titulari abſque commemoratione aliorum.*

IV. Reſpondit 2. *Præfatum feſtum SS. Victoris, & Innocentii transferendum eſſe in primam diem non impeditam ſub ritu ſemiduplici.* Et hoc quoque eadem diſponit Rubrica, quæ ſequitur. *Qui*, ſcilicet Socii, *ſi in dicto Kalendario deſcripti ſunt ſub officio duplici, vel ſemiduplici, transferuntur in primam diem ſimili officio non impeditam, & de eis fiet officium ſemiduplex.* Cum igitur Feſtum SS. Victoris, & Innocentii in Kalendario Eccleſiæ univerſalis deſcriptum ſit una cum SS. Nazario, & Celſo ſub ritu ſemiduplici, & in eo Eccleſiæ Mediolanenſis ſub ritu duplici minori (qui etiam elevatior ritus per accidens illi adinvenitur tributus, ratione ſcilicet conjunctionis, quam habet cum SS. Nazario, & Celſo, qui ob particulare adductum motivum in Eccleſia Mediolanenſi ritum duplicem minorem æque conſequuntur) claret, quod memoratum feſtum SS. Victoris, & Innocentii transferendum venit in primam diem non impeditam, & in eadem ſub ritu ſemiduplici celebrandum.

V. *Poſt Feſtum SS. Nazarii, & Celſi* in Decreto legit ut ſupra Meratus: Pittonus vero *Hoc eſt, poſt octavam*, & Gavantus ſimpliciter *In primam diem non impeditam*, & ut legit Gavantus, Decretum præciſe habere nec dubito, ſunt ſiquidem verba illa *Poſt Feſtum SS. Nazarii, & Celſi*, uti & ea *Hoc eſt, poſt octavam*, a præfatis Auctoribus addita deſignandi gratia diem primam non impeditam, in qua reponi debet feſtum SS. Victoris, & Innocentii. Ceterum omnes adducti modi legendi Decretum apprime conveniunt, & in idem coincidunt; cum enim ſemiduplex, quale eſt feſtum SS. Victoris, & Innocentii, quoties eſt translatum, infra octavam locum non habeat, niſi in diem immediate ſequentem, & dies immediate ſequens ad Feſtum SS. Nazarii, & Celſi impedita ſit per officium S. Marthæ Virginis, abſque dubio *prima dies non impedita*, in quam juxta Gavantum transferri debet, eſt prima dies non impedita *poſt octavam* SS. Nazarii, & Celſi, quæ in Eccleſia propria celebrari debet, ut legit Pittonus, & etiam *poſt feſtum SS. Nazarii, & Celſi*, quemadmodum legit Meratus; tum quia cum octava non ſit niſi continuatio, & prorogatio feſti, feſtum SS. Nazarii & Celſi non intelligitur abſolutum, niſi expleta octava; tum etiam quia dies infra octavam, ut dicebamus, intelliguntur impeditæ juxta Rubricas pro repoſitione feſti ſemiduplicis translati, ac conſequenter prima dies non impedita poſt feſtum SS. Nazarii, & Celſi, eſt prima dies non impedita poſt eorumdem octavam.

VI. Reſpondit 3. Feſtum SS. Victoris, & Innocentii eſſe transferendum, ſeu celebrandum in prima die non impedita *cum Evangelio, & Oratione eorumdem*, quod implicite importat cum officio de communi Martyrum; Evangelium enim eſt *Cum audieritis prælia*, quod habetur primo loco in eodem communi plurimorum Martyrum, & oratio *Sanctorum tuorum &c.*, quæ cum in ſe contineat verbum illud *Confeſſio*, confeſſionem fidei per Martyrium conſtanter factam indicare videtur. Hæc tamen nonnihil difficultatis in ſe præſeferunt; tum quia præfata S. Innocentio, qui Martyr non fuit, ſed ſolummodo Papa, & Confeſſor, minime congruunt. Tum etiam quia antiphonæ, & reſponſoria de effuſione ſanguinis, & nonnulla cum demonſtratione *Iſtorum eſt enim &c.*, *Iſti ſunt, qui venerunt &c.*, quæ reperiuntur in officio de communi plurimorum Martyrum, in feſto SS. Victoris, & Innocentii recitata, videntur legitimum non poſſe ſortiri ſenſum.

VII. Verum hoc mirum ne videatur; cum enim jam eſſent Sancti duo illi ſimul juncti, & officio plurimorum Martyrum una cum SS. Nazario, & Celſo colerentur, ſatius rectiſſime viſum fuit Sacræ Congregationi, etiam dum ſejunctim a præfatis SS. Nazario, & Celſo celebrantur, officio plurimorum Martyrum colendos eſſe, quam alium ab alio celebrando, feſta duo, vel tria pro uno celebrare; & hoc maxime, tum quia jam S. Innocentius in tota Eccleſia colitur cum officio Martyrum, ut patet; tum quia Martyr ut nobilior, trahit ad ſe non Martyrem. Tum denique quia fere omnia, quæ habentur in communi plurimorum Martyrum, etiam Confeſſoribus poſſunt adaptari; & ſi quæ his minus apta reperiuntur, ea ſunt exponenda, vel de præparatione animi ad Martyrium reſpectu S. Innocentii, vel quia plurale ponitur in Breviario pro ſingulari, & e contrario, ut cum de pluribus Apoſtolis *Collocet eum Dominus &c.*, & de uno *Iſti ſunt, qui viventes &c.*, & in feſtis plurium Confeſſorum non mutantur antiphonæ, nec reſponſoria de uno Confeſſore, uti nec in feſtis plurimarum Sanctarum Virginum antiphonæ illæ *Hæc eſt Virgo Sapiens*, & alia, quæ fere omnia in numero ſingulari poſita ſunt. Vel demum ea accipe ut encomiaſtice dicta in laudem totius ordinis Martyrum, ut de neceſſe plura, quæ in præfato officio inveniuntur, ſic ſunt exponenda, ut *Hi pro te furias &c.*, *Caduntur gladiis &c.* *Traduntur igni Martyres, & beſtiarum dentibus*, *Verbera carnificum &c.*, quæ ſane iis Martyribus non apte conveniunt, qui ignem, verbera, gladium, dentes beſtiarum &c. experti non ſunt. Per quæ abunde patet ad ea, quæ ſuperius opponebantur, & opponi poſſunt.

VIII. Dices, quoties duo Sancti, qui in Breviario uniti erant, ſejunguntur, mutantur Evangelium, & Oratio, & cuique aſſignatur officium de proprio communi; unde ſi v. g. dividantur SS. Cletus, & Marcellinus, de utroque officium unius Martyris fieret, & ſi feſtum ipſum S. Innocentii ab aliis Sociis ſecerni contingeret, de eodem officium Confeſſoris Pontificis inſtitueretur, haud retentis Evangelio, & Oratione, quæ in ejuſdem feſto dicuntur, quoties una cum Sociis celebratur.

IX. ℞. Ita quidem, & bene, quia tunc ſic Sancti diviſi proprium habent commune, & ideo non eſt, cur eorumdem officium de illo ſumi non debeat, quemadmodum jam ſumptum fuiſſet, ſi de eo dumtaxat feſtum in Breviario invectum fuiſſet. Aſt quando Sancti diviſi ſunt diverſi ordinis, nec in Breviario habent proprium commune, ſed adhuc ad duo attinent communia, ut prius, non eſt, quomodo officium variari poſſit, & retineri non debeant ea, quæ jam ab Eccleſia in eorum laudem dici præſcripta fuerunt; adhuc autem Sancti Victor, & Innocentius attinent ad duo communia, Martyris ſcilicet, & Confeſſoris, ut prius, & ideo congrue decretum fuit in præfato eventu officium plurimorum Martyrum recitandum eſſe, & retinendum proprium eorumdem Evangelium, & Orationem; præſertim cum omnia, quæ in dicto officio dicuntur, bene congruant adhuc præfatis Sanctis ſejunctis, ut dicebamus ſupra.

X. *In qua omittuntur Socii*, ſubjungit Decretum, videlicet cum ſit officium SS. Victoris, & Innocentii, in Oratione illa propria omitti debet nominatio SS. Nazarii, & Celſi; oratio enim feſto, de quo officium celebratur, correſpondere debet, unde cum officium de SS. Victore, & Innocentio tantummodo fiat, indubie in ea ratione taceri debent nomina SS. Nazarii, & Celſi, quorum feſtum jam ſupponitur celebratum, & in eo nequaquam recolitur. Eadem de cauſa in feſto SS. Nazarii, & Celſi in oratione *Sanctorum tuorum*, quæ itidem dici debet, tacenda veniunt nomina SS. Victoris, & Innocentii, quorum feſtivitas celebranda ad alteram amandatur diem.

XI. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 35. ſingulare nuncupat præſens Decretum, quatenus firmat, memorato in caſu in feſto SS. Victoris Martyris, & Innocentii Papæ officium de communi plurimorum Martyrum eſſe continuandum, adeoque haudquaquam ad alios ſimiles caſus extendendum. At vero cum nullam ſui dicti afferat rationem, nos non videmus, cur in ſimilibus caſibus idem non ſit practicandum, præſertim cum ſuperius adductæ rationes id ſatis congrue faciendum eſſe evincant; unde ſi alicubi forent v. g. Patroni minus principales SS. Alexander, & Eventius Martyres, quorum feſtum diei 3. Maji conſignatum reperitur in Breviario, adeoque eorum officium eſſet ſeparandum a SS. Theodulo Martyre, & Juvenale Epiſcopo, de iſtis adhuc fieri deberet commemoratio in Feſto Iuventionis S. Crucis cum antiphona, & verſu de communi plurimorum Martyrum, licet S. Juvenalis Martyr non ſit, ſed ſolummodo Epiſcopus, & Confeſſor. Idem dic de aliis ſimilibus caſibus, qui vel in univerſali, vel in particulari aliqua Eccleſia queunt evenire.

XII. Ex dictis habes ulterius, regulam generalem eſſe transferendi ad aliam diem feſta Sanctorum, quæ ſub ritu duplici, vel ſemiduplici conjuncta ſunt cum Titulari Eccleſiæ, & in propria Eccleſia officium tantummodo agendum eſſe de ipſomet Titulari, ſi vero feſta Sociorum ritum dumtaxat ſimplicem habeant in Breviario, transferri non poterunt, ſed de iiſdem tali in caſu nihil fiet, ut ibidem aperte diſponit citata Rubrica. Feſta autem Sociorum celebranda erunt ſub ritu ſemiduplici, etſi conjunctim ritum duplicem minorem, aut majorem habeant; quod ſi feſta illa eſſent ex majoribus, nimirum primæ, vel ſecundæ claſſis, tunc de iiſdem quoque fieret officium duplex, ac ſi in propria die celebrarentur, ita diſponente præfata Rubrica, quare ſub ritu duplici primæ vel ſecundæ claſſis, uti habent in feſto.

XIII. Remaneret inquirendum, num Socii Titularium transferri quoque debeant, quando ſunt cum ipſis juncti per ſe, vel ex natura rei, an vero potius una ſimul de omnibus officium inſtituendum; verum hujuſmodi pertractare reſervamus in Decretis III. & VI. hujus Cap., & quæ ibi dicemus de ſeparatione, vel non ſeparatione eorumdem loquendo de

Patro-

Digitized by Google

Patrono principali, etiam pro præſenti caſu currere erunt intelligenda. Recolat quoque Lector omnia hujus Capitis Decreta, quoniam quæ in eorumdem expoſitione dicta venient, omnia dubia, & quomodo in Sanctorum diviſorum celebratione procedendum ſit, ubertim dilucidabunt.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXIII.

Oratio, quæ dicitur in Feſto SS. Fabiani, & Sebaſtiani; non eſt alteranda, ita ut de S. Sebaſtiano tantum recitetur, etiam in propria Eccleſia, eidem dicata. S. R. C. 6. Septemb. 1603. *in Egitanien.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 12.

I. Refert Meratus *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 8. hujus rationem reſolutionis nonnullos verſatos eſſe in opinione, de S. Sebaſtiano in Eccleſia propriæ non poſſe recitari officium ſeparatim a S. Fabiano; ſi enim in Eccleſia S. Sebaſtiano dicata recitari non poteſt oratio de S. Sebaſtiano tantum, ſed illa oratio non eſt alteranda, ipſis ſequi videbatur officium fieri non poſſe de eodem tantummodo, tranſlato illo S. Fabiani, ſed fieri debere de utroque ſimul, ſcilicet de SS. Fabiano, & Sebaſtiano.

II. Hunc tamen errorem corruere aſſerit ibidem Meratus, ſi accurate perpendatur, quod a Sacra Congregatione numquam proſcripta fuit in Eccleſia S. Sebaſtiani recitatio communis Orationis amborum Sanctorum, vel tantum S. Sebaſtiani; ſed quia colore orationis, quæ petebatur particularis, & ſolum de S. Sebaſtiano, conjiciebatur implicite, & indirecte obtineri velle tacitam approbationem, vel confirmationem celebrandi officium, & Miſſam ejuſdem S. Sebaſtiani bis in quolibet anno, nempe ultra diem propriam 20. Januarii, etiam in Dominica ſecunda Auguſti; hinc eadem Sacra Congregatio congrue, & provide rejecit inſtantiam, quam utique admiſiſſet, & annuendum eidem cenſuiſſet, ad tramites Rubricæ poſt Tabellam de occurrentia deſcriptæ. Prædictum autem Decretum, ſubjungit idem Meratus, cujus ſunt verba hucuſque adducta, hic prout jacet, exhibemus, ut exinde noſtri aſſerti veritas magis elucelcat.

III. *Cum Epiſcopi, & Capitulum Egitanien. ob generalem peſtilentiam in Regno Portugalliæ Eccleſiam a fundamentis in eadem Civitate erexerint, & B. Sebaſtiano inclyto Martyri dedicaverint, ad quam ſingulis annis bis accedunt, & ſolemniter in honorem dicti S. Sebaſtiani Miſſam, & officium celebrant, nempe die 20. Januarii in Feſto ejuſdem Sancti, & Dominica ſecunda Auguſti; & quia in officio, quod de S. Sebaſtiano recitatur, oratio eſt communis S. Fabiano, ſupplicarunt, ut eis licitum ſit in dicta Eccleſia B. Sebaſtiano dicata, dictis duobus anni diebus, orationem de S. Sebaſtiano tantum recitare, cum in Cathedrali Eccleſia etiam officium, & alia Miſſa de Sanctis Fabiano, & Sebaſtiano a parte Capituli, quæ ibi remanet, celebretur juxta formam Breviarii, & Miſſalis Romani. Congregatio vero nihil concedendum eſſe judicavit, & ita reſpondit die 6. Septembris 1603.*

IV. Ita proloquitur præfatus Auctor, qui ſubdit, quod una eſt omnium Doctorum ſententia, quod quando in Kalendario habentur duo, vel plura feſta ſub eadem feſtivitate eodem die celebranda, quorum alterum eſt in qualitate Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ, & alia non, tunc in ea Eccleſia debet fieri tantum de Patrono, vel Titulari, abſque commemoratione aliorum, & hæc eſt particularibus Rubrica, quæ habetur in Breviario Romano poſt Tabellam de occurrentia nu. 8. Ita egregie hic Auctor, & revera ita etiam ferunt, quod dedimus, & infra dabimus, Sacræ Congregationis Decreta.

V. Mens itaque Sacræ Congregationis in adducto Decreto non fuit, quod in Eccleſia S. Sebaſtiano dicata dici non poſſit oratio de S. Sebaſtiano tantum, & de eodem dumtaxat fieri officium, tranſlato S. Fabiano, ſed ne implicite approbare cenſeretur, bis in anno, uti petebatur, officium de S. Sebaſtiano in Eccleſia præfata eidem Sancto dicata fieri poſſe, dum recitari orationem tantum de S. Sebaſtiano in illis diebus concedebat, vel declarabat.

VI. Aliam tamen adhuc nobis placet adducere rationem, ob quam præfatum prodiit Decretum, in quo vetatur alterari orationem SS. Fabiani, & Sebaſtiani, & de Sancto Sebaſtiano tantum recitari, etiam in Eccleſia eidem dicata. Eſt autem quia oratio, quæ in Breviario dicenda præſcribitur in Feſto SS. Fabiani, & Sebaſtiani, deſumpta eſt a communi unius Martyris Pontificis, eſt ſiquidem *Infirmitatem noſtram*, quæ pro Martyre Pontifice in eodem communi primo loco aſſignatur; inde cum S. Sebaſtianus Pontifex non ſit, cum officium de eodem recitatus, ea oratio dicenda non eſt, ſed magis, quæ in eodem communi pro uno Martyre non Pontifice recitanda præſcribitur, videlicet una ex duabus *Præſta quæſumus*. In officio autem amborum bene ea aſſumpta fuit, quia S. Fabianus Pontifex fuit, & Martyr, ac conſequenter cum Pontifex Martyr nobilior ſit Martyre non Pontifice, deſumi debuit oratio potius de Martyre Pontifice, tacito in ea nomine *Pontificum*, ut conveniret etiam S. Sebaſtiano, quemadmodum in ſuperiori Decreto eadem ratione dicebamus in feſto unius Martyris, & alterius Confeſſoris officium deſumendum eſſe de communi Martyrum, & non Confeſſorum.

VII. Ex his deduces, quod quoties Sancti aliqui ſejunguntur, & habent orationem de communi aliquo, in eorumdem celebratione uſurpanda non eſt oratio, quæ pro feſto aſſignata erat, ſed deſumenda eſt de utriuſque reſpectivo communi, niſi quæ aſſignata eſt, alicui, vel utrique etiam diviſim æque competeret, ſicuti eveniret, ſi Sanctus Sebaſtianus eſſet ſimiliter Pontifex, quo in caſu oratio *Infirmitatem* in ejuſdem quoque officio uſurpari poſſet, poſita tamen in numero ſingulari, & tacito in ea nomine S. Fabiani. Idipſum v. g. eveniret, ſi officium fieret de pluribus Confeſſoribus Pontificibus cum oratione *Da quæſumus*, etſi enim disjungerentur, adhuc in eorumdem utroque officio poſſet adhiberi, & ſic in aliis ſimilibus caſibus.

VIII. Si autem oratio, quæ in feſto recitatur, propria foret, tunc etiam facta Sanctorum ſeparatione in utriuſque officio recitanda ea eſſet, ut aperte colligitur ex præcedenti Decreto, & ex Gavanto *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 14., ubi aſſerit in diviſione Sanctorum ad commune recurrendum non eſſe, niſi deficientibus propriis. Et quidem cum propria niſi juſtis & ponderatis de cauſis in Breviarium inducantur, neutri videntur deneganda.

IX. Quod de oratione dictum eſt, idem intelligendum eſt de lectionibus primi, & ſecundi nocturni, antiphonis, & aliis, quæ propria forent. Falleret hoc tamen, quoties ea, quæ propria ſunt, evidenter conſtaret ratione dumtaxat unius eſſe introducta; tunc ſiquidem in ejuſdem officio adhiberi deberent, & in officio alterius ſupplenda forent de communi, vel de ſcriptura quoad lectiones primi nocturni, quæ propria deeſſent; quapropter quia ſatis elucet, lectiones primi nocturni *de Epiſtola S. Jacobi* introductas eſſe in officio SS. Philippi, & Jacobi intuitu ſolius S. Jacobi, in hujus officio recitandæ eſſent, & in officio S. Philippi deſumendæ de communi Apoſtolorum. Antiphonæ vero Laudum, quia ſunt magis propriæ de S. Philippo, uti & Evangelium cum ſua homilia, & illius cauſa introductæ creduntur, reſervari deberent officio S. Philippi, depromptis de communi Apoſtolorum in officio S. Jacobi. Ita docet etiam Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 7. *num.* 1.

X. Difficultas tamen inſurgit, quid faciendum foret, ſi de Sociis infra octavam Titularis, aut Patroni officium fieri contingeret; tunc enim oratio, aut alia propria quæ pro commemoratione octavæ deſerviunt, retineri deberent pro octavæ commemoratione, iiſdem variatis in officio Sociorum, aut e converſo?

XI. ℟. Quod Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 14. in opinione verſatur, quod propria eo in caſu reſervari debeant Titulari, aut Patrono, & pro Sociis deſumi de communi ad varietatem. In eamdem libenter & nos imus ſententiam, quoniam Titularis, aut Patronus jam eſt in poſſeſſione dictorum propriorum, unde non eſt in ſua poſſeſſione turbandus, præſertim quia deinceps iterum reſumi deberent in aliis diebus octavæ, quæ ſuperſunt, unde ſine neceſſitate fieret incongrua interruptio. Si autem Socii reponerentur in die immediate ſequenti ad diem octavam Titularis, aut Patroni, quia tunc identitas aliqua tantum contingerent in ſecundis veſperis diei octavæ, nec iterum reſumenda forent, quæ pro commemoratione diei octavæ variata extitiſſent, ſatius videretur, variationem fieri pro die octava, quam pro Sociis, maxime cum in die ſequenti etiam continuanda eſſent in officio eorumdem Sociorum. Ita faciendum ſaltem puto, ſi veſperæ ſint de Sociis; ſi autem integræ ſint de die octava, & ſola commemoratio habeatur de Sociis, in ſecundis veſperis de die octava uſurpanda eſſent propria, facta variatione pro Sociis, in quorum tamen officio die ſequenti continuanda non eſſet variatio, ſed propria recitari deberent, quia variatio non inducitur, niſi ad præcavendam ipſeitatem, quæ in die ſequenti non eveniret; remota autem cauſa removetur effectus, & a propriorum recitatione recedendum non eſt, niſi gratia inducendæ varietatis.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXIV.

Cum S. Januarius fuerit declaratus a Sacra Rituum Congregatione Patronus principalis Regni Neapolitani, hinc die feſto dicti Sancti debet in eodem Regno fieri officium ſub ritu duplici cum octava, ſed de Sancto Januario tantum, non vero de Sociis ejuſdem, quorum officium transfertur ad primam diem non impeditam. S. R. C. 12. Julii 1664. *in Monopolitana*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 86.

I. A Titulari Eccleſiæ, de quo in præcedentibus Decretis, ad Patronum principalem locorum conſiderationem convertimus, de quo ſimiliter per præſentem reſolutionem determinatur, quod ſi cum Sociis ſit in Breviario, de eo officium ſolummodo fieri debeat, tranſlatis Sociis ad primam diem non impeditam. Audi verba Decreti: *Sed de S. Januario tantum, non vero de Sociis ejuſdem, quorum officium transfertur ad primam diem non impeditam.*

II. Socii Sancti Januarii fuerunt Feſtus Diaconus, & Deſiderius Lector, necnon Soſius Miſenas, & Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches, & Acutius laici, qui omnes una cum Sancto Januario eadem die, eodem anno, & loco, & eadem de cauſa cum Martyrium ſubierint, proculdubio Sancti per ſe juncti dicuntur, & ſunt, juxta ea, quæ in præliminaribus tradidimus. Nedum igitur Patronus principalis dividi debet a Sociis, cum quibus per accidens reperitur conjunctus, ſed etiam ab iis, qui per ſe eidem juncti eſſe poſſunt. Idem

igitur dicendum erit de Titulari, qui nedum a Sociis per accidens unitis ſeparari debebit, ut demonſtrant exempla, in quibus ſunt duo præcedentia Decreta, verum etiam ab iis, quos per ſe idem in Socios quiret habere.

III. Innititur autem præſens Reſolutio eidem, non minus ac prima hujus Capitis, Rubricæ poſitæ ſub Tabella de occurrentia, in qua ſic legitur: *Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in eâ Eccleſia fit tantum de Patrono, vel Titulari, abſque commemoratione aliorum*. Sermo autem hic eſt de Patrono principali, ut manifeſtum faciemus in ſequenti Decreto, & licet Rubrica loqui videatur de Patrono principali alicujus particularis Eccleſiæ, ſeu loci, eamdem tamen S. Congregatio explicat, intelligit, ſeu extendit etiam ad Patronum principalem Regni. Nec hunc ſenſum profecto Rubrica renuit, quandoquidem qui Patronus principalis totius alicujus Regni eſt, eſt itidem Patronus principalis omnium Eccleſiarum, intra idem Regnum ſitarum. Accedit, quod Patronus principalis Regni eamdem omnino habet ſolemnitatem cum Patrono principalis Eccleſiæ, ſeu Civitatis, ritum videlicet duplicem primæ claſſis, octavam, & feſtivationem de præcepto, unde quæ conceduntur Patrono principali alicujus particularis Eccleſiæ, vel Civitatis ratione ſolemnitatis, deneganda non ſunt Patrono principali Regni.

IV. Putarunt aliqui hanc Rubricam loqui de occurrentia duorum feſtorum, quorum alterum eſt in Kalendario Romano, alterum in Kalendario loci proprio, ut refert Gavantus *ſect. 3. cap. 10. num. 11.*, ubi ſubdit: *Sed falluntur ex iis verbis*, deſcriptus ſit eodem die in Kalendario, *non ait* Kalendariis, & *loquitur de Kalendario Romano, me teſte, in recognitione Clementina; nam de occurrentia duorum Kalendariorum agitur in Rubrica de Transl. Feſtor. num. 6.* Eorumdem tamen error evidentius mihi videtur refelli ex verbis illis ejuſdem Rubricæ, *& de eis fiat officium ſemiduplex*, in quibus diſponitur, quod Socii transferri debeant in primam diem non impeditam, & in eadem fieri ſub ritu ſemiduplici, licet *in Kalendario deſcripti ſint ſub officio duplici*; feſta autem, quæ de diverſo Kalendario ſimul occurrunt, etſi unum eorumdem transferri neceſſe ſit, attamen in die, in qua reponitur, retinet proprium ritum, in eaque celebratur, ac in propria die celebraretur.

V. Firmatum itaque remanet, quod Patronus principalis Regni a Sociis dividi debet, & de eodem tantum in propria die officium inſtitui; hoc autem a fortiori dicendum itidem venit de Patrono principali particularium Eccleſiarum, Civitatum, aut locorum, de quo verius procedit Rubrica, quique majorem certe, numquam minorem in ſuis reſpective locis ſibi vindicat ſolemnitatem.

VI. Diſquirendum eſſet, num idem dici debeat de Sancto aliquo, qui licet Patronus principalis non ſit, attamen alicubi magna cum ſolemnitate celebratur, ritu videlicet duplici primæ claſſis, octava, feſtivatione, & ingenti Populorum concurſu. Verum non habet locum hujuſmodi quæſtio, quoniam cum nullus Sanctus officio divino celebrari queat, niſi id conceſſum ſit a Rubricis, vel per Sedem Apoſtolicam; cum de tali Sancto recitare non permittant Rubricæ, id ſolum evenire poteſt vi conceſſionis Apoſtolicæ, a cujus verbis proinde deciſio pendet, an ſolus, vel cum Sociis celebrari debeat. Quod ſi de præfato Sancto vi legitimæ recitetur conſuetudinis, jam ex eadem conſuetudine judicandum erit, quæ ſicuti recitationem prædicti licitam facit officii, ita etiam unionem, vel diviſionem ejuſdem feſti a Sociis licitam, ac tenendam reddit.

VII. Definire difficilius evadit, num Patronus principalis, vel Titularis dividi debeat a Sociis, quoties ii cum eo juncti ſunt, nedum per ſe, ſed etiam ex natura rei? Verum hanc difficultatem decidendam reſervamus ex dicendis in Decreto VI. hujus Capitis, in cujus fine illationem quamdam faciemus, in qua propoſitum dubium uberem habebit reſolutionem.

VIII. *Quorum officium*, ſunt verba Decreti, *transfertur ad primam diem non impeditam*, & hoc idem firmat citata Rubrica: *Qui*, nimirum Socii Patroni principalis, *ſi in dicto Kalendario deſcripti ſint ſub officio duplici, vel ſemiduplici, transferuntur in primam diem ſimili officio non impeditam*; ſunt autem Socii S. Januarii ſub ritu duplici in Kalendario deſcripti, & ideo in primam diem non impeditam debent transferri, quod non eveniret, ſi ritu ſimplici forent deſcripti, cum officium ſimplex translationem non patiatur.

IX. Quod ſi quæras, ſub quonam ritu eorumdem officium celebrari debeat? Nihil quidem habet Decretum, quod ſolum edicit transferendos eos in primam diem non impeditam. At memorata ſtatim ſupplet Rubrica: *& de eis fiat officium ſemiduplex*. Nec relevat, quod una cum S. Januario officium duplex minus in Kalendario ſortiantur; quoniam aperte ibidem Rubrica loquitur de iis, qui *in Kalendario deſcripti ſunt ſub officio duplici, vel ſemiduplici*, ſolumque excipit officia duplicia primæ, & ſecundæ claſſis, de quibus ſubjungit; *Niſi tamen ſint de majoribus feſtis, quia tunc de translato quoque fiet officium duplex, ac ſi propria die celebraretur*. Cum itaque Socii S. Januarii nec una cum S. Januario officium duplex habeant primæ, vel ſecundæ claſſis, ſed ſolummodo duplex minus, nec dubitandi relinquitur locus, quod in die, in qua reponuntur, ritu ſemiduplici peragi debent.

X. At quid faciendum foret, ſi Socii una cum S. Januario ritum dumtaxat ſimplicem in Kalendario haberent? Si attendatur ea, quæ tradit Meratus *ſect. 3. cap. 4. in fine*, cum impedimentum ſit perpetuum, Socii, ne in perpetuum ſuo careant officio, aſſignanda eſſet alia dies, uti provide Sacram Rituum Congregationem in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium die 22. Januarii 1735. decreviſſe aſſerit pro Sancto Theodoro, & S. Pontiano occurrentibus in diebus per feſtum primæ claſſis impeditis. Verum cum hæc ſint particularia Indulta, ac ſpeciales conceſſiones, quæ nequaquam ultra perſonas, quibus factæ ſunt, extendi licet, quemadmodum & in genere, & in ſpecie dicemus ſuo loco; idcirco a Rubrica tu ne diſcedito, quæ ibidem aperte præſcribit; *Si vero in Kalendario omnes ſint tamquam feſtum ſimplex, de illis*, ſcilicet Sociis, *nihil fit*; profecto autem Rubrica loquitur de ſimplicibus perpetuo impeditis, cum loquatur de Sanctis, qui perpetuo occurrunt cum Patrono principali, vel Titulari, a quibus utpote duplicibus primæ claſſis ſimplicium commemoratio non admittitur.

XI. Remanet ſolummodo, nunc inferamus ex illis Decreti verbis, *cum S. Januarius fuerit declaratus a Sacra Rituum Congregatione Patronus principalis Regni Neapolitani, hinc die feſto dicti Sancti debet in eodem Regno fieri officium ſub ritu duplici cum octava*; inferamus utique, quod hoc ipſo, quod aliquis rite electus eſt in Patronum principalem alicujus Regni, de eo ſtatim ulla abſque conceſſione fieri debet a toto Regno officium ſub ritu duplici cum octava; hoc enim aperte denotat verbum illud *Hinc*, quod illationem ex præcedentibus importat, necnon Rubrica *I. de officio duplici num. 1.* quæ officium duplex fieri debere præſcribit *in feſto Patroni unius, vel plurium alicujus loci*, & cum octava ex Rubrica *VII. de oct. nu. 1.* Hoc autem officium, eſto Decretum dumtaxat *Duplex* evulget, erit duplex primæ claſſis, ibi enim loquitur in ſenſu ejuſdem Rubricæ primæ, quæ officium fieri debere *duplex* dumtaxat edicit etiam in feſtis primæ claſſis, quæ ibidem recenſet, accipiendo *Duplex*, prout genus eſt, quod in varias Duplicium ſcinditur ſpecies, unde officium Patroni Principalis, Titularis, & aliorum quod ibi dumtaxat *duplex* ſimpliciter notaverat, in ſerie duplicium primæ claſſis poſtea ſuo loco clare recenſet. Erit autem duplex primæ claſſis de præcepto, quemadmodum indicat verbum illud *Debet*, quod in Decreto habetur, illudque pronunciant Rubricæ, quarum leges ſolummodo pro feſtis de præcepto latæ ſunt, ut alibi dicemus; hinc inferes ſub eodem ritu a Regularibus utriuſque ſexus ejuſdem Regni eſſe peragendum, ſed ſine octava, quoniam ex ſuo loco dictis ſatis evidens eſt, Regulares teneri ad celebranda feſta Patronorum principalium ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed non ad eorumdem octavas, imo has nec pro libito ab iiſdem celebrari poſſe.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXV.

Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani una ſimul celebratur in illis locis, in quibus S. Sebaſtianus eſt Patronus minus principalis. Ita declaravit S. R. C. referente Eminentiſſimo D. Cardinali Colloredo die 22. Nov. 1698. *in Cremen.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 210.

I. HOC Decretum teſte Merato *loco cit.* ſub aliis terminis, & in alia ſuppoſitione refertur a Pittono *num.* 2145. ex Monacello, nimirum: *Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani una ſimul celebratur, licet Titulus Eccleſiæ ſit tantum de S. Sebaſtiano, ideoque Feſtum S. Fabiani non transfertur, ſed una cum S. Sebaſtiano celebratur. In Clemen.* Subdit vero ibidem Meratus. *Sed eſt error manifeſtus in Decreto ſic relato; nam S. Sebaſtianus non eſt Titulus Eccleſiæ Cremenſis, in qua celebratur tale officium: in eo enim caſu officia ſeparanda forent, juxta diſpoſitiones clariſſimas Rubricarum generalium. Eſt igitur S. Sebaſtianus Patronus tantum minus Principalis dictæ Diœceſis, & ideo rectiſſime declaravit S. R. C. non eſſe ſeparatim celebrandum Feſtum SS. Fabiani, & Sebaſtiani.*

II. Revera tamen Pittonus adductum a ſe Decretum, non *in Cremen.*, uti legit Meratus, ſed *in Cremonen.* aſſerit eſſe editum, unde quæ contra ipſum producit, nullius evadunt roboris; & quando etiam error foret in Codice, & legendum eſſet *in Cremen.*, adhuc quæ opponit, non relevant; quia etſi S. Sebaſtianus non ſit Titulus, ſed Patronus minus principalis Eccleſiæ Cremenſis, poſſit eſſe Titulus alicujus Eccleſiæ intra confinia Diœceſis Cremenſis, & pro ejuſdem directione præſens Decretum eſſe editum.

III. Omnem igitur auferant ambigendi locum Sacræ Rituum Congregationis Regeſta, in quibus cum, prout nobis proponit Meratus, illud deſcriptum reperiatur, & factum reſpondendo ad Epiſcopum Civitatis Cremenſis, qui petebat aſſignationem diei pro celebrando Feſto S. Fabiani ſeparatim a Feſto S. Sebaſtiani, idcirco proculdubio prout ſupra poſitum, ac a nobis fuit relatum, legendum venit. Et quidem ſi legendum foret, prout a Pittono refertur, diſſonaret aperte a Decreto primo hujus Capitis, & quod magis eſt, a Rubrica ipſa Breviarii Romani ibidem citata, contra quam tamen nihil Sacra Congregatio aſſolet determinare, niſi cum expreſſione, *Non obſtantibus Rubricis Breviarii Romani*, quæ tamen expreſſio in memorato Decreto prout adducto a Pittono ipſo deſideratur.

IV. Edocemur itaque per præſens Decretum, quod ſi Patronus minus principalis in Kalendario deſcriptus ſit eodem die cum aliis Sanctis, ii transferri non debent, ſed una cum Patrono minus principali celebrari. Sic autem diſpoſitio intel-

lecta

lecta conſonat ſæpe memoratæ Rubricæ, quæ dum ait, *ſi occurrat, ut Patronus Eccleſiæ deſcriptus ſit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Eccleſia ſit tantum de Patrono &c.*, loquitur ſolummodo de Patrono Principali, & non de Patrono minus Principali, ut clare deducitur ex illis verbis, quæ ſubdit: *Si vero in Kalendario omnes ſint tamquam feſtum ſimplex, de aliis*, ſcilicet Sociis, *nihil ſit*. Si igitur de Sociis ex præſcripto Rubricæ, quoties ſimplices ſolum ſunt, nihil fieri debet, fas eſt, Rubrica loquatur de Patrono Principali, qui utpote duplex primæ claſſis, ſimplicium commemorationem excludit, non autem de Patrono minus Principali, qui cum regulariter ritum duplicem majorem non excedat, occurrentium ſimul ſimplicium commemorationem admittit.

V. Dum autem Decretum nos edocet, quod Socii una celebrandi ſunt cum Patrono minus Principali, conſequenter nos inſtruit, quod celebrandi ſunt ſub ritu duplici majori, cum quo coli debere feſtum Patroni minus Principalis præſcribunt Rubricæ; unde etſi in Kalendario ritum ſolummodo duplicem minorem, vel ſemiduplicem haberent, adhuc ritu duplici majori eſſent honorandi. Quod ſi in Kalendario omnes elevatiori gauderent ritu, cum eo una cum Patrono minus Principali coli deberent; ritus enim duplex major in favorem Patrono minus Principali conceſſus eſt, unde in ejuſdem damnum retorqueri, ſeu cedere non debet.

VI. Aſt quid faciendum foret, ſi Patronus minus Principalis cum Sociis in Kalendario ſub ritu dumtaxat ſimplici reperitur deſcriptus? Eo caſu de Patrono minus Principali ſub ritu duplici majori officium eſſet agendum, & de Sociis ſub ritu ſimplici, ſeu in Officio Patroni minus Principalis fieri deberet commemoratio Sociorum, & eorumdem nona legi lectio, ſi propriam haberent; Decretum enim, dum officium Patroni minus Principalis una cum Sociis celebrandum edicit, procedit in ſuppoſitione, quod in Kalendario ſub officio duplici, vel ſemiduplici deſcripti ſint, uti evenit in caſu SS. Fabiani, & Sebaſtiani, & ad evitandam eorumdem ſeparationem, & officiorum multiplicationem; quod cum minime accidat, quando Socii ritum dumtaxat ſimplicem habent, & aliunde nec officium, quod juxta Breviarii diſpoſitionem iiſdem debetur, haudquaquam deperdatur, cum proprio ſimplici ritu peragendi erunt, nec trahendi ad elevatiorem; nec una ſimul cum Patrono minus Principali celebrandi, ut clare ſtabilire videtur ultimum hujus Capitis Decretum.

VII. Falleret hoc tamen, ſi Socii eſſent ex Sanctis Patrono minus Principali junctis per ſe, & ex natura rei, quoniam eo in caſu, etſi ritum dumtaxat haberent ſimplicem, ad ritum duplicem majorem eſſent elevandi, & una ſimul cum Patrono minus Principali recolendi, quemadmodum dicemus exponentes Decretum VI. hujus Capitis.

VIII. Quod ſi Patronus minus Principalis celebrandus una eſt cum Sociis, qui ritum ſemiduplicem, vel duplicem minorem habent, erit quoque cum Sociis celebrandus Sanctus ille, de quo alicubi aſſervatur Reliquia inſignis, cujus ratione inibi officium duplex minus inſtitui poteſt; unde ſi in Kalendario Sanctus, de quo habetur Reliquia, ritum duplicem minorem habeat una cum aliis, cum iſtis quoque ſub eodem ritu unitim celebrari debebit; ſi ſemiduplicem, omnes ſub ritu duplici minori; ſi ſimplicem, Sanctus Reliquiæ ſub ritu duplici minori, reliqui ſub ritu ſimplici. Si ſub ritu duplici majori, primæ, aut ſecundæ claſſis, omnes ſub eodem ritu. Si autem Socii ſint ex Sanctis junctis cum eodem per ſe, & ex natura rei, tunc etſi omnes ritu dumtaxat gaudeant ſimplici, adhuc cuncti celebrandi erunt ſub ritu duplici minori, uti patebit in memorato Decreto VI. hujus Capitis.

DECRETUM V. CAP., IN ORDINE LXVI.

Conſuevit Clerus Sacri Ordinis Hieroſolymitani hactenus celebrare ſub ritu duplici majori Feſtum S. Sebaſtiani Martyris Patroni prædicti Ordinis, & Titularis Cappellæ Linguæ Alverniæ, erectæ in Eccleſia majori ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ, ejuſdem Ordinis, tranſlato in primam diem non impeditam feſto S. Fabiani Papæ, & Martyris ſub ritu ſemiduplici; & quia, ut aſſeritur, emanavit Decretum S. R. C. uſque de die 22. Novembris 1698., quo declaratum eſt, quod feſtum S. Fabiani non transferatur, ſed celebretur una cum S. Sebaſtiano, ideo humiliter poſtulat, ut poſſit ſolitum ſervare, non obſtante dicto Decreto, aliiſque rationibus. Et reſolutum fuit, quod ſervari debeat Decretum emanatum die 22. Nov. 1698. Ita S. R. C. 16. Septemb. 1730. *in una Ordinis Hieroſolymitani, ſeu Meliten.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 273.

I. VIx ad aures pervenit Sacri Ordinis Hieroſolymitani præcedens Decretum, in quo declaratum vidimus, Feſtum S. Fabiani non eſſe transferendum, ſed celebrandum una cum S. Sebaſtiano, ubi hic eſt Patronus minus principalis, quod non minus cupidus in ſuis officiis peragendis nec in minimo recedere a Decretis Sacræ Congregationis, quæ ſacrorum ſunt tuta Rituum regula, ac in ſuo perdurare uſu celebrandi ſeparatim præfatos Sanctos, apud eamdem Congregationem humiliter cenſuit poſtulandum, ut non obſtante dicto Decreto, aliiſque rationibus poſſet ſolitum ſervare, & pro gratia facilius impetranda tria objectavit motiva, antiquam ſcilicet Ordinis conſuetudinem uſque tunc inviolabiliter cuſtoditam, *Conſuevit hactenus celebrare &c.*, 2. quod S. Sebaſtianus erat Ordinis Patronus, *Feſtum S. Sebaſtiani Martyris Patroni prædicti Ordinis*, 3. quod itidem erat Titularis Cappellæ Linguæ Alverniæ, erectæ in Eccleſia majori ejuſdem Ordinis, *& Titularis Cappellæ Linguæ Alverniæ, erectæ in Eccleſia majori ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ, ejuſdem Ordinis*.

II. Sacra nihilominus Congregatio ponderans, valida non eſſe propoſita motiva ad tuendam ſeparationem dictorum Sanctorum, cenſuit non eſſe annuendum, *ſed ſervari debere Decretum emanatum die 22. Novembris* 1698., videlicet non eſſe transferendum Feſtum S. Fabiani, ſed eſſe celebrandum una cum S. Sebaſtiano.

III. Et quidem quod adducta rationum momenta haud valida forent, facile eſt demonſtrare. Non primum ex conſuetudine petitum, quoniam conſuetudo in iis, quæ ad divinum pertinent officium, vim non habet, niſi inducta ea fuerit ante Bullam Pii V., cujuſmodi non erat adducta conſuetudo. Non ſecundum, quia Patronus minus principalis dumtaxat eſt dicti Ordinis. Nec denique tertium, quia Titulus Altaris non eſt ſufficiens titulus, ut de eo officium fieri queat, & quando etiam officium inveheret, eſſet ſolum duplex majus; adeoque de eo ratiocinandum venit inſtar eorum, quæ dedimus in præcedenti Decreto de Patrono minus principali.

IV. Potuiſſet, haud abnuo, nihilominus de ſua benignitate porrectis precibus indulgere, aſt congruum haud exiſtimavit id præſtare cum effractione jam deciſorum, & Romanarum Rubricarum. Remanet igitur abunde confirmatum, quod ſolum Patronus Principalis locorum, & Titularis Eccleſiarum dividi valet a Sociis, quos habet in Kalendario, ſecus vero Patronus minus Principalis, nec Titulus Cappellæ, aut Altaris, quinimmo nec Sanctus, de quo aſſervatur Reliquia inſignis.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE LXVII.

In Eccleſia S. Mariæ in Porticu, ubi aſſervatur Brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18. Junii) faciendum eſt officium etiam de S. Marco ſub ritu duplici minori de Communi plurimorum Martyrum. S. R. C. 7. Auguſti 1717. *in una Urbis*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. numer. 259.

I. CUm in Eccleſia S. Mariæ in Porticu de Urbe aſſervaretur Brachium S. Marcelliani Martyris, qui in Breviario Romano ſub die 18. Junii una cum S. Marco ejuſdem carnali Fratre officium habet ſimplex, ac conſequenter de eodem S. Marcelliano officium duplex minus juxta iterata Sacræ Congregationis Decreta fieri poſſet, exortum fuit dubium, num ea in Eccleſia faciendum eſſe officium ſimul etiam de S. Marco ſub ritu duplici minori de communi plurimorum Martyrum, vel potius de S. Marcelliano tantum de communi unius Martyris, agendo de S. Marco eadem die officium dumtaxat ſimplex, quod una cum S. Marcelliano in Breviario habet? Et Sacra Rituum Congregatio, ut in adducto Decreto reſpondit, *faciendum eſſe officium etiam de S. Marco ſub ritu duplici minori de communi plurimorum Martyrum*; noluit enim eos eſſe ſeparandos, quos nedum eadem paſſio, ſed inſuper natura ipſa conjunxit.

II. Ex hac, & præcedentibus hujus Capitis Sanctionibus uberem Lector habet regulam, qua ſe gerat in celebratione Sanctorum in Kalendario ſub una feſtivitate junctorum, ſi illorum aliquis alicubi majorem ritum, quam in Breviario habet, juxta Rubricas, vel Decreta ſortiatur. Si Sancti ſint ex ſimul junctis per accidens, & occaſione quadam, & aliquis ex illis Titularis Eccleſiæ alicubi ſit, ceteros transferendos eſſe, ſi ritum duplicem, vel ſemiduplicem habeant, & omittendos penitus, ſi ſimplicem, *Decretum primum, & in eo dicta* aperte nos edocent; non vero ſi Cappellæ tantummodo ſit Titularis, quo in caſu verius tantum de omnibus agendum eſt juxta ritum, quem in Breviario, aut aliunde habent. *Decretum quintum*. Si Patronus Principalis, de Sociis faciendum eſt, uti modo faciendum eſſe diximus, quando aliquis eſt Titularis Eccleſiæ. *Decretum tertium*. Si minus Principalis, Socii non transferuntur, ſed omnes ſub ritu duplici majori celebrantur, ſi duplicem, vel ſemiduplicem ritum habeant; ſi vero ſimplicem, Socii ſub ſimplici, Patronus minus Principalis ſub duplici majori recoluntur. *Decretum quartum, & quintum*. Si de uno habeatur inſignis Reliquia, de omnibus ſub ritu duplici minori ſimul agendum eſt, ſi ritum duplicem, vel ſemiduplicem habeant in Breviario; ſi vero ſimplicem, Socii ſub ſimplici, & Sanctus Reliquiæ ſub ritu duplici minori ſunt honorandi; ut enim arguebamus *in Decreto quarto*, ſi Socii non ſunt transferendi, ſed ut ſupra celebrandi, quoties aliquis eorumdem eſt Patronus minus Principalis, ac conſequenter elevatiorem ritum, ac majorem aſſequitur ſolemnitatem, multo minus transferendi erunt, ſed ut ſupra colendi, ſi alterius ſolummodo habeatur Reliquia, quæ nec ita elevatum, ſed ſolum ritum duplicem minorem importat, nec tantam dicit ſolemnitatem. Qui vero ob occurſum Patroni Principalis, vel Titularis Eccleſiæ transferuntur ſub ritu dumtaxat ſemiduplici celebrantur, etſi elevatiorem in Kalendario habeant, niſi ſint ex feſtis majoribus, primæ ſcilicet, vel ſecundæ claſſis; quia tunc etiam Sancti diviſi celebrantur cum ritu, quem habent conjuncti, ac perinde celebraretur in proprio die, quemadmodum ex Rubrica ſub Tabella

occurrentiæ num. 8. dicebamus in ſuperioribus Decretis, ubi & ulteriora dedimus ibidem recolenda.

III. Quæ diximus de Sanctis per accidens ſimul junctis, æque currunt & de Sanctis per ſe unitis, ſed non ex natura rei; unde ſi qois ex per ſe junctis Patronus alicubi, aut Titularis Eccleſiæ aderit, Socii erunt transferendi, ſi ritum habeant duplicem, vel ſemiduplicem; ſi vero ſimplicem, nihil fiet de eis. Si autem erit Patronus minus Principalis, aut habebitur inſignis ejuſdem Reliquia, officium agetur & de Sociis conjunctim abſque ulla ſeparatione, dummodo ritu duplici, vel ſemiduplici gaudeant; ſi vero ſolo ritu ſimplici, fiet tantummodo commemoratio de iiſdem, cum nona lectione, ſi propriam habeant, & ſeparabilis ſit, ut dicemus in ſequenti Decreto.

IV. Si denique Sancti ſint per ſe, & veluti ex natura rei in Kalendario conjunctim deſcripti, tunc numquam ſeparantur, ſed ſemper celebrantur unitim ſub eadem feſtivitate; unde licet unus eorum eſſet Titularis, vel Patronus, aut ejuſdem ſolummodo haberetur Reliquia, adhuc & de ceteris Sociis ſub eodem ritu una ſimul officium celebraretur, etiamſi in Kalendario officium dumtaxat ſimplex haberent, ut aperte deducitur ex præſenti Decreto, dum in Eccleſia, in qua tantum aſſervatur Reliquia inſignis S. Marcelliani, officium faciendum eſſe præſcribitur etiam de ejus carnali Fratre S. Marco ſub ritu duplici minori, qui tamen ſolo ſimplici in Kalendario gaudet ritu; quapropter de omnibus agendum venit, perinde ac ſi omnes ſimul Patroni, aut Titulares eſſent, vel de omnibus inſignis teneretur Reliquia. Talis quoque eſt ſententia Merati *ſect.* 3. *cap.* 10. *num.* 8., Pittoni *numer.* 1368., & aliorum, a quibus nec diſſentit Guyetus *lib.* 3. *cap.* 3. *quæſt.* 5.

V. Hæc itaque regula præ ceteris Sanctis per accidens, aut per ſe junctis, tenenda, ac ſervanda eſt in celebratione Sanctorum per ſe, & ex natura rei copulatorum; unde S. Fauſtinus ſeparandus non eſt a S. Jovita ejuſdem Fratre, S. Symphoroſa ab ejuſdem Filiis, & ſic de reliquis. Non ſic tamen faciendum eſt in iis Sanctis, qui ſolum fictione juris conſanguinei, aut affines, vel improprie dicuntur, quos cum natura haud conjunxerit, & ſolum ficte, & improprie affines nuncupentur, & ſint, tamquam ſi affines non forent, conſiderandi ſunt, & juxta dicta de Sanctis per accidens, aut per ſe ſolummodo junctis, de iiſdem eſt diſponendum.

VI. Quæres, quid faciendum ſit de Sanctia per ſe, & ex natura rei conjunctis, quoties deſcripti ſimul non ſunt in Kalendario, ſed ſolummodo in Martyrologio, ſi alterutri dumtaxat contingat Eccleſiam dicari, in Patronum aſſumi, aut Reliquiam haberi? Tunc enim de omnibus an vero de eo dumtaxat officium eſt inſtituendum?

VII. ℞. Officium ſolummodo faciendum eſſe de eo, de quo habetur inſignis Reliquia, aut Patronus eſt, vel Titularis, & nihil de Sociis; cùm enim Rubricæ, atque Decreta ſolummodo pronuncient officium faciendum eſſe, ac inſtituendum de Patrono, ac Titulari, ac de eo, de quo habetur Reliquia, cum ille ſolus hujuſmodi ſit, & non ceteri, de illo ſolummodo officium inſtituendum venit, & non de ceteris, ne tramites Rubricarum, atque Decretorum excedantur. Quod ſi de ceteris non agitur, quoties in Kalendario reperiuntur deſcripti, hoc ideo eſt, quia cum Kalendarium ſit catalogus Sanctorum habentium officium, Sancti, qui in eo deſcripti ſunt, jus habent ad officium, & cum ceteris, cum quibus in eodem deſcripti ſunt, ſunt itidem Socii in officio, unde quemadmodum in omnibus juncti ſunt, numquam congruit eoſdem ſeparari; at vero cum Martyrologium non ſit catalogus Sanctorum habentium officium, qui in eo una ſimul deſcripti ſunt, jus nullum habent ad officium, nec cum ceteris Socii ſunt in officio; quapropter ſi aliquis eorumdem a ceteris ſeparari contingat vel per ejuſdem aſſumptionem in Patronum, vel Titularem, vel per Reliquiam, quæ habeatur, & ſic in Kalendario trahi, non ſtatim in hoc & ceteri trahuntur, ſed de ſolo adhuc remanent Martyrologio, & non de Kalendario, in quod nullum jus habent, quemadmodum habent illi, qui per conceſſionem Apoſtolicam in diem invecti fuere.

DECRET. VII. CAPITIS, IN ORDINE LXVIII.

Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis alicujus Sancti, qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, & uterque habent feſti ſimplicis ritum, veluti contingit in Feſto SS. Gervaſii, & Protaſii, quorum duæ lectiones vitam, amborumque mortem enarrant; in quo caſu, ſi lectiones disjungi commode poſſunt, legenda eſt illa de Sancto, cujus fit officium duplex propter Reliquiam inſignem, in ſecundo nocturno, & hæc erit quarta lectio. Quinta, & ſexta ſumendæ ſunt de communi, altera vero lectio disjuncta poni poterit pro nona lectione in tertio nocturno tamquam de Sancto ſimplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes. Si vero non poſſint commode disjungi, utraque ponenda eſt in ſecundo nocturno pro quarta, & quinta lectione, & ſexta legenda eſt de communi; & in hoc caſu lectio nona pro ſimplici repetenda non eſt, fieri tamen debet de eo commemoratio. S. R. C. 16. Januarii 1677. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 100.

I. EXponitur: *Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis Sancti, qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, &* *uterque habent feſti ſimplicis ritum.* De Sanctis diviſibilibus proculdubio loquitur Sanctio, ac per conſequens de Sanctis unitis dumtaxat per accidens, aut per ſe, quæ ex dictis in præcedentibus Decretis ſeparari queunt, non autem de Sanctis inſeparabilibus, cujuſmodi ſunt Sancti illi, qui ſunt per ſe, & ex natura rei conjuncti. Sancti autem, cujus Reliquia inſignis habetur, & poteſt eſſe in corpore Breviarii ſub ritu ſimplici cum uno dumtaxat Socio, ut S. Gordianus, qui die decima Maji in Breviario deſcriptus eſt cum S. Epimacho; vel cum pluribus Sociis, ut S. Petrus exorciſta, qui die ſecunda Junii in eodem reperitur conjunctus cum SS. Marcellino, & Eraſmo. Etſi autem Decretum expreſſe loquatur de Sancto, qui cum uno Socio eſt in corpore Breviarii, eadem tamen ratio militat etiam de eo, qui cum pluribus Sociis adinvenitur deſcriptus, & ideo pro utroque, quæ hic præſcribuntur, intelliguntur diſpoſita.

II. *Veluti contingit in Feſto SS. Gervaſii, & Protaſii.* Exemplum SS. Gervaſii, & Protaſii hic adducitur dumtaxat ad indicandum Sanctum, qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, & uterque habent feſti ſimplicis ritum, ac duas lectiones eorum vitam, & glorioſam mortem enarrantes, non autem quaſi quod ſi alicubi alterutrius habeatur Reliquia, de illo dumtaxat, & non de utroque ſimul debeat fieri officium; ſunt etenim ex Sanctis per ſe, & veluti ex natura rei copulatis, cum fuerint Fratres Carnales, & ideo disjungi non valent. Non igitur præſens Sanctio contrariatur præcedenti, & quando etiam contrariari videretur, quoad hoc per præcedentem utpote poſteriorem cenſenda foret correpta, limitata, & quatenus opus eſſet, etiam derogata.

III. *Quorum duæ lectiones vitam, amborumque mortem enarrant.* Hiſtoria Sanctorum, qui in Breviario cum Sociis ſub ritu ſimplici coluntur, quandoque duabus lectionibus, ut SS. Petri, Marcellini, & Eraſmi, quandoque una dumtaxat, ut SS. Abdon, & Sennen, comprehenſa reperitur. Decretum revera ſermonem habet de iis ſimplicibus, quorum hiſtoria duabus enarratur lectionibus, ſed debita cum proportione applicandum venit juxta inferius dicenda etiam ad Sanctos illos ſimplices, quorum geſta dumtaxat unica comprehendit lectio.

IV. *In quo caſu, ſi lectiones disjungi poſſunt.* Tam in caſu unius, quam duarum lectionum contingit eam, vel eas commode poſſe, & non poſſe disjungi; id enim pendet a textu earumdem, an patiatur, nec ne diviſionem. Quapropter ver. gr. SS. Tiburtius, & Suſanna, Hyppolitus, & Caſſianus, aliique, etſi habeant unam tantum lectionem, hæc tamen commode in duas ſecari poteſt, detractis conjunctionibus, in quarum una habeantur propria ejus, de quo fit officium, in altera vero propria illius, de quo fieri debet commemoratio, ut in allatis exemplis una lectio erit. *Tiburtius Chromatii &c.* altera *Suſanna Virgo &c.* detracto ly *Quo die*, quo nexu illæ duæ lectiones adinveniuntur conjunctæ. Et in ſecundo exemplo prima lectio erit *Hyppolitus a Beato Laurentio &c.*, & ſecunda *Ad Forum Sylla* detracta ſimiliter copula illa *Eadem die*, & ſic in aliis ſimilibus caſibus. Sic etiam in Feſto SS. Petri, Marcellini, & Eraſmi, qui duas habent lectiones, ſecunda, in qua ſermo eſt tantummodo de S. Eraſmo, optime a prima valet partiri; & hoc regulariter evenit in Sanctis per accidens tantum, & occaſione quadam conjunctis, quorum unius geſta cum alterius mixta non ſunt, & confuſa; in Sanctis vero per ſe unitis, ſive unam, ſive duas lectiones habeant, cum geſta unius cum alterius mixta ſint, & confuſa, non crederem memoratam diviſionem locum habere poſſe, vel ſaltem nimis ægre; id enim textus vel non, vel vix patitur, ut videre eſt in omnibus feſtis ſimplicibus Sanctorum per ſe junctorum, qui in Breviario deſcripti ſunt.

V. *Legenda eſt illa de Sancto, cujus fit officium duplex propter Reliquiam inſignem, in ſecundo nocturno & hæc erit quarta lectio.* Facta diviſione lectionum, quemadmodum ſupra dictum eſt, lectio, in qua ſermo eſt de Sancto, de quo ratione Reliquiæ fit officium duplex, legetur in ſecundo nocturno, unde in officio ver. gr. S. Suſannæ quarta lectio erit *Suſanna Virgo &c.*, & in officio S. Eraſmi *Eraſmus &c.* Legenda autem dicitur in ſecundo nocturno pro quarta lectione, quia cum jam officium illud, quod erat ſimplex, ratione Reliquiæ evadat duplex, & novem lectionum, tres primæ lectiones ſumuntur de Scriptura, & quarta erit illa propria ſejuncta. Ponitur vero lectio illa pro quarta, & non potius pro ſexta, ſeu tertia ſecundi nocturni, quia ſic fert uſus Breviarii, ut videre eſt in Sanctis illis, qui unam dumtaxat habent lectionem propriam, vel duas, ut in S. Alexio, qui cum una ſolummodo polleat lectione propria, hæc pro quarta in ejuſdem ponitur officio, & in S. Bonaventura, cujus duæ lectiones propriæ leguntur pro quarta, & quinta, & quæ deficiunt, ſupplentur de communi, vel alias. Et quidem cum in ſecundo nocturno locus ſtatutus ſit pro lectionibus geſta Sancti, de quo fit officium, evulgantibus, & nonniſi in harum defectu ex communi ſuppleantur, prior locus, ac nobilior lectionibus propriis fuerat concedendus.

VI. *Quinta, & ſexta ſumendæ ſunt de communi.* In defectu propriorum ſemper recurritur ad commune competens illi, de quo fit officium. Et quidem in caſu noſtro, non ad commune, de quo ſumebatur officium antecedenter ad diviſionem, ſed ex communi, quod eidem poſt ſeparationem competit; quapropter ſi S. Suſanna v. g. dividatur a S. Tiburtio, ejus commune, ex quo ſumentur lectiones, & reliquum officium, non erit amplius commune plurimorum Martyrum, ſed commune Virginum, quemadmodum & commune S. Tiburtii ex

quo

quo depromentur antiphona, & verſus pro commemoratione, eſſet commune unius, non plurium Martyrum. Evenire tamen poteſt, ut idem ſit commune Sanctorum diviſorum, ac unitorum, ut ſi ſepararentur plures Confeſſores, vel plures Virgines &c. Eſt autem advertendum, quod pro quinta, & ſexta lectionibus legendis de communi in officio, ſumi non debent quinta, & ſexta, ſed quarta, & quinta, quæ habentur in communi, ita ut quarta lectio communis ſerviat pro quinta officii, & quinta pro ſexta; Unde v. gr. ſi officium fieret de uno Martyre, quinta lectio foret *Triumphalis* &c., quæ eſt quarta communis, & ſexta eſſet *Coronata &c.*, quæ eſt quinta in eodem communi. Si Lector exempla Breviarii Romani, in quibus ſupplentur lectiones de communi, obſervaverit, de his plene reddetur inſtructus.

VII. An autem magis ſumendæ ſint, quæ in communi ponuntur primo, vel ſecundo loco? A libito putamus hoc pendere legentis. Fallit hoc tamen, ſi aliquæ utrarum magis congruæ forent vitæ, vel mortis ejus, de quo fit officium, tunc ſiquidem ſumendæ forent propriores, minus propriis relictis. Unde ſi v. g. officium fieret de Sancto Martyre, qui ob Chriſtum reliquiſſet patrem, aut matrem, aut uxorem, vel propinquos, in tertio nocturno potius legenda eſſet homilia ſuper Evangelium: *Si quis venit ad me, & non odit patrem* &c., quam homilia in Evangelium, *Si quis vult*. Idipſum dicito de lectionibus ſecundi nocturni, ſi hæ quid proprium ei, de quo fit officium, contineant.

VIII. *Altera vero lectio disjuncta poni poterit pro nona lectione in tertio nocturno tamquam de feſto ſimplici*. Nedum lectio ea, quæ disjuncta fuit, poni poterit, ſed poni debebit pro nona lectione; de Socio enim, ſive Sociis fieri debet tamquam de feſto ſimplici, adeoque de eo legi debet nona lectio, lectio ſcilicet illa disjuncta, quam propriam habet.

IX. *De quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes*. Et quidem non tantum in laudibus, ſed etiam in primis Veſperis debet fieri commemoratio Sancti ſejuncti; cum enim officium, quod fit ratione Reliquiæ, non excedat ritum duplicem minorem, commemorationem ſimplicis in laudibus, & primis Veſperis proculdubio admittit. Non loquitur igitur Decretum limitative, & excluſive, ſed ſolummodo aſſertive, unum ſcilicet aſſerendo, alterum haud negando, quinimmo dum in laudibus dicti ſimplicis commemorationem admittit, admittit illam etiam in primis Veſperis, cum hoc ipſo illi debita ſit vi Rubricarum.

X. *Si vero non poſſunt commode disjungi*. In Sanctis per ſe junctis, ut dicebamus, hoc evenit, eo quod unius geſta cum alterius mixta ſunt, & confuſa. Dantur tamen in Breviario nonnulla feſta ſimplicia compoſita ex pluribus Sanctis, quorum aliqui ſunt ex per ſe junctis, alii vero ex per accidens copulatis, & tunc licet Sanctorum per ſe junctorum lectiones haud commode poſſint ſejungi, dividi tamen poſſunt ab ea lectione vel parte lectionis, quæ geſta Sanctorum per accidens ſibi unitorum continent, & tunc profecto dividi debent, ne legatur in ſecundo nocturno abſque ulla neceſſitate hiſtoria illius, de quo non fit officium, quæque legi debet pro nona lectione tamquam de ſimplici, ſub quo ritu officium de illo recitatur. Sit exemplum: Die ſecunda Junii currit feſtum ſimplex SS. Marcellini, Petri, & Eraſmi duas habens lectiones, in quarum prima mixtim, & confuſe agitur de SS. Marcellino, & Petro, & hæc forſitan in duas commode ſcindi non valet, in ſecunda vero agitur de ſolo Sancto Eraſmo, unde ex ſe jam eſt diviſa: Si habeatur Reliquia Sancti Eraſmi, jam propria habetur lectio pro quarta, & altera lectio pro nona; non ſic autem ſi Reliquia ſit vel S. Marcellini, aut S. Petri, cum partitionem non videatur admittere eorumdem lectio. Sed ſi findi non poteſt horum lectio, & conſequenter neceſſitas ferat, quod de utroque legatur hiſtoria in ſecundo nocturno, licet de alterutro ſolummodo peragatur officium, nihilominus in ſecundo nocturno legi non debet lectio agens de Sancto Eraſmo, ſed hæc reſervanda erit pro nona lectione, ut quantum fieri poteſt, ſerventur Rubricæ, atque Decreta. Idipſum evenire poteſt in ſimplicibus habentibus unam duntaxat lectionem, quæ ſi in duas ſecari poteſt, fieri debet ſciſſio, & quæ conſonat Sancto, de quo fit officium, in ſecundo nocturno poni debet, etiamſi & de aliis agat mixtim Sanctis, qui per modum ſimplicis peraguntur, & quæ de uno, aut pluribus tractat, licet non de omnibus, qui ſimplici non fieri debent, pro nona lectione deſerviet.

XI. *Utraque ponenda eſt in ſecundo nocturno pro quarta, & quinta lectione*. Principem habet locum Sanctus, de quo fit officium, unde ſi lectiones ejuſdem hiſtoriam, & aliorum, qui ſimplices remanent, enarrantes, dividi nequeunt, ut proprio loco, & complete de illo legatur hiſtoria, legendæ ſunt in ſecundo nocturno omnes illæ lectiones commode inſeparabiles; unde ſi una duntaxat habeatur lectio propria de utroque, ſerviet pro quarta lectione, ſi duæ, pro quarta, & quinta.

XII. *Et ſexta legenda eſt de communi*. Si vero una duntaxat habeatur lectio de Sanctis, & quinta, & ſexta erit de communi, de quo ſemper ſuppletur, quidquid proprii deeſt in officio de Sanctis, quapropter de communi depromentur lectiones homiliæ pro tertio nocturno.

XIII. *Et in hoc caſu lectio nona pro ſimplici repetenda non eſt*. Equidem cum Sancti ſimplicis tota hiſtoria ſimul lecta fuerit cum ea Sancti, de quo fit officium, non eſt amplius repetenda; nona enim lectio de ſimplici non legitur, niſi ut ejuſdem legatur hiſtoria, unde ſi ea jam lecta fuit, eamdem repetere omnimode ſuperfluum foret, ac alienum ab Eccleſiaſtica conſuetudine, quæ in eadem parte officii quammaxime ejuſdem repetitionem abhorret; unde ſi ad laudes detur ſola ipſeitas verſiculi, antiphonæ, aut orationis illius Sancti, de quo fit officium, & ejus, de quo facienda eſt commemoratio, Rubricæ diſponunt pro eo, de quo facienda eſt commemoratio, alteram de communi deſumendam eſſe ad varietatem, etiam cum incommodo aliquo, ut patebit ex dicendis ſuo loco, & tempore.

XIV. Quia vero cum ſejungitur lectio aliqua agens de aliquo ex Sanctis ſimplicibus, ſi hæc ponatur pro nona, locum repetitio non habet, quia ejuſdem hiſtoria lecta ſimul non eſt cum ea Sancti, de quo fit officium, licet cum hac lecta ſit hiſtoria aliorum ſimplicium, ideo præfato in caſu pro nona poni debebit; unde v. g. etſi in officio S. Marcellini lecta ſit ſimul hiſtoria S. Petri exorciſtæ, qui ritu ſimplici colendus eſt, & ideo in nona lectione non ſit repetenda, omitti tamen non licebit hiſtoriam S. Eraſmi, quæ in illius officio lecta non fuit, ſed pro nona lectione poni debebit, licet non agat de omnibus Sanctis ſimplicibus eo die occurrentibus, ſed de ſolo Sancto Eraſmo.

XV. *Fieri tamen debet de eo commemoratio*. Quoties lectiones dividi nequeunt, & in duas partiri, in quarum una habeantur propria ejus, de quo fit officium, & propria illius, de quo facienda eſt commemoratio, in altera, amborum hiſtoria legitur in ſecundo nocturno, & ad præcavendam repetitionem non amplius legitur nona lectio de ſimplici, ſeu de ejuſdem hiſtoria; at quia eſto hujus hiſtoria lecta per accidens ſit in officio, officium tamen de ambobus non fuit, ſed de eo ſolum, de quo habetur Reliquia, idcirco ejuſdem commemoratio proculdubio in laudibus, & primis veſperis deperdi non poteſt. Quando autem ſunt plures Sancti, qui ſimplices remanent, licet, forſitan lectio, quæ disjungi potuit, de uno duntaxat loquatur, de ceteris mixtim cum lectionibus officii actum ſit, adhuc commemoratio non erit de illo ſolo, de quo lecta eſt nona lectio, ſed etiam de omnibus illis ſimplicibus.

XVI. Unam adhuc ſupereſt examinare, atque diſcutere quæſtionem, videlicet quid faciendum ſit, quoties plures inſignes habeantur Reliquiæ de Sanctis, qui ſimul in Breviario habent officium: eruntne ſeparandi, an vero unitim celebrandi? De omnibus ſimul inſtituetur officium ſub ritu duplici minori, ſi ritum altiorem jam non habeant in Breviario, nec ob diſtinctas, quæ habentur, Reliquias diſtinctum fiet officium, ſed uno duntaxat officio omnibus Reliquiis ſatisfiat. Secus vero dicendum venit, ſi dicti Sancti in Breviario non habeant officium, tametſi eadem die occurrant; tunc enim de digniori, vel ſolemniori in propria die fieri debet officium, translatis ceteris, & repoſitis in primam diem non impeditam, aut magis ob perpetuam translationem in alteram diem immutatis, quemadmodum fit, quoties eadem die plura Sanctorum officia ſimul occurrunt; unaquæque enim Reliquia titulus ſufficiens eſt ad inducendum officium. Falleret hoc tamen, ſi eorumdem aliqui eſſent ex Sanctis per ſe, & ex natura rei junctis, quoniam hi ſimul celebrarentur, translatis duntaxat aliis ſimul occurrentibus, de quibus quoque inſignis habetur Reliquia. Hæc ex dictis in hoc Capite ſatis perſpicua ſunt, & ideo ulteriora non addimus.

XVII. Ex dictis plura colliges, & primo, quod quando ex pluribus Sanctis ſimplicibus ſub una feſtivitate occurrentibus unius duntaxat habetur Reliquia, de eo ſolum inſtituendum eſt officium duplex minus, remanentibus ceteris ſimplicibus, ut prius. Idipſum conſequenter evenit, quoties alter ex iiſdem in Patronum minus Principalem duntaxat aſſumitur. Fallit tamen in utroque caſu, quoties Socii ſunt eidem per ſe, & ex natura rei juncti, ut dicebamus in præcedenti Decreto.

XVIII. Colliges 2. eamdem omnimode diviſionem lectionum, & regulam ab hoc Decreto teneri præſcriptam in caſu Reliquiæ ut ſupra, ſervandam quoque eſſe in caſu aſſumptionis unius ex illis in Patronum minus Principalem. Quod autem dictum eſt in caſu Reliquiæ tantummodo unius ex illis Sanctis, idem dicendum eſt, ſi plurium eorumdem haberentur Reliquiæ, aut aſſumptio fieret in Patronos minus Principales; illorum enim de quibus haberentur Reliquiæ, fieret officium duplex, minus, aut majus, ſi eſſent Patroni minus Principales, ſub una feſtivitate, & ceteri cum ſuo ſimplici ritu permanerent, & ut ſupra diviſio fieret lectionum, ſeparando propria, per quantum commode fieri poteſt, eorum, de quibus fit officium, a propriis eorum, de quibus facienda eſt commemoratio; ſin autem diviſio commode fieri nequeat, agendo prout diſponitur in hocce Decreto.

XIX. Colliges 3. memoratam diviſionem lectionum pariter eſſe faciendam, quoties omnes Sancti ſunt in Breviario ſub ritu ſemiduplici, vel duplici, & unus, vel plures illorum transferendi ſunt, & in altera die celebrandi ſub ritu duplici, vel ſemiduplici, eo quod eorumdem alter eſt Titularis Eccleſiæ, vel Patronus Principalis: quæ enim ſunt propria Tituli, vel Patroni principalis, in ejuſdem feſtivitate ſunt retinenda, reſervatis propriis aliorum in eorumdem officio recitandis. Quod ſi diviſio commode fieri non poſſit, eo quod geſta unius cum alterius mixta ſunt, & confuſa, in utroque feſto nihil vetat eaſdem legi lectiones, imo legi debebunt, ut utrique feſto correſpondeant lectiones, geſta, & mortem Sanctorum, de quibus officium recolitur, enarrantes.

CAPUT SEXTUM.

De Sanctis, qui in fine anni ſuperſunt.

I. FEſtorum prurigo multorum e Clero tam Secularium, quam Regularium, animos ita perſuaſit, ut nihil plus oprent, nihil fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium feriarum officiis; continuis, ac prope quotidianis feſtis indulgere, opinantes ſibi, & Religioni magnum augmentum, & Eccleſiæ ſuæ, vel Ordini ſplendorem acciviſſe, ſi corrogatis undique opportune, importune Sanctis, conſertum, & coagmentatum, atque ſuperfluens Kalendarium proprium compegerint. O quam vereor ego, ne ſpecioſo pietatis prætextu, in iſtis ſe tegat innatum pleriſque in divino officio brevitatis ſollicitandæ ſtudium! Hoc tamen, qualecumque ſit, ſtudium, quam ſit a priſco, & legitimo Eccleſiæ ſenſu alienum, quamque perturbationem, ac varia incommoda ſecum ferat, curſim arbitror hic obſervare; fallor tamen, ſi quod ego incommoda, deſit qui commodi nomine non invitus accipiet.

II. Primum igitur notabile detrimentum, quinimmo vulnus lethale infertur officio de Tempore ex feſtorum multiplicatione, quæ eo uſque ulicubi crevit, ut vel nullus, ſeu vix locus ullus, aut certe exiguus admodum feriis ſuperſit. Ut autem videas, quanta eſſet priſcis temporibus ferialis officii reverentia, quantaque averſio ab illius decoctione, conſule Radulphum Tungreſem, qui *propoſ.* 17. 18., *&* 22. quæ ſatis prolixæ ſunt, totus eſt in confutanda feſtorum multiplicatione, adeo ut etiam *abuſum deteſtandum* eam appellare non dubitet, acriuſque in ejus Auctores invehatur. Plura ex eodem referri poſſent, ſed contentus eſto hoc uno illius verbo, quo ex præmiſſa comparatione feriarum ſex pro una Dominica, & Diſcipulorum 72. pro 12. Apoſtolis ſic concludit: *Sicut ergo pauci ſunt dies Dominici, & multæ feriæ, ac pauci Apoſtoli, & multi Diſcipuli; ita pauca debent eſſe feſtivitates, & multæ feriæ.* Et paulo poſt: *Si bene computes & ordines, non erunt tot feſtivitates in anno ſicut ſunt Dominici dies, quia Servi non debent eſſe ſupra eorum Dominum, nec Diſcipuli ſupra Magiſtrum*; hinc ex eodem Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. ſic ait: *Feriale officium Domini eſt, quod a quocumque Servo non debet obrui, & ideo videant Epiſcopi, ne pluralitate feſtorum fiat injuria officio feriali Domini Dei noſtri.* His adde Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, qui conſultus a Canonicis Carnotenſibus, qua ratione Sancti Joſephi feſtum poſſent celebrare, modum hunc illis præſcribit *in Epiſt. ad Cantorem Carnotenſem data Conſtantiæ 7. Septemb.* 1416., *& relata tom. 4. ejus operum*, ut homiliam de Evangelio proprio legerent feria 5. poſt Dominicam 3. Adventus, & Miſſam eodem die de ipſo cantarent qui modus, inquit, placet admodum, *quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impeditivus ordinarii ſervitii de Adventu.*

III. Secundo. Integram ſingulis hebdomadis Pſalterii recitationem, quæ officii præcipua, & maxima pars eſt, multiplicatio feſtorum interdicit, ac prohibet penitus, quinimmo ne ſemel quidem toto anno præfati Pſalterii recitationem locum habere multoties evenit: quæ tamen potiſſima cauſa fuit, ob quam aſſerit Cardinalis Quignonius ſe novam illam Breviarii formam, a Pio V. poſtea rejectam, excogitaſſe, ut videlicet, *Quibuſcumque feſtis occurrentibus, nihilominus Pſalterii recitatio ſingulis hebdomadis abſolveretur.*

IV. Tertio. Officium Dominicarum plurimarum, vel fere omnium ſupprimitur ob frequentem feſtorum duplicium occurrentiam, cui tamen quantum honoris deferendum ſit, abunde demonſtrant ea, quæ dabimus in præliminaribus Capitis de Diebus Dominicis. Hoc autem teſte Guyeto *lib.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 19. Sacra Rituum Congregatio tantopere abhorret, ut olim ſtatuerit nulla deinceps concedere feſta duplicia; idque notat expreſſe Clemens VIII. 19. Junii 1601., quando concedit univerſæ Religioni Eremitarum S. P. Auguſtini officium duntaxat ſemiduplex de tunc B. Joanne a S. Facundo, cujus Bullæ tenorem refert Caſtellanus *in Compendio Bullarum in tertia editione Venetiis* 1605., ut refert, ac probat Gavantus *loco cit. num.* 4.

V. Quarto. Feſtorum ſimplicium, ac Vigiliarum uſus omnis, vel fere omnis extinguitur, iis ut plurimum ad commemorationem redactis. Quin & paris quoque jacturæ periculum incurrunt octavæ. Parumne tibi videtur duas, treſve ſpecies ex uno genere ſic aboleri?

VI. Quinto. E medio tollitur officium feriarum ſacroſanctæ Quadrageſimæ, quo tempore ex Decreto Concilii Laudicenſis nulla olim natalitia Martyrum celebrabantur; quem ritum Eccleſia Ambroſiana etiam nunc ſtrictiſſime obſervat; Romana vero nonnulla quidem feſta, ſed pauca admittit eo tempore, a quo in recognitione Breviarii octavæ etiam fuerunt excluſæ. Tempore item Adventus, quod totum occupatum veniret, rariora ſunt indicta feſta, quo bene affectus erga proximum Redemptorem animus minus interrumpatur, & licet ab eo expulſæ non fuerint octavæ, excogitatum tamen extitit, eaſdem eo tempore penitus interdicere, & a die 17. Decembris inhibitæ fuere, ut monet Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. Quinimmo, ut locum fieret præfatis feriis Adventus, & Quadrageſimæ, de officiis votivis nunc fieri pluribus Decretis inhibitum extitit; ut videbitur in Capita de officiis votivis.

VII. Sexto. Hiſtoriarum, & Reſponſoriorum ex libris Scripturæ deſumptorum, Miſſarum item Dominicalium frequens contingit omiſſio; quæ tamen tanti faciunt Rubricæ, ut in proprio die impedita, ex earumdem præſcripto in altero ſint reſumenda.

VIII. Septimo. Abit in nihilum officium B. Mariæ, tum majus in Sabbato, tum parvum, quod quotidianum dicitur, ceſſatque una præcipuum erga B. Virginem obſequium, quæ a tota Eccleſia *Advocata noſtra* prædicatur, cum tamen ſic tantæ Patronæ debitum exiſtimaverit Pius V., ut licet in ſua Bulla officii Defunctorum, ac Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium relaxationem fecerit, circa tamen officium parvum Beatæ Mariæ nihil innovandum putaverit, quinimmo ad illud recitandum indulgentiarum propoſitione ulterius allexerit.

IX. Octavo. Pari laborant diſcrimine officium Defunctorum, quod eximiæ pietatis eſt, Pſalmi item Graduales, ac Pœnitentiales certis diebus addicti. Ceſſante ſiquidem officio feriali, ceſſant & illa omnia. Cum igitur ſic omnia in Divinis officiis diſpoſita ſint, ut nihil ſuperfluum ſit, nihil otioſum, & inutile, nihil quod ſuo loco non quadret aptiſſime, ac cum aliis partibus mirabili æquabilitate non cohæreat, non multum commendabilis profecto videtur feſtorum congeſta multiplicitas, quæ eorumdem quamplurima, vel omnia reſecat, ac perimit; hinc recte infert idem, qui ſupra, Radulphus commendans Feſtorum paucitatem, propoſitione 17. gratiorem eſſe ipſis Sanctis ejuſmodi obſervationem. *Ad finem*, inquit, *ut Pſalterium, Sacra Scriptura, Officium Mortuorum, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, Pſalmi Graduales, & hujuſmodi ſerventur juſto ordine.*

X. Hæc incommoda ut vitarentur æque, ac quamplurima alia, quæ brevitatis gratia haud recenſita fuere, Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *Paſtoralis officii* data anno 1573. ad Eccleſias Hiſpaniæ, prohibuit, ne tantam multitudinem feſtorum inducerent: *In primis*, inquit, *illud nobis declarandum ſe offert, ex quo magna oriri poterat confuſio, ut ſcilicet officium majoris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarii ſubverteretur.* Sacra item Rituum Congregatio novis Breviariis auctoritate Urbani VIII. recognitis, laudante ipſomet Pontifice, ſolemne illud Decretum appoſuit, quo facultatem omnem Ordinariis quibuſcumque tam Regularibus, quam ſæcularibus adimit, feſta ulla Kalendariis etiam propriis addendi, præter ea quæ a Rubricis conceduntur; quod late expoſitum ſuo loco faciemus, ubi id aliis itidem vicibus deciſum fuiſſe apparebit.

XI. Quæ licet ſancte ſancita, ac ſtatuta fuerint, modo tamen adeo a ſua conſtitutione deflexere, ut multiplicatis ubique feſtis vel penitus evanuerint, vel brevi evaneſcent. Juſtis tamen quidem de cauſis; cum enim Unigenitus æterni Patris Filius numquam deſiſtat mirabiliter illuminare terram ſuam a montibus æternis, ſed variis locis, variiſque temporibus ſuſcitando æternæ gloriæ candidatos, Sanctos ſuos, Eccleſiam ſanctam illuſtrare mirabilem in modum conſueſcat, ut addat in dies magis domi ſuæ gloriam, & decorem, ſed etiam ut irradiando humanæ vitæ tenebras ſplendoribus Sanctorum tarditatem noſtram urgeat, Fratrum noſtrorum exemplo, quaſi præſenti teſtimonio oculorum; hinc eſt, quod Eccleſia a Sponſo ſuo edocta identidem nonnulla eorumdem feſta inſtituit, ac officia, ut Fratrum ſuorum præclara recolentes merita, ac admiranda geſta, eorumdem exemplo Fideles ediſcant terrena deſpicere, & amare cœleſtia.

XII. Adſunt & nonnullæ præ ceteris Eccleſiæ, ac præſertim Religiones, quæ in hoc agnoſcunt felicitatem ſuam, quod fortiſſimarum Martyrum purpuratis populis venerabilium Sacerdotum beatis cœtibus, caſtiſſimarum Virginum ſplendidis choris, ac ſanctarum mulierum cœleſtibus numeris, quaſi multiplici rutilantium honore gemmarum corona decoræ, Orbi univerſo præfulgent. His autem Eccleſiis, vel Religionibus quis litem ullam de illorum Sanctorum, quos utero ſuo conceptos, ac ſinu veluti educatos, Cœlo tandem ipſæ peperere, feſtis expungendis, vel non promovendis, aut ſtabiliendis intentaret?

XIII. Nec deſunt Sancti aliqui, qui nonnullis in locis ſpecialibus gratiis, favoribus, ac beneficiis præ ceteris redduntur illuſtres, ſingularemque ſibi vindicant affectum, ut Chriſtifidelium devotionem, ad quam magis augendam, ac animi ſui gratitudinem oſtendendam, Populi, Cleri, Præſulum, ac Principum pro officii conceſſione iterata vota apud Sedem Apoſtolicam non ſemel porriguntur.

XIV. Cum igitur pia Mater Eccleſia Filiis ſuis neſciat denegare id, quod rationabiliter eos expoſcere videt, ac in Domino conſpicit ſalubriter expedire, his, & aliis de cauſis factum eſt, ut porrectis precibus de ſua benignitate ſenſim indulgendo, nonnullis in Eccleſiis, ac Religionibus adeo creverit multiplicatio Feſtorum, ut cuncta quandoque intra annum locum non habeant; hoc autem etſi ſine ſuppreſſione officii ferialis, quod juxta Gavantum officium Domini eſt, nequaquam eveniat, nulla tamen injuria infertur Domino, qui finis eſt, ad quem dirigitur omne omnino officium. De his igitur Sanctis, qui in fine anni quandoque incelebrati ſuperſunt, impræſentiarum inſtituitur ſermo, tum ad ſatisfaciendum plurimorum inſtantiis, tum ad recenſenda ea incommoda, quæ ex feſtorum multiplicitate exoriri, in ſuperioribus Capitibus non ſemel dicebamus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXIX.

Officia Sanctorum, quæ de Menſe Decembris aliquando ſuperſunt, transferri poſſunt, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canonicor. Regul. Lateranen.* & 27. Aprilis 1697. *in Florentina*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 108.

I. OFficia Sanctorum, quæ de præcepto ſtata die ſingulis annis celebrari conceſſa ſunt, ſi a Feſta altioris ritus, vel dignitatis, aut a quibuſcumque aliis officiis privilegiis ſuffultis in propria die impediuntur, in primam diem non impeditam transferenda eſſe, in eaque celebranda eſt aperta diſpoſitio Rubricæ *X. de Translat. Feſtor.*

II. Hæc tamen Rubrica nonnullis viſa eſt intra eumdem dumtaxat annum ſibi locum vindicare, nimis alienum, ac exorbitans arbitrantibus, de eodem Feſto, cujus celebratio ſemel tantummodo ſingulis annis indicta eſt, in aliquo bis officium inſtitui; quod non ſemel eveniret, ſi officia, quæ in uno anno ſuperſunt, in ſequentem transferri valerent. Accidat in Dominica Feſtum v. gr. S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, & Martyris inclyti, cujus officium ſub ritu ſemiduplici die 29. Decembris univerſalis colit Eccleſia, & dies ſequens ſit alicubi impedita officio aliquo occurrente vel Dedicationis, aut Titularis, aut cujuſcumque alterius Sancti, ut Veronæ S. Chrichitui ejuſdem Urbis Epiſcopi, tunc cum præfatum Feſtum S. Thomæ officio Dominicæ cedat, nec aliqua, qua reponi queat, ſuperſit anni dies, hoc ipſo, quod ad annum inſequentem transferri poſſet, in eodem bis de eo officium fieret, die videlicet, in quam ab anno præcedenti transferretur, & die propria natalitia, quæ ab occurrenti officio Dominicæ non amplius occupata foret.

III. Aliunde vero cum Feſtorum de præcepto, ad differentiam officiorum ad libitum, ea lex ſit, ut omitti non poſſint, ſed impedita in proprio die, in alium non impeditum transferri debeant; & Rubrica, quæ hujuſmodi præcipit translationem, abſolute, & indiſtincte, ac ulla abſque limitatione eam præcipiat, ſane non videbatur arctanda ad primum dumtaxat diem non impeditum ejuſdem anni, ſed abſolute, & ſimpliciter intelligenda de primo die non impedito, ſive poſtea ejuſdem vel ſequentis ſit anni; *Generale ſiquidem dictum eſt generaliter intelligendum eſt ff. de ſerv. Urb. præ l. ſi ſervitus ff. de publ. l. de precio*; & maxime in favorabilibus, in quibus ampliandum eſſe, non reſtringendum nos edocet Regula 15. Juris in 6. Feſta igitur de præcepto in proprio die impedita, ad primum non impeditum ſequentis anni amandanda videbantur, quoties nullus liber, ac vacuus aderat in præcedenti, qui ea caperе poſſet. Bina autem, quæ hinc ſequitur, intra annum de eodem feſto officii recitatio, adeo abeſt, ut quid abſonum habeat, aut exorbitans, quia earum una pro adimplemento præcepti præcedentis anni, quod ſervari non potuit, unice deſervit, quin potius Rubricis congrua valde ſit, ac neceſſaria ad binæ ſatisfaciendum obligationi recitandi de eo feſto officium, videlicet præcedentis anni, in quo locum non habuit, & adhuc inſtat, & tunc currentis, in quo & dicta urget obligatio; ad eum velut modum, quo ſi quis intra annum annuæ haud implevit præceptum Confeſſionis, ut duobus inſtantibus præceptis ſatisfaciat, ad binam ſuorum peccatorum confeſſionem in ſequenti anno tenetur, juxta ea, quæ tradunt Bonacina, aliique Auctores.

IV. Cum itaque ex Feſtis, quæ ſunt de Menſe Decembris, & præſertim, quæ verſus finem ejuſdem menſis occurrunt, nonnulla intra annum locum non habere aliquando contingeret, inſignis Canonicorum Regularium Lateranenſium Religio ſuper hoc Sacram Rituum Congregationem conſulendam exiſtimavit, quæ quod eorumdem Sanctorum natalis dies ad periodos evenerit anni, ac conſequenter quod eorum officia, quoties a propria die dimoventur, vaſtum, ut ceteri Sancti, quorum feſta aliis anni menſibus conſignata reperiuntur, ſpatium, quo poni queant, minime habeant, non eorumdem Sanctorum culpæ, ſed ſupernæ Divinæ diſpoſitioni tribuendi exiſtimans, nihil inde præjudicii ipſis inferri voluit; quapropter ne proprio, ut ceteri, defraudati venirent officio, præſens, quod exponimus, Decretum edidit, quo *officia Sanctorum, quæ de Menſe Decembris aliquando ſuperſunt, transferri poſſe, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni cenſuit*; & cum ex parte Eccleſiæ Florentinæ idem repropoſitum fuerit dubium, ſtetit in deciſis die 27. Aprilis 1697.

V. Conſtans hæc antea fuit opinio Gavanti *ſect. 6. cap. 6. num. 11.*, ubi poſito caſu Dedicationis occurrentis die 28. Decembris, ſi hæc ſit dies Sabbati, cenſet Feſtum SS. Innocentium reponendum eſſe in feria ſecunda immediate ſequenti, & feſtum S. Thomæ Cantuarienſis, quod ratione Dominicæ occurrentis a propria ſtatione amovetur, conſignat primæ diei non impeditæ poſt octavam Epiphaniæ, eo nixus fundamento, quod de duobus feſtis translatis Innocentium, & S. Thomæ, de digniori prius eſt recitandum officium. Si autem ea dies Sabbatum minime ſit, Feſtum SS. Innocentium in die octava eorumdem aſſeverat eſſe regulariter celebrandum. In eamdem more ſuo ivit ſententiam Meratus *ibidem num.* 3. ubi & citat Henricum Piſart *in Directorio Canonico cap. 2. propria de tempore n. 9.*, necnon P. Haldan *par. 2. tit. 12.*, *& par. 3. in corollariis tituli de occurr., & concurr., coroll. 3.*, in eo dumtaxat diſcrepans a Gavanto, quod ubi hic in occurſu præfato Dedicationis in die 28. Decembris, quæ ſit dies Sabbati, in feria ſecunda immediate ſequenti Feſtum SS. Innocentium vult eſſe celebrandum, & illud S. Thomæ prima die non impedita poſt octavam Epiphaniæ, ipſe ſentit, quod officium S. Thomæ in dicta feria ſecunda celebrari debeat, & Feſtum SS. Innocentium poſt octavam Epiphaniæ. Diſcrepent hi igitur quamvis quoad diem, cui dictorum feſtorum celebratio eſt conſignanda, conſentiunt tamen in eo, quod officia Sanctorum, quæ ſuperſunt de menſe Decembris, poſſint transferri & fieri prima die non impedita ſequentis anni.

VI. Verum licet, quæ modo hic dicturi ſumus, ad præſentem ſcopum minime colliment, præfato in occurſu Dedicationis in die 28. Decembris, quæ ſit dies Sabbati, breviter examinandum putamus, quanam die celebranda ſint memorata feſta SS. Innocentium, & S. Thomæ? Juxtane Gavanti opinionem, an vero juxta placitum Merati? Ne Lector tantorum Doctorum auctoritatis pondere preſſus alterutram amplectendo allucinetur, & nos videamur nobiſmetipſis hic defeciſſe, vel eorumdem errorem approbare; dum data opportunitate Lectorem de præfatorum Auctorum allucinatione non præmonemus.

VII. Aberravit itaque Gavantus, dum dicto in eventu Feſtum SS. Innocentium, & non illud S. Thomæ tradit feriæ ſecundæ immediate ſequenti; feſtum enim ſemiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam, & admittentem officia ſemiduplicia, cujuſmodi eſt octava Nativitatis Domini, debere transferri in feriam ſecundam immediate ſequentem, ſi non ſit impedita alio feſto duplici; vel ſemiduplici occurrenti diſponit Rubrica X. *de Transl. Feſtor. numer.* 5., & quidem tamquam in diem propriam, & ei aſſignatam, ita ut tantum juris habeat in ea, ut non cedat non ſolum duplici 2. claſſis, ſicut eſt Feſtum SS. Innocentium, ſed neque primæ claſſis translato, juxta quamplurima Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quæ fuſe examinabimus in Cap. de Feſto ſemiduplici incidente in Dominica infra octavam. Si tamen verum fateri debemus, Gavanti error admodum tolerabilis extat; tunc enim temporis, quo ipſe ſcripſit, nondum emanata erant dicta Decreta, & Rubrica X., quæ feſtum ſemiduplex incidens in Dominica infra octavam non privilegiatam feriæ ſecundæ immediate ſequenti conſignat, clauſulam, *Dummodo non inſtet feſtum aliquod altioris ritus translatum*, optime poterat ſuſtinere.

VIII. Utinam uti Gavantum, ſic Meratum ab errore vindicare poſſemus! Aſſerit iſte, & bene dicto in occurſu officium S. Thomæ feriæ ſecundæ immediate ſequenti eſſe conſignandum, ſic enim, ut dicebamus, ferunt Rubricæ, & iterata Sacræ Congregationis Decreta; ſed non ſimiliter bene, dum Feſtum SS. Innocentium ad primam uſque diem non impeditam poſt octavam Epiphaniæ celebrandum amandat. Demus, feſta unius anni in ſequentem poſſe transferri (quod tamen ipſe juxta a ſe dicta *ſect. 3. cap. 10. num. 3.* ægre, ut ſis eſt, concedat ob Decreta Sacræ Congregationis, quæ affert, & probat) inconcuſſum tamen, & certum eſt, ea in prima die non impedita debere reponi; ſic enim clamant omnes Rubricæ, ſic omnes Auctores, ſic præſens, & quæcumque alia Decreta. Quomodo igitur Feſtum SS. Innocentium uſque poſt octavam Epiphaniæ protrahitur? Cur non potius in diem quartam Januarii, quæ eſt prima tali in eventu dies anni non impedita? Vult enim forſan prius celebrari diem octavam, quæ eo die incidit, quam feſtum SS. Innocentium? Sunt nimis vulgatæ Rubricæ id inhibentes, ut tam celeberrimum virum eas latere potuiſſe credamus. Quid igitur? Credidit ipſene ab occurrenti Dominicæ officio diem quartam Januarii occupari? Aſt ſi Feſtum SS. Innocentium incidit in Sabbatum, in Sabbatum incidat & dies eorumdem octava neceſſe eſt. Forſan a die octava Dedicationis diem quartam Januarii impeditam exiſtimavit? Non item, quia credere haud poſſumus celeberrimum virum latuiſſe, talibus diebus præter aſſignatas a Breviario de quibuſcumque aliis octavis officium inſtitui a Rubricis inhibitum eſſe. Unde igitur optimi Rubricarum Interpretis allucinationem derivaſſe credendum eſt? A nimio zelo doctrinæ Gavanti, ejuſque plus æquo fideli ſequela. Vidit Gavantum Feſtum SS. Innocentium tradere dictæ feriæ ſecundæ, & feſtum S. Thomæ primæ diei non impeditæ poſt octavam Epiphaniæ; ab ejuſdem ſententia recedere ob ſupramemorata Decreta ſe coactum fatetur, ſed vere coactum ſe oſtendit, dum non ſatis ab ea receſſit; ſolam enim diem mutavit, Feſto SS. Innocentium dans eam, quam Gavantus feſto S. Thomæ conceſſerat, ſcilicet primam diem non impeditam poſt Epiphaniam, & feſto S. Thomæ memoratam feriam ſecundam, quam ille Feſto SS. Innocentium conſignaverat. Aſt bene Gavantus in caſu feſtum S. Thomæ poſt octavam uſque Epiphaniæ celebrandum pronunciat, quia dies quarta Januarii a die octava eorumdem SS. Innocentium, quorum feſtum jam celebratum ſupponitur die 30. Decembris, tunc remanet occupata; at non bene Meratus, quia dies quarta prædicta tunc minime impedita venit a die octava SS. Innocentium ob non præcedenter celebratam eorumdem feſtivitatem.

IX. Foret itaque præfato in occurſu, quando ad annum ſequentem transferri valeret, de quo in ſequentibus Decretis, Feſtum SS. Innocentium celebrandum die quarta Januarii, ut aperte eruitur ex Rubrica X. *de Transl. Feſtor. num.* 1., & faciendum præſcribit Gavantus ipſe loco citato, & Fagnoli *in Kalend. perpet. addit. ad menſem Decemb. lit. o*,

& ſic

& ſic fieri debere in ſimilibus caſibus docent omnes Auctores, inter quos Meratus ipſe *ſect. 3. cap. 8. num. 16.*, hinc hanc ſuper rem ulterius non eſſe immorandum arbitrantes, gradum facimus ad exponenda verba Decreti.

X. *Officia Sanctorum, quæ de menſe Decembris.* Hæc nobis innuunt verba, de officiis ſolummodo, quæ de menſe Decembris ſuperſunt, diſpoſitionem procedere; an autem id pronunciandum ſimiliter ſit de Sanctorum officiis, quæ in ceteris occurrunt anni menſibus, diſcutietur in expoſitione ſequentis Decreti. Hic tamen volumus adnotatum, quod pro Sanctis de menſe Decembris ſpecialis non deeſt ratio, deficientia ſcilicet vaſtioris ſpatii, quo intra annum poni queant, & frequentior eorumdem officiorum omiſſio, quæ ſequeretur, ſi ad annum ſequentem non poſſent transferri.

XI. *Aliquando ſuperſunt.* Accurate notes, cupio, adverbium illud *Aliquando*, ut inde intelligas, Decretum comprehendere officia, quæ una, vel altera vice, non quæ ſemper ſuperſunt; quæ etenim ſemper ſuperſunt, nec dubium erat, quod ad annum ſequentem poſſent transferri, cum Sanctos illos æquum proculdubio haud fuiſſet ſuo officio, quod in præcepto eſt, perpetuum privari; hinc & impræſentiarum, non obſtantibus Decretis derogatoriis, ſeu translationem Sanctorum ad annum ſequentem inhibentibus, in horum obſervabimus explanatione officia, quæ ſemper ſuperſunt, in eiſdem nequaquam eſſe comprehenſa, ſed adhuc ad annum ſequentem transferri poſſe, ſeu potius in aliam diem ſequentis anni figenda fore, ſeu perpetuo immutanda, niſi mavis eadem feſta, quæ intra annum nunquam locum habent, alteri diei ejuſdem anni anticipate in perpetuum conſignare, quemadmodum fieri etiam poſſe diceramus in Capite de Immutatione Feſtorum.

XII. *Transferri poſſunt.* Verbum *Poſſunt* facultatem denotat, non præceptum; unde ubi officium de præcepto, quod in proprio die impeditum, nedum transferri poteſt, ſed debet ad primum diem non impeditum ejuſdem anni, ad primum diem non impeditum ſequentis transferri, etſi juxta hoc Decretum utique poſſit; hoc tamen fieri neceſſe non eſt, ſed id in Recitantium manet arbitrio, quare officia, quæ in præcedenti anno de præcepto erant, in ſequenti evadunt ad libitum, ſeu inſtar officiorum ex privilegio, quorum repoſitio non in præcepto, ſed in arbitrio eſſe videtur, ſi eorumdem conceſſionis præciſe attendantur verba.

XIII. *Et fieri in prima die non impedita.* Ea autem cenſetur dies impedita pro repoſitione officiorum translatorum præcedentis anni, quæ impedita cenſetur etiam pro repoſitione officiorum translatorum intra eumdem annum, ad quorum utique normam, ac regulam regenda venit repoſitio translatorum ab anno præcedenti; hinc duplicia, licet ſequentis anni, prius repoſita venient, quam ſemiduplicia præcedentis &c.

XIV. *Sequentis anni.* Nonnullorum hic carpitur error, qui, ut in aliquibus Regularium obſervavi Directoriis, officia translata nedum in ſequenti anno, ſed etiam in aliis ulterioribus reponebant, unde magna oriebantur incommoda, ac confuſiones, de quibus in ſequentibus Decretis memoriam fiet; ſolum enim transferri permittebantur *ad annum ſequentem*, non quemcumque, ſed *proxime ſequentem*, quemadmodum expreſſioribus terminis ſancitum apparebit in Decreto, quod mox daturi, ac expoſituri ſumus.

XV. Decretum, quod modo examinavimus, confirmationem habet a ſequenti, & derogationem ab aliis tribus poſterioribus hujus Capitis, ad quæ videnda Lectorem remittimus, ut inde intelligat, qualem nunc ſubſiſtentiam præſens ſortiatur Decretum una cum iis, quæ in ejuſdem expoſitione dicebamus. Decreta autem derogatoria ſunt III., IV., & V. præſentis Capitis.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXX.

Cum ſæpe contingat aliqua officia unius anni non poſſe in eodem celebrari, licet anno proxime ſequenti ea perſolvi. S. R. C. 27. Septemb. 1698. *in una Ord. Cappucinor.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 207.

I. REgularium Eccleſiæ cum ultra officia de Breviario Romano quamplurimis aliis Sanctorum indigenarum, & eorumdem octavis ſint occupatæ, quibus ſi addantur, quæ ſunt particularia Conventui, in quo degunt, ſcilicet Dedicationis, Titularis, & Reliquiarum, necnon Regnorum, Provinciarum, Diœceſum, vel locorum, intra quorum confinia Monaſteria ſita ſunt, Sanctorum officia, ad quæ tenentur, vel poſſunt recitare, non modicus ſane eorumdem numerus ita accreſcit, ut nedum nonnulla *de menſe Decembri*, & *aliquando*, ſed etiam *anni*, aliorum ſcilicet adhuc menſium, & *ſæpe* in fine anni incelebrata ſuperſint. Hujuſmodi caſus non ſemel eveniebat in Eccleſiis Ordinis Cappuccinorum, ad quorum propterea inſtantias præſens prodiit favorabile Decretum etiam pro Sanctis aliorum menſium a Decembri, qui intra annum reponi non poterant.

II. Exiſtimavit forſitan Meratus inter hoc, & præcedens Decreta nullum intervenire diſcrimen, dum in Indice Decretorum Breviarii nu. 108. poſtquam retuliſſet præcedens Decretum, ſubjungit idem declaraſſe Sacram Rituum Congregationem die 27. Septembris 1698., quæ eſt dies Datæ præſentis Decreti. Aſt pace tanti viri latius patet præſens Decretum, quod nedum officia *menſis Decembris*, ſicut præcedens Decretum, ſed *anni*, omnium ſcilicet etiam aliorum menſium, permittit in anno proxime ſequenti perſolvi. Et quidem cum non minus cetera, ut ſupponitur, aliorum anni menſium feſta ſint de præcepto; de cunctis æque cautet Rubrica, quod in proprio die impedita, ad primum non impeditum ſint transferenda; nulla ex iiſdem non ſecus in culpa ſint, cur intra annum locum non habeant: profecto omnia anni feſta, & non tantum, quæ ſuperſunt de menſe Decembris, ſuo non erant defraudanda officio, par ſiquidem ratio parem exigit diſpoſitionem.

III. Cetera, quæ Decretum habet, ex dictis in præcedenti uberem explanationem accipiunt; hinc per ly *Sæpe* ſermonem de officiis perpetuo translatis, ſeu quæ ſemper in individuo in fine anni ſuperſunt, intelliges hic non inſtitui: ly *Licet* non minus, ac ly *Poſſunt* facultatem tantummodo, & non obligationem feſta remanentia reponendi in anno ſequenti ſignificat; & ly *Anno proxime ſequenti* non ultra annum immediate, & proxime ſequentem ea perſolvi poſſe patenter declarat.

IV. Conſulat tamen Lector tria ſequentia Decreta, ut diſcat, an, & qualiter per ea ſit huic derogatum.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXXI.

Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſunt transferendi ad annum ſequentem, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in ſemiduplicibus cum nona lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni. S. R. C. 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. numer. 282.

I. NIrois clariora ſunt verba, quibus hoc expreſſum reperitur Decretum, ut exiſtimemus duabus præcedentibus Sanctionibus per ea non eſſe plenarie derogatum. Quis enim niſi ſtultus, aut bardus per Decretum, in quo aperte ſtatuitur, *Sanctos, qui in fine anni ſuperſunt, non eſſe transferendos ad annum ſequentem*, Sanctiones illas, in quibus *eoſdem Sanctos ad annum ſequentem transferri poſſe permittitur*, non aboleri autumaret? Si iidem Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, & toto anni decurſu de illis celebrari non valet, *tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, & legendo eorumdem nonam lectionem compoſitam ex omnibus lectionibus propriis ſecundi nocturni*, quomodo ad annum ſequentem transferri iidem poterunt? Plus ſatis perſpicua hæc ſunt, ut valeant ſuper hoc nos ulterius morari.

II. Non deerunt eſſeri feriarum inimici, ac brevitatis officiorum plus æquo ſtudioſi ſolliciti, qui particulare pro Eccleſia Hiſpalenſi, ad ceteras Eccleſias proinde minime extendendum, judicabunt Decretum. Aſt quæſo, cur non potius particularia arbitrantur ſuperius recenſita Decreta, in quibus officia unius anni, ſi ſuperſint, in ſequenti perſolvi poſſe permittitur? Nonne & ipſa ad inquiſitionem particularium Ordinum, & Eccleſiarum, Canonicorum ſcilicet Regularium Lateranenſium, Cappuccinorum, & Eccleſiæ Florentinæ fuerunt emanata? Cur igitur noſtrum, & non ea particularia ſunt? Cur hæc, & non noſtrum, ad normam, & exemplum in iiſdem, & ſimilibus caſibus pro Eccleſia univerſali valent deſervire?

III. Abſit igitur, ut hi prolixioris officii exprobratores importuni me ſuæ hac in parte opinionis aſſeclam habeant. Nimis repetitum extitit hujuſmodi Decretum, ut ego eorumdem queam in ſententia quieſcere. Id enim ad inſtantiam Eccleſiæ Hiſpalenſis fuit ſancitum, ad inquiſitionem Toletanæ confirmatum, ad dubium adhuc in S. Congregatione ex parte Patris Joſephi a Vernio Ordinis Minorum Cappuccinorum repropoſitum, ab eadem S. Congregatione iterum approbatum, ut apparebit ex duobus ſequentibus dandis Decretis, quibus noviſſime acceſſerunt clariora nonnulla alia. Conſtantem amabo hac in reſolutione obſerva Sacræ Congregationis mentem, & exinde, ſi vales, particulare cenſe Decretum, & inficiare, quod tamquam norma, & diſpoſitio ab omnibus Eccleſiis, & Ordinibus debeat ſervari.

IV. Habent Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ut licet ad particularium perſonarum inſtantias, aut quæſita emanata ea ſint, ad normam, & exemplum pro iiſdem, & aliis ſimilibus caſibus in Eccleſia univerſali deſerviant, niſi peculiaris aliqua adſit ratio, vel inſpecta ſit, aut circumſtantia, quæ Decreta penitus particularizet, & ultra perſonas, vel Eccleſias, pro quibus emanarunt, protendi ea non ſinat. Talis eſt ſe in ſacris ritibus dirigendi praxis omnium Eccleſiarum: Talis eſt ſenſus omnium Doctorum, qui de ſacris ritibus, vel cæremoniis ſcripſere; & ſi talis non foret procedendi ratio, vel nulla, vel nimis inconſtans, ac varia eorumdem ſacrorum rituum, ac cæremoniarum extaret norma, ac regula, cum fere omnia eorumdem directiva Decreta ad inſtantiam particularium perſonarum ſint emanata, & admodum perpauca ſint Decreta generalia.

V. Ad qualitatem reſolutionis dignoſcendam apprime quoque bene qualitas propoſiti dubii deſervit; dubium autem non particulare, ſed generale erat, ac generalibus terminis expreſſum, num ſcilicet *Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, omitti*

debeant,

debeant, aut transferri poſſint in annum ſequentem? Propoſito dubio univerſalibus non minus expreſſa verbis reſponſio ſucceſſit; cur igitur a verborum proprietate recedentes, particularem, non univerſalem judicare volumus reſolutionem? Particularitas enim, aut univerſalitas reſponſionis non a perſona dubium proponente, quæ omnino extrinſeca eſt, ac impertinens, petenda eſt, ſed a verbis ipſis dubii, ac reſolutionis, quæ intrinſeca ſunt, ac ad ſignificandum nata.

VI. Nec minus extat regula certa dignoſcendi qualitatem reſponſionis ratio, quæ inſpecta fuit pro ejuſdem efformatione, necnon perſeverantia Sacræ Congregationis in reſolutione, ſi alia eadem vel ſimilia propoſita fuere dubia. Cum igitur hanc ſuper rem poſtmodum bis conſulta, in deciſis conſtanter perſtiterit, ut duo ſequentia Decreta evidenter oſtendunt, & ratio, quæ in horum conditione Decretorum probabiliter inſpecta fuit, generalis ſit, ut hic infra patebit, ideo nec minimus dubitandi relinquitur locus, quod præſens Decretum inhibens transferri ad annum ſequentem Sanctos, qui in præcedenti ſuperſunt, licet ad inſtantiam particularium emanatum ſit, particulare nequaquam ita cenſendum eſt, ut pro omnibus Eccleſiis, & Ordinibus non poſſit, imo non debeat in iiſdem, & ſimilibus caſibus tamquam norma, & regula deſervire.

VIII. Dices 1. Sacra Congregatio plurima ex ſuis Decretis nominat *Generalia*, in quorum fine nos ipſi ſcripſimus, *In Decreto generali*, ergo quæ *Generalia* non nuncupat, generalia non erunt, nec univerſalem obligabunt Eccleſiam, ſed ſolum particularem, illam ſcilicet, ad cujus inſtantias edita ſunt, unde in caſu noſtro ſolam Eccleſiam Hiſpalenſem obſtringet præſens Decretum, quod *in Hiſpalen.* ſignatur emanatum, & Eccleſiam Toletanam, & Ordinem Cappuccinorum duo ſequentia, quorum primum *in Toletanam*, alterum vero *in una Ord. Cappuccinor.* edita noſcuntur.

VIII. ℟. Quod Decreta, quæ *Generalia* notantur, generalia formaliter ſunt, quæ vero non ita inſcribuntur, generalia quidem formaliter non ſunt, bene tamen æquivalenter, ſi dubium propoſitum generaliter extitit, eique non abſimilis reſolutio prodierit, uti communis conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, in Eccleſia obſervat, dictaque interpretatur Decreta. Fert generalem v. g. Rubrica poſita ante Feſtum Corporis Chriſti diſpoſitionem: *Infra octavam Corporis Chriſti de ſimplici fit tantum commemoratio ſine nona lectione*; dubium exoritur, num hæc Rubrica locum etiam habeat, quando fit officium de duplici infra dictam octavam occurrente, & ex parte Eccleſiæ Nuſcanæ in Sacra Congregatione proponitur declarari, & hæc ſub die 12. Septemb. 1671. ſuam exhibet reſponſionem, ſeu Decretum, ſcilicet *In Feſto duplici infra octavam Corporis Chriſti occurrente legi debere nonam lectionem de Sancto ſimplici*. Anno 1693. ex parte Eccleſiarum Galliæ reproponitur dubium, & iterum anno 1705. ex parte Eccleſiæ Lycienſis, & eadem Congregatio perſiſtit in deciſis, *Generalia* non quidem appellando hujuſmodi Decreta, ſed eadem denominando ab Eccleſiis, a quibus dubia pro declaratione exhibita fuere, nempe primum *In Nuſcana*, ſecundum *In una Galliarum*, & tertium *In Lycienſi*. Nunc quæro, an hujuſmodi Decreta *particularia* cenſeri debeant, an vero *generalia*, & an in uſum duntaxat deduci debeant ab Eccleſiis, quæ dubium propoſuere, an vero etiam univerſim a ceteris? Tu judex eſto. Aſt nec dubito, quod juxta conſcientiam judicans, in favorem univerſalitatis Decreti pronunciabis, ita quod eſto Decretum formaliter generale non ſit, tale tamen ſit æquivalenter, & ut tale a cunctis debeat obſervari Eccleſiis. Undequaque ſimilis eſt Sanctio, quam exponimus; quare itaque hanc particularem, & non æque univerſalem reputabis? cur illam a cunctis, & non iſtam judicabis eſſe obſervandam?

IX. Firmat v. g. Sacra Congregatio *in una Einſidlenſi* 5. Maji 1736., quod *quando in primis Veſperis S. Hermenegildi hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus eſt in matutino, & hymnus matutini ſubſtituendus eſt in laudibus*, & licet Decretum ad petitionem particularium editum extiterit, & ſignatum non *generale*, ſed *in Einſidlen.*, propter identitatem rationis nec dubitas ab omnibus Eccleſiis debere ad praxim deduci, & tamquam univerſale reputari. Statuit eadem Congregatio *in Einſidlen.*, quod feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ incidens in die Corporis Chriſti, transferendum ſit in ſequentem diem licet impeditam, & tu nihilominus hac te teneri arbitraris Sanctione. Stabilit? Aſt quid plura? Tua enim te ſatis praxis convictum, & obſervantia demonſtrat. Verum lethalem adhuc accipe ictum. In Decretis, quæ tu particularia cenſes, emanatis ad pietatem particularium Eccleſiarum, ſancitum habetur, quod *quæcumque dies octava B. Mariæ debet habere integras Veſperas in concurrentia cum officio duplici minori*, & quod *Litaniæ majores ſi occurrant in die Paſchatis, transferantur in feriam tertiam ſequentem*, & tamen hujuſmodi diſpoſitiones in Breviarium Romanum, quod pro regula univerſalis deſervit Eccleſiæ, uti Rubricæ invectæ fuere, ut videre eſt in die S. Marci, & in octava Aſſumptionis ejuſdem B. Mariæ. I igitur nunc, & inficiare, ſi vales, quod Decreta ad petitionem particularium emanata, licet *generalia* inſcripta non ſint, pro regula generali nequaquam deſerviant, ſaltem quando concurrunt eæ conditiones, quas in præſenti caſu haberi ſuperius tradidimus.

X. Supereſt ſolum videamus, cur nonnulla *generalia* notentur; & id ut plurimum evenit, quia Sacra Congregatio motu proprio ea edidit, & non ad petitionem alicujus particularis Eccleſiæ; vel ſi ad petitionem particularium Eccleſiarum emanant, id unice fit ad importuna reſecanda nonnullorum dubia, qui, cum jam deciſa haud ipſis arrideant, continuis interrogationibus eamdem Congregationem laceſſere numquam deſinunt. Vel denique ut promulgentur, & cunctorum notitiæ exhibeantur, qualiter non evenit in reſolutionibus, quæ ab Eccleſiis, ad quarum inſtantias editæ fuerunt, nomenclaturam accipiunt, utpote quæ ſolum in Eccleſiis iiſdem aſſolent promulgari, licet poſtea ex hoc minime fiat, ut univerſali Eccleſiæ, quoties innoteſcunt, non poſſint, immo non debeant in regulam deſervire.

XI. Dices 2., quod feſta de præcepto ejus ſunt conditionis, ut in proprio die impedita, in alium debeant transferri, in hocque celebrari, uti fierent in proprio, ſi in eo immota ſtarent: In anno igitur ſequenti ita celebranda erunt, ſi in præcedenti locum non habent, nec ad ritum ſimplicem redigi poſſunt, ad nihilum obſtantibus Sacræ Congregationis inhibitivis Decretis; non enim Congregatio, utpote inferior, tollere, aut limitare poteſt, quod Sedes Apoſtolica conceſſit.

XII. ℟. Quod Sacra Congregatio pollet facultate per Sedem Apoſtolicam ſibi facta interpretandi, & declarandi conceſſiones Pontificias, Rubricas, & quæcumque Decreta, ac dubia, quæ circa eccleſiaſticos ritus, cæremonias, ac divina officia inſurgunt, & circa eadem diſponendi, prout circumſtantiæ, & temporum, & congruentiarum varietas expoſcunt. De hac re alibi fuſior redibit ſermo, & ut pro nunc certus fias, ſat tibi ſit, quod talis eſt praxis Sacræ Congregationis; Patres autem Eminentiſſimi, ac Sapientiſſimi, qui eam conſtant, id utique non attentarent, ſi ipſis minime liceret.

XIII. Sunt, qui irrident hujuſmodi Decreta Sacræ Congregationis, quorum unum alteri contrarium eſt, ejuſdemque derogatorium. Verum illi irrideant, fas eſt, leges tam civiles, quam canonicas, irrideant ſtatuta particularia, ac municipalia, ac conſtitutiones ipſas pontificias, quarum aliquæ contrariæ ſunt, & derogatoriæ priorum; cum enim in legum conditione tempus, locus, & quamplurimæ aliæ circumſtantiæ inſpiciantur, mirum non eſt, ſi ad earumdem variationem oppoſitæ quandoque leges prodeant, ac reſponſiones, ac priorum derogatoriæ, quoniam quod bonum, ac utile eſt, tractu temporis, ac mutatis circumſtantiis minus bonum, aut inutile non ſemel evadit; & licet Patres illi Eminentiſſimi ſapientiſſimi ſint, & non ſolum per ſe, ſed etiam per viros peritiſſimos controverſias, & difficultates ſibi oblatas reſolvant, ac decidant, adhuc poſterioribus temporibus rationes efficaciores eiſdem occurrere poſſunt, quæ illos moveat ad concludendum oppoſitum, quæ prioribus forſitan ignotæ fuerunt; quando autem nova, & efficax ratio occurrit, quæ oppoſitum, ac firmatum eſt in prioribus Sanctionibus, congruentius eſſe evincat, aut ſuadeat, non inconſtantis, ſed ſapientis eſt mutare conſilium in melius, propria ſtatuta derogando, & nova oppoſita ſtatuendo.

XIV. Si tamen verum fateri debemus, *Sacrarum* Congregationum reſponſiones quamplurimæ e diametro contrariæ circumferuntur, quæ tamen authenticæ minime ſunt, ſed apocryphæ, & ſi quæ germanæ ſunt, contrariæ perſæpe apparent, quia ſecundum verborum corticem tantummodo inſpiciuntur, quæ ſi bene, & profundius examinentur, facile conciliantur, & earumdem omnis tollitur contrarietas. Ad hanc contrarietatem tollendam juvat etiam quammaxime petitionem, ſeu ſupplicationem exhibitam exacte examinare, ad quam reſponſiones per *l. De ætate ff. de interd. act.* ſolent conformari. Per hæc tamen nos ire inficias nequaquam intendimus, nonnulla dari ſibi invicem contraria Sacræ Congregationis reſponſa. Utique dantur, ſed perpauca admodum ſunt, & quæ dantur, valida utique fundamenta habent, ut alibi pro opportunitate dictum venit, & nunc ſtatim dicemus de præſenti Decreto, quod præcedentibus derogare diximus.

XV. Hujuſmodi autem derogationis valde congrua non deficit ratio; cum enim modo multum increbuerit, & in dies increſcat feſtorum multiplicatio in Breviario Romano, multum in Religionibus, multum in Civitatibus, & Diœceſibus, multum in Regnis, atque Provinciis, factum eſt, ut in aliquibus Eccleſiis tot ſupereſſent in fine anni Sanctorum feſta, ut nec in biennio utique reponi ea poſſent. Quæſitum, quod in ſequenti Decreto Sacræ Congregationi porrectum extitiſſe videbimus, hujuſmodi nobis patefacit abſurdum; & egomet ipſe conficiens Directorium pro una Eccleſia Regulari Civitatis Veronæ, in eo anni ſequentis inſerere non valui omnium Sanctorum officia, quæ in præcedenti ſupererant, quæ ſi in altero ulterius ſequentis anni repoſita ea fuiſſent, vel ſola illa, vel admodum perpauca alia ex tranſlatis locum habuiſſent, ita ut brevi factum eſſet, ut ſola officia tranſlata ab annis elapſis totas unius anni dies occupare, ac confertum, & ſuperfluens Kalendarium conficere valuiſſent. Et reveta in Directorio anni 1730., quod pro Clero Sæculari Venetiarum fuit promulgatum, ſuperfuere decem officia ſemiduplicia; hinc infer, quot ſuperfuiſſent in Eccleſia aliqua Ordinis Minorum Conventualium ejuſdem Civitatis, quæ ulterius ad ſupra ſexaginta Sanctorum Ordinis feſta, & decem eorumdem octavas, ac ad feſta, & octavas ſuæ Dedicationis, & Titularis, & inſuper ad officia Reliquiarum, ſi quæ habet, tenetur; indeque perpende, an omnia hujuſmodi feſta in ſequenti anno locum habere potuiſſent. Nequaquam ſane. Forſan nec in biennio.

XXII. Ex

XVI. Ex hoc nimio plus, minuſve pro locorum varietate, feſtorum creſcimine multæ fiebant in divino officio perturbationes, & incommoda; nonnumquam enim Sanctus aliquis nec ſemel in biennio officium habebat, ubi alter bis illud in eodem anno ſortiebatur; nonnumquam de eodem Sancto duabus ſequentibus diebus duo contingebant officia, & ſæpe eveniebat feſtum aliquod, puta S. Marcelli Papæ, & Martyris, quod die 16. Januarii in Kalendario recurrit, tamquam occurrens prius pro anno v. g. 1741. inſtitui, nondum perſoluto eodem, tamquam tranſlato ab anno præcedenti 1740.

XVII. Ex eadem ſimiliter Sanctorum ad annum ſequentem tranſlatione notabile inferebatur detrimentum officio de Tempore, adeo ut nullus, vel modicus valde feriis locus ſupereſſet; & quod magis notatu dignum eſt, vel totum, vel quaſi totum, in quo modo vix aliquem locum habet officium feriale, ſupprimebatur officium feriarum ſacroſanctæ Quadrageſimæ, quod ſemper tanti fecit Eccleſia, ut nulla olim eo tempore Sanctorum officia admitteret (quem ritum Eccleſia Ambroſiana etiam nunc ſtrictiſſime obſervat) & modo quidem nonnulla, ſed pauca admodum concedit, quinimmo ut locum ampliorem haberet, ab eo octavas excluſit. Ex ſuppreſſione ferialis officii expuncta penitus veniebant officia B. Mariæ, ac Defunctorum, Pſalmi Graduales, ac Pœnitentiales certis diebus in feriali officio ex præſcripto Rubricarum recitanda, magnaque proculdubio fiebat confuſio, ac ordinis Breviarii ſubverſio, uti videre licet ex iis, quæ in præliminaribus Capitis dicebamus.

XVIII. Hæc ſane non levia, abſurda, & incommoda, & quamplurima alia, in quorum recenſione non vacat ulterius immorari, quorum nulla in præteritum ſtante feſtorum caritate locum habebant, cum in Sacræ Congregationis conſiderationem venerint, mirum non eſt, ſi a deciſis receſſit, ac hoc contrario, & derogatorio Decreto, tamquam uno falcis ictu, præfata cuncta incommoda, ac perturbationes reſcidit, ac ſuſtulit, quæ enim de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. de ætate §. ex cauſa ff. de int. &c.*

XIX. Ratio itaque profecto a tranſlatione Sanctorum in annum ſequentem ceſſandum eſſe dictabat, ut una ceſſarent præfata, & alia quamplurima incommoda, ac perturbationes, quæ in Divino officio eveniebant. Supererat ſolum adinvenire modum, quo occurri poſſet irreparabili præjudicio, quod inde Sanctis illis, qui intra annum locum non habent, eveniebat; cum enim per officium novem lectionum eorumdem laudes in Eccleſia quotannis memorari deberent, iis in annis, in quibus ſupererant, penitus ſupprimebantur. Huic præjudicio, prout licebat, conſulendum eſſe cenſuit Sacra Congregatio; hinc quandoquidem de dictis Sanctis officium novem lectionum fieri haud poterat, de iiſdem officium trium lectionum inſtitui voluit, & ut minori poſſibili incommodo præfatum præjudicium repararetur, nedum in primis veſperis, & laudibus, uti fit in feſtis mere ſimplicibus, ſed etiam in ſecundis veſperis eorumdem commemorationem faciendam eſſe ſtatuit; quinimmo ut tota prædictorum Sanctorum hiſtoria, ac laudes recenſerentur, ex tribus lectionibus propriis ſecundi nocturni, in quibus continentur, voluit fieri unam, & ad modum unius legi. Vide quæſo, num ponderatius Sacra Congregatio in ſuis Sanctionibus procedere queat?

XX. Dices 1., prædictorum Sanctorum laudibus ſic non fuiſſe plene conſultum, cum occurrere poſſint in feſtis duplicibus primæ claſſis, in quibus nihil fieret de iiſdem.

XXI. ℟. Quod vel ſemper, & perpetuo occurrunt in diebus per duplex primæ claſſis impeditis, & tunc locum non habet diſpoſitio Decreti, ſed dicti Sancti ſunt in alteram ſtatam diem immutandi, & in ea, ut in propria die, celebrandi; ſi autem intra annum diem non habeant, in quam immutentur, vide, quæ infra dicentur in Decreto ultimo Capitis. Vel ſolum accidentarie, & aliquando, & tunc utique procedit diſpoſitio Decreti, ſed præjudicium inde exurgens, utpote minimum, & valde infrequens, nihili eſt habendum, præſertim in comparatione beneficii, & commodi, quod ex eadem diſpoſitione oriri ſuperius ponderabamus; minima enim, & quæ ſemel, aut bis accidunt, in conſiderationem non veniunt, & contemnunt Legiſlatores ipſi *l. ex iis, & l. Quoniam ff. de legib.* Et quidem ſi Rubricæ de ſimplicibus occurrentibus nedum accidentaliter, ſed etiam perpetuo in duplicibus primæ claſſis nihil penitus agendum eſſe diſponunt, quis poſtea credet, quod pluris facturæ ſint aſſertum præjudicium, quod Sanctis noſtris una, vel altera vice poteſt obvenire?

XXII. Dices 2., quod lex de legendis tribus lectionibus pro una, & facienda commemoratione in laudibus, & utriſque veſperis, in multum cedit Cleri gravamen, præſertim ubi plurima Sanctorum feſta ſupereſſe contingit, adeoque tamquam odioſa non eſt ultra perſonas, quæ dubium propoſuere, extendenda.

XXIII. ℟. Prædictum, ſi quod eſt, Cleri gravamen abunde compenſari ex fere tota ſuppreſſione, quæ apud eumdem evenit, officii ferialis, & Dominicalis, parvi B. Mariæ, & Defunctorum, necnon Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium. Adde, quod Sacra Congregatio ad auferendum dictum gravamen, octavas minus principales moderari poſſe permittit. Ceterum cum lex adhuc oneroſa, & odioſa numquam reſtringi valeat ultra proprietatem verborum, & contra Legiſlatoris mentem, adhuc in noſtro caſu numquam ut ſupra reſtringi valeret; cum obſiſtat conſtans Congregationis mens, & proprietas verborum ipſiuſmet diſpoſitionis.

XXIV. Dices 3. quod præſens, & duo ſequentia Decreta facultativa duntaxat ſunt, non præceptiva, ideſt facultatem quidem facere non transferendi dictos Sanctos ad annum ſequentem, ſed non præcipere, quod non transferantur, ſeu non inhibere, quod transferri queant.

XXV. ℟. Ex qualitate terminorum, quibus concepta eſt, dignoſci qualitatem diſpoſitionis. Duo præcedentia hujus Capitis Decreta, quæ per verba *Poſſunt*, & *Licet* inveniuntur expreſſa, ſane facultativa ſunt, cum dicta verba facultatem, non præceptum importent. Utique & noſtra Decreta, ſi cantarent. *Poſſunt non transferri ad annum ſequentem, & eo anno conſiderari ut ſimplices*, vel alium ſimilem tenerent loquendi modum facultativa ultro concederentur; aſt cum præceptivis, & inhibitivis terminis videantur expreſſa, ſcilicet *Non ſunt transferendi ad annum ſequentem, ſed eo anno conſiderandi ſunt tamquam ſimplices*, quis amabo ea dicere poteſt facultativa, & non præceptiva, vel inhibitiva?

XXVI. Dices 4. quod nullam mentionem agunt, ac nullam Decretorum, quibus dicta tranſlatio permittitur, derogatoriam clauſulam continent, ergo ea minime abolent.

XXVII. ℟. Neceſſarium non eſſe, quod lex poſterior, ut priorem deroget, eamque vi, ac robore penitus exuat, prioris mentionem habeat, aut ejuſdem derogatoriam clauſulam aliquam contineat, ſed ſatis ſuperque eſſe, quod contraria diſponat, ut tenent Layman *lib. 1. tit. 4. cap. 21. num. 1.*, Bonacina *de legib. diſp. 1. quæſt. 1. pun. ult. num. 1.*, & apud eumdem Sylveſter, Suarez, & alii; & ita expreſſe habetur *in cap. 1. de Conſtitut. in 6.* Opponunt alii alia, ut quod dicta Decreta non contineant verba rigoroſi Decreti &c. Verum hæc univerſalia nimis ſunt, & a fere omnibus Congregationis diſpoſitionibus *veri Decreti* rationem adimunt, quo quid abſurdius? Nulla enim, vel fere nulla alias haberetur procedendi ratio, cum fere cunctæ ita conceptæ ſint Congregationis diſpoſitiones, quæ tamen, ut dicebamus, pro tuta procedendi regula communiter accipiuntur, & tamquam Rubricæ in Breviarium ipſum invehuntur. Alibi tamen, quæ oppoſita ſunt, uberem ſolutionem habebunt, & tu cedo vide, in quas anguſtias redigeris, ut tuæ malæ fundatæ adhæreas opinioni?

XXVIII. Dices 5. hujuſmodi Decreta non eſſe univerſali Cleri uſu probata, atque recepta; hoc autem per eadem cunctam non obſtringi Eccleſiam denotare videtur.

XXIX. ℟. Quod noſtri eſt inſtituti ſignificare id, quod fieri debet, non autem attendere id, quod aliqui faciunt. Sunt aliqui, qui propriis operibus leges contemnunt, atque præcepta, ſed per defectuoſas eorumdem operationes non deſinunt eſſe leges, contra quas agunt. Aut igitur curandum non eſt, quod ceteri faciunt, & ſolummodo attendendum, quid fieri debeat, vel inſpiciendum eſt, an id, quod ab aliis agitur, rite fiat, an recte. Sunt multi, qui legum, quæ ſibi cum haud arrideant, jugo colla ſupponere nolunt, & ne inobedientes videantur, inſubſiſtentes rationes accumulant, vel ex aliquibus Doctorum ſententiis ſubſidium quærentes, ſibi licere miſeri facile credunt, quod optant. Durum ipſis, ac oneroſum præſens videtur Decretum, quod ferias quadrageſimales, quæ unice ſuperſunt, officiis ab antecedenti anno tranſlatis occupare non ſinit: hinc per fas, aut nefas modum undique quæritant, atque rationes, quibus ab ejuſdem diſpoſitione ſe tueantur, ipſum particulare modo criminantes, modo mere facultativum, modo oneroſum, atque odioſum, modo præcedentium non derogativum, & modo uſque Sacræ Congregationi contendentes facultatem ſimilia Decreta condendi, vel ejuſdem reſponſa inſtar opinionum particularium aliorum Doctorum facientes; & ut morſui propriæ conſcientiæ medelam pariant, atque a reatu culpæ ſeſe defendant, refugium ultimum ponunt in ea ſententia Doctorum, qui officium pro officio licite recitari propugnant. Jam ex ſuperius, & alibi dictis ubertim habes, quam iſta diſſona ſint, atque abſurda; quapropter mihi hic inſudandum non eſſe arbitror, ut tibi ſuadeam ab eorumdem opinione, & uſu recedere. Unum itaque ſolummodo tibi ſuggero; a timoratis, atque peccati timidis diſpoſitionem præſentis Decreti ſtatim fuiſſe receptam, atque in uſum deductam, & in diem etiam ab aliis, qui mordicus repugnabant, erroneis propriis depoſitis opinionibus, ſuſcipi, atque veritati adhæreri. Hos inter proculdubio emicuere Minores Conventuales S. Franciſci, qui præſenti vix emanato ſtatim paruere Decreto, & moderne, ut Sanctis, qui in magno numero in fine anni ſupererant, locum pararent, octavas quamplurimas juxta diſpoſitionem ſequentis Decreti a proprio Kalendario expunxerunt, quod deinde a Sacra Rituum Congregatione ſub die 5. Septembris 1739. laudatum fuit. Tu quoque obediens eſto, & ne plus æquo ſollicitus ſis de aliorum uſu, de quo ipſi videant.

XXX. An Sancti, qui ſemper iidem individualiter in fine anni ſuperſunt, in ſequentem non obſtante Decreto transferri valeant, pertractare promiſimus, & affirmative reponendum eſſe arbitramur; eorumdem enim incluſioni in diſpoſitione inhibitiva Decreti obſtant verba illa ejuſdem, *Quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat*, quæ aperte demonſtrant ſermonem haberi de Sanctis, qui intra annum ſpatium, quo ponantur, queunt habere, & multo magis verba item illa, *Tunc in illo anno &c.*, quæ Sanctos, qui uno duntaxat, vel altero anno, non autem qui ſemper ſuperſunt, indubie comprehendunt. Deinde Decretum tranſlationem, non immutationem inhibet; Sanctis autem, qui ſemper in fine anni ſuperſunt, cum ſemper a proprio ſint amoti die, immutatio

in annum ſequentem adhibetur, non translatio; quod ſi alicubi immutatio Sanctorum in uſu non eſt, nec in uſum placeat eamdem deduci, non propterea Sancti illi præfatæ translationis jure privantur, alioquin ſemper, & in perpetuum conceſſo officio, vel ritu ſpoliati venirent, quod minus convenit. An autem hi Sancti in diem ejuſdem anni anticipare queant immutari, ex dicendis in Cap. de Immutatione Feſtorum apparebit.

XXXI. Hoc Decretum a duobus inferius ſtatim dandis, ac exponendis confirmationem habet, in quorum primo limitationes, ſi quas ſuſtinet, dabimus, & in ſecundo ejuſdem verba, & diſpoſitionem minutatim triturabimus, clareque expendemus. Videat ea ergo Lector, ut horum neceſſariam, ac plenam notitiam teneat.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXXII.

Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit, an ſtantibus Decretis de non addendo, mutando, vel retrahendo in Breviario Romano; necnon Decretis officiorum noviter apponendorum in Corpore, in quibus præcipitur his verbis; *Debeant, teneantur, agant*; in officiis vero Provincialibus concluditur ſic: *Valeant, poſſint, recitare poſſe cenſuit, conceſſit, annuit &c.*, ſi autem in aliqua Eccleſia, præſertim Regularium, ſint tot feſta, quod non poſſint nonnulla ſemiduplicia translata adhuc recurrente anno reponi ſemel in biennio; in hoc ergo caſu quæſitum, inquam, fuit: *An licebit omittere, quæ ſunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo conceſſis?* Et S. R. C. reſpondit: *Detur Decretum in Hiſpalen. emanatum ſub die 26. Novembris 1735.* Ita S. R. C. 15. Septemb. 1736. *in Toletana*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 337.

I. CUM ex *l. De ætate, ff. de interd. act.* petitionibus ſoleant reſponſiones conformari, ſerium examen expoſtulant verba ſupplicationis, quam Clerus Eccleſiæ Toletanæ Sacræ Rituum Congregationi porrexit, tum ut ſupplicatio ipſa, ac reſponſio plene percipiantur, tum ut nonnulla inde inconcuſſa inferri valeant, atque concludi.

II. Deſignat hic igitur in primis rigoroſam ſanctionem in Bulla Pii V. de Breviario Romano contentam, ac poſtmodum a Sacra Rituum Congregatione die 8. Aprilis 1628. approbante Urbano VIII. magis expreſſam, & confirmatam, ac a nobis ſuo loco fuſe examinandam, qua *in Breviario Romano aliquid addi, mutari, vel retrahi per quamcumque etiam Ordinariorum auctoritatem*, diſtricte inhibetur.

III. Secundo. Alludit ad Decreta officiorum, quæ de novo Eccleſiæ univerſali de præcepto conceduntur, & *in Corpore*, ſcilicet in Breviario Romano, apponi debent, in quibus Decretis per relata verba *Debeant, teneantur, agant &c.* eorumdem officiorum indicitur celebratio.

IV. Tertio. Conſiderationem vertit ad verba Decretorum, quibus officia Provincialia, Diœceſana, & alia hujuſmodi, quæ ſcilicet non ſunt pro Eccleſia univerſali, ſed pro aliquibus tantum Provinciis, aut Dominiis, Religionibus, aut locis indulta, conceduntur, advertitque in iiſdem apponi non ſolere verba illa præceptiva *Debeant, teneantur, agant*, ſed *valeant, poſſint, recitare poſſe cenſuit &c.*, quæ præceptum non involvere videntur, ſed meram facultatem facere.

V. Quarto. Ponit caſum, quod in aliqua Eccleſia, *præſertim Regularium*, utpote quæ ulterius eſt quamplurimis Sanctorum Religionis officiis occupata, ſuperſint in fine anni tot feſta, quod non poſſint nonnulla ſemiduplicia translata adhuc recurrente anno reponi ſemel in biennio. *Hic expreſſa vide nonnulla ex incommodis, quæ ex translatione Sanctorum ad annum ſequentem oriri in præcedenti Decreto nos dicebamus.*

VI. Quinto. Supponere videtur, quod translatio Sanctorum ultra annum proxime ſequentem minime liceat, dum ut Sanctis particularibus locum faciat, quærit, an omittere poſſit, quæ ſunt de Breviario Romano; ſi enim ultra dictum annum eorumdem translatio liceret, opus non eſſet omittere officia Breviarii Romani, ut iiſdem locus fieret, quia jam juxta ordinem Kalendarii aliquando talia officia recurrerent. Poſſet tamen etiam ita eſſe inquiſitum, ut feſtorum particularium celebratio non adeo protraheretur.

VII. Sexto. In caſu, in quo nonnulla officia translata neque ſemel in biennio reponi poſſint, videlicet neque in anno, in quo transferuntur, neque in anno proxime ſequenti, atque adeo in veriori expoſitione neceſſe ſit omittere ea officia, quæ in fine proxime ſequentis anni adhuc ſuperſunt, ad inquirendum ſe facit, num, in tali caſu liceat omittere officia translata, quæ ſunt de Breviario Romano, & terminis præceptivis indulta, ut intra annum fiat locus officiis particularibus, quæ ſcilicet particularibus locis, aut Religionibus, & terminis mere facultativis conceſſa ſunt? Hæc proculdubio verior eſt expoſitio, ſi mendum non ſit in textu, ſicuti eſt in reſponſione, ut ex ipſomet Merato dicemus infra. Reſponſio tamen *de moderandis prius octavis* innuere videtur, quod quæſitum extiterit, non an omitti poſſint officia de Breviario Romano, ut intra annum ſequentem locum habeant officia particularia, ſed ut intra annum, in quo a ſua ſede deturbari eadem accidit. Verum cum nihil relevet, ſive uno modo, ſive altero quæſitum extiterit, ſed æque Decretum in ſua diſpoſitione integre perſiſtat, ideo noluimus in hoc ulterius morari.

VIII. Refert Meratus *ſect. 3. cap. 10. num. 3.*, quod memorato dubio pro declaratione in Sacra Congregatione propoſito, *quamvis Illuſtriſſ. D. Diverſini unus ex cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtris tunc fuerit in voto, quod officia tantum, quæ ſuperſunt de menſe Decembris, potuerint transferri in annum ſequentem; nihilominus Sacra Congregatio fuit in deciſione negativa, juxta Decretum in Hiſpalen.*, ibidemque ipſiſſimis verbis, quibus ſuperius nos dedimus præſens Decretum, illud adducit.

IX. In parte tamen ultima ſecundi Tomi in Tabula erratorum corrigendorum idem ipſe Meratus ſe corrigit, & vice verborum ex eodem mox adductorum aſſerit legendum eſſe, ut ſequitur: *Et quamvis Illuſtriſſ. D. Diverſini unus ex cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtris innuerit in ſuo voto poſſe juxta Decreta emanata transferri officia, quæ ſuperſunt, in annum ſequentem, nihilominus concluſit potius moderandas eſſe octavas minus principales in aliquibus Ordinibus Regularibus, & quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem; unde S. C. reſolvit juxta hoc votum, confirmando Decretum in Hiſpalen.*

X. Decretum autem *in Hiſpalen.*, quod confirmatur, eſt illudmet ipſum, quod præcedenter ad præſens ſuperius dedimus; in quo ſtatutum venit: *Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſunt transferendi ad annum ſequentem, ſed quoties &c.*, ut in eodem; in hoc autem differt præſens Decretum, prout habetur in Indice Decretorum, & memorata ſect. 3., a ſeipſo, prout refertur in Tabula erratorum, quod prout in Tabula erratorum, vult potius moderandas eſſe octavas, ut locus fiat præfatis officiis translatis, ubi prout refertur in Indice, nec verbum habet de octavarum moderatione. In utroque tamen loco conſtanter inhibet, Sanctos ad annum ſequentem transferri.

XI. Nec dubitamus præſens Decretum legendum eſſe, non prout in Indice reperitur, & nos ipſi ex eodem ſuperius dedimus, ſed prout in Tabula erratorum refertur; cum enim ipſemet aliter ſcribendo aſſerat erraſſe, non eſt, cur eidem credi non debeat; hinc & in hujus obedientiam Decreti ſuperius diximus Minores Conventuales S. Franciſci a proprio Kalendario multas octavas expunxiſſe, ut earumdem expunctione locus pararetur officiis Sanctorum, quorum plurima apud ipſos ſemper in fine anni ſupererant. Dictum autem Kalendarium prout ſupra octavis mutilatum, probatum extitit per Sacram Congregationem die 5. Septembris 1739. Deſcendamus modo ad ejuſdem explanationem.

XII. *Concluſit potius moderandas eſſe octavas*. Licet propoſitum fuerit dubium, uti verius ſupra judicavimus, num liceat omittere officia translata de Breviario Romano, ut in eodem anno aut ſequenti fiat locus Sanctis particularibus, quæ alias in eo anno locum non haberent, ſed omitti neceſſe foret, adhuc in Sacra Congregatione non id agitari cœpit, ſed alia magis præambula quæſtio fuit, cujus deciſio neceſſario præmitti viſa eſt, ut aditus propoſito dubio fieret; num ſcilicet Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, transferri poſſint in annum ſequentem. Qua in parte D. Diverſini Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſter innuit in ſuo voto transferri poſſe juxta Decreta emanata, primum videlicet, & ſecundum hujus Capitis; Sacra tamen Congregatio non immemor ejus, quod recens ſtabiliverat anno 1735., 26. Novemb. *in Hiſpalen.*, noluit a deciſis recedere, ſed Decretum *in Hiſpalen.* editum confirmavit, ſtatuitque non licere translationem Sanctorum ad annum ſequentem, prout in eodem Decreto *in Hiſpalen.* jam ſtabiliverat, & infra dicemus.

XIII. Deſcendens poſtea ad examen propoſiti dubii, animadvertit, quod in caſu, de quo quærebatur, in quo nimirum tot remanebant feſta, ut cuncta reponi non poſſent in anno ſequenti; in dicto, inquam, caſu obſervantia Decreti *in Hiſpalen.* multum ingerebat Clero gravamen, qui perſæpius tres lectiones pro una, & commemorationem de dictis Sanctis agere cogebatur, & aliunde quod dictus Clerus in votis habebat de Sanctis particularibus, qui ut plurimum in locis ſolemniores, ac celebriores eſſe ſolent, officium inſtituere; hinc & ut ejuſdem votis annueret, & una memoratum allevaret gravamen, de ſua benignitate indulſit, quod moderari poſſent octavæ minus principales, ut ſic locus Sanctis, qui alias ſupereſſent, intra annum fieret, ac ſimul Clerus non ita gravaretur.

XIV. *Concluſit potius moderandas eſſe octavas*. Æquitati proculdubio innititur hæc reſolutio; cum enim Sancti, qui ſuperſunt, habeant ritum ad minus ſemiduplicem de præcepto, & de eiſdem nonniſi ſemel in anno officium reperiatur indictum, æquitatis rationi diſſonum haud videtur, ut potius, quam omittere horum officium, vel ad ritum ſimplicem illud redigere, ſupprimantur octavæ Sanctorum, ex quarum expunctione non ſit, quin adhuc de iſtis Sanctis ritu proprio, & ſolemniori in eo anno non celebretur feſtivitas.

XV. *Octavas minus Principales*. Octavarum itaque decoctio incipere debet a minus principalibus, & in iiſdem deſinere. Si igitur octavæ tantummodo principales, cujuſmodi ſunt octavæ Inſtitutoris Ordinis apud Regulares, Patroni principalis loci apud Clerum Sæcularem, & apud utrumque Clerum Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ, celebrarentur, non forent hæ moderandæ, ut officiis, quæ alias ſupereſſent, locus fieret; ſunt etenim præfatorum feſtivitates celebriores nimis, ac ſolemniores, ut eorumdem octavæ, quæ ex præſcripto Rubricarum in præcepto ſunt, & debitæ, ſuperſti-

tibus

tibus officiis locum cedere valeant. Ceteræ autem octavæ, quæ non ſunt ex Rubricarum mandato, ſed ex Apoſtolica conceſſione, vel permiſſione, tamquam octavæ minus principales expungi utique poterunt, ut ſpatium præfatis Sanctis, quo intra annum poni queant, efficiatur. Videre itaque eſt, quod octavæ, quæ hic aboleri permittuntur, non ſunt illæ, quæ de præcepto ex Rubricarum præſcripto ſunt celebrandæ; æquum enim viſum non eſt, celebrationi unius officii de præceptu cum expunctione alterius itidem de præcepto, & Romanarum effractione Rubricarum eſſe conſulendum, præſertim cum illud adhuc ritu ſimplici, & cum ejuſdem lectione totius hiſtoriæ peragеretur, ubi hoc penitus ſuppreſſum veniret; ſed ſunt ſolummodo octavæ, quæ ſunt ex privilegio, quarum celebratio magis poſita videtur in privilegiati arbitrio, & ad indulgentiam conceſſa, ſi ad terminos earumdem conceſſionis advertatur.

XVI. *In aliquibus Ordinibus Regularibus*. Multiplici de cauſa de Ordinibus dumtaxat Regularibus mentio inſtituitur. 1. Quia petitio procedit *de Eccleſia præſertim Regulari*, in qua ſæpe dumtaxat Sanctos in magno numero in fine anni ſupereſſe contingit; in Eccleſiis enim Sæcularibus vel nulli, vel admodum perpauci, vel non ſemper Sancti in fine anni ſuperſunt, unde pro eorumdem repoſitione ad octavarum moderationem devenire forſan non expedit, ut inferius dicetur. 2. Quia præfatæ octavæ minus principales regulariter apud eoſdem ſolummodo de Sanctis celebrioribus indigenis celebrantur, & Clerus Sæcularis dumtaxat principales peragere ſolet, & ſi quas ex minus principalibus ex privilegio celebrat, nonniſi magna de cauſa eidem reperiuntur indultæ, & ſolemniores nimis ſunt, ut adductum ob motivum omitti queant. Ex hoc tamen minime fit, quod ſi aliquæ apud eumdem Clerum Sæcularem ex conceſſione Apoſtolica fiant, moderari non valeant, ut earumdem moderatione officiis, quæ alias ſupereſſent, locus paretur. 3. Additum eſſe credimus *In aliquibus Ordinibus Regularibus*, ut denotaretur, non octavas, etſi minus principales, quæ habentur, in Breviario Romano, ea de cauſa deleri poſſe; quapropter etſi octavæ S. Laurentii Martyris, Nativitatis, & Conceptionis B. Mariæ ſint ex minus principalibus Breviarii Romani, adhuc demi non poſſe, ut præfatis Sanctis locus fiat, nec dubitamus. Vides jam igitur, quod octavæ, quæ moderari queunt, non ſunt, quæ a Romanis Rubricis in præceptu ſunt poſitæ, ſed quæ ex privilegio, vel Apoſtolica conceſſione, vel permiſſione.

XVII. Hanc octavarum minus principalium moderationem, non me latet ægre Regulares accipient, qui multo impenſe in eorum celebritate fervent ſtudio, quos eadem Mater, ſive Religio parturivit cælo, ut ſicut eorum per unius parentis gremium jure veluti naſcendi cognati ſunt, ſic ſibimetipſis erga eos pietatis, & gratiæ privilegium vindicent, atque eorum patrocinio, quorum eſſe fratres gratulantur in terris, cum eiſdem municipatum habere mereantur in cælis. Accedit, quod cum ex feſtivitatibus minus principalibus, quas celebrant Regulares, nonnullæ perſæpe ſint, quæ ferventiori ſtudio, ac ſolemniori honore, quam feſtivitates principales Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ, imo & ipſius Fundatoris Ordinis, recoluntur, ut Divi Antonii Patavini in Ordine S. Franciſci, & Divi Nicolai de Tolentinu in mea Religione S. P. Auguſtini; hinc nimis grave, ac oneroſum evaderet, eorumdem octavas tollere, ut officiis Sanctorum advenarum locus pararetur.

XVIII. Sed quæſo, hi maturiorem obſervationem adhibeant ad verba Sacræ Congregationis, quibus octavas minus principales *moderandas* eſſe dicitur; non enim eædem penitus tollendæ dicuntur, ſed *moderandæ*, ſeu ad congruum numerum redigendæ. Sunt autem nonnullæ ex Religionibus, quæ indigenarum Sanctorum octavis apprime abundant, quarum quamplurimæ non multum celebritatis ſibi vindicant. Iſtæ igitur deleri poterunt, ut ceteris Sanctorum officiis intra annum locus paretur, ſolemnioribus, licet ſint ex minus principalibus, integris, ac illæſis remanentibus, inſtar Religionis Minorum Conventualium, quæ ex octavis minus principalibus quamplurimas quidem dempſit, ſed ſolemnioribus, videlicet S. Antonii Patavini, S. Bonaventuræ, & aliorum, pepercit. Quod ſi ex harum non expunctione ſufficiens Sanctis, qui ſuperſunt, non paretur ſpatium, jam Decretum diſponit, quomodo de iſtis adhuc ſuperſtitibus feſtis officium fieri debeat, ritu nimirum ſimplici, uti in Decreto *in Hiſpalen.* diſpoſitum fuerat.

XIX. Ex iſtarum minus principalium, & minus ſolemnium octavarum decoctione non multum doloris crediderim Regulares Ordines perſentire; quod ſi & eas demere eoſdem pigeat, modum, quo ſe tueantur, equidem habent. Præſens Decretum octavarum abolitionem non præcipit, ſed indulget, ſeu ſuggerit modum, quo fieri poteſt locus officiis Sanctorum, qui in fine anni ſuperſunt, & ut gravamen, quod contenditur, auferatur, & ut Clerus de Sanctis, de quibus officia inſtituere deſiderium oſtendebat, integre, & abſque ſolemnitatis diminutione recitare valeat: Ceterum ſi octavas indemnes, ac illæſas ſervare placeat, & de Sanctis, qui ſuperſunt, ritu ſimplici agere, haudquaquam refragatur, ſed hoc in Cleri relinquit arbitrio; hinc Clero quæritanti, num liceat omittere officia tranſlata de Breviario Romano, ut fiat de particularibus, reſpondet *potius moderandas eſſe octavas*, nimirum ſi officiis particularibus locum facere placet, non probat modum omittendi officia Breviarii Romani, ſed potius moderationem octavarum; Sole autem clarius eſt, quod ly *Potius* præceptum non inducit, ſed facultatem, vel magis indulgentiam. Octavarum itaque minus principalium obliteratio non eſt in præceptu, ſed in Cleri arbitrio.

XX. In octavarum autem extinctione ſemper a minus principalibus, & minus ſolemnibus incipiendum eſſe, & non ultra neceſſitatem deſæviendum omnis ratio ſuadet; quinimmo & ad eamdem procedendum minime eſt iis in locis, vel Religionibus, in quibus non ſemper, ſed una dumtaxat, vel altera vice nonnulli Sancti in fine anni ſuperſunt; Decretum enim loquitur in caſu plurium tranſlatorum, quorum omnia nec in biennio locum habent, & quæ ritu ſimplici peragere multum invehit Cleri gravamen, hinc & in ſequenti Decreto videbimus, quod licet quæſitum extiterit, *an Sancti, qui quandoque in fine anni ſuperſunt, transferendi ſint ad annum ſequentem, vel potius eo anno* (nota hæc verba, ut intelligas petitionem procedere pro locis, in quibus non ſemper Sancti in fine anni ſuperſunt) *ſint omittendi*, adhuc in reſponſione nihil habetur de moderatione octavarum facienda, ſed ſtatutum fuit, eoſdem ritu ſimplici eſſe peragendos, prout alias in ſuperiori Decreto *in Hiſpalen.* edito ſancitum fuerat, quia ſcilicet ibi non agebatur de Sanctis, qui in fine anni ſemper, ſed una dumtaxat, vel altera vice ſupererant.

XXI. Et quidem uti congrue permiſſa videtur omiſſio octavæ, quæ non eſt niſi repetitio officii, ut locus paretur alteri officio, quod alias ſemper vacaret, ita incongrue in perpetuum facta videtur cauſa parandi locum officio, quod una, vel altera dumtaxat vice vacaret, vel ad ſimplicem redigeretur ritum; perpetua enim, & conſtans obliteratio officii alicujus non videtur apte fieri ad conſulendum poſitioni alterius, quod admodum perraro vacare, aut in ritu deprimi contingeret.

XXII. Etſi autem petitio reapſe impræſentiarum facta, procedat pro caſu, in quo quamplurima feſta in fine anni incelebrata remaneant, quinimmo in quo nonnulla recurrente anno nec ſemel in biennio reponi poſſint, nolo tamen, quod reſponſionem exhibitam de moderatione octavarum, ad præfatum dumtaxat limites caſum, ſed illam extendas ad caſum quemcumque, in quo ſemper aliqua Sanctorum feſta ſuperſunt; intentio enim Decreti fuit parandi locum feſtis quibuſcumque, qui in fine anni ſemper ſuperſunt, ut liquet ex proviſione, quam ſtatim ſubdit per ea verba, *& quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda &c.*, pro iis Sanctis, qui facta octavarum moderatione adhuc in fine anni ſupereſſent.

XXIII. Quod ſi placeat Decretum extendere etiam ad caſum, in quo aliqua Sanctorum officia quaſi ſemper incelebrata ſuperſunt, non admodum me refragatorem habebis, dummodo octavarum exploſio fiat juxta vim verbi illius *moderandas eſſe octavas*, quod deſignat tantum de octavis demendum in caſu eſſe, quantum in prudenti exiſtimatione ſat eſſe poteſt ad conſulendum numero Sanctorum, qui alias quaſi ſemper ſupereſſent; quæ enim quaſi ſemper ſuperſunt, in moralibus ſemper ſupereſſe cenſentur.

XXIV. Erunt, qui Decreti diſpoſitionem etiam ad Eccleſias, in quibus Sancti *ſæpe* in fine anni ſuperſunt, extendent. Aſt ipſi videant, num hanc extenſionem Decretum patiatur; nos enim hujuſmodi extenſioni etſi ſuffragium noſtrum tuto præſtare formidemus, ab eadem tamen Decreti textum, ſeu magis intentionem admodum non abhorrere arbitramur, dummodo tamen octavarum decoctio non excedat probabilem frequentiorem exuberantiam Sanctorum, & perpetua ea ſit, ita ut octavarum ad præfatum finem ſemel expunctarum celebrationi indulgeri non poſſit iis in annis, in quibus tot ex Sanctis tranſlatis non ſupereſſent ad feriale quodlibet reſecandum officium, ſed quandoque de feriali officio fieri deberet; officia enim, quæ uno anno, & non altero pro placito celebrari valent, ſunt officia ad libitum, ad quorum claſſem Sacra Congregatio non revocavit octavas, quando ad rem præſentem eaſdem moderari poſſe permiſit, ſed ſolum eaſdem ad talem ſtatum numerum redigi poſſe indulſit, qui repoſitioni officiorum tranſlatorum intra annum nequaquam obſtaret. Quod autem quandoque aliquæ feriæ remaneant, non ufficit, quia cum pro annorum varietate plus, minuſve in numero Sancti ſuperſint, Congregationis notitiam non aufugit, quod ad lancem ſtabilis pro ſingulis annis octavarum reſecatio fieri non poterat, ac per conſequens, dum moderandas eſſe octavas admiſit, & præſertim cum clauſula illa, *& quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem*, aliquod feriale officium inde ſequi poſſe adverſata non fuit.

XXV. Inquirendum nunc remanet, an a particulari Monaſterio, in quo Sancti ſuperſunt, ad prædictum effectum expungi poſſint octavæ minus principales toti Religioni conceſſæ, intactis iis remanentibus apud Kalendarium ejuſdem Religionis?

XXVI. ℟. Affirmative, patetque id aperte ex dubio in Sacra Congregatione propoſito, in quo quærebatur, non pro caſu, in quo Sanctorum feſta ſuperſunt apud integram Religionem aliquam, ſed pro caſu, in quo incelebrata remanent in aliqua particulari Eccleſia, præſertim Regularium, *ſi autem in aliqua Eccleſia, præſertim Regularium, ſint tot feſta &c.*, quapropter dum in Decreto fit facultas moderandi octavas *in aliquibus Ordinibus Regularibus*, utique intelligi debet uniformiter ad petitionem, ita quod in toto Ordine

modera-

moderari queant, ſi apud totum Ordinem feſta ſuperſint, vel duntaxat in aliqua Eccleſia Ordinis, ſi apud hanc tantummodo Sanctorum exuberantia contingat, ut reſponſio ſuffragetur pro caſu petionis.

XXVII. Quid vero faciendum foret, ſi unum, vel duo dumtaxat officia alicubi regulariter ſupereſſe eveniret, ſtabilire difficilius evadit. Totam aliquam demere octavam, abſurditatis, ac ſuperfluitatis nota effugi minime poteſt, dum ſeptem tolluntur officia, ſeptem ſcilicet dies octavæ, ut unum dumtaxat, vel duo locentur. Octavam abrumpere, ab eaque tot dies, quot ſunt officia reponenda, detrahere, in Rubricis quidem novum non eſt, quæ quibuſdam advenientibus temporibus octavarum truncationem demandat. Verum cum Rubricæ caſus, quibus octavæ debent effringi, nimia aperte deſignent, noſtrum non eſt ad alios pro libito eas extendere, præſertim cum obſiſtat etymologia ipſa nominis, quæ eaſdem per octo durare debere dies indicat, & expoſcit. In diebus infra octavam rejici potuiſſent, ſicut in iiſdem admittuntut ſemiduplicia a præcedenti immediate die translata; aſt quia id fieri Rubricæ non ferunt, a Decreto ſtatutum non fuit, ita nec id nobis licitum eſſe credimus. Quoniam itaque etiam præter indicatos caſus octavas truncari eædem reſiſtunt, nec iſtum agendi modum credimus convenire, ſed magia primum, ſcilicet totam aliquam ex minus principalibus demere octavam, non obſtante ſequela alicujus ferialis officii, cui, ut dicebamus, Congregationis mens haudquaquam reluctatur, non obſtanteque ſuperfluitate officii ad caſum deleti, quod cum alioquin repetitio ejuſdem officii ſit, in conſiderationem plurimam non venit, dum agitur de retinendo officio, quod alias deperderetur, aut ſaltem in ritu plurimum deprimeretur. Hunc itaque modum tenendum eſſe credimus, atque conſulimus, quando ritu ſimplici de ſuperſtitibus officiis agere non placeat.

XXVIII. Quod ſi iſte, quibus haud arrideat agendi modus, alius itidem ſuppetit, videlicet omiſſio Sanctorum ad libitum, quorum conditio eſt, ut eorumdem celebratio a mero Recitantium pendeat arbitrio. An autem horum officiorum prætermiſſio, ut ſpatium utile fiat repoſitioni Sanctorum de præcepto, alioquin in fine anni ſuperantium, & alias de neceſſe in ritu minorandorum, vel octavarum decoctionem importantium, non videtur, quia officia ad libitum ſolum officiis de præcepto occurrentibus de neceſſitate cedunt, non autem translatis juxta Decretum S. R. C. 24. Januarii 1682. in cujus tamen expoſitione etiam oppoſitum multa probabilitate non deſtitui dicemus.

XXIX. Num liceat omittere, quæ ſunt de Breviario Romano, ut fiat de dictis particulatibus officiis, quæſtio succedit, ad quam, ſi attendatur via adverbii illius *Potius*, quod habet Decretum, dum moderationem octavarum magis collaudat, affirmative reſpondendum eſſe videtur, licet tamquam conſultior, & melior modus præferenda ſit octavarum moderatio. Quia tamen nimis patenter in hac reſolutione elucet in oppoſitum Congregationis mens, idcirco quantumvis forſitan adductum poſſent ſenſum invhere, ac ſuſtinere verba Decreti, negative cogimur reſpondere, ſiquidem ex *c. Humano aures 22. quæſt.* 5. clare inſtruimur, quod *non debet aliquis verba conſiderare, ſed intentionem, & voluntatem, quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni*; in noſtro autem caſu ſatis ſuperque Decreti intentio expreſſa habetur in iis verbis: *Et quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem, ſed ritu ſimplici peragenda juxta Decretum in Hiſpalen.*, quæ cum Clero quæritanti, num liceat omiſſio officiorum de Breviario Romano gratia faciendi de particularibus, poſt permiſſam ad eumdem effectum octavarum moderationem reſponſa extiterint, utique clare deſignant, haudquaquam probari propoſitum modum, ac conſequenter adverbium illud *Potius* ſuper octavarum moderationem cadens, tantummodo ſuggerere alterum agendi modum, eumque ad indulgentiam, quo particularibus officiis locus paretur abſque Romanorum omiſſione.

XXX. Eadem ex reſponſione ſequitur, quod officia Romana redigi non poſſunt ad ſimplicem ritum ad effectum parandi ut ſupra locum Sanctis particularibus, atque adeo in repoſitionem Sanctorum, quicumque ii ſint, ſive de Romano, ſive de proprio Kalendario, progrediendum venit juxta Rubricarum mandata, juxta ſcilicet ordinem Kalendarii, & dignitatis, eidemque conſulendum etiam cum octavarum, ſi lubet, moderatione, & ſi qui adhuc celebrandi ſuperſunt, ritu ſimplici peragendi ſunt. Enim vero Bulla Pii V., & iterata Congregationis Decreta e Breviario Romano quid detrahi, vel in eodem mutari, rigoroſe inhibent, & officia ipſa terminis rigoroſum præceptum importantibus reperiuntur indicta; quapropter eorumdem expunctio, aut in ritu depreſſio minus apta forſitan viſa extitit ad effectum parandi locum officiis particularibus, quæ terminis facultativis aſſolent indulgeri, quemadmodum relevabatur in petitione ipſa in Decreto ſupra inſerta.

XXXI. Potior difficultas e contra inſtitui poſſet, num ſcilicet Sancti particulares omitti queant, cauſa faciendi de Sanctis Brevarii Romani? Et certum eſt, quod ex præſenti Decreto dirimi nequit, quoniam etſi non probet omiſſionem officiorum Romanorum gratia faciendi de particularibus, uti petebatur, hinc tamen inferri nequit, quod nec probet omiſſionem officiorum particularium cauſa faciendi de Romanis; ſatis enim diſpar eſt ratio, quoniam Romana terminis præceptivis ſupponuntur conceſſa, particularia vero nonniſi facultativis; qui eorumdem celebrationem in Recitantium arbitrio relinquere videntur. Deciſio itaque pendet ex iis, quæ ſuo loco trademus exponentes Decreta per terminos facultativos officia particularia concedentia; ſi enim ibi ſtatuemus, hujuſmodi officia eſſe de præcepto, ſaltem cum ſunt acceptata, jam de his eadem ſit ratio, quæ de Romanis; ſi autem remanent adhuc in Recitantium arbitrio, in horum quoque libito ſita erit eorumdem omiſſio, cauſa faciendi locum Romanis.

XXXII. *Et quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem.* Sunt hæc verba Decreti, quorum vis ex ſe patens eſt, & ex ſuperius dictis ubertim elucet, importatque, quod facta octavarum moderatione, ſi adhuc aliqua officia, quæcumque ea ſint, celebranda ſuperſint, non ſunt transferenda in annum ſequentem, ſed ritu ſimplici perſolvenda juxta diſpoſitionem Decreti *in Hiſpalen.*, unde & ſubditur, *confirmando Decretum in Hiſpalen.* Decretum autem *in Hiſpalen.*, quod hic confirmatur, eſt illudmet ipſum, quod præcedenter ad præſens dedimus, & explanavimus; quapropter ad dicta in ejuſdem expoſitione, & ad dicenda in ſequentis quoque interpretatione Lectorem rejicimus, ut ſciat, quomodo ſe gerere debeat, in celebratione officiorum, quæ facta octavarum moderatione adhuc celebranda ſuperſunt, & adhuc quibus parandum intra annum locum, poſſit ad octavarum moderationem deſcendere.

XXXIII. *Unde Sacra Congregatio reſolvit juxta hoc votum, confirmando Decretum in Hiſpalen.* Teſte Merato, ubi ſe corrigit, atque retractat ab iis, quæ ſcripſerat *ſect.* 3. *cap.* 10. *n.* 3., innuerat in ſuo voto Illuſtriſſ. D. Diverſini: *Poſſe juxta Decreta emanata transferri officia, quæ ſuperſunt, in annum ſequentem, ſed poſtea concluſerat, potius moderandas eſſe octavas minus principales, & quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem.* Quoad feſtorum transferibilitatem ad annum ſequentem credimus innixum extitiſſe Decretis I., & II. hujus Capitis eamdem permittentibus, quantum vero ad intransferibilitatem, quam magis collaudabat, Decreto *in Hiſpalen.*, quod præcedenti anno emanaverat; unde dum dicitur, quod *Sacra Congregatio reſolvit juxta hoc votum, confirmando Decretum in Hiſpalen.*, perinde eſt, ac ſi diceretur, & hi ſunt termini, quibus præſens Decretum concipi debet, quoſque propterea, tamquam Decreti reipſa iidem forent, nos ſuperius exponendos ſuſcepimus: *Ad propoſitum dubium Sacra Rituum Congregatio reſpondit, potius moderandas eſſe octavas minus principales in aliquibus Ordinibus Regularibus, & quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem, ſed perſolvenda, prout diſponitur in Decreto in Hiſplen. edito ſub die 26. Novembris 1735.*

XXXIV. Præſens itaque reſolutio in nihilo offendit præcedens, & ſequens Decreta, ſed iiſdem omnino concors eſt, & ad ſummum modificationem quamdam iiſdem adhibet, quatenus moderare poſſe permitiit octavas ad effectum parandi locum Sanctis, qui alias ſupereſſent, & eum ſolo ritu ſimplici peragendi forent, quam tamen minime præcipit, ſed Cleri deſerit arbitrio. Ceterum omnia uniſone conveniunt in præcipiendo intransferibilitatem Sanctorum ad annum ſequentem, & eorum celebrationem ſub rito ſimplici, quoties aliquos ſupereſſe contingit. Quod vero ad octavarum moderationem attinet, de qua nec verbum habent alia duo memorata Decreta, hoc ideo eſt, quia hæc procedunt pro caſu, in quo una, vel altera vice dumtaxat Sancti ſuperſunt, uti reipſa deſignant illa eorumdem verba, *Tunc illo anno &c.*, ubi præſens loquitur in caſu perpetuæ, vel quaſi perpetuæ Sanctorum exuberantiæ. Videantur, quæ in hujus, & præcedentis, atque ſequentis Decretorum expoſitione dicta fuere, & dicenda ſunt.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE LXXIII.

Ex parte Patris Joſephi a Vernio Ordinis Minorum Cappuccinorum ſupplicatum fuit pro declaratione infraſcripti dubii: *An Sancti, de quibus in toto anni decurſu celebrari officium non potuit, transferendi ſint ad annum ſequentem, vel potius eo anno ſint ommittendi?* Sac. Rit. Congregatio inhærendo alteri reſolutioni in ſimilibus datæ ad inſtantiam Reverendiſſ. Archiepiſcopi Hiſpalen. ſub die 26. Novemb. 1735. reſcribendum cenſuit: *Sanctos qui in fine anni ſuperſunt, non eſſe ad annum ſequentem tranſferendos, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandos eſſe tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in ſemiduplicibus, cum nona lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum unius.* Et ita declaravit die 8. Martii 1738. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 341.

I. TEr reperitam hac in re notam S. Congregationis reſolutionem, ut inde ediſcens conſtantem ejuſdem mentem, intelligas generalem, omneſque adſtringentem indici obſervantiam Decreti vetantis ad annum ſequentem Sanctorum tranſlationem. Cum autem plurima, quæ huc ſpectare queunt, in duabus præcedentibus Sanctionibus fuerint ſuſe pertractata, ad verbalem Decreti explanationem ſolum ſupereſt deſcendamus, ut inde pateat ejuſdem vis, ac tenor.

II. *Sacra Congregatio inhærendo alteri reſolutioni in ſimilibus data ad inſtantiam Reverendiſs. Archiepiſcopi Hiſpalen. ſub die 26. Novemb. 1735.* Reſolutio, cui præſens inhærere fatetur reſponſio, eſt Decretum III. hujus Capitis, quod poſtea ſub die 15. Septemb. 1736. *in una Toletana* in præcedenti Decreto dicebamus fuiſſe confirmatum. Aſt ſi ita res eſt, cur magis impræſentiarum dicitur *inhærendo reſolutioni Hiſpalen.*, quæ antiquior eſt, & non *Toletanæ*, quæ modernior exiſtit, vel utrique, aut in generali *aliis reſolutionibus?* Difficultatem dirimit verbum illud, *In ſimilibus data*. Per Toletanam confirmatur quidem Sanctio Hiſpalen., quatenus per illam inhibetur tranſlatio Sanctorum ad annum ſequentem, & in caſu remanentiæ Sanctorum ſtatuitur eoſdem ritu ſimplici eſſe celebrandos, uti in Hiſpalen. demandatur: At poſtea data non eſt *in ſimilibus*, utpote quæ prodiit pro caſu plurimæ, perpetuæ, vel quaſi perpetuæ Sanctorum exuberantiæ, quibus propterea ut locum intra annum faceret, & emergens inde Cleri gravamen allevaret, octavarum minus principalium moderationem indulſit; Hiſpalenſis vero emanavit pro caſu, in quo Sancti aliqui una duntaxat, vel altera vice ſuperſunt, in quo utique caſu & præſens procedit reſolutio, & ideo neutra aliquid habet de dictarum moderatione octavarum, quarum perpetua decoctio ad parandum locum Sanctis, qui quandoque tantum ſupereſſe poſſunt, minus conveniens, & apta viſa forte fuit, ut dicebamus in præcedenti Decreto.

III. *Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſunt ad annum ſequentem transferendi*. Si diſpoſitionis verba attendantur, omnes omnino Sanctos, cujuſcumque ſint ritus, comprehendere videntur, ſunt ſiquidem generalia, & ideo & generaliter accipienda, ut communiter ajunt Doctores *in l. 1. ff. de legatis præſtandis, & in l. proſpexit ff. qui, & a quibus*, & ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus juxta Bart. *in l. de pretio ff. de Publiciana &c.*, hinc notat Suarez *lib. 6. cap. 2. num. 3.*, enunciationem legis indefinitam, ob ſui indifferentiam, & communem loquendi modum, æquivalere univerſali, & id non tantum de affirmativa, ſed multo magis de lege negativa accipiendum eſſe, quandoquidem negatio omnia negat, & tollit, unde a Dialecticis *malignantis naturæ* eſſe dicitur.

IV. Adhuc tamen a Decreti diſpoſitione nos præſervanda arbitramur feſta ea, quæ Rubrica IX. *de Comm. num. 5.* appellat *feſta majora per annum*, ſcilicet feſta duplicia primæ, & ſecundæ claſſis, ſunt etenim hujuſmodi feſta apud Eccleſiam admodum ſolemnia, ſpeciali ritu diſtincta, & multis privilegiis a Rubricis decorata, ut eadem ſub diſpoſitione ſimplici, abſoluta, & indefinita venire putemus, unde tamquam ſpeciali nota digna præſervanda eſſe non dubitamus, ab ea communi regula edocti, quod *in generali diſpoſitione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter in ſpecie non comprehendiſſet*. Ejuſdem ſententiæ videtur eſſe Meratus, qui licet Decreta tranſlationem feſtorum ad annum ſequentem inhibentia probet, adhuc *ſect. 6. cap. 6. num. 3.* haud inficiatur, Feſtum SS. Innocentium, quoties in proprio die eſt impeditum, in annum ſequentem poſſe transferri, uti dicebamus in Decreto I. hujus Capitis.

V. Et quidem quis umquam recte præſumere valet, quod Sacra Congregatio per hæc inhibitiva Decreta intenderit, quod feſta illa, quæ quoad feriationem fori, cum octava, aut vigilia, & cum aliquo ex præcipuis Eccleſiæ ritibus ſunt indicta, adeo in ſolemnitate, & ritu deprimantur, ut ad ritum ſimplicem, ac ad ſolam commemorationem redigi queant, imo & quandoque totaliter ſupprimi. Sit alicubi ex. gr. Feſtum Dedicationis propriæ Eccleſiæ addictum Dominicæ IV. Decembris, tunc hoc ipſo quiſque percipit, quod aliquod ex feſtis SS. Stephani, Joannis, vel Innocentium ad ſolam commemorationem neceſſe eſt redigi, ſi in eorumdem alterutro incidat dicta Dominica, & ſi hæc incidet in Feſtum Nativitatis Dominicæ, idem diſpendium ſubit Dedicatio ipſa, & ad ſimplicem commemorationem redigitur, uti etiam ſi in Vigiliam ejuſdem Nativitatis occurrat. Quid abſurdius? Qui igitur ſecus Decretum interpretantur, & ejuſdem verba quoad corticem plus æquo rigide intelligunt, abundent in ſenſu ſuo; nobis enim, quæ dedimus, nimium abſurda, ac diſſona videntur, ut a Sacra Congregatione credamus potuiſſe eſſe intenta, & nos eadem deglutire queamus.

VI. Accedit, quod feſta iſta majora in ritu deprimi reluctantur Rubricæ ipſæ, quæ etiam in caſu ſeparationis ob aſſumptionem unius duntaxat ex Sanctis unitis in Patronum, decernunt, eum proprio ritu adhuc Socios eſſe celebrandos, & non redigendos ad ritum ſemiduplicem, ad quem rejiciunt feſta cetera, quæ ea de cauſa ſeparantur, & transferuntur, ut dicebamus in præcedenti Capite; quanto autem magis eædem refugient, præfata feſta extra caſum ſeparationis uſque ad ritum minorari ſimplicem, immo quandoque totaliter deperdi?

VII. Num id honoris deferri quoque debeat duplicibus majoribus, diſquiſitio ſuccedit; & affirmative reſpondendum eſſe videtur, ſpeciali ſiquidem nota apparent digna, ſicut ſpeciali ritu, & ſolemnitate ſunt culta, ac conſequenter ſub abſoluta diſpoſitione nequaquam comprehenſa. Verum cum juxta quamplures ex Rubriciſtis a duplicibus minoribus ſpecie non differant, vel ſi differant, non multum ſuper ea eleventur, quinimmo a Rubricis id privilegii duntaxat obtineant, ut in concurrentia integras habeant veſperas, quas etiam ratione ſolius dignitatis, vel ſolemnitatis ſortiuntur duplicia minora, ideo a communi maſſa duplicium ordinariorum non videntur ſecernenda; præſertim quia Rubricæ in caſu ſeparationis illa a duplicibus minoribus minime diſtinguunt, ſed ſimul cum iiſdem ad ritum ſemiduplicem redigi ſinunt; quidni igitur & ad ritum ſimplicem in caſu noſtro? Non abnegamus tamen, id forſitan fallere, ſi hujuſmodi feſta alicubi ſpecialem ſibi vindicent ſolemnitatem, aut populorum devotionem, cujuſmodi ſunt Patroni minus principales, aliique ſimiles.

VIII. De duplicibus minoribus ſupereſt inquirendum, & licet multa argumenta non deſint, quæ a diſpoſitione minime ea comprehendi oſtendere videntur, adhuc nos id honoris iiſdem tribuere non valemus; tum quia Rubricæ illa in caſu ſeparationis in ritu minui non reluctantur; tum quia privilegium nullum iiſdem a Rubricis legimus factum; tum quia nimis arctatur abſoluta diſpoſitio Decreti, dum ad ſola reſtringitur ſemiduplicia; tum quia adhuc nonnulla ſequerentur ex allegatis incommodis, ut bina celebratio ejuſdem feſti intra annum, ubi de aliquibus nec ſemel, peremptio officii feriarum ſacroſanctæ Quadrageſimæ, officii B. Mariæ, Defunctorum, & Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium &c. quæ licet relate ad duplicia majora forſitan valde non relevent, relate tamen ad minora in non exiguam veniunt conſiderationem. Tum denique quia licet præcedens Decretum *in Toletana* in petitione ſolorum meminerit ſemiduplicium, adhuc in reſolutione abſolute, & ſimpliciter ſancit: *Et quatenus ſuperſint aliqua officia adhuc celebranda, ea non eſſe transferenda in annum ſequentem*; adeoque ad minus extendi etiam debet ad duplicia minora. Verum argumentis modo opus non eſt, cum prodierit expreſſum Decretum.

IX. Naſcitur nunc dubium, num juxta diſpoſitionem Decreti Sancti illi, qui in fine menſis Decembris ſuperſunt, in fine anni ſupereſſe cenſeantur, etſi a die ſuæ tranſlationis annus integer, ſeu circulus duodecim menſium elapſum non ſit; an vero ſolum illi in fine anni ſupereſſe cenſendi ſint, qui a die propria, in qua occurrunt, & a qua fuerunt tranſlati, uſque ad recurſum ejuſdem diei nullam invenire potuerunt diem, in quam reponerentur?

X. Hoc ſecundo modo Decretum intelligendum eſſe nonnullos audivi, qui mordicus ſentiunt; an vero zelo veritatis, vel magis brevitatis in divinis officiis ſollicitandæ gratia, ex ſtatim dicendis quiſque judicet. Volunt hi igitur, quod Sancti tranſlati utile ſpatium habeant recurrente anno uſque ad diem propriam, in qua occurrunt, & a qua fuerunt tranſlati, non vero ultra eam diem ad evitandum incommodum illud, quod etiam nos ſuperius recenſuimus, prius recitandi officium, puta S. Georgii Martyris pro anno 1743., nondum perſoluto officio ejuſdem S. Georgii pro anno 1742., unde juxta ſic opinantes officium Sancti Georgii in anno 1742. tranſlatum, habere poteſt repoſitionem uſque ad diem 23. Aprilis 1743., cui dictum officium in Kalendario eſt addictum. Quod ſi uſque ad eam diem reponi non potuerit, tunc in fine anni ſupereſſe cenſetur, cum a die ſuæ tranſlationis integer jam annus elapſus ſit, & tunc dicunt locum habere Decretum.

XI. Verum quoniam non contendendi, ſed indagandæ veritatis ſtudio difficultatem hanc nos ſuſcepimus examinandam, paucis expediendam eſſe putamus, nec melius decidi poſſe, quam ex mente ejuſdem Sacræ Congregationis. Audi igitur, quid hæc deciderit in primo Decreto hujus Capitis: *Officia Sanctorum, quæ de menſe Decembris aliquando ſuperſunt, transferri poſſunt, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni*. Patenter jam vides igitur, quod Sacra Congregatio officia Sanctorum, quæ de menſe Decembris ſuperſunt, in fine anni ſupereſſe exiſtimat, dum *in annum ſequentem* transferri poſſe definit: ſi enim pro repoſitione Sanctorum annus inciperet a die, in qua Sancti in Kalendario ſtatæ occurrunt, & nonniſi uſque ad recurſum ejuſdem finiretur, jam Sancti de menſe Decembris dici non poſſent transferri in annum ſequentem per hoc, quod transferrentur in ſequentes menſes Januarium, Februarium, Martium, & alios, ſed ſolum quoties recurrente anno transferrentur ultra diem Decembris, in qua occurrebant.

XII. Accedit communis loquendi modus, a quo in interpretatione legum non eſt recedendum, niſi aliter manifeſte conſtet de mente Legiſlatoris. Aſt quid plura addimus in re adeo notiſſima; eſt enim terere tempus in argumenta ulteriora adducendo, quorum etſi ſatis efficacia, & validiſſima congerantur, ad nihilum proderunt, eſt ſiquidem hic nobis pugna cum pervicaci, & acerrimo officii ferialis oſore, qui per fas, & nefas penitus illud proſcribere tentat, & cum ſit de veritate conſcius, convinci non eget, aſt quod ſe declaret victum, incaſſum ſperatur. Volo tamen unum tibi ſuggerere argumentum, quo eum nolentem facile veritatem fateri facies. Iis diebus, quibus iſte brevioris officii ſtudioſus officium agit de Sancto aliquo præcedentis anni, ullo facto verbo de hujuſmodi dubio pete ab eo, quodnam officium ea die faciat; & fallor, ni tibi reſpondeat ſtatim, *De Sancto præcedentis anni*. En quod incautus, & invitus in rete cecidit. Bene quidem, ſed inaniter. Ex ore ſuo mox argumentum facito, illumque convincere ſtude; & non minus fallor, ſi per mille ſtatim non vagetur ille vias, quo vim argumenti eludat; per mille modos, quibus ſui dicti expoſitionem faciat, ſeu magis quibus a ſuo dicto recedat, & palinodiam canat. Ita mihi moderne evenit cum quodam Kalendarii

Compoſi-

Compoſitore, qui cum in modo addicta verſaretur Decreti explanatione, die 16. Februarii adhuc in ſuo Kalendario anni 1741. ſignaverat: Fer. 6. Euſebii Ep. Mart. ſemid. (*fuit 16. Decemb. anni elapſi*.) Meum itaque ſume conſilium: Deſere eos, & ſine, ut in ſuo ſrigant ſtercore.

XIII. *Sed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat*. Quæſtionem nobis iſta verba ſuppeditant, an videlicet ad hoc ut Decretum effectum habeat, neceſſe ſit, quod Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, locum intra annum habere non potuerint, nedum in ſequentibus diebus a die ſuæ translationis, verum nec in præcedentibus; an vero ſat ſit, quod in diebus ut ſupra ſequentibus uſque ad finem anni ſpatium aliquod, quo locari potuerint, nequaquam repererint? Sit exemplum: Feſtum S. Clementis Papæ Martyris, quod die 23. Novembris in Kalendario conſignatum habetur, transferri contingit. In controverſiam venit, an ut modo ſimplici dictum officium juxta diſpoſitionem Decreti ſit peragendum, ſufficiens ſit, quod a memorata die 23. Novembris uſque ad ultimam Decembris, nulla die poni potuerit, an vero opus ulterius ſit, quod neque retrocedendo a præfata die 23. Novembris uſque ad primam Januarii ejuſdem anni nulla adſit dies libera, ac vacua, in qua dictum officium valeat celebrari?

XIV. Et quidem ſi verba Decreti, prout ſonant, ſpectentur, opus eſſe, quod Sancti, qui ſuperſunt, nec in ſequentibus, nec in præcedentibus anni diebus poni potuerint, indicare videntur; neceſſe eſt enim, quod *toto anni decurſu de illis celebrari non valeat*; totus autem anni decurſus ulla abſque dubitatione nedum ſequentes, ſed etiam præcedentes, ſeu omnes anni dies includit. Aliqualiter concors foret hic agendi modus uſibus Eccleſiarum Pariſienſis, Turonenſis, ac Ordinis Prædicatorum, quæ teſte Guyeto *lib. 4. cap. 7. quæſt.* 4. in præcedentem anticipant diem feſta, quæ ſunt transferenda, quoties conſequentes dies per unam, plureſque hebdomadas feſtis occupantur; quod longe commodius quidem videtur, quam ea in longum tempus amandare. Conſultius itaque quoque videtur feſta, quæ in ſine anni ſuperſunt, in præcedentibus diebus anticipare, quam ea in ritu deprimere, & quandoque etiam prorſus omittere; quod non ſemel eveniret, ſi aliam a præſenti Decretum expoſitionem ſumeret.

XV. Verum cum in Breviario Romano uſus hujuſmodi anticipandi feſta plane ſit incognitus, ejuſdemque Rubricæ in primam *ſequentem* diem non impeditam feſta eſſe transferenda clament conſtanter ubique, nedum arbitramur, non eſſe anticipanda in præcedentem diem vacuam feſta, quæ transferri debent, ne eorumdem repoſitio ob conſequentes dies multas occupatas valde differatur, ſed nec etiam, quoties alias intra annum locum amplius non poſſent habere; qui enim Romanus eſt, romano debet vivere modo. Ly igitur *Toto anni decurſu* ſolummodo denotat anni curſum per conſequentes, non præcedentes dies; Sacra enim Congregatio in ſuis Decretis Rubricarum præſcripta intemerata ſervare ſolet, & ſi quid contra ea aliquando particulariter indulget, per clauſulam *Non obſtantibus Rubricis Breviarii Romani*, id conſueſcit indicare. De eo autem, de quo fieri non valet officium aliqua ex anni diebus, in qua ſecundum Rubricas illud poni poſſet, non incongrue utique dicitur, toto anni decurſu de eodem officium celebrari non potuiſſe; nam totus anni decurſus ad ejuſdem dies utiles refertur, non inutiles, ac dies anni inutiles licet liberæ, perinde ſe habent ad tale feſtum, ac ſi forent officiis Sanctorum impeditæ.

XVI. Adde, quod Decreta vetantia Sanctorum translationem ad annum ſequentem contraria ſunt, derogatoria priorum, in quibus dicta admittebatur translatio; in his autem ad annum ſequentem concedebatur translatio Sanctorum, qui in ſequentibus dumtaxat diebus poni non poterant, nec ut in annum ſequentem transferentur, neceſſe erat, quod nec in præcedentibus locari poſſent. In illis itaque quoque Decretis, quibus præfata inhibetur translatio, comprehenduntur Sancti omnes, qui in ſequentibus anni diebus locum non habent, etſi in præcedentibus eumdem habere poſſent; indubie enim ſi hæc inhibitiva Decreta aliter fieri voluiſſent, cum ſit quid novum, & apud utentes Breviario Romano penitus incognitum, & inauditum, dilucide illud expreſſiſſent.

XVII. *Tunc in illo anno*. Hæc verba, ut dicebamus in Decreto III. hujus Capitis, a diſpoſitione Decreti excludunt Sanctos, qui iidem individualiter ſemper in fine anni ſuperſunt, quibus nunc addimus etiam Sanctos illos, qui non ſemper, ſed quaſi ſemper iidem in individuo ſuperſunt; tum quia ut in præcedenti Decreto dictum extitit, in moralibus ſemper ſupereſſe cenſentur, qui quaſi ſemper ſuperſunt; tum etiam quia verba illa, *Tunc in illo anno &c.* Sanctos, qui uno dumtaxat, vel altero anno ſuperſunt, comprehendere profecto videntur. An autem idipſum dici debeat de Sanctis, qui ſæpe iidem ſuperſunt, eadem ratione nonnulli poſſent exiſtimare; nos autem adeo latam Decreti extenſionem facere nolumus, arbitrantes præfata verba, *Tunc in illo anno*, etiam Sanctis, qui ſæpe iidem ſuperſunt, vere eſſe adaptabilia.

XVIII. *Diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tamquam ſimplices*. Ritu itaque ſimplici in memorato caſu celebrandum erit eorum officium, non quidem ultima anni die, ſed *diebus eorum propriis*, diebus videlicet, quibus eorum officium in Breviario, vel Kalendario reperitur addictum, ſive ſint eorumdem natalitii dies, & pro officio ſimul aſſignati, ut relate ad S. Franciſcum eſt dies IV. Octobris in qua & contigit ejuſdem ad cælum felix tranſitus, & in Eccleſia Romana colitur cum officio; ſive ſint ſolum pro officio deſtinati, qualis eſt dies IV. Auguſti pro S. Dominico, in qua ejuſdem officium univerſalis celebrat Eccleſia, licet ille ad ſuperos tranſierit die VI. ejuſdem menſis, per Feſtum Transfigurationis Domini occupata; ſive ſint adhuc in particularibus locis ad recenſendas medio officio Sanctorum laudes per immutationem dumtaxat delecti, licet in Breviario Romano eorumdem officium altera die recurrat, cujuſmodi Romæ eſt S. Raymundus de Pennafort, cujus officium diei 28. Januarii eſt ibi perpetuo per immutationem conſignatum ob perpetuum impedimentum Feſti Deſponſationis B. Mariæ, quod occurrit die 23. ejuſdem menſis, quæ eſt dies in Breviario Romano pro laudibus dicti Sancti deſtinata.

XIX. *Faciendo eorum commemorationem, ut ſit in ſemiduplicibus*. Simplicium commemoratio, quoties eorumdem officium remanet impeditum, juxta Rubricas locum dumtaxat habet in primis veſperis, & laudibus; ſemiduplicium vero in primis veſperis, laudibus, & ſecundis veſperis, ut liquet in Dominicis, & diebus infra octavam, quoties in eiſdem de officiis Sanctorum fieri accidit, pateque ex eo, quod officium ſemiduplex primas, & ſecundas veſperas, ac laudes in ſua conſtitutione habet, ubi officium ſimplex tantummodo laudes, ac primas veſperas, non autem ſecundas importat. Dum igitur præſcribitur, quod Sanctorum, qui in fine anni ſuperſunt, commemoratio fiat *ut in ſemiduplicibus*, conſequenter diſpoſitum venit, quod dicta commemoratio fieri debeat in primis veſperis, & laudibus, & inſuper in ſecundis veſperis; quapropter præfati Sancti ſuper ſimplices commemorationem ſortiuntur in ſecundis veſperis, quam ipſi minime habent; in ceteris autem, quæ non ſunt expreſſa, ac excepta, dum nos edocet Decretum, *conſiderandos eſſe tamquam ſimplices*, nos quoque inſtruit diſpoſitioni juris communis de ſimplicibus, ſeu Rubricarum Romanarum de officio ſimplici eſſe relictos, ac conſequenter juxta harum præſcriptum eſſe omnimode regulandos.

XX. Inferes ex his dictorum Sanctorum commemorationem fieri debere in primis, & ſecundis veſperis, ac laudibus in officio, a quo ipſi impediuntur, quoties tale officium commemorationem ſimplicium juxta Rubricas non reſpuit; hinc quia officia ſemiduplicia, duplicia minora, & majora, imo & quæcumque officia ferialia privilegiata commemorationem occurrentium ſimplicium admittunt, ſi Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, ab aliquo eorumdem impediti veniunt, in eorumdem officio commemorationem in utriſque veſperis, & laudibus ſortiuntur.

XXI. Quod ſi occurrant in feſtis, quæ juxta Rubricas commemorationem ſimplicium reſpuunt, dictorum Sanctorum commemoratio vel penitus deperditur, vel ſolummodo fit, prout natura officii occurrentis patitur. Si itaque impediri contingat per feſtum duplex primæ claſſis, quod nullam ſimplicium commemorationem compatitur, nulla eorum commemoratio fieri debebit, ſed eo anno penitus omittetur, ad eum modum quo in eodem occurſu omnimode ſupprimitur aliorum ſimplicium incidentium commemoratio. Si vero incidant in feſtum duplex ſecundæ claſſis, eorum commemoratio omittetur in primis veſperis, & fiet in laudibus, in quibus dumtaxat permittitur commemoratio ſimplicium in feſta ſecundæ claſſis occurrentium.

XXII. An vero horum commemoratio fieri quoque debeat in ſecundis veſperis feſti duplicis ſecundæ claſſis? Quæſtio eſt, quæ ex Rubricis decidi non poteſt, cum ſimplicia, de quibus Rubricæ diſponunt, ſecundas non habeant veſperas. Quæſtio autem non eſt in concurſu; ſed in occurſu, nam certum eſt, quod in concurſu in ſecundis veſperis feſti duplicis ſecundæ claſſis fieri debet commemoratio dictorum Sanctorum in ſequenti die occurrentium, cum ſecundæ veſperæ duplicis ſecundæ claſſis admittant commemorationem etiam pure ſimplicium ſequentium. Quemadmodum igitur v. g. in ſecundis veſperis Nativitatis B. Mariæ fit commemoratio S. Gorgonii ſimplicis, qui die ſequenti occurrit, ita fieri deberet commemoratio præfatorum Sanctorum, ſi qui in ſequenti die occurrerent, & ad ritum ſimplicem eo anno per accidens redigerentur.

XXIII. Quæſtio igitur procedit in caſu occurrentiæ, quando nimirum occurrerent in ipſo feſto duplici ſecundæ claſſis, quo in caſu eoſdem Sanctos deperdere diximus commemorationem in primis veſperis, & illam habere in laudibus; unde quæſtio eſt, an etiam in ſecundis veſperis fieri debeat, an vero omitti?

XXIV. Ad quod dicendum videtur, quod præfatorum Sanctorum commemoratio in ſecundis veſperis locum non habeat. 1. Quia nec eam habent in primis, ergo nec in ſecundis, quia utrarumque veſperarum par videtur eſſe ratio. 2. In ſecundis veſperis duplicis 2. claſſis locum non habet commemoratio diei infra octavam, ſi in ſequenti die non habet officium, ſed ſolam commemorationem: Si igitur in eiſdem commemoratio non fit officii illius, quod licet fieri impediatur, adhuc remanet ſemiduplex, nec in ſuo ritu deprimitur, multo minus fieri debebit commemoratio dictorum Sanctorum, qui ſuum non conſervant, ſed in officia ſimplicia convertuntur.

XXV. His tamen nequaquam obſtantibus dicendum arbitramur, præfato in eventu commemoratio dictorum Sanctorum etiam in ſecundis veſperis eſſe faciendam; ſi enim,

quemadmodum ſuperius dicebamus, indubium eſt, quod ſecundæ veſperæ feſti duplicis ſecundæ claſſis admittunt commemorationem Sancti pure ſimplicis in ſequenti die occurrentis, non videtur, cur reſpuere queant commemorationem dictorum Sanctorum, qui ſolum per accidens ſimplices ſunt (hujuſmodi Sanctos liceat nobis ad diſtinctionem *per accidens ſimplices* nuncupare, utpote qui ex ſe ritum ſemiduplicem, vel duplicem habent, & ſolum per accidens, eo quod ſcilicet in toto anno locum ſuæ repoſitionis non invenerunt, ad ſimplicem rediguntur ritum, ubi Sancti illi, qui juxta Rubricas ſimplices ſunt, ſemper ſimplices ſunt, adeoque *per ſe ſimplices* appellabuntur) per ſe tamen ſemiduplices, aut duplices, & ſuper ſimplices etiam eo in caſu prærogativa quædam non eſt denegata, commemoratio ſcilicet in ſecundis veſperis, quam officia pure, & per ſe ſimplicia non habent. Quod ſi officia per ſe ſimplicia in dictis veſperis commemorationem non habent, hac unica de cauſa factum eſt, quia ipſa ſecundis carent veſperis; quod ſi ſecundas haberent veſperas, etiam in memorato eventu ſui commemorationem nequaquam dependerent, quemadmodum eam de facto habent in laudibus. Quia igitur officia per accidens ſimplicia ſecundis haud carent veſperis, nec in memorato occurſu in ſecundis veſperis duplicis 2. claſſis ſua debent carere commemoratione.

XXVI. Ad primum autem in contrarium adductum dicimus diſparem eſſe rationem intra primas, & ſecundas veſperas, nam teſte Amalario *de ordine Antiph. cap.* 16. primæ veſperæ ſunt nobiliores ſecundis, & in Eccleſia ſolent eſſe ſolemniores, hinc & Cappella Papalis non habet ſecundas veſperas coram Papa, ſed tantum primas; non igitur mirum eſt, ſi primæ veſperæ feſti duplicis ſecundæ claſſis majorem ob nobilitatem, ac celebritatem, quam habent præ ſecundis, commemorationem feſti ſimplicis reſpuant, non autem ſecundæ veſperæ, quemadmodum minorem ob nobilitatem, ac ſolemitatem, quam habent laudes, etiam in laudibus feſti duplicis ſecundæ claſſis commemoratio occurrentis ſimplicis admittitur. Et revera memoratæ cauſa majoris nobilitatis primæ veſperæ duplicis 2. claſſis nedum commemorationem occurrentis ſimplicis recuſant, ſed etiam præcedentis ſemiduplicis, ubi ſecundæ veſperæ commemorationem nedum ſequentis ſemiduplicis non renuunt, immo nec ſimplicis; quidni igitur commemorationem ſimplicis occurrentis ob defectum ejuſdem nobilitatis admittent, quam primæ veſperæ rejiciunt?

XXVII. Ad 2. reponimus retorquendo argumentum: Commemoratio diei infra octavam, licet ſemiduplex ſit, locum non habet in laudibus feſti duplicis ſecundæ claſſis, ergo nec in iiſdem a fortiori locum habebit commemoratio feſti ſimplicis. Si igitur in laudibus duplicis 2. claſſis locum habet commemoratio feſti ſimplicis, etſi in iiſdem illum non habeat commemoratio diei infra octavam, etiam in ſecundis veſperis duplicis ſecundæ claſſis commemorationem habere poterit feſtum ſimplex occurrens, etſi illam non habeat diei infra octavam, aut ſaltem ex omiſſione commemorationis diei infra octavam in iiſdem veſperis inepte omnino infertur, commemorationem ſimplicis occurrentis neceſſario eſſe omittendam. Adde, quod in ſecundis veſperis duplicis ſecundæ claſſis locum non habet commemoratio diei infra octavam, licet in ſequenti die de eadem facienda ſit, ſi ſimul habitura non eſt officium, ubi in ſecundis veſperis duplicis ſecundæ claſſis fit commemoratio ſequentis ſimplicis, licet in die ſequenti habiturum non ſit officium, ſed ſolam commemorationem: Ex omiſſione igitur commemorationis diei infra octavam non recte infertur omiſſio commemorationis Sancti ſimplicis. Omittitur igitur omnimode commemoratio diei infra octavam in occurſu cum duplici 2. claſſis, quia cum octava non ſit, niſi continuatio feſti, jam ſatis adhuc de Sancto, de quo eſt octava, agitur in feſto, & in reliquis diebus octavæ; non omittitur autem commemoratio Sancti ſimplicis occurrentis in laudibus duplicis 2. claſſis, quia alias cum ejuſdem commemoratio ob feſti nobilitatem, & ſolemnitatem in primis veſperis ſupprimatur, ſi etiam in præfatis laudibus omitteretur, penitus ceſſaret memoria de illo Sancto, qui nonniſi unicam habet diem recenſioni ſuarum laudum deſtinatam. Eadem quoque de cauſa in ſecundis veſperis duplicis 2. claſſis non omittitur commemoratio ſequentis ſimplicis, ne ejuſdem minoretur cultus, & honor; unde ſicuti in laudibus duplicis ſecundæ claſſis ob minorem nobilitatem, & ſolemnitatem, quam habent relate ad primas veſperas, congruum viſum eſt occurrentis ſimplicis commemorationem admittere, ita etiam ob minorem nobilitatem, & ſolemnitatem, quam ſecundæ veſperæ habent relate ad primas, in iiſdem ſequentis ſimplicis fuit commemoratio conceſſa, etiam admiſſa quoque fuiſſet commemoratio Sancti ſimplicis occurrentis, ſi hic ſecundas haberet veſperas. Cum igitur Sancti per accidens ſimplices ſecundas etiam habeant veſperas, ſeu commemorationem in utriſque veſperis, non videtur, cur eorumde commemoratio in ſecundis veſperis duplicis 2. claſſis non ſit admittenda.

XXVIII. Perpulchrum Gavantus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 15. proponit caſum, in quo ſcilicet detur concurrentia duorum feſtorum duplicium ſecundæ claſſis, ita tamen ut in feſto ſecundæ claſſis, de quo ſequenti die fieri debet officium, adſit etiam feſtum ſimplex, & in veſperis fiat totum de præcedenti, utpote magis digno, ſola vero commemeratio de ſequenti feſto ſecundæ claſſis, utpote minus digno. In hoc igitur caſu quærit Gavantus an in ſecundis veſperis illius præcedentis duplicis ſecundæ claſſis fieri debeat commemoratio feſti ſimplicis occurrentis die ſequenti? Et quidem cum in ſecundis veſperis duplex ſecundæ claſſis admittat commemorationem ſimplicis ſequentis, videtur in caſu propoſito eam eſſe faciendam. Nec relevat, quod eæ ſecundæ veſperæ ſint etiam primæ feſti duplicis ſecundæ claſſis ſequentis, quæ commemorationem ſimplicis excludunt, quia hujus primæ veſperæ ſunt impeditæ a ſecundis veſperis præcedentis feſti, adeoque vim haud poſſunt habere ad excludendam ſimplicis commemorationem.

XXIX. Hoc temen minime obſtante reſolvit ibi Gavantus, & noviſſime Meratus *ibidem num.* 3. in prædicto caſu omittendam eſſe commemorationem feſti ſimplicis, quia occurrit in duplici ſecundæ claſſis ſequenti, quod non admittit commemorationem ſimplicis in primis ſuis veſperis, ſed tantum in laudibus. Nec dicunt officere, quod ſequens duplex ſecundæ claſſis careat primis veſperis, quia licet eas non habeat, habet tamen jus excludendi commemorationem feſti ſimplicis in ſuis primis veſperis, in quibus commemorationem habet, quæ eidem ob majorem dignitatem præcedentis feſti loco primarum veſperarum deſervit; quanto ſiquidem minus fieri poteſt, lædi debet jus ſequentis duplicis 2. claſſis, quod in iis Veſperis habet. Ita præclariſſimi iſti Auctores, quibus adhærent quamplurimi alii, de ſimplicibus per ſe, quod utique etiam ad ſimplices per accidens applicari debere, atque adeo horum commemorationem non eſſe faciendam præfato in caſu nos ipſi autumamus.

XXX. Inferes 2. quod etſi præfati Sancti in caſu tamquam ſimplices conſiderandi ſint, præferentiam tamen ſuper alios quoſcumque ſimplices occurrentes, vel concurrentes debent habere; horum enim officium quamvis per accidens tamquam ſimplex celebretur, revera tamen ſimplex non eſt, & ſuper officium mere ſimplex habet commemorationem in ſecundis Veſperis, in quibus officium mere, & per ſe ſimplex eam non habet. Memoratorum itaque Sanctorum commemoratio fieri debebit ante quamcumque aliam Sanctorum mere ſimplicium; hinc ſi ex. gr. S. Clemens Papa Martyr, qui ſub ritu ſemiduplici die 23. Novembris una cum S. Felicitate ſimplici occurrit, impediretur, nec intra annum locum haberet, ac per conſequens dicta die 23. ritu ſimplici celebrandus foret, ejuſdem commemoratio fieret ante eam S. Felicitatis tam in primis Veſperis, quam in laudibus, in quibus occurrit, immo & in ſecundis Veſperis ejuſdem commemoratio præferenda eſſet ad eam Sancti Chryſogoni, cum quo concurrit.

XXXI. Non levis hic difficultas emergit, quiſnam ordo in commemorationibus tenendus ſit, ſi duo hujuſmodi officia in ſimplicia per accidens immutata ſibi invicem ſuccedant? Sit exemplum; Die 23. Novembris occurrit feſtum ſemiduplex S. Clementis, & die 24. feſtum itidem ſemiduplex S. Joannis a Cruce; utrumque ex his feſtis impeditum remanet, neutrumque intra annum locum habet, hinc juxta Decretum utrumque ritu ſimplici eſt celebrandum. Dubium modo inſurgit, an die 23. in ſecundis Veſperis prius ponenda ſit commemoratio S. Clementis, an vero ea S. Joannis a Cruce?

XXXII. ℞. Prius faciendam eſſe commemorationem ſequentis, ſcilicet S. Joannis a Cruce, quam præcedentis, ſeu S. Clementis, de eo enim prius commemorationem eſſe faciendam ratio ſuadet, de quo capitulum diceretur, ſi minime impediri contingeret; unde in primis Veſperis feſti duplicis incidentis in Dominica per annum prius fit commemoratio Dominicæ, de qua diceretur capitulum, ſi minime impedita maneret, quam præcedentis ſemiduplicis, de quo in ſabbato factum eſt officium, quemadmodum in caſu meræ commemorationis univerſim faciendum eſſe dicemus in Decreto I. Cap. de octavis, ubi & ſolventur, quæcumque in contrarium objici poſſunt: ſed ſi ea duo officia nequaquam impedirentur, capitulum foret de ſequenti, nempe de S. Joanne a Cruce, & uterque ex dictis Sanctis in illis Veſperis ſolam habet commemorationem, ergo commemoratio Sancti Joannis a Cruce prius facienda eſſet, quam ea Sancti Clementis.

XXXIII. Hæc utique recte procedunt, quoties officia hujuſmodi impedita, ſunt ambo duplicia, vel ſemiduplicia, quod ſi alterutrum duplex foret, tunc de eo, ſi ut ſupra non impediretur, integræ forent Veſperæ in concurſu cum altero, quod ſolum ſemiduplex ſupponitur, equidem & prius ejuſdem commemoratio fieri deberet. Si itaque Feſtum S. Cæciliæ, quod duplex eſt, & occurrit die 22. Novembris, redderetur ſimplex per accidens, & ſimplex per accidens redderetur pariter feſtum ſemiduplex S. Clementis occurrens die 23. ejuſdem menſis, in ſecundis Veſperis diei 22. prius facienda eſſet commemoratio S. Cæciliæ, quam S. Clementis. Eadem de cauſa idipſum dicendum venit de duobus officiis ſemiduplicibus, duplicibuſve ſimul concurrentibus, & ſimplicibus per accidens factis, quoties unum illorum alterum in dignitate ſuperaret, ratione cujus integræ tribuerentur Veſperæ, ſi nequaquam impediri accideret; unde feſtum Beatæ Mariæ per ſe duplex minus, & per accidens ſimplex concurrens cum feſto alicujus Sancti itidem per ſe duplici, & per accidens ſimplici, prius commemorationem haberet.

XXXIV. In ſimultanea autem occurrentia duorum feſtorum per accidens ſimplicium, illud prius commemorationem ſortiretur, de quo officium fieret, ſi ambo non impedirentur; & feſtum illud, quod in tali occurſu transfereretur, ſecundo loco commemorationem habebit; quod enim alteri feſto in caſu officii locum cedit, utique & cedere debet in caſu ſolius commemorationis.

XXXV. Inferes 3. eorumdem Sanctorum commemorationem digniorem locum cedere feriis majoribus, videlicet Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Tamporum, ſecundæ, & quartæ Rogationum, immo & vigiliis; etſi enim dictorum Sanctorum officia, utpote ad minus ſemiduplicia, cum non impediuntur,

non ce-

Digitized by Google

non cedant, ſed præferantur præfatis feriis, attamen quia cum impediuntur, evadunt tantummodo ſimplicia, primum locum utrique dictis feriis, & vigiliis cedere debent, cum talem locum eiſdem concedant Rubricæ ſimplicium, videlicet Rubr. III. *de Off. ſimpl. num.* 2., Rubr. V. *de Feriis num.* 1., & Robr. XI. *de Commem. num.* 2., de præfatis ſiquidem Sanctis pronunciat Decretum: *Conſiderandi ſunt tamquam ſimplices*, ergo juxta Rubricas ſimplicium officium eorumdem, vel commemoratio diſponi debent.

XXXVI. Dices, quod officia per accidens ſimplicia habent commemorationem in utriſque Veſperis, & laudibus, cum tamen vigiliæ, & multæ eſt feriis majoribus eam non habeant, niſi in laudibus, & ſi quæ habent etiam eam in Veſperis, habent illam tamen ſolummodo in ſecundis, ut contingit in feriis Adventus, & Quadrageſimæ, ergo feſtis per accidens ſimplicibus concedenda videtur præferentia ſuper vigilias, & ferias majores.

XXXVII. R. Quod etiam officia per ſe ſimplicia habent, ſi non impediantur, primas Veſperas, & ſi impediantur, in primis veſperis ſaltem commemorationem non amittunt, & dictæ feriæ majores, & vigiliæ nec habent primas Veſperas, nec in eiſdem commemorationem, & tamen per hoc minime fit, quod feſta per ſe ſimplicia præferentiam habeant ad dictas ferias majores, & vigilias, quæ omnibus carent Veſperis, & commemoratione in iiſdem. Officia quoque per ſe ſimplicia non deperdunt commemorationem in laudibus feſti duplicis ſecundæ claſſis, quam tamen deperdunt dies infra octavam, & tamen ex eo perperam argueretur, officia per ſe ſimplicia præferentiam habere ad dies infra octavam. Quod ſi hæc ita ſunt in feſtis per ſe ſimplicibus, ita etiam erunt in feſtis per accidens ſimplicibus, quæ inſtar officiorum per ſe ſimplicium regi debent in iis, quæ in Decreto non reperiuntur expreſſa, atque excepta. Ex commemoratione igitur; quam habent in primis, & ſecundis Veſperis præ feriis majoribus, & vigiliis officia per accidens ſimplicia, argui non poteſt eorumdem præferentia ad ferias majores, & vigiliaa; hæc enim, & alia hujuſmodi occultiores alias habent cauſas, quas non hujus eſt loci examinare, & quando etiam ex iſtis præferentia peti deberet, non deſumeretur, niſi in caſu, in quo nullum aliud adeſſet, ex quo peteretur; in noſtro autem caſu non deſunt Rubricæ ſuam cuique expreſſe præferentiam deſignantes, unde neceſſe non eſt ad præfata recurſum habere. Nec dicas in Breviario Romano, cui hactenus incognita fuere officia per accidens ſimplicia, deſiderari Rubricas de his diſponentes. Non hoc dicas, inquam, quoniam dum Decretum aſſerit præfatos Sanctos, qui in fine anni ſuperſunt, *conſiderandos eſſe tamquam ſimplices*, jam ſatis, ſuperque demonſtrat, Rubricas, quæ pro dictis Sanctis diſponunt, eſſe Rubricas, quæ de officio ſimplici reperiuntur in Breviario Romano.

XXXVIII. Inferes 4. prius etiam deberi commemorationem officio dominicali, quod in ſabbato anticipatur; hujuſmodi enim officium dominicale æquiparatur officio feriarum majorum, habet præferentiam ſuper quæcumque officia ſimplicia, cujuſcumque dignitatis exiſtant, in occurſu ceſſare facit officium in Sabbato de S. Maria, immo & officium ſemiduplex ad libitum, unde dubium eſſe non poteſt, quod ſi officia per accidens ſimplicia digniorem locum concedunt commemorationi feriarum majorum, & vigiliarum, eumdem etiam denegare non debent commemorationi præfati officii dominicalis.

XXVIX *Cum nona lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum unius*. Ultra igitur commemorationem prædictorum Sanctorum ut ſupra faciendam, legi item debebit nona lectio de eiſdem, quæ componi debet ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum unius, ſeu legendo eas pro una. Innititur hæc diſpoſitio Rubricæ XXVI. *de lectionib. num.* 3. quæ ita præſcribit: *Si in officio novem lectionum, in quo non dicitur nonum Reſponſorium, contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet lectionem, 9. lectio legitur de Sancto, ſi habuerit duas lectiones, ex duabus fiat una lectio.* Non jubet autem Rubrica, quod ex tribus lectionibus, ſi tot proprias ſimplex habeat, una fieri debeat, quia loquitur de feſto per ſe ſimplici, quod tres lectiones babere non poteſt; ceterum dum mandat ex duabus propriis, quas habet, unam fieri debere, ſatis denotat ſuæ eſſe intentionis, quod cunctæ lectiones propriæ legantur, ac conſequenter ſi tres proprias haberet, quod cunctæ pro una legerentur. Ratio motiva hujus Rubricæ idipſum demonſtrat; præcipit enim duas proprias lectiones legi pro una, ut complete legatur hiſtoria de Sancto, quem continent, quæ alias nimis incomplete, & imperfecte legeretur, ſi prima dumtaxat lectio recitaretur, in prima namque lectione vitæ dumtaxat primordia, & nonnulla alia continentur, ubi in reliquis pretioſiora Sancti facta, & vitæ exitus reſervantur. Jam quilibet igitur videt, quod ſi quis ex Sanctis præfatis tres proprias haberet lectiones, omnes pro una legi deberent; hinc appoſite in præſenti Decreto ſtatuitur, nonam lectionem præfatorum Sanctorum ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum unius eſſe componendam.

XL. Quemadmodum igitur de feſto per ſe ſimplici, quoties ejuſdem officium ab alio officio occupatur, legitur nona lectio, ſi propriam eam habeat, & ſi duas proprias habeat, ſimul iſtæ junguntur, & leguntur pro una, ſi vero lectiones proprias nullas teneat, ſed ſolummodo de communi Sanctorum., tunc de eiſdem non legitur nona lectio, ſed tantummodo fit commemoratio; ita de Sanctis per accidens ſimplicibus, ſeu de iis, qui in fine anni ſuperſunt, legitur nona lectio compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni pro una, ita ut ſi tres proprias habeat, ut S. Didacus, & regulariter ceteri Sancti, omnes illæ tres lectiones pro una legantur; ſi duas tantum proprias habeant, ut S. Thimoteus, legantur illæ duæ pro una; ſi unam dumtaxat propriam, ut S. Alexius, ea ſola legatur; ſi vero nullam propriam habeant, ſed omnes lectiones ſecundi nocturni ſint de communi, aut ex tractatu, vel ſermone alicujus Sancti Doctoris, ut contingit in officio S. Georgii Martyris, tunc non legatur nona lectio de præfatis Sanctis, ſed tantummodo eorumdem fiat ut ſupra commemoratio in laudibus, & utriſque veſperis.

XLI. Diſpoſitio autem de legenda ut ſupra nona lectione de Sanctis, qui in fine anni ſuperſunt, hac cum clauſula intelligi debet; *Dummodo occurrant diebus, quibus ſecundum Rubricas Breviarii Romani legi permittitur nona lectio de Sanctis ſimplicibus occurrentibus*; unde ſi incideret in officium aliquod privilegiatum trium lectionum, ut ſunt omnes feriæ majoris hebdomadæ, feria quarta Cinerum, & dies infra octavas Paſchæ, & Pentecoſtes; vel in officium novem lectionum habens nonum Reſponſorium, uti ſunt Dominicæ omnes Adventus, ac Dominicæ a Septuageſima uſque ad Paſcha cum cuncta hæc officia lectionem ſimplicium excludant, ſane nec lectio de præfatis Sanctis legi deberet.

XLII. Idem dicendum venit, ſi occurrant in feſtum aliquod duplex 1. claſſis, immo & infra octavam Corporis Chriſti, quando fit de ea, ſecus vero quoties intra eamdem fit de duplicibus occurrentibus; quia in officiis Sanctorum, quæ infra octavam Corporis Chriſti celebrantur, nonam lectionem de ſimplicibus legi nullibi reperitur inhibitum, quinimmo expreſſe conceſſum, ut apparet ex quamplurimis Decretis dandis ſuo loco, ac exponendis.

XLIII. Præfata diſpoſitio ſimiliter fallit, quoties legenda eſt 9. lectio homiliæ Dominicæ occurrentis, vel anticipatæ, feriarum quadrageſimalium, & quatuor Temporum, ſecundæ, & quartæ Rogationum, aut Vigiliarum, quibus officia ſimplicia ex dictis cedunt. In ceteris autem officiis, in quibus juxta Rubricas locum habet nona lectio Sancti ſimplicis, legetur & nona lectio de præfatis Sanctis, qui, ut dicebamus, tamquam ſimplices ſunt conſiderandi, & ſecundum Rubricas ſimplicium regulandi.

XLIV. Quid vero faciendum erit, ſi die, qua legi debet nona lectio de ejuſmodi Sanctis, occurrat feſtum aliquod per ſe ſimplex propriam habens lectionem? At cum ex ſuperius dictis pateat, quod Sancti per accidens ſimplices præferentiam habent ſuper feſta per ſe ſimplicia; claret nonam lectionem de illis eſſe legendam, & tacendam illam Sanctorum per ſe ſimplicium. Eadem de cauſa ſi duo occurrant eodem die officia hujuſmodi per accidens ſimplicia, nona lectio erit de eo de quo alias fieret officium, ſi minime impediretur, & de altero non fiet, niſi ut ſupra commemoratio. Si vero feſtum per accidens ſimplex, de quo alias fieret officium, & prius facienda eſt commemoratio, propriam non haberet lectionem, debet hæc legi de altero ſimplici per accidens occurrente, quoties iſtud illam propriam haberet, hujus tamen commemoratio adhuc locum cederet altero officio per accidens ſimplici. Quod ſi neuter ex prædictis Sanctis per accidens ſimplicibus propriam aliquam haberet lectionem, & ſimul occurreret feſtum aliud per ſe ſimplex, propriam habens lectionem, tunc legi deberet nona lectio de hoc Sancto per ſe ſimplici, cujus tamen commemoratio noviſſimum ſemper locum teneret. Ratio hujus eſt, quia quilibet ex dictis Sanctis jus habet ad ſuam lectionem, unde ſi a digniori per ſuam propriam lectionem non impediatur, effectum debet ſortiri.

XLV. Annotandum denique venit, quod feriæ Adventus non impediunt nonam legi lectionem de ſimplici, quoties in eis de officiis Sanctorum fieri contingit, ut decrevit Sacra Congregatio die 16, Febr. 1737., & nos ipſi dicemus in ejuſdem Decreti expoſitione. Si autem præfatæ feriæ admittunt nonam legi lectionem de ſimplici in officio Sanctorum tunc temporis occurrente, utique & nonam lectionem de præfatis Sanctis per accidens ſimplicibus non reſpuent.

XLVI. Ad completam feſtorum per accidens ſimplicium notitiam ſolummodo addendum ſupereſt, quod etſi in Dominica Palmarum, & in vigilia Pentecoſtes fieri poſſit, & debeat in officio commemoratio Sanctorum per accidens ſimplicium, ſi qui occurrant, in Miſſa tamen eorumdem commemoratio nec fieri poterit, nec debebit, id expreſſe vetante Rubrica VII. Miſſalis de Sanctis per ſe ſimplicibus, adeoque & de Sanctis per accidens ſimplicibus. Similiter quia commemoratio Sancti per ſe ſimplicis ſolum habet locum in Miſſis privatis de Sancto duplici ſecundæ claſſis, non autem in Miſſa ſolemni, ideo etiam in eiſdem Miſſis privatis, non autem in ſolemni fiet commemmoratio Sancti per accidens ſimplicis.

XLVII. Si vero aliquod ex officiis per accidens ſimplicibus occurrat in feria IV. Cinerum, tunc quia tale feſtum in dicta feria non habet officium, ſed tantum commemorationem in laudibus, ideo etiam pridie in veſperis tantum habebit commemorationem, unde ſi nullum feſtum novem lectionum præceſſerit aut ſubſequatur, veſperæ erunt de feria cum commemoratione dicti Sancti per accidens ſimplicis; non enim convenit habere veſperas feſtum illud, quod non habet officium. Eadem de cauſa ſi aliquod ex dictis feſtis ſimplicibus incidit in feria V. majoris hebdomadæ, tunc in veſperis feriæ IV. præcedentis ne quidem commemoratio fier de eo, quia poſtridie, nempe in feria V., nec habet commemorationem in laudibus. Hæc alibi nos tradidimus de officiis per ſe ſimplicibus, & colliguntur aperte ex Rubricis, & ab omnibus Auctoribus ſunt communiter recepta, inter quos Guyetus *lib.* 4. *cap.* 4. *qu.* 2. Merarus *ſect.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. *&c.*, ſunt autem proculdubio & noſtris ſimplicibus applicanda.

XLVIII. Ut autem, quæ hactenus de iſtis officiis per accidens ſimplicibus dicebamus, ſub oculos habeat Lector, ſequentes addimus Tabbellas, in quibus unico obtutu cuncta dilucide perſpiciet.

	Tabella commemorationis Feſti per accidens ſimplicis.	
	Duplici primæ claſſis.	1
Occur-	Duplici ſecundæ claſſis.	2
	Duplici majori, vel minori per annum.	3
rentis	Semiduplici.	3
	Dominica ſine *Te Deum*.	4
in	Dominica Palmarum.	5
	Dominica cum *Te Deum*.	3
	Triduo Mortis Chriſti.	1
	Vigilia Pentecoſtes.	6
	Octavis trium lectionum.	4
	Octava Corporis Chriſti.	4
	Feſto infra octavam Corporis Chriſti.	3
	Octava privilegiata.	3
	Die octava.	3
	Feſto in Dominica, vel Vigiliis.	4
	Feſto in feria cum Homilia.	4
	Feſto in feriis Adventus.	3
	Feſto in feriis majoribus cum Vigilia.	7
	Feſto cum ſimplici per ſe.	8
	Feſto cum alio ſimplici per accidens.	9
	Feſto infra octavam.	3
	Feria privilegiata.	4
	Feria IV. Cinerum.	10
	Vigilia Nativitatis Domini.	11
	Vigilia Epiphaniæ.	12

1 Nihil fit de eo.
2 Commemoratio in laudibus, & ſecundis verſperis tantum, cum nona lectione ad matutinum, ſi propriam habuerit. Item commemoratio in Miſſis privatis, non autem in ſolemni.
3 Commemoratio in primis, & ſecundis veſperis, & laudibus, cum nona lectione ad matutinum, ſi propriam habuerit. Item in Miſſis.
4 Commemoratio in primis, & ſecundis veſperis, laudibus, & Miſſis, ſine lectione ad matutinum.
5 Commemoratio in primis, & ſecundis veſperis, ac laudibus, non tamen in Miſſis, & ſine lectione ad matutinum.
6 Commemoratio in primis veſperis, & laudibus, non tamen in Miſſis, nec in ſecundis veſperis. Legitur nona lectio ad matutinum, ſi propriam habuerit.
7 Commemoratio in primis veſperis, & laudibus, cum nona lectione, ſi feria major non habuerit homiliam. Item in ſecundis veſperis, niſi impediatur a ſequenti Feſto. Item in Miſſis ante commemorationem Vigiliæ.
8 Commemoratio in utriſque veſperis, laudibus, & Miſſis, cum nona lectione ad matutinum, ſi propriam habuerit; ſin autem, nona lectio erit de ſimplici per ſe, ſi iſtud propriam habuerit.
9 Utriuſque ſimplicis per accidens fit commemoratio in primis, & ſecundis veſperis, laudibus, ac Miſſis, ſed prius de eo ſimplici, de quo, ſi non impediretur, fieret officium, de quo & legitur nona lectio, ſi propriam habuerit; ſin autem, legitur nona lectio de altero ſimplici, ſi iſtud propriam habuerit.
10 Commemoratio in laudibus, ſecundis veſperis, & Miſſis, ſine lectione ad matutinum. Item ſola commemoratio in primis veſperis, etiamſi pridie factum eſſet de feria.
11 Commemoratio in laudibus, & Miſſis, ſine lectione ad matutinum. Item ſola commemoratio in primis veſperis, quamvis pridie factum eſſet de feria. In ſecundis veſperis nulla fit commemoratio.
12 Commemoratio in primis veſperis, laudibus, & Miſſis tantum, cum nona lectione ad matutinum, ſi propriam habuerit.

Hac in Tabella inſeruimus occurſum feſti per accidens ſimplicis in vigilias Epiphaniæ, & Nativitatis Domini ad complementum ejuſdem, quoties Sanctorum perpetuo translatorum, aut in fine anni ſuperſtitum immutatio vel in annum ſequentem reſpective translatio in arbitrio poſitæ cenſeantur.

Cum ſimplex per accidens ex ſuperius dictis commemorationem habeat adhuc in ſecundis veſperis, ad differentiam ſimplicium per ſe, quorum officium terminatur ad nonam, & ſecundas veſperas non habet, nec in iiſdem commemorationem, ideo Feſti per accidens ſimplicis cum quocumque alio poteſt eſſe concurrentia. Ut igitur pateat, in quanam concurrentia præfatum Feſtum ſimplex per accidens commemorationem habeat, & in quanam illam deperdat, ſequens deſerviet Tabella.

	Tabella commemorationis Feſti per accidens ſimplicis.	
Con-	Duplici primæ claſſis.	1
	Duplici ſecundæ claſſis cum Veſperis.	1
curren-	Duplici ſecundæ claſſis ſine Veſperis.	1
	Duplici majori, vel minori per annum.	2
tis cum	Semiduplici.	2
	Die octava.	2
	Die infra octavam privilegiatam.	2
	Quacumque Dominica.	2
	Alio ſimplici per accidens.	3
	Simplici per ſe.	4

1 Nulla commemoratio ſimlicis.
2 Fit commemoratio ſimplicis.
3 Fit commemoratio utriuſque ſimplicis, ſed prius de eo, de quo vel integræ fuiſſent veſperæ, vel diceretur capitulum, ſi impedita non forent.
4 Fit commemoratio ſimplicis per accidens, & ſemper præcedenter ad commemorationem ſimplicis per ſe.

Habet Feſtum per accidens ſimplex commemorationem etiam in primis veſperis, quapropter quæcumque alia officia, quæ ſecundas habent veſperas cum eo concurrere queunt. Concurrentiam itaque aliorum cum Feſto per accidens ſimplici ſequens exhibebit Tabella.

	Tabella commemorationis Feſti per accidens ſimplicis.	
Cum	Duplex primæ claſſis.	1
	Duplex ſecundæ claſſis.	2
quo	Duplex majus, vel minus.	2
con-	Semiduplex.	2
	Dies octava, vel infra octavam.	2
currit.	Quæcumque Dominica.	2
	Aliud ſimplex per accidens.	3
	Feria Adventus, vel Quadrageſimæ.	4

1 nulla commemoratio ſimplicis.
2 Commemoratio ſimplicis.
3 Fit commemoratio utriuſque ſimplicis, ſed prius de eo, de quo integræ forent verſperæ, vel diceretur capitulum, ſi impedita non eſſent.
4 Poſt commemorationem feriæ fit commemoratio ſimplicis.

Supereſt aſſignare ordinem ſervandum in commemoratione Feſti per accidens ſimplicis, quoties de alio officio in concurrentia, vel occurrentia fieri una debet commemoratio. Hunc autem ordinem, qui ſequitur, indicabit Tabella.

	Tabella indicans ordinem ſervandum in commemoratione Feſti per accidens ſimplicis.	
	Cujuſcumque Duplicis, vel ſemiduplicis.	1
	Diei octavæ, vel infra octavam.	1
Et	Cujuſcumque Dominicæ.	1
	Dominicæ anticipatæ.	1
	Feriæ majoris.	1
	Vigiliæ.	1
	Vigiliæ in feria majori.	2
	Alterius ſimplicis per accidens.	3
	Simplicis per ſe.	4

1 Ce-

1 Cedit ſimplex.
2 Præferentiam habet ſimplicis commemoratio in Miſſis, in quibus ſolum fit commemoratio vigiliæ.
3 Dignior locus debetur illi ſimplici, de quo in occurrentia officium fieret, in concurrentia vero, de quo integræ dicerentur veſperæ, vel capitulum, ſi impedita non irent.
4 Præcedit ſimplex per accidens.

XLIX. Ad uberiorem elucidationem Tabellæ, a cujus vix venimus exhibitione, lubet hic adjicere objectionem quamdam, quæ ordini in commemoratione ſimplicium per accidens teneri præſcripto relate ad ferias majores, atque vigilias, poſſet obſiſtere; hinc dici poſſet, quod noſmetipſi in ſuperioribus dicebamus, præferentiam tribuendam eſſe ſimplicibus per accidens per reſpectum ad terminum a quo, non vero per reſpectum ad terminum in quem, & ideo illud inter multa ſimplicia per accidens præferentiam diximus habere, quod duplex erat, aut officium erat habiturum: Sed per reſpectum ad terminum a quo præferentiam debet habere ſimplex per accidens ſuper ferias majores, & vigilias, quoniam ſimplex per accidens ad minus erat ſemiduplex, ubi dictæ feriæ non ſuot, niſi officia ferialia, ergo in caſu ſolius commemorationis utriuſque officii, præfatarum feriarum, & feſti per accidens ſimplicis, ea ſimplicis præferentiam debet habere, quemadmodum & officium haberet in caſu officii.

L. ℟. Quod cum omnia ſimplicia per accidens conveniant in termino in quem, utpote quæ cuncta æque verſa ſunt in officia ſimplicia, & ſolum differant in termino a quo, ideo optime, ſi quæ præferentia eiſdem tribuenda eſt, eſt petenda per reſpectum ad terminum a quo; ſpecificatio enim, atque diſtinctio, & in caſu noſtro ratio præferedi ſemper deſumitur a termino ad quem, ſeu in quem, & ſi in termino ad quem, vel in quem inter entia adſit uniformitas, & convenientia, ſpecificatio, & diſtinctio deſumitur a termino a quo, ſeu quod in idem coincidit, a termino ad quem, vel in quem relative ad terminum a quo. Cum autem officia per accidens ſimplicia quoad terminum ad quem, vel in quem inſpecta, non ſint, niſi feſta ſimplicia, & tamquam feſta ſimplicia conſiderari debeant, non conveniunt, ſed ex ſe diſcriminantur a feriis majoribus, & vigiliis, & ideo neceſſe non eſt, quod ratio eorumdem præferentiæ, & diſtinctionis petatur a termino a quo, cum jam habeatur a termino in quem. Opus non eſt hic repetamus Rubricas præferentiam tribuentes feriis majoribus, & vigiliis ſuper feſta ſimplicia, cujuſcumque ſint dignitatis, unde in ſabbatis occurrentibus in feriis majoribus, vel vigiliis officium celebratur de iſtis, & non de S. Maria in ſabbato. Per reſpectum igitur ad terminum a quo deſumi non poteſt ratio præferre faciendi inter officia per accidens ſimplicia, & ferias majores, ac vigilias, cum jam habeatur a termino in quem, bene vero inter plura officia per accidens ſimplicia, quia hæc omnia conveniunt in termino in quem, & tota diverſitas eſt in termino a quo. Evidenter hæc elucent in feſto per accidens ſimplici, quod celebratur in feſto duplici vel ſemiduplici occurrente infra octavam; a nemine enim crederem iri contenſum, in dicto feſto duplici, vel ſemiduplici prius fieri debere commemorationem diei infra octavam, quam feſti per accidens ſimplicis, & tamen ſi inſpiciatur terminus a quo officii per accidens ſimplicis, præferentia deberetur commemorationi ejuſdem, cum hoc ad minus feſtum ſemiduplex ſit, cui juxta Rubricas cedit dies infra octavam. Sicut igitur hoc in caſu non attenditur terminus a quo, quia jam ſufficiens diſcrimen habetur in termino in quem, qui primario inſpicitur, & terminus a quo in conſiderationem non cadit, niſi in caſu convenientiæ entium in termino in quem, ideo idem dicendum venit in priori ſuperaddućto occurſu feriarum majorum, & Vigiliarum cum officio per accidens ſimplici.

CAPUT SEPTIMUM.

De officiis in vi communicationis Privilegiorum.

I. CUm Regulares, licet Ordinum diverſorum, ſint perſonæ Deo per vota eſſentialia conſecratæ, æquiſſimum fuit, ut unum in Deo, & profeſſione exiſtentes, unirentur etiam in eiſdem privilegiis, & gratiis, ut ſic uniti arctiori vinculo Sedi Apoſtolicæ, & inter ſeſe ad nomen Dei propagandum, animarum ſalutem procurandam copulentur. Et ideo dixit Sixtus IV. in Mari Magno Auguſtinianorum: *Conveniebat, ut quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia, & favores.* Quæ unio per privilegiorum ſuorum inter ſe communicationem, juſta, rationabilis, & ſancta habenda eſt proculdubio.

II. Omnes igitur Religiones Mendicantes ita in privilegiis adamuſſim ſtricte communicant, tam conceſſis, quam concedendis, ac ſi unicuique ſpecialiter, & nominatim, ſingula, & omnia aliarum Religionum eſſent communicanti conceſſa, taliter quod id, quod poteſt Generalis unius Ordinis, idipſum poſſint Generales aliorum, & proportione ſervata dicendum eſt idem de Provincialibus, Prioribus, Vicariis, Prædicatoribus, Confeſſoribus, & aliis. Similiter privilegia conceſſa Eccleſiis, Domibus, & Religioſis unius Ordinis, ut ſuot partes illius, participant aliæ Domus, Eccleſiæ, & Religioſi ejuſdem, vel alterius Ordinis. Aſſertio eſt certiſſima, & communiſſima inter Doctores, & conſtat ex Julii II. die 1. Junii anno 1509. conceſſa Minoribus, & Prædicatoribus, ac ex aliis quamplurimis Apoſtolicis Conſtitutionibus pro aliis Ordinibus editis, quæ videri poſſunt apud Rodriquez, Donatum, Cherubinum &c.

III. Et nedum Religiones Mendicantes communicant in privilegiis conceſſis, & concedendis, cum aliis Religionibus Mendicantibus, ſed etiam cum aliis omnibus Religionibus, tam Monachalibus, quam non Monachalibus: ita ut omnia, & ſingula privilegia, indulta, gratiæ, exemptiones, indulgentiæ non Mendicantium, Monachorum, Congregationum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, illis conveniant, non ſecus ac ſi cuilibet Ordini Medicanti omnia in ſpecie, & nominatim conceſſa forent: Et idem eſt de confirmationibus, innovationibus &c. Hæc aſſertio eſt communiſſima, ut ſupervacaneum ſit Auctores, & privilegia id concedenria adducere. Videantur Rodriquez *quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 8. Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 12. Pelizar. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 41. *&c.*

IV. E converſo omnes aliæ Religiones non Mendicantes, ſive Monachales, ſive non Monachales, omnia privilegia Mendicantium eodem modo participant, ac per conſequens non Mendicantium, & piorum locorum, ac ſi eſſent Mendicantes, ut conſtat ex eorum privilegiis, quæ recenſent Petrus ab Angelis *in ſpecul. privileg. diſput.* 2. *ſect.* 1. *a num.* 9. *uſq. ad* 39., Bruno *tract.* 1. *cap.* 4. *propoſ.* 2., Rodriquez *tom.* 3. *q.* 10. *art.* 1., Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 22., Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *nu.* 17., Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 46. *art.* 5. *&c.* Ubi bene advertunt, unamquamque ex his Religionibus deberi attendere clauſulas ſuæ Bullæ communicationis, ut juxta reſtrictionem, vel ampliationem illius operetur.

V. Moniales pariter tam Ordinum Mendicantium, quam non Mendicantium, in his, in quibus ſunt capaces, gaudent, & participant omnia privilegia, conceſſa, & concedenda Fratribus ſui Ordinis, & per conſequens quibuslibet aliis, ac ſi ipſis fuiſſent in ſpecie conceſſa. Sicut e contra ipſi Fratres communicant omnia privilegia Monialibus ſui Ordinis conceſſa, & per conſequens quibuslibet aliis, eodem modo: Et hoc licet privilegium concedi dicatur *Viris, aut maſculis Religioſis*, aut Moniales exprimantur *ſub nomine mulierum, vel fœminarum Religioſarum*. Etſi enim ex vi privilegii ſub expreſſione, *Ipſis viris Fratribus, aut maſculis Religioſis*, Moniales non poſſint uti illius indultis, & favoribus, ſicut nec Fratres indultis, gratiis, ac favoribus Monialibus *ſub expreſſione fœminarum aut mulierum Religioſarum* conceſſis, quoniam jam ex tenore verborum ad maſculos Religioſos, vel ad fœminas Religioſas præciſe reſpective applicantur: Ex vi tamen aliorum privilegiorum, quibus ipſis conceditur generalis communicatio in omnibus gratiis, & favoribus, quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, Eccleſiis, Collegiis &c. quomodolibet conceſſis, & concedendis, dictis privilegiis uti poterunt, ut firmant Pellizarius *tractat.* 8. *cap.* 1. *numer.* 72., & Salmaticenſes *tom.* 4. *Theol. mor. tractat.* 18. *punct.* 7. *num.* 91.

VI. Limitant aliqui, ut præfata communicatio privilegiorum ſolum intelligatur de Monialibus, Fratribus ſubjectis, non vero de Monialibus ſubditis, vel immediate Pontifici, vel Epiſcopis. Sed talis limitatio minime admittenda eſt; ſed aſſerendum Moniales prædictis privilegiis gaudere, ſive ſubjectæ ſint Religioni, ſive non, quamvis, ut bene advertit Pellizarius *num.* 74., quando Religioſis conceditur aliquod privilegium per Prælatos Regulares exercendum, vel diſpenſandi, vel abſolvendi, tunc loquendo de Monialibus immediate ſubjectis Epiſcopis, ab Epiſcopis poſſunt diſpenſari, vel abſolvi, quia Epiſcopus in eis ſuccedit loco Prælatorum Regularium. Et revera Moniales, etiam non ſubjectæ Prælatis Ordinis, quod omnibus Ordinis, cujus ſunt, & aliorum privelegiis per communicationem gaudeant, conceſſit Clemens VIII. pro Monialibus S. Auguſtini, Bonifacius VIII., Nicolaus V., & Sixtus IV. pro Carmelitis, Sixtus IV., Sixtus V., Leo X., Gregorius XIII. Dominicanis, & Franciſcanis, &c. Videantur Salmanticenſes ibidem, qui turbam Auctorum idem ſentientium recenſent.

VII. Nec refert, ſi cum aliquibus oppoſitum ſentientibus objicias, quod aliquibus in Bullis ſimilis clauſula habetur: *Moniales ſub obedientia Ordinis veſtri*; hoc enim minime obſtat; tum quia prædicta, vel aliæ ſimiles clauſulæ ſolum demonſtrant proprium Inſtitutum Ordinis, ſeu Religionis, ſub qua profitentur, & vivunt, illiſque gaudere privilegiis, quamdiu vivunt ſub tali Inſtituto, & Ordine, nec ab eo recedunt. Hæc namque privilegia eis conceduntur propter earum merita circa obſervantiam talis Ordinis, non ob ſubjectionem Prælatis; ſicut e contra Religioſi illarum gaudent privilegiis, tametſi non ſubjiciantur illis. Tum etiam quia plura dantur pro eis privilegia abſque dictis clauſulis, ſed abſolute eis concedentia communicationem, ut eſt illud Julii III. quod refert Donatus *tom.* 2. *tract.* 7. *quæſt.* 5. pro Monialibus Dominicanis; quod & alii Pontifices pro aliis Ordinibus præſtitere, ut in eorum Bullis reperitur. Audi Paulum V. in Bulla incipiente *Qua regulares perſonas* die 10. Octobris expedita anno 1606. ubi inter alia verba ſic dicit: *Motu proprio, & de Apoſtolica poteſtatis plenitudine, ac certa ſcientia, harum ſerie declaramus, tam in dicti Clementis, quam in aliis hujus Congregationis privilegiis comprehenſas Abbatiſſas, Prioriſſas, & alias quaſcumque Moniales, quæ gerunt, & in futurum gerent habitum dictæ Congregationis.* Ubi ſolum attendit Pontifex ad portationem habi-

habitus, & profeſſionem Inſtituti, ad concedenda dicta privilegia, non ad ſubjectionem iſtius, vel illius Prælati.

VIII. Generalis dicta communicatio privilegiorum non ſolum extenditur ad omnia indulta conceſſa, vel concedenda aliis Religionibus jam fundatis, ſed etiam ad omnia privilegia conceſſa, & concedenda Religionibus poſtea fundatis, vel fundandis, quamvis hoc non exprimatur in Bulla communicationis; quia illa diſpenſatio circa privilegia conceſſa, & concedenda, eſt favor, & beneficium Principis, abſque ulla reſtrictione conceſſum, atqua adeo late interpretandum; unde ſicut extenditur ad privilegia nondum conceſſa, ſed futuro tempore concedenda Ordinibus jam inſtitutis, ſic extenditur ad concedenda pro qualibet Religione poſtea fundata, vel inſtituenda. Sic Salmanticenſes *ibidem num.* 95., & apud hos Baſſæus *in floribus verb. privileg. cap.* 5. *n.* 14. Petrus ab Angelis *diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 8. *&c.*

IX. Privilegia autem per communicationem ita fiunt propria Religionis communicantis, ac ſi ipſi primo, & immediate inſpectæ eſſent conceſſa, quia ax vi privilegii dantis communicationem, illa omnia communicanti in particulari de novo conferuntur, ut dicunt communiter Doctores; taliter quod ſi privilegium pereat primæ Religioni recipienti, vel in ea per Pontificis ſententiam limitationem accipiat, non ideo perit, nec dictam limitationem accipit, reſpectu ajus, cui communicatur, ſi tempore communicationis erat validum; vel eam limitationem nequaquam habebat, ut de privilegio *ad inſtar*, quod ab hoc in nihilo differt, ab Auctoribus dicitur; quia privilegium primæ Religioni conceſſum factum fuit per communicationem proprium communicantis omnino independenter a priori Religione, itaut quamvis a privilegio illius in impetrari, & fieri dependeat, non vero in conſervari; & ſic contingera poteſt, ut in illa Religione, cui primo conceſſum eſt, pereat, vel limitationem ſubeat, & in alia, cui per communicationem convenit, vigorem habeat, dictaque careat limitatione, quinimmo Religio communicans poteſt uti privilegio, etſi tota Religio, cui primo conceſſum eſt, deſtruatur. Ita Salmanticenſes *ibidem num.* 96. *&* 97., ubi citant quamplurimos Auctores id aſſerentes.

X. An vero aucto, vel extenſo privilegio pro prima Religione, cui conceſſum eſt, vel quoad alia in particulari, cenſeatur auctum, vel extenſum quoad ceteras Religiones? Non una eſt Auctorum ſententia, ſed nonnulli docent, non debere cenſeri auctum, vel extenſum quoad omnes, niſi earum communicatio extendatur etiam *ad privilegia concedenda*, quia talis augmentatio, vel extenſio eſt *privilegiam novum*; unde ſi in privilegio communicationis non exprimat Pontifex, ut extendatur ad conceſſa, & *concedenda*, non extenditur ad privilegia, vel extenſiones eorum, quæ poſtea concedentur. Ita Baſſæus *verb. privileg. num.* 11., Suarez *de legibus lib.* 8. Hieronymus Rodriquez *reſol.* 116. *num.* 55., Palaus *tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.* 1. *in fine*. Ceterum ſi res bene conſideretur, etiamſi Religio ſolum haberet privilegium communicandi in conceſſis, extenderetur ad concedenda, & per conſequens ad extenſionem jam conceſſorum: nam Religio communicans in conceſſis privilegiis, omnia participat, quæ ſunt aliis conceſſa; ſed plures ſunt Religiones habentes privilegium communicationis *in conceſſis, & concedendis*, ut conceſſit Leo X. Dominicanis, & Minoribus, Clemens VIII. Carmelitis, Gregorius XIII. Ciſtercienſibus, & alii aliis, ut in earum Bullariis cemere licet, ergo Religio communicans cum aliis in conceſſis, quibus jam eſt conceſſum privilegium communicandi *in concedendis*, etiam communicat *in concedendis*. Sic Emmanuel Rodriquez *quaſt. Regul. tom.* 3. *quaſt.* 10. *art.* 1., Miranda *tom.* 2. *quaſt.* 46. *art.* 5., Hieronymus Garcia *tract.* 8. *diff.* 1. *dab.* 4. *num.* 3. *&c.*

XI. Quia autem in conceſſione privilegii, non tam uſus, quam jus utendi eo impertitur, ideo & in communicatione ejuſdem privilegii id, quod aliis per dictam communicationem concedirur, non eſt uſus ejuſdem privilegii, ſed jus utendi eo; unde Religiones habentes privilegium communicationis poſſunt uti privilegiis conceſſis alteri Religioni, quibus ipſa propter aliquam cauſam non utitur, quamvis in aliquibus privilegiis ponatur clauſula: *Quatenus ſint in aſa*; quia ſenſus eſt, quatenus habeant valorem quoad jus utendi; unde ſi valida ſunt privilegis, quando communicantur, nihil aliud requiritur, ut Religio communicans habeat jus eis utendi, & de facto utatur independenter ab uſu, vel non uſu primæ Religionis. Baſſæus *num.* 11., Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 17. *quaſt.* 5. *num.* 3., Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 17., aliique communiter.

XII. Privilegia vero alicui Religioni conceſſa, ſi alterius Religionis ſtatutis, legibus, aut modo vivendi adverſentur, ab iſta per communicationem minime participantur, quapropter in aliquibus privilegiis communicationis talis clauſula ſolet apponi: *Dummodo regulari obſervantiæ non ſint contraria*, vel hæc: *Dammodo Conſtitutionibus Ordinis non contradicant*; & quando expreſſe non apponitur, tacite ſubintelligitur; Pontifices enim per ſua privilegia intendunt regularem obſervantiam fovere, non relaxationi ſemitam aperire, ſed ſalutaria ſtatuta augere, & conſervare. Tamburin. *tom.* 1. *diſp.* 17. *quaſt.* 6. *num.* 4., Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 56.; Pelliz. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 45., Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 52. *numer.* 72., aliique communiter; hinc privilegia Religioſis Militantibus conceſſa, ut poſſint teſtari &c. neutiquam aliis poſſunt convenire; ſicuti nec Patres Cappuccini, qui ex proprio inſtituto non poſſunt confeſſiones Sæcularium excipere, poſſunt uti privilegiis Regularibus Confeſſoribus conceſſis circa abſolutionem, & diſpenſationem Sæcularium. Videantur Salmanticenſes *ibid. num.* 100.

XIII. Hac in communicationis privilegiorum materia difficultas non modica inſurgit, num privilegia, quæ habent clauſulam *incommunicabilitatis*, ut videlicet aliis *communicari non poſſint*, adhuc ab aliis Religioſis poſſint communicari, qui abſolute habent clauſulam communicandi cum aliis Religionibus in privilegiis? Et quidem ſi in conceſſione iſta communicationis ponatur clauſula, ut poſſint communicare in omnibus, etiamſi habeant clauſulam incommunicabilitatis, non eſt dubium communicare dicta privilegia, & hoc licet una tantum Religio cum tali clauſula communicationem habeat; quia aliæ communicant cum ipſa in omnibus privilegiis, & ſic etiam in iſto cum tali clauſula favorabili fortificato. Sed quando non datur, ut fit communiter, aliqui negativam partem amplectuntur, cenſentque dicta privilegia habentia clauſulam incommunicabilitatis ab aliis minime participari, inter quos Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 52. *numer.* 86., Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 41., *& cap.* 14. *num.* 19., Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8., Peytinus *tom.* 1. *privileg. conſtit.* 5. *Sixti IV. num.* 39., aliique permulti.

XIV. Verius tamen dicendum eſt, quod ſi poſt conceſſionem factam privilegii cum clauſula, *ut alii in tali privilegio non communicent*, concedat vel idem Pontifex, vel Succeſſores aliis Religionibus abſolutam communicationem omnium privilegiorum, vel in ſpecie in privilegiis omnibus conceſſis illi Religioni, quæ privilegium cum clauſula habet incommunicabilitatis, conceſſis, vel concedendis, etiam communicantur illa privilegia, quæ dictam clauſulam incommunicabilitatis habent, etiamſi in illis mentio non fiat eorum, ſed abſoluta communicatio concedatur. Tum quia Pontifices concedentes privilegia cum illa clauſula, ut aliis cummunicari non poſſint, ligare non potuerunt manus Succeſſorum, ut iſti abſolvere non poſſent, quod illi ligavarunt, & concedere, quod negaverunt; ergo cum concedunt aliis Religionibus, vel in ſpecie, ut communicet omnia privilegia illius Religionis, vel in genere, ut communicent privilegia omnia ceteris Religionibus conceſſa, concedunt etiam illa privilegia, quæ habent dictam clauſulam, ut non poſſint communicari. Tum quia Pontifices concedentes privilegia, vel communicationem illorum, ſolum addere conſueſcunt clauſulam illam: *Dummodo contraria non ſint Tridentino*, & ſi concedunt communicationem in omnibus aliis conceſſis, & condedendis, quæ Tridentino non contrariantur, ergo omnia alia concedunt, etiam cum clauſula incommunicabilitatis munita. Ita docent Donatus *tom.* 2. *tract.* 7. *quaſt.* 8., Bruno *tract.* 1. *cap.* 13. *propoſ.* 7., Petrus ab Angelis *in ſpecul. privil. diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 9., Antonius a Spiritu Sancto *in Director. Regul. tract.* 1. *diſp.* 1. *numer.* 49., Emmanuel Rodriquez *quaſt. Regul. tom.* 1. *qu.* 55. *art.* 17., Hieron. Rodriguez *in Compend. reſol.* 116. *num.* 50., aliique permulti apud Salmanticenſes *loc. cit. num.* 107., ex quibus hæc ſumpſimus, hæcque hic curſim libaſſe circa privilegiorum communicationem ſatis ſit, ut facilius ſternatur via iis, quæ in hoc Capite dicenda ſunt. Quoniam vero, ſi vi communicationis privilegiorum officia uni conceſſa, protinus ab aliis Ordinibus poſſent uſurpari, majora utiqua, & frequentiora ſequerentur incommoda, quam ea, quæ recenſuimus in præcedenti Capite, ideo tractatum iſtum examinandum ſuſcepimus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXXIV.

Ratione communicationis privilegiorum non poteſt recitari peculiare officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Sept. 1668. *in Januenſi*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 94.

I. EX præliminaribus hujus Capitis evidens fit, quod efficientia communicationis privilegiorum eo progreditur, *ut omnia privilegia, gratiæ, indulta, facultates, conceſſiones &c.* uni Religioni facta, ceteris Religionibus, quæ communicationem præfatam habent, ſint communia, & ita propria, ut Religio communicans apponere uſque poſſit nomen ſuum juxta ipſa privilegia loco illius Religionis, cui conceſſa fuere, per conceſſionem Julii II. Minimis factam quinto Kalendas Auguſti 1506., & aliam Clementis VI. die 21. Junii 1524., quas omnes confirmavit, & innovavit Gregorius XV. ſeptimo Idus Februarii 1621., ut videre eſt apud Bordonum *tom.* 2. *reſol.* 52. *num.* 96.; Brunonem *tract.* 1. *cap.* 3. *propoſ.* 1. *&c.*, quinimmo & independenter a Religione, cui primo conceſſa fuere, Religio communicans eiſdem uti poſſit, participetque probabilius & privilegia, quæ incommunicabilitatis clauſulam habent. Quæ cum ita ſint, proculdubio conſequens eſſe videtur, ut dicta communicationis efficacia ad officiorum indulta, & conceſſiones etiam extendi debeat, ita ut officia conceſſa uni Religioni etiam ab alia communicante queant recitari.

II. Nihilominus Sacra Rituum Congregatio, cum ſuper hujuſcemodi dubium conſulta fuerit, oppoſitum cenſuit, ſtatuitque in præſente Decreto ſub die 15. Septembris 1668., & cum iterum, & iterum ſuper idem fuerit interrogata, ſemper perſtitit in deciſis, videlicet die 30. Septembris 1679., 16. Decem-

cembris 1679., & 20. Martii 1706.; cujus Decreta infra in hoc Capite dabuntur, ac exponentur. *Ratione igitur communicationis privilegiorum non poteſt recitari peculiare officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, quorum privilegiorum facta fuit communicatio*, ut apertis characteribus præſens firmat Sanctio. Idipſum docuere Gavantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26., ad longum egregie more ſuo probat Guyetus *lib.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 7., Salmanticenſes *tom.* 4. *Theol. moral. tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 116., & apud hos Lezana *tom.* 3. *verb. Miſſa num.* 51., Quintanadvennas *ſingul. quæſt. tom.* 2. *tract.* 2. *ſingul.* 15. *num.* 3. Diana, quem refert, & ſequitur Petrus ab Angelis *diſp.* 2. *ſect.* 2. *num.* 17.

III. Nec validæ, quibus Sacræ Congregationis deciſio innititur, deſunt rationes, quarum prima ſit; vel enim communicatio ejuſdem extenditur ad omnia feſta, ſeu officia, vel ad aliqua tantum: non primum, quanta enim eſſet officiorum perturbatio, quantæ ambages, ſi tibi verb. gr. Auguſtiniano Religioſo liberum eſſet de omnibus officiis recitare, quæ Ordinibus S. Franciſci, S. Dominici, S. Benedicti, cæteriſque omnibus Religionibus, cum quibus in privilegiis ample communicas, conceſſa fuere! Si inquam omnia hæc tibi licerent, proh quanta feriarum, Dominicarum, vigiliarum, feſtorum ſimplicium, officii parvi Beatæ Mariæ, Defunctorum, Pſalmorum Gradualium, & Pœnitentialium abſorptio! Quam frequens, & aſſiduus uſque ad nauſeam multiplex commemorationum occurſus, ac inter ſe conflictus! Quantus translationum hiatus! Luxaretur denique, ac rueret funditus tam apta, tam concinna, tantoque ſtudio, & labore ab omni, quantum licuit, confuſione vindicata officiorum œconomia. Et quidem ſi una tantum Religio adeo plura habet officia, ut ferme exæquent anni dies, quapropter Ordo Conventualium S. Franciſci, ut ſuis in anno locum pararet officiis, quamplurimas octavas minus principales dempſit, quibus quæſo diebus tu cunctarum Religionum officia recitabis?

IV. Vides hæc adeo diſſona eſſe, ut te ſua enormi abſurditate eo compellant, ut non omnia ejuſmodi, ſed de multis aliqua dumtaxat per privilegii communicationem tibi licere fateatis. At, inquit Gavantus, ſi aliqua, certe non major ratio horum, quam iſtorum, nec unius, quam alterius, ergo nulla. Nequaquam ais, ſed ea pro nutu, & arbitrio ſeligam, quæ mihi commoda magis erunt, aut quæ ad devotionis propriæ guſtum plus ſapient, cum enim nemo teneatur ſuo ſpeciali privilegio uti, utar ſi velim, ſi nolim abſtinebo. Itane vero quaſi fixam adeo ac ratam eſſe voluit Pius V., totque ſtatutis, mandatis, interdictis, prohibitionibus, aliiſque ejuſmodi firmavit; vaga tibi erit, & inſtabilis officii ratio? Non erit, addis, hærebo ſiquidem firmus in uno, vel altero. Hærebis tu in hoc, ſodalis in illo: Convenite quæſo ambo in Chorum, ut cantabitis? Statuet Prælatus: ſed an irrevocabiliter, ut non qui nunc eſt, ſic, & alter futurus, ſic? Ut non uno modo præſenti anno, altero vero ſequenti? Demum velim communi concilio ratum quid inter vos certumque definiri, per id tamen privilegio nequaquam renunciatum erit; ipſum vero privilegium, cum ejuſmodi ſit, ut per non uſum ex communi Doctorum ſententia minime deperdatur, ſalvum nihilominus integrumque ſtabit; ſtabitque cum ipſo jus perturbandi, ac pervertendi divina officia, cum libuerit: hoc ſi abſurdum non eſt, neſcio quid hac in parte abſurdi amplius proferri queat.

V. Ita more ſuo quidem egregie argumentatur Guyetus loco citato, at arbitratu meo quantum ad officii inſtabilitatem, non multum efficaciter; quemadmodum enim quoad officia ad libitum neceſſe non eſt ſtabilitatem obſervare, ſed quæ uno anno, imo & ſemper celebrata fuere, poſſunt, quoties libuerit, omitti, ita dicendum utique poſſet de officiis ceterarum Religionum, quæ per privilegiorum communicationem poſſent recitari; inſtabilitas enim obſervari quidem debet in celebratione Sanctorum de præcepto, non tamen eorum ad libitum, aut ex privilegio, quorum natura ferre videtur, ut eorumdem celebratio a Recitantium pendeat arbitrio. Nec hujuſmodi inſtabilitas contraria eſt, imo apprime conſonat Apoſtolicis Conſtitutionibus, quoniam dum præfata officia concedunt, eam inſtabilitatem utique intendunt. Ceterum quoties, ut pluribus placet, officia hujuſmodi ſemel acceptata, ſint de præcepto, locum utique non haberet dicta inſtabilitas, ſed ſemel acceptata ſemper recitari deberent; quia tamen privilegia per non uſum non deperduntur, ſolum fieret, quod recentiores Prælati poſſent nova Feſta, quæ Antiquiores minime acceptarunt, per acceptationem invehere.

VI. Secunda ratio eſt, quid namque conceditur per communicationis beneficium? Obſerva quæſo omnes Bullas communicationis, quas Emmanuel Rodericus *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 55. per 22. articulos ad longum refert, obſerva quotquot alii quoſque referunt Bullarum Collectores, & nuſquam leges officia unis conceſſa, eadem concedi & aliis per communicationem. Reperies quidem per eaſdem communicari *omnia aliorum privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentias, remiſſiones, gratias &c.*, aſt numquam in eiſdem legis *officia*. Veniunt, ajes, nomine facultatis, aut conceſſionis, aut indulti, aut gratiæ. Ajes, aſt ego inficias eo. Uter convenientius? Tu judex eſto. Obtinuere Minores primi omnium a Pio V. officium de SS. Sacramento ſingulis feriis quintis, idem obtinuere poſtmodum a Clemente VIII. mei Eremitæ Auguſtinienſes. Idem præſtitum eſt in Feſtis SS. Nominis Jeſu, S. Gabrielis Archangeli, Deſponſationis B. Mariæ, & aliorum, quæ prius uni Religioni conceſſa fuere, & poſtmodum ad alias per novas conceſſiones extenſa. Amabo, ſi nomine facultatis, indulti &c. veniunt pariter officia, quid Religionibus communicantibus opus erat novis illis conceſſionibus? Jam enim eiſdem potiebantur per communicationem cum illis Religionibus, quibus prius fuerunt indulta.

VII. Addo amplius, gratia eſt, indultum, aut quovis nomine appelles, privilegium, quod Dominicani verb. gr. proprium habeant Breviarium, in quo toto tempore paſchali tres tantum pſalmos, totidemque lectiones recitant. An putas te per communicationem, qua cunctis ipſorum facultatibus, conceſſionibus indultis, gratiis &c. *ad inſtar, pariformiter, & æque principaliter* communicas, ao putas, inquam, te ſimile Breviarium poſſe cudere, aut ad illius normam ſex integris Pſalmis, totidemque lectionibus tempore paſchali reſecatis, tres dumtaxat brevitatis forte magis, quam devotionis ſtudio retinere? Potes, ſi tua vera eſt explicatio: ſi dubitas, meo tu ipſe dubio, vel potius aſſertioni veriſſimæ vim, ac pondus graviſſimum concilias; daſque vel invitus communicatione privilegiorum haud ſtatim involvi, quæ ad officia divina pertinent.

VIII. Quin & dabis haud invitus, tibi fas non eſſe facere officium de S. Joanne Capiſtrano cum Minoribus, de S. Cunegunde cum Ciſtercienſibus, de S. Joanne Gualberto cum octava cum Monachius Valliſumbroſæ, de S. Alberto cum Carmelitis &c. Quid enim tu non facies, ſi hoc ſemel admiſeris? At ſunt iſta omnia conceſſa per Bullas, quatum tibi facultas ampliſſime communicata eſt: ergo facultas illa non extenditur ad communicationem eorum, quæ ad officium ſpectant.

IX. Dices 1. eſſe hæc feſta propria, quæ conceduntur quidem dictis Religionibus, ceteris vero tantum ad inſtar, hoc eſt, ut de ſuis illæ quoque Sanctis vi communicationis pariformiter faciant. 2. conceſſa eſſe cum limitatione, & reſtrictione ad certum locum, vel certas perſonas, ultra quas non poſſunt extendi.

X. Ad primum dicimus, quod ſi ſunt feſta illa propria eorum, quibus conceduntur, ceteris ad inſtar tantum communicanda, ergo jam tibi fas non eſt peculiaria officia conceſſa illis Ordinibus Regularibus, in quorum privilegiis communicas, recitare, uti in Decreto præſcribitur, & quæſtio procedit, ſed ad ſummum ad illorum inſtar de tuis verb. gr. de S. Fulgentio, de S. Guilelmo &c. citra Bullam, & conceſſionem propriam, de quo præſens non eſt inquiſitio, & inferius in hoc Capite ſermo inſtituetur.

XI. Ad 2. Officia propria, quæ Regularibus conceduntur, abſolute, & ſimpliciter eiſdem concedi ſolere, & non cum limitatione, & reſtrictione, quæ in conceſſionibus appareat. Deinde non valere aſſertam limitationem, ſi quæ in aliquibus reperiretur, aut ſubintelligeretur, reſpectu eorum, qui habent communicationem, niſi & ipſa contineat derogationem ejuſdem communicationis, ut docent communiter Doctores de hac re agentes; atqui hanc non habet, aut ſi certe habeat, vel ſubintelligatur, jam ſtatim de Sanctis propriis alicujus Religionis extra eam, cui ſunt conceſſa, non licebit officia facere, nec communicatio privilegiorum ad id, quod ad officium attinet, extendi præſumitur.

XII. Tertia ratio eſt; quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſent conceſſa, ſi ſpecifice peterentur; quis enim credere poterit, quod privilegia conceſſa Provinciis Religionum apud Infideles degentium, & in propaganda fide laborantium, ubi non adeſt aſſiſtentia Epiſcoporum, nec copia miniſtrantium neceſſaria pro ſalute Infidelium, intelligantur conceſſa pro Provinciis, & Conventibus inter Fideles exiſtentibus? Quis indulgentias, aut privilegia conceſſa alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, in quo eſt imago ſingularis, & miraculoſa B. Virginis, vel Chriſti Domini, vel Corpus aut ſingularis Reliquia alicujus Sancti, vel ob magnam Populi devotionem, & frequentiam, judicaret conceſſa aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, in quibus talis ratio non invenitur? Sic enim tepeſceret Populi devotio, & non eſſet diſcrimen inter viſitare Eccleſiam Lauretanam, vel Jeroſolymitanam, & alias viſitare Eccleſias, quod nullus dicet. Certe talia credenda non ſunt, quia quammaxime a ratione aliena. Cum igitur verb. gr. Ordini S. P. Auguſtini conceſſum ſit officium de S. Nicolao Tolentinate ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & cum octava recitare, quia ejuſdem Ordinis inclytus extitit alumnus, qui admirandis vitæ geſtis, & glorioſa morte, ac inſignibus eumdem prodigiis quam maxime decoravit; Domui S. Mariæ de Populo Urbis quolibet ſabbato de eadem S. Maria ſub ritu duplici officium inſtituere ad ſatisfaciendum devotioni Fidelium in diebus ſabbati ad eamdem Eccleſiam confluentium &c., quis credet hujuſmodi officia ratione communicationis privilegiorum ad ceteras Religiones, vel Eccleſias, in quibus non militat peculiaris aſſerta ratio, extendi poſſe?

XIII. Indubium itaque profecto remanet id, quod præſens firmat Sanctio, videlicet, quod *ratione communicationis privilegiorum non poteſt recitari peculiare officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio*, ſi verbum illud *peculiare officium* iis ſaltem de officiis intelligatur, quæ ſpeciali aliqua de cauſa, aut ratione illis conceſſa fuere. Potior utique difficultas eſt de illis officiis, quæ particularem aliquem reſpectum ad Ordines quibus conceſſa ſunt, non videntur habere, nec ſpecialem aliquam rationem, quæ in aliis æque non currat, ut de SS. Sacramento qualibet feria quinta, de Feſto SS. Nominis Jeſu, aliiſque ſimilibus; verum de iſtis in ſequenti Decreto ſpecialius agere reſervamus.

XIV. Non-

XIV. Nonnulla equidem objici poſſent, per quæ ea, quæ hic dicta ſunt, infringi videntur, aſt tria ſequentia Decreta, necnon quæ in eorumdem expoſitione dicentur, recolat Lector, & ſuper omnia plene remanebit inſtructus.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXXV.

Regulares propter communicationem, ſeu participationem privilegiorum Mendicantibus, ſive aliis Religionibus conceſſam, recitare non poſſunt officia ſpecialiter conceſſa alicui Religioni, *ut de Corpore Chriſti &c.*, & quatenus extenſio petatur, omnino quoad temous Adventus, & Quadrageſimæ non eſt concedenda. S. R. C. 30. Septembris 1679. *in una Capuccinorum*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 102.

I. PRivilegiorum communicationem nequaquam extendi ad peculiaria officia conceſſa aliis Ordinibus Regularibus, in quorum privilegiis habetus communicatio, ſancitum vidimus in præcedenti Decreto; cum enim dicta peculiaria officia peculiarem ob rationem, quæ in aliis Ordinibus haudquaquam militet, reperiantur indulta, peculiaris illa ratio ad cæteras Religiones peculiaria illa officia inhibet extendi. Valida quidem eſt iſta ratio ad excludendam extenſionem præfatæ communicationis ad officia particularia, ſeu de quibus peculiaris aliqua ratio procedit, at non ita valida poſtea videtur ad excludendam participationem ceterorum officiorum, alicui quidem Ordini ſpecialiter conceſſorum, ſed non particularium, ſeu ſpecialium, de quibus ſcilicet non currit peculiaris, vel ſpecialis aliqua ratio, ob quam uni Religioni præ altera poſſint eſſe indulta. Hujuſmodi ſunt verb. gr. Feſtum SS. Nominis Jeſu, officium hebdomadarium SS. Corporis Chriſti, officium de B. Maria, & alia ſimilia, quæ aliquibus Ordinibus inveniuntur conceſſa, hujuſmodi enim officiorum conceſſiones videntur unice reſpicere promotionem venerationis SS. Nominis Jeſu, SS. Sacramenti, aut B. Mariæ; quæ ratio cum non militet magis in una, quam in altera Religione, non videntur dicta officia a participatione vi communicationis privilegiorum excludenda.

II. Hac utique de cauſa Emmanuel Rodericus *Quaſt. Regul. tom. 2. quaſt. 68. art. 2.* aſſerit conceſſione Clementis VIII., qua Fratribus Minoribus indultum extitit, ut die 14. Januarii celebrare valeant officium Nominis Jeſu, uti poſſe quoſcumque alios Fratres, & Sorores Ordinum Mendicantium, alioſque, qui eorum gaudent privilegiis; quod & ſuſtinet Peyrinus *Comment. in Regulam Minimorum cap. 4. §. 13. quaſt. 1.*, necnon Bordonus *to. 2. reſol. 30. num. 26.*, & nonnullas egomet vidi Religiones indulta qualibet feria quinta celebrandi de SS. Sacramento, & in ſabbatis de B. Maria ſub ritu ſemiduplici, quæ aliquibus aliis Ordinibus conceſſa fuere, ad praxim deducere.

III. Mehercule hæc diſſona minime ſunt, & nos ipſos multum refragatores nequaquam haberent, ſi Sacra Congregatio, cujus eſt Apoſtolica interpretari privilegia, oppoſitum in præſenti non ſtatuiſſet Decreto; firmat autem, quod ratione communicationis privilegiorum non licet officia recitare, non quidem *peculiaria*, ut præcedens ſtabiliverat Sanctio, ſed *ſpecialiter conceſſa* (quod uni, & non alteri conceſſa ſonat) alicui Religioni, exemplumque ponit in iis, in quibus potior in una Religione, quam in altera non videtur eſſe ratio, unde ſubdit, *ut de Corpore Chriſti*. Extra igitus omnem ſit controverſiam, nec hujuſmodi officia in uſum deduci poſſe, niſi prius legitima obtenta facultate.

IV. Obſervant Salmanticenſes *tom. 4. Theol. moral. tract. 18. cap. 1. num. 116.*, & apud eoſdem Lezana *tom. 3. verb. Miſſa num. 5.* Petrus ab Angelis *in ſpecul. diſp. 2. ſect. 2. num. 17.* Quintanadvennas *ſingul. quaſt. tom. 2. ſingul. 15. num. 3.*, & alii, non extendi communicationem ad eas gratias, quæ alicui particulari Conventui, vel Religioni per Brevia particularia, præcedente Decreto, aut examine alicujus Congregationis, Pontifices regulariter concedunt, ut ſi alicui Conventui præbeatur facultas alienandi bona immobilia, ſi alicui Religioni detur poteſtas reducendi numerum Miſſarum, vel Altaria habendi privilegiata; ad hæc enim omnia, & alia ſimilia regulariter Decreta Sacrarum Congregationum, & illatum examen præcedunt, & ſic computantur inter ea, quæ raro, & difficulter conceduntur, ſapiuntque naturam ſingularium gratiarum, quæ non communicantur ex vi generalis communicationis. Cum itaque poteſtas recitandi de aliquo officio ex iis ſimiliter ſit, quæ nonniſi præcedente Decreto, & examine Sacræ Rituum Congregationis regulariter a Summis Pontificibus conceduntur, inter eas computanda venit gratias quæ ex vi generalis communicationis nequaquam participantur.

V. Et quidem quæ præfato Congregationum Decreto, & examine præhabito conceduntur, nonniſi ob particularem, & ſpecialem aliquam rationem ſolent indulgeri, & non intuitu alicujus obſequii communis, quapropter facultas alienandi bona immobilia, quæ quandoque conceditur, regulariter pro ratione habet, vel ſuccurrere alicui gravi Domus neceſſitati, vel eam eximere ab opprimentibus debitis; reducendi numerum Miſſarum reſpicit minorationem capitaliom, vel reddituum &c., Altarium privilegiatorum regulariter inſpicit ſpeciale aliquod obſequium pro mortuis inibi inſtitutum, ut Congregatio ſuffragii &c., unde videre eſt, quod hujuſmodi gratiæ, quæ prævio Decreto, & examine Congregationum regulariter conceduntur, ſecum ſemper afferunt particularem rationem aliquam, quæ præfatas gratias incommunicabiles reddit. Quod ſi in aliquorum hujuſmodi conceſſionibus particularis aſſerta ratio a nobis minime deprehendatur, per hoc nequaquam fit, eam inibi nequaquam adeſſe, non ſemel enim accidit particularem tationem, quæ revera adeſt, & ad cam in conceſſione reſpectum fuit, a nobis minime deprehendi.

VI. Nec eadem, aut ſimilis ratio, quæ habeatur, ad talium gratiarum ſtatim ſufficit communicationem; cum enim ratio, ad quam in conceſſione reſpectum fuit, certe nobis non innoteſcat, & quando etiam ex Bullarum terminis pateat, ſciri adhuc non poſſit, an eadem extiterit adæquata, cum quandoque ex quibuſdam cauſis, & extrinſecis cumſtantiis Congregationes, & Pontifices in dictis concedendis gratiis præcipue moveantur, quas tamen in Decretis, aut Bullis non ſemper exprimunt; ideo in hujuſmodi gratiis, quæ nonniſi prævio Decreto Congregationum, & earumdem examine concedi ſolent, dumtaxat conſultis iis Congregationibus, quæ ad id muneris præſertim inſtitutæ ſunt, vel Summis immediate Pontificibus, locum habet communicatio.

VII. Habent verb. gr. privilegium Minores recitandi quolibet Sabbaro Officium de Immaculata Conceptione B. Mariæ: habet & Domus B. Mariæ de Populo Urbis, ut ſuperius dicebamus, indultum recitandi quolibet Sabbato ſub ritu duplici de B. Maria: Jam quilibet facile perſuadere ſibi poterit unice id factitatum, vel conceſſum extitiſſe cauſa promovendi venerationem Mariæ, vel ſatisfaciendi devotioni porticulari illorum, & ideo & ſibi tale privilegium competere poſſe videbitur, quia eamdem, vel ſimilem habet rationem. Aſt non eſt ſic; Minoribus enim aſſertas ob cauſas unice indultum ut ſupra non fuit, ſed quia in defendendo præſervationem Mariæ a labe originali quamplurimum inſudarunt; & Domui de Populo, ut ſatisfieret devotioni Populi turmatim in diebus Sabbati ad dictam Eccleſiam confluentis, quammaxime deſiderantis Miſſas, & Horas canonicas de B. Maria audire. Cum igitur tuto ſciri non poſſit, an eadem cauſa, vel ſaltem adæquata indultorum hujuſmodi, quæ ob ſpecialiſſimas latentes cauſas quandoque eduntur, vel ſimilis habeatur, ideo apprime bene Sacræ Rituum Congregationi hujuſmodi cauſas examinare extitit reſervatum, ac conſequenter in officiis locum non habere communicationem determinatum.

VIII. Verum demus, eadem, & adæquata, aut ſimilis habeatur, & innoteſcat ratio; adhuc quæro, num æquali, & etiam urgentiori Conventus alicujus ſtante neceſſitate, vel debitorum oppreſſione in uſum deducere queat facultatem alienandi bona immobilia alteri Conventui, vel Religioni conceſſam? An inſtituta alicubi ſimili Confraternitate Suffragii publicari poſſit Altare privilegiatum abſque nova conceſſione? An habita minoratione capitalium, vel redituum deveniri queat ad reductionem Miſſarum ratione præciſæ facultatis alteri Religioni ſimili de cauſa factæ? Si hujuſmodi concedis, conſona procul dubio eſt tua ſententia; aſt ſi eadem negas cum communi Doctorum opinione, fatearis neceſſe eſt quod iis in gratiis, quæ prævio ut ſupra Decreto, & examine Congregationum regulariter concedi ſolent, locum haud habet communicationis privilegium, & conſequenter cum eiſdem ex gratiis extet officiorum conceſſio, quod officia per communicationem nequaquam participantur.

IX. Nec meus ſolummodo eſt iſte ſenſus, ſed omnium ipſarum Religionum, quæ privilegiorum ampliſſimam habent communicationem auctoritate, & uſu firmatus. Audi. Obtinuere Minores primi omnium a Pio V. officium de SS. Sacramento pro ſingulis quintis feriis: Idem obtinuere poſtmodum a Clemente VIII. Auguſtiniani: Idem Servitæ: Idem ceteræ fere omnes Religiones, cunctæque, quæ dictum recitant officium, particularia habent indulta. Super recitationem officii de Immaculata Conceptione habent itidem ſpecialem conceſſionem Franciſcani, Auguſtinienſes, Servitæ, aliique Regulares. Idem evenit in feſto SS. Nominis Jeſu, antecedenter ad modernam conceſſionem ejuſdem pro Eccleſia univerſali, in officiis S. Gabrielis, Raphaelis, Deſponſationis, Expectationis, & Patrocinii B. Mariæ, Patrocinii S. Joſeph, & aliorum ſimilium; hæc enim omnia, & alia officia uni primitus conceſſa extitere Regulari Ordini, & poſtea per particularia indulta ad ceteros fere omnes extenſa venere. Si igitur ita eſt in hujuſmodi officiis, quæ particularem aliquem reſpectum ad unam potius, quam aliam ex Religionibus nequaquam habent, nec particularem aliquam rationem, aut cauſam, quæ æque non militet pro omnibus Religionibus, evidens eſt, quod de iiſdem officium agere licitum ſibi haud eſſe vi communicationis privilegiorum exiſtimarunt; fruſtra enim precibus impetratur, quod jure communi conceditur.

X. Dices errore, ac falſa exiſtimatione ductas fuiſſe, quotquot ex Religionibus talia indulta impetraverunt; vel id egiſſe ad cautelam, aut ad removenda nonnullorum vana dubia, aut inanes ſcrupulos.

XI. *Errore, ac falſa exiſtimatione!* Dormitaverunt itaque tot, tamque inclyti Regulares Ordines, & tu ſolus vigilantior! Inſipienter egere earumdem Religionum tot celeberrimi alumni, ac profeſſores, & tu ſolus ſapientior? O te pervicacem, qui unus contra omnes adſtas, & theſim hanc proferre, ac tueri audes! Ego, ajes, non unus quidem; id enim docuere Rodericus, Peyrinus, atque Bordonus ſuperius recenſiti; id teſte eodem Peyrino in uſum deduxit Religio Minimorum pro feſto SS. Nominis Jeſu, necnon forſitan teſte citato Bordono Religio Tertii Ordinis S. Franciſci pro officio ſacrorum Stigmatum. Sed hi quid ſunt inter tantos? Quid ſcribe-

rent

rent allegati Doctores, quid facerent memoratæ Religiones, ſi ſcribere, aut facere reſpective deberent poſt quater repetita oppoſita Decreta Eminentiſs., ac ſapientiſſimorum virorum Sacram Rituum Congregationem componentium, quibus Apoſtolica interpretandi indulta, ac privilegia ad divinum officium ſpectantia cura delegata incumbit? Hoc unum ſcio, quod quotquot ex Religionibus a memoratis Auctoribus deceptæ oppoſitum in praxim deduxere, vel obtento poſtmodum particulari indulto, aut per poſteriorem ſui Kalendarii, vel Rubricarum, ſeu Conſtitutionum confirmationem Apoſtolicam illegitimæ praxi obviam jere, ac inducto, & præconcepto errori opportunum remedium præbuere, ita ut nulla ex Religionibus modo ſit, quæ in ſuis Breviariis officium aliquod habeat, ſolius vi communicationis ſibi competens.

XII. Quod *ſi ad cautelam, aut removenda dubia, & ſcrupulos* id egere, hoc ut minimum des mihi, neceſſe eſt, dubium eſſe, & ambiguum, an communicatione privilegiorum divina comprehendantur officia. In dubio autem ejuſmodi, quid juris? Ejus eſt interpretari privilegium, cujus eſt concedere, *l. ſi Imperialis*, *Cod. de legibus*, *& cap. Inter alias*, *de ſent. excommunicat. Unde jus prodiit*, *interpretatio quoque procedat*. Ut dicebamus autem ſuper hujuſcemodi dubio quatuor emanarunt declarationes Sacræ Rituum Congregationis, quæ ex Apoſtolica ſibi facta auctoritate privilegia circa ſacros ritus, ac divina officia interpretandi facultate gaudet.

XIII. Dices 2. per communem Auctorum conſenſum vi communicationis extendi Indulgentias, quæ continent generalem rationem, puta auxilium Sanctorum, augmentum Chriſtianæ Religionis, ſplendorem Eccleſiarum &c., etſi indulgentiæ ex iis gratiis ſint, pro quarum conceſſione ſpecialis inſtituta eſt Congregatio, ſine cujus Decreto, & examine regulariter non conceduntur; vi igitur ejuſdem communicationis item protendi poterunt officia generalem rationem habentia, quamtumvis eorumdem conceſſionem regulariter præcedere ſoleat Decretum, & examen Sacræ Rituum Congregationis.

XIV. ℞. Id quidem ita eſſe, ſed quia Indulgentiæ ſub nomine proprio *Indulgentiæ* in Bullis communicationum habentur, unde dubium eſſe non poteſt, quod vi communicationis participentur, quod ſi & extarent officia ſub nomine proprio, utique & officia protenderentur. Ceterum ſi Indulgentiæ in Bullis communicationum ſub nomine proprio nequaquam haberentur, proculdubio ſub nomine privilegiorum, indultorum, gratiarum, favorum, conceſſionum, aut quarumcumque aliarum ſimilium expreſſionum haud venirent, nec per communicationem protenderentur? quapropter patens eſt, quod argumentum in ſuum retorqueri poteſt Auctorem. Quod autem ſub nomine privilegiorum, indultorum &c. haudquaquam, adhuc in materia favorabili, indulgentiæ comprehendantur, id fuſe demonſtravimus in noſtro libro de Cingulo B. Mariæ *num.* 115. *& ſeq.*, & idipſum oſtendit Paſſerinus *de Indulg. num.* 795., *& ſeq.*, & evidenter deducitur ex eo, quod Paulus V. anno 1606. omnes Regularium revocavit indulgentias, & anno 1609. confirmavit, ac de novo conceſſit omnia privilegia, gratias, & ſpiritualia indulta Fratrum Minorum, & conſequenter omnium etiam eorum, qui cum iiſdem in privilegiis communicant; & tamen per hujuſmodi confirmationem, ac novam conceſſionem priſtinum nequaquam robur, ac valorem recuperarunt indulgentiæ ut ſupra revocatæ, quemadmodum eruitur ex propoſitione 37. damnata ab Alexandro VII. anno 1666. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus*, *& revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ*. Non igitur veniunt indulgentiæ nomine privilegiorum, gratiarum, & indultorum ſpiritualium, ac conſequenter vi communicationis non participarentur, ſi in Bullis communicationum ſub expreſſo nomine *Indulgentiæ* expreſſæ non forent.

XV. Ulteriora dabuntur in duabus ſequentibus Sanctionibus, quas recolat Lector, qui hac in re omnem a ſe dubitationem abigere cupit.

XVI. *Et quatenus extenſio petatur*, (proſequitur Decretum) *omnino quoad tempus Adventus*, *& Quadrageſimæ non eſt concedenda*. Loquitur Decretum de officiis votivis, in quibus jam exemplum poſuerat, & de iſtis ſtabilit, quod ſi extendantur, non eſſe eorumdem extenſionem concedendam pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ propter particulares rationes, de quibus agemus in Cap. de officiis votivis, ob quas utique nec concedendam cenſemus pro vigiliis, aliiſque feriis, quæ recenſentur in eodem Capite.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXXVI.

Communicatio etiam ampliſſima privilegiorum unius Religionis alteri facta, non ſe extendit ad officia Sanctorum. S. R. C. 16. Decembris 1679. *in una Ord. Minor. Obſerv.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 107.

I. SUpra generalem privilegiorum communicationem non addit *ampliſſima*, niſi majorem emphaſim, & terminorum expreſſionem, quatenus ſcilicet ea privilegia, quæ per generalem communicationem extenduntur, per ampliſſimam plenioribus clauſulis, ac expreſſioribus verbis concedi indicantur. Regulares Ordines in privilegiis omnibus inter ſeſe invicem communicare, etiam ampliſſime, jam ſatis oſtendunt ea, quæ dedimus in præliminaribus hujus Capitis, & magis adhuc, ſi id dicere licet, præfata ampliſſima privilegiorum communicatio elucet ex litteris Leonis X., & Pii IV., de quibus hic ſtatim dicturi ſumus.

II. Leo itaque X. in quibuſdam ſuis litteris, quæ habentur apud Joannem Baptiſtam Confectium *Lit. Apoſt. Bulla* 18. *ejuſdem Leonis*, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum die 10. Decembris 1519. Pontificatus ſui anno 7., omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, favores, facultates, privilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia *qualiacumque illa ſint* (nota hanc expreſſionem) quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum B. Mariæ, & Minimorum Fratrum Domibus, & Præſidentibus, non ſolum Generalibus, & Provincialibus, Fratribuſque, & Sororibus &c. a ſe, aut a ſuis Prædeceſſoribus, ipſiſque Succeſſoribus, aut alias auctoritatem habentibus conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa fuerunt, Ordinibus Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & Prædicatorum (& conſequenter eorum omnium, qui eorumdem privilegia communicant) illorumque ſingulis Domibus, Fratribus &c. motu proprio, & ex mera ſua ſcientia, & liberalitate, de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicavit.

III. Pius vero IV. Ordinis S. Hieronymi in Hiſpania conceſſit, quod omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, & prærogativæ, indulta temporalia, favores, & gratiæ Ordinis, & ſingulis cuivis Monaſterio per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores per ſe, & per Sedem Apoſtolicam, ejuſque legatos, & nuntios in genere, & in ſpecie conceſſa, ad omnia, & ſingula Monaſteria, tam virorum, quam mulierum, quibus in ſpecie conceſſa non ſunt, *& in quibus aliæ cauſæ conceſſionis*, *& indultorum prædictorum*, *alias quam præfertur*, *ſubeant*, ad id ut ipſa Monaſteria illis pariformiter frui, & gaudere poſſint, & deberent, perinde ac ſi eis in ſpeciali conceſſa fuiſſent, extendantur, amplientur. Hujuſmodi autem conceſſio extenditur ad omnes, & ſingulas Monachorum Congregationes, ceteroſque Ordines Mendicantes, & non Mendicantes communicantes privilegia dicti Ordinis S. Hieronymi; & cum per privilegiorum communicationem omnia privilegia fiant propria illarum Congregationum, & Ordinum, qui ſimile obtinent privilegium, non ſolum conceſſa, ſed etiam in poſterum concedenda; clare conſtat, quod omnes Monachorum Congregationes, ac quæcumque Religiones habentes indultum communicationis, uti, & gaudere poſſunt in omnibus ſuis Domibus, & Conventibus particularibus conceſſionibus, & gratiis alicui ipſius Congregationis, vel Ordinis Abbatiæ, Conventui, ſive loco ſpeciali indultis, uti & quibuſcumque aliis privilegiis, & gratiis, quæ omnibus Ordinibus, vel alicui Conventui, aut Monaſterio eorumdem conceſſa eſſe poſſunt, vel in futurum concedi.

IV. Si igitur ex vi litterarum Leonis X. omnia privilegia, & indulta, *qualiacumque illa ſint*, alicui Religioni, Conventui, Fratribus &c., conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie, omnibus aliis Ordinibus habentibus privilegium communicationis, & ſingulis illorum Domibus, Fratribus &c., extenduntur, amabo cur hujuſmodi extenſio non erit etiam ad officia Sanctorum? Nec dicatur, quod quantum ad officia Sanctorum alia, & peculiaris extat ratio conceſſionis in una Religione, quæ in altera forſan minime reperitur; hoc enim ſolum ad ſummum concluderet pro officiis, quæ particularem quemdam habent reſpectum ad unum Ordinem, & non ad alterum, non autem de iis, quæ talem particularem rationem non habent, ut officium de SS. Corpore Chriſti ſingulis quintis feriis, & ſimilia. Denique ex adducta conceſſione Pii IV. extenduntur privilegia uni Conventui ſpecialiter indulta, ad omnes Conventus ejuſdem Ordinis, etiamſi *aliæ cauſæ conceſſionis*, *& indultorum ſubſint*, ergo & extenduntur privilegia unius Religionis ad alteram, licet in hac non adſit illa ratio, aut circumſtantia, ob quam illi conceſſa fuere.

V. Quia tamen Sacra Rituum Congregatio non ſemel cenſuit, *Communicationem etiam ampliſſimam privilegiorum unius Religionis alteri factam*, *non ſe extendere ad officia Sanctorum*, videlicet in præſenti, duobus antecedentibus, & ſequenti Decretis, in quibus omnibus etſi non ponatur explicite præfatam extenſionem minime licere ratione communicationis *etiam ampliſſima*, ponitur tamen explicite in præſenti, & implicite etiam in aliis proculdubio habetur, quoniam dum dicunt dictam extenſionem nequaquam licere *ratione communicationis*, *& participationis privilegiorum alterius Religionis*, perinde eſt, ac ſi adderent, *etiam ampliſſima*, quia communicatio quæcumque, quæ inter Religiones adinvenitur, ampliſſima eſt, & nonniſi ampliſſima inter eaſdem reperitur. Abſolute igitur, ac ſimpliciter tenendum eſt, communicationem etiam ampliſſimam privilegiorum unius Religionis alteri factam, non ſe extendere ad officia Sanctorum, ſive poſtea ea ſint *ex particularibus officiis* illius Religionis, cujus privilegia participantur, ut S. Thomæ de Villanova relate ad Ordinem Eremitarum S. Auguſtini, ſicut ſancitum apparet in primo Decreto hujus Capitis, ſive ex officiis *ſpecialiter* dumtaxat illi Religioni conceſſis, ſed non ex *peculiaribus* illius, quemadmodum in præcedenti Decreto determinatur de SS. Corpore Chriſti. In quibus duobus Decretis, cum affatim adductæ reperiantur rationes, in quibus ſolide, & inconcuſſe nituntur hujuſmodi Sanctiones, ideo ab earumdem recenſione non incongrue putamus hic eſſe abſtinendum.

VI. Solum jam ut videas ex parte quoque concedentis, quan-

quantum tua iſta opinio de communicatione officiorum repugnet, interpretetur Pius V. conceſſam a ſe anno 1571. omnimodam illam privilegiorum communicationem. Ille idem eſt Pontifex, qui triennio ante, anno videlicet 1568. famoſam illam, ac toties decantatam Bullam edidit, qua abolito primum Quignoniano Breviario, aliiſque omnibus ducentos annos non excedentibus, revocatis item omnibus, & quibuſcumque Apoſtolicis permiſſionibus, conſuetudinibus, ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia firmitate munitis, necnon privilegiis, licentiis, & indultis; præcipit tandem propoſitis pœnis per canonicas Sanctiones ſtatutis, ſuum hoc unum Breviarium ubique obſervari, ſtatuens inſuper, ipſum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe. Itane vero putandus eſt tantus Pontifex vel obliviofus fuiſſe adeo, vel mutationi obnoxius, ut quæ anno vix ab hinc tertio tanto cum rigore decreverat, uno ſtatim calami ſtractu, brevique communicationis voculа voluerit retractare, ac priſtinæ confuſioni, ſi non etiam majori, viam latiſſimam aperire? Et qui ſevere adeo Patriarchas omnes, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, ceteroſque Eccleſiarum Prælatos, poteſtate omni, quam jure antiquo obtinebant, aliquid in divinis officiis mutandi, addendi, vel detrahendi interdixerat, novo id totum communicationis privilegio, cujuslibet Regularis arbitrio permiſerit? Numquam adducar ego, ut non credam aliam longe ingenii vim, aliud mentis, ac judicii robur noſtris Summis ineſſe Pontificibus. Quare cum potius ſit concedentis menti, quam privilegii verbis inhærendum, *C. Marcion, 1. q. 1. & cap. Intelligentia de verbor. ſignific., & cap. In iis, ibidem*; proculdubio dicendum venit per communicationis privilegium nequaquam officia comprehendi.

VII. Imo cum privilegium omne, quod eſt contra jus commune, ſtricte interpretandum pronuncient juris utriuſque periti, *ex l. Quoties, Cod. de Precibus Imper. offer., & l. ſi quando, Cod. de inofficioſo teſtamento, cap. Porro, & cap. Sane de privilegiis, & cap. Quod dilectio, de conſang., & affin.*, jam quiſquis videt, qualis privilegio communicationis interpretatio ſit tribuenda, quod juri communi tantum, quantum ullum aliud adverſari dignoſcitur.

VIII. Ad Litteras igitur ſuperius adductas Leonis X. dicendum ducimus per eas extendi quidem omnia privilegia, indulta &c., *qualiacumque illa ſint*, ad omnes Religiones, earumque Domus, Fratres &c., quæ tamen non ſint ex exorbitantibus, aut ex iis, quæ raro, difficulter, aut prævio Decreto, & examine alicujus Congregationis conceduntur, vel ob ſpecialem aliquam circumſtantiam, aut peculiarem rationem, ratione cujus evadant quaſi ſingulares, ac perſonales illius loci, vel Ordinis favores. Quapropter privilegia conceſſa Prælatis ſecundum omnes non competunt ſubditis, quia illis conceduntur ob ſpecialem circumſtantiam excellentiæ, quæ in iſtis non reperitur: privilegia conceſſa huic particulari, ut tali, omnes dicunt alteri non convenire, quia illi conceduntur ob ſpecialem circumſtantiam perſonæ, quæ in iſto non datur: privilegium non eundi ad Proceſſiones publicas Carmelitis Excalceatis juxta Salmanticenſes ob ſtrictiſſimam clauſuram, quam profitentur, indultum, ab aliis Religionibus minime participatur &c., alias enim omnia confunderentur, & maxima ſequerentur inconvenientia. Ita docent Salmanticenſes *Theol. mor. tom. 4. tractat. 18. cap. 1.*, Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 1. diſp. 17. quæſt. 2.*, Suarez *de legib. lib. 8. cap. 28. numer. 5.*, Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 52.*, Rodericus *Quæſt. Regular. tom. 1. quæſt. 65. art. 18.*, Miranda in *Manuali Prælatorum tom. 2. quæſt. 46. art. 1.*, Joan. de la Cruz *de Statu Relig. lib. 2. cap. 4. dub. unic. concluſ. 3. illat. 1.*, Petrus ab Angelis *in ſpecul. diſp. 2. ſect. 2. a num. 14.*, Bordonus *tom. 2. reſol. 52. a num. 75.*, aliique paſſim, & communiter. Cum igitur officia ſint ex iis, quæ prævio Decreto, & examine Congregationis Sacrorum Rituum, & per inſpectionem ad aliquam circumſtantiam, vel particularem rationem ſolent concedi, ideo communicatio privilegiorum ad officia Sanctorum minime extenditur, ut fuſius dictum eſt in præcedentibus Decretis.

IX. Ad Litteras autem Pii IV. Ordinis S. Hieronymi datas Auctores communiter eaſdem adhibent limitationes, videlicet ut non procedant de conceſſis particularibus locis, vel Eccleſiis privatis ob ſpecialiſſimas rationes, & circumſtantias in eis repertas, ſed ſolum de conceſſis intuitu alicujus rationis, vel circumſtantiæ, quæ etſi *eadem* in aliis non reperiatur, adinvenitur tamen *ſimilis, vel æquivalens*; unde privilegia, aut gratias conceſſas alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, in qua eſt imago ſingularis, & miraculoſa B. Virginis, vel Chriſti Domini, vel Reliquia alicujus Sancti, vel ob magnam Populi devotionem, extendendas non cenſent ad alia Monaſteria, in quibus talis ratio non invenitur; uti nec privilegia conceſſa Monaſteriis inter Infideles exiſtentibus, ubi nec adeſt aſſiſtentia Epiſcoporum, nec copia miniſtrantium neceſſaria pro ſalute eorumdem, ad Monaſteria inter Fideles ſita, extenduntur. Similiter ut memoratæ Litteræ non intelligantur de iis, quæ raro, & nonniſi magna cum difficultate, ac præcedenti examine, & Decreto Congregationum conceduntur; unde Altaria privilegiata unius Eccleſiæ, facultas alienandi bona immobilia, reducendi numerum Miſſarum, & ſimilia, inter quæ utique etiam poteſtas de aliquo Sancto officium recitandi comprehenditur, ad alteram Eccleſiam nequaquam extenduntur ex communi Doctorum conſenſu, & quidem etiamſi in iſtis eadem, ſimilis, vel æquivalens adinveniretur ratio, & cauſa, ſed exigitur, quod hæc cognoſcatur, ac examinetur a Congregatione, ad quam ſpectat, & ab ea, vel a Summo Pontifice immediate concedatur, ut dicebamus in præcedenti Decreto.

X. Quæres 1. num ratione communicationis privilegiorum poſſint recitari officia conceſſa, non quidem alteri Religioni, ſed alteri Provinciæ, vel Monaſterio ejuſdem Religionis?

XI. ℞. Primo id nullo revera Decreto Sacræ Congregationis inhibitum eſſe; ut enim conſideranti verba Decretorum omnium hujus Capitis manifeſte patebit, in ſuis Sanctionibus S. Congregatio ſuper hujuſcemodi rem nullum ſermonem inſtituit, ſed ſolummodo vetuit, ratione præfatæ communicationis officia facere de Sanctis alteri Religioni conceſſis.

XII. ℞. 2. Nedum id nullo canone, ut dicebamus, vetitum eſſe, verum etiam id licitum videri ex vi præfati Induiti Pii IV. facti Ordini S. Hieronymi, in quo indulta, gratiæ, conceſſiones, privilegia &c. cuivis Conventui alicujus Ordinis conceſſa, ad ceteros omnes Conventus ejuſdem Ordinis ampliſſime extenduntur, cum expreſſione *etiamſi aliæ cauſæ conceſſionis, & indultorum ſubſint*, quæ quidem expreſſio cum minime habeatur in Bullis communicationis privilegiorum unius Religionis ad alteram, & inſerta ea fuerit in Bulla communicationis privilegiorum unius Conventus ejuſdem Religionis ad alterum, dicendum videtur, quod ab una Religione ad alteram licita minime eſt extenſio præfatæ communicationis ad officia Sanctorum, bene vero ab uno Monaſterio ad aliud ejuſdem Religionis.

XIII. Nec diſſimiliter faciendum ſuadet ratio uniformitatis, quam in divinis laudibus intra eamdem Religionem decet obſervari; ut quorum eſt una regula, unus habitus, unus vivendi modus, ſub iiſdem obſervantiis unum cor in Deo, ita una correſpondeat lingua in laudibus ejuſdem Dei. Nec officit ratio aliqua particularis, vel circumſtantia, quæ in conceſſione officii alicui Conventui poteſt eſſe inſpecta, quæ tamen in altero minime reperitur; non militat, inquam, quandoquidem, ut dicebatur, memoratus Pius IV. omnia conceſſa uni Monaſterio *quacumque ratione* per alia ejuſdem Ordinis extendit, & adhuc ſi pro altero Monaſterio non habeatur illa eadem particularis ratio, & circumſtantia, puta Imago miraculoſa B. Virginis, aut Reliquia inſignia alicujus Sancti, vel devotio, & magna frequentia Populi, ob quam alicui Monaſterio conceſſum eſt officium, habetur tamen particularis ratio petita tum ex uniformitate, quam intra eamdem Ordinem in divinis decet ſervari officiis, tum ex attinentia quadam, quam unum Monaſterium ad alterum ejuſdem Ordinis habet, tum ex decore, qui inde in Ordinem derivat, cujus & alterum Monaſterium æque membrum eſt, & tamquam in membrum ejuſdem Corporis in idem ſecundario, & conſequenter reflectit. Quibus profecto de cauſis, aliiſque conceſſa alicui Monaſterio ad cetera ejuſdem Ordinis videmus facile extendi, etſi in iſtis non adſit eadem ratio, & circumſtantia, non autem ſic ad Monaſteria alterius Ordinis, vel ad aliam Religionem.

XIV. Opponi ſimiliter poſſet, officia Sanctorum alicui Conventui conceſſa, ab altero ejuſdem Ordinis in ſpecie non ſemel impetrata fuiſſe. Sed hoc generali communicationi nequaquam officit, nec ſufficiens eſt derogare, ut optime Salmanticenſes *loco cit. num.* 118. loquentes de indulgentiis quibuſdam perpetuis.

XV. ℞. 3. Omnibus his minime obſtantibus dicendum eſſe; quod minime licet ratione communicationis privilegiorum officia uni Conventui conceſſa, ab altero ejuſdem Ordinis recitari, niſi & huic in ſpecie concedantur; officia enim Sanctorum, ut dicebamus, ſunt ex iis, quæ raro, difficulter, & nonniſi prævio examine, & Decreto Sacræ Congregationis, & quandoque ſpecialiſſimas ob cauſas, rationes, ac circumſtantias conceduntur, adeoque ex illis, quæ per generalem conceſſionem non veniunt, ſed opus eſt, ut ſpecifice concedantur, uti dictum eſt de Altari privilegiato, facultate alienandi bona immobilia, reducendi numerum Miſſarum, & ſimilibus: Ad quæ omnia quia Decreta, & examen Congregationum regulariter præcedunt, & computantur inter ea, quæ raro, & difficulter, & ſpecialiſſimis de cauſis perſæpe conceduntur, adhuc ex vi præfatæ conceſſionis Pii IV., & cujuſcumque alterius memorata, vel quacumque altera expreſſione munitæ, ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinis non extenduntur, ut docent communiter ſuperius citati Auctores, & præcipue Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 1. diſp. 17. quæſt. 2.*, ubi affert quamplurimas Rotæ deciſiones, ut *Rotæ deciſ. 214. part. 2. Recentior., & deciſ. 55. num. 14., & 15. part. 2. Diverſ., & in Valentina 28. Novembris 1603. coram Cardinali Lancellotto, & in Toletana 16. Novembris 1605. coram Juſto &c.* Videatur idem inclytus Auctor, & non pigebit.

XVI. Communis accedit & uſus ſingularum Religionum, quæ privilegiis, & indultis alicui ex earumdem Monaſteriis officium aliquod recitandi conceſſis minime utuntur, niſi in ſpecie ipſis extendantur, ac concedantur, unde cum Provinciis Hiſpaniarum, & Indiarum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini indultum fuiſſet quolibet Sabbato non impedito de Conceptione B. Mariæ recitare, a Clemente X. die 20. Septembris 1670. tale indultum ad totum eumdem Ordinem fuit extenſum, & ſic de B. Rita, de S. Thoma a Villanova &c. Idipſum quoque præſtitere aliæ Religiones, ac Regulares Ordines. Etſi autem factum unius vel alterius non relevet, communis tamen Religionum uſus, necnon ſtylus Curiæ Romanæ, Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis extendendi ad totum Ordinem

dinem

dinem officia conceſſa alicui ejuſdem particulari Monaſterio, valde, & efficacites probant, & ſatis ſuperque indicant id alias fieri minime licere per ſolam privilegiorum communicationem, niſi etiam accedat ſpecifica, & ſpecialis conceſſio. Quæ autem io præcedenti reſponſione ulterius adducta ſunt, probant quidem ad ſummum facilitatem, quamdamque congruitatem dicta officia intra eumdem Ordinem extendendi, at minime poſtea evincunt negationem neceſſitatis ſpecificæ conceſſionis eorumdem, ut cuilibet minimum conſideranti facile patebit.

XVII. Quæres 2., num officia Sanctorum, quæ alicui Religiooi conceduntur, cæteris Religionibus communicantibus concedantur *ad inſtar*, hoc eſt, ut de ſuis iſtæ quoque Sanctis vi communicationis pariformiter faciant? Sit exemplum: Conceſſum eſt Ordini S. Auguſtini ſemel in hebdomada de ejuſdem Ordinis Fundatore officium inſtituere, ſemel in menſe de S. Nicolao Tolentinate, de S. Thoma a Villanova &c., hinc quæſtio verſatur, utrum ratione præciſæ communicationis privilegiorum dicti Ordinis poſſit verb. gr. Religio S. Franciſci ſemel in hebdomada, non quidem de S. Auguſtino, ſed de ſuo Fundatore officium facere, & ſemel in menſe, non de Sanctis Nicolao, & Thoma memoratis, ſed de Sanctis principalibus ejuſdem Religionis, puta de S. Antonio de Padua, & S. Bonaventura Epiſcopo, & Doctore: Idem, quod modo dictum eſt de feſtis votivis, dicendum venit de officiis feſtivis, puta an ex eo, quod uni Religioni concedatur officium aliquod de Sancto aliquo indigena, verb. gr. Religioni S. Auguſtini de B. Joanne Bono, ita citra Bullam, & conceſſionem propriam alteri liceat Religioni de alio Beato, aut Sancto ejuſdem ſimiliter indigena celebrare, verb. gr. Religioni ejuſdem S. Franciſci de Beato Andrea de Comitibus &c.

XVIII. Ita revera fieri poſſe cenſuit Peyrinus *Comment. in Regul. Minim. cap. 4. §. 13. quæſt.* 2., & colligi poſſe videtur ex quadam Conſtitutione Julii II., de qua Rodericus *Quæſt. Regul. quæſt.* 55. *tom.* 1. *art.* 20., in ea enim explicans præfatus Julius II. modum, quo fit in Religionibus privilegiorum communicatio, aſſerit ea, quæ Ordini Prædicatorum generaliter conceſſa ſunt, generaliter Ordini Minorum competere, quæ particulariter, particulariter reſpective, puta quæ Priori Generali, ſeu Magiſtro Ordinis Prædicatorum, itidem Magiſtro, ſeu Vicario Generali Ordinis Minorum, quæ Prioribus Conventualibus, Guardianis, quæ Provincialibus, Provincialibus; quæ Fratribus privatis, itidem Fratribus privatis; & quæ feſtivitatibus unius Ordinis conceſſa ſunt, feſtivitatibus alterius Ordinis etiam conceſſa intelligantur. *Ita quod ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis, Fratribus, vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa; omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis, ac feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marochium martyrii palmam adepti ſunt, & Sanctæ Claræ, ac in aliis feſtivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet ſint in majori numero, quam feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum, ſint, & intelligantur conceſſa.*

XIX. Hæc tamen Julii II. Conſtitutio, cum præfata feſta jam ſupponat inſtituta, & ſolum, quæ feſtivitatibus unius Ordinis competunt, & feſtivitatibus alterius convenire declaret, indubium redditur ex conceſſione facta verb. gr. Ordini Prædicatorum inſtituendi feſtivitatem de aliquo Sancto ejuſdem Ordinis non inſurgere facultatem in Ordine Minorum ſimiliter inſtituendi feſtum de altero Sancto ſui Ordinis, ſed ſolum ut quæ indulgentiæ, quæ facultates, puta non ſervandi interdictum, & ſimiles, conceſſæ ſunt Prædicatorum Eccleſiis in feſtivitatibus Ordinis jam inſtitutis, eiſdem vi communicationis gaudeant & Minorum Eccleſiæ in ſuis reſpective feſtivitatibus ſimiliter inſtitutis, vel cum debita facultate deinde inſtituendis, ut explicant, atque docent Rodericus *loc. cit.*, Suarez *de legib. lib.* 8. *capit.* 17., Caſtro *de privileg. tract.* 3. *diſput.* 4. *punct.* 2. §. 9. *num.* 51., Guyetus *lib.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 7., aliique communiter.

XX. Reſpondendum itaque eſt ad quæſitum negative; cum enim nullum ſit inveniri privilegium, quod hanc poteſtatem faciat, in integrum perſeverat rigoroſa inhibitio aliquid Breviario addendi facta a Pio V. in ſua Bulla de Breviario Romano, adeo abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ, vel Sacræ Congregationis licentia nihil hujuſmodi licite attentari valet juxta plures per ipſam Sacram Congregationem firmata. Idipſum demonſtrant fere infinita Decreta Summorum Pontificum Religionibus præfata officia, ac feſta inſtituendi in ſpecie poteſtatem tribuentia, necnon communis omnium Regularium Ordinum conſuetudo, quorum nullus de ſuis Sanctis officia recitat vi memoratæ communicationis, ſed quilibet ſuis particularibus indultis, ac privilegiis reperitur munitus.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXXVII.

Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non poſſunt addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, nec recitare officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus. S. R. C. 20. Martii 1606. *in Decreto Generali*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 238.

I. TRIA præſens firmat Decretum, quorum primum eſt, Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non poſſe addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis. 2. Neque in Confiteor. 3. Nec recitare officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus. De primo, & ſecundo loqui reſervamus in propriis reſpective Capitibus, de Litaniis, & Confeſſione ſuo loco inſtituendis. De tertio itaque ſolummodo nobis remaneret agendum; aſt quoniam ſuper hoc in præcedentibus tribus Decretis fuſus inſtitutus eſt ſermo, ideo ſuper idem non judicamus ulteriora verba eſſe facienda. Per præſentem igitur Sanctionem confirmationem ſatis uberem accipiunt, quæ dedimus in præcedentibus, a quibus hæc in nullo utique differt, niſi quod nec Miſſas aliis Religionibus conceſſas recitari vi communicationis licite poſſe ſtabilit, ubi illæ nec verbum de Miſſis habent. Verum quoniam de Miſſis eadem eſt ratio, ac de divino officio, ſi vi communicationis officia facere non licet aliis Religionibus conceſſa, utique nec licitum erit id præſtare de Miſſis.

II. Hactenus actum eſt de iis, quæ non poſſunt Regulares vi communicationis privilegiorum relate ad divinum officium, ad complementum ſupereſt nunc agamus de iis, quæ poſſunt, ſeu de privilegiis inter eos communibus ad divinum officium attinentibus, ſeu quæ vi communicationis participantur. Plura ſunt autem privilegia a Pontificibus conceſſa Regularibus in ordine ad recitationem officii canonici, quæ ab Auctoribus ſparſim diverſis in locis ponderantur; hæc autem hic ſimul libuit proponere, ut facilius memoriæ commendentur.

III. Primum eſt illud, quod conceſſit Leo X. Minoribus (& per participationem convenit aliis Religionibus) die 16. Aprilis 1516. & refertus in Compendio privilegiorum S. Franciſci, & in Compendio privilegiorum Ordinum Mendicantium *verbo officium divinum* 1. §. 9. Conceſſit ergo Leo X., ut Regulares ſatisfacerent præcepto recitationis, mentaliter dumtaxat officium canonicum perſolvendo, his verbis: *Ne fratres mutuo ſe impediant in officio divino, aut aliis ſint faſtidioſi, quod illa, quæ in Ordinario jubentur dici ſecreta ſub ſilentio, tam in horis canonicis, quam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter; ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter ſe per librum, quia aliqui devotius ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum; & quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus dicit officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipue, ut ab aliis intelligatur.*

IV. Non deſunt tamen plures Auctores aſſerentes, Regulares modo non amplius ſatisfacere mentaliter recitando divinum officium. Tum quia conceſſio Leonis X. fuit vivæ vocis oraculum, ut omnes fatentur, ſed ſingula privilegia, facultates, gratiæ &c., vivæ vocis oraculo conceſſa, revocata ſunt tam a Gregorio XV., quam ab Urbano VIII. in generali vivæ vocis oraculorum revocatione, ergo &c. 2. Quia ad ſummum hoc privilegium concedit, ut mentaliter recitentur, quæ in Ordinario præcipiuntur dici ſecreto tam in Miſſa (exceptis verbis conſecrationis, quæ omnino verbaliter ſunt dicenda) quam in officio divino, uti Pater noſter, Ave Maria, Credo, & in Miſſa Canon, & aliæ orationes ſecreto dicendæ, quemadmodum conſtat ex verbis privilegii. 3. Quia ſublato, quod Regulares teneantur verbaliter officium recitare, aufertur obligatio recitationis, & ſic nec mentaliter tenerentur: quia hoc præceptum recitandi eſt eccleſiaſticum; præceptum autem eccleſiaſticum de ſolo actu mentali puro non aſſociato vocali eſſe non poteſt; quia Eccleſia ſicut nequit de actibus pure internis judicare, ſic nec illi cadere poſſunt ſub præcepto Eccleſiæ; ergo ſublata obligatione recitandi vocaliter, nullum remaneret præceptum recitationis. Sic Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 71., & 72., Antonius a Spiritu Sancto *tract.* 2. *diſp.* 2. *num.* 157., Tamburinus *de jure Abbatum tom.* 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *num.* 3., Lugo Card. *in reſponſ. moralib. lib.* 3. *dub.* 17., Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 31., & non audet in hac parte judicium ferre Diana 8. *par. tractat.* 6. *reſolut.* 58., & 10. *part. tract.* 11. *reſolut.* 1.

V. Sed eſſe in ſuo robore dictum privilegium, extendique ad totum officium privatim recitandum (licet ſolum pro his, quæ in Choro, & Miſſa ſecreto dici jubentur, ſit primo conceſſum) probabilius judicamus. Primo quia licet illud ſit vivæ vocis oraculum, tamen confirmatum eſt a Pio V. per Bullam ab ipſo conceſſam, ſicut cetera omnia vivæ vocis oracula ante ipſum expedita, quam Bullam adducit Peyrinus *tom.* 3. *privil. cap.* 12. *ad Conſtitut. Pii V. in ordine* 7.; & ſic tranſiit in privilegium bullatum, proindeque revocatum non fuit in generali revocatione vivæ vocis oraculorum; hæc enim revocatio ſolum tenet reſpectu illorum, quæ poſt Pium V. fuere conceſſa, quia antecedentia tranſierunt per ipſum in privilegia bullata, quæ proinde revocata non ſunt, ut docet Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 10. *c.* 10. *num.* 76. cum Peyrino *tom.* 3. *privileg. cap.* 12. *ad Conſtitut.* 18. *Urbani VIII. num.* 1., & *tom.* 2. *Conſtitut.* 1. *Gregorii XIII.*, ubi referunt aliam Bullam Gregorii XIII., qua omnia vivæ vocis oracula ante ipſum conceſſa confirmavit.

VI. Secundo probatur hoc privilegium ad totum officium extendi quoad privatam recitationem, ex illis ultimis verbis: *Et quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus dicit officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipue, ut ab aliis intelligatur*; ubi id, quod conceſſum fuerat pro recitatione publica, & Miſſa in his, quæ ſecreto dicenda erant, extenditur quoad totum ad privatam recitationem ob rationem illam, *quia prolatio verbalis &c.* Nam cum nil in privata recitatione dicatur, ut ab aliis intelligi poſſit, fit inde, quod totum poſſit dici mentaliter ex vi hujus indulti, ſicut ex vi illius dici poſſunt eodem modo in publica recitatione, quæ ab aliis intelligi non eſt neceſſarium.

VII. Per

VII. Per hæc manent duo prima contraria argumenta ſoluta. Tertium autem adeo probat, ut nihil probet; probat enim hoc indultum non potuiſſe concedi a Pontifice, manente obligatione recitationis, quod eſt falſum, cum de facto conceſſum fuerit a Leone X., & vim habuiſſe, & habere ante revocationem oraculorum vivæ vocis nullus ambigit. Dicimus ergo, quod licet Eccleſia non poſſit ſolum internum actum præcipere, poteſt tamen committere arbitrio recitantis optionem, ut vel externe recitet, & ſi hoc noluerit, commutet in internam recitationem, & quod ſi hanc ſubroget loco illius auctoritate a Pontifice conceſſa, ſub eadem obligatione eam adimplere teneatur.

VIII. Poſſe autem modo Regulares uti dicto privilegio mentaliter recitandi totum officium divinum, tenent Henriquez *de Miſſa lib. 9. capit.* 31., Martinus a S. Joſeph *de Orat. lib. 2. tract. 4. num.* 16., Sorbo Cappuccin. *in Compendio verbo officium divinum num.* 1. §. 8., Navarrus *de Orat. c.* 19. *n.* 88., Sanctorus *in Comment. Conſtitut. Minorum ſtatuto 2. dub.* 3., Joannes a Cruce *lib. 2. de ſtatu Religioſa cap.* 8. *num.* 2., Villab. *tom. 1. tract. 24. diff.* 10. *num.* 11., Thomas Hurtado *tom. 1. tr. 3. cap. 1. reſol.* 9., Thomas Tamburinus *de Sacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 9.* §. 3., Leander a Sanctiſſimo Sacramento *tract. 6. diſp. 12. q.* 19., Rodericus *Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 42. art.* 4., aliique.

IX. Secundum privilegium eſt Clementis VII., quod extat in Bullario *tom. 1. Conſtit. Clem. VII. in ordine* 8., conceſſum Clericis S. Sylveſtri, quos Theatinos vocant, ut nimirum Fratres prædicationi verbi Dei, audientiæ confeſſionum, lectioni Sacræ Theologiæ, vel ſacrorum Canonum, aut ſtudio, inſiſtentes, vel ſaluti animarum, aut infirmorum ſervitio occupati, diſpenſari poſſint a ſuis Superioribus ſuper recitatione divinorum officiorum, *ad hoc ut ipſi occupati, vel impediti certum Pſalmorum per ipſos Superiores eis aſſignandum numerum non minus ſeptem, aut ſex cum diviſione, ac orationem dominicam ſepties, Symbolum Apoſtolorum bis: graviter autem ægrotantes orationem dominicam ſemel, & ſalutationem angelicam ſepties in die recitando ſeptem horis canonicis, & toti divino officio ſatisfeciſſe cenſentur.* Hoc privilegium referunt, & approbant, poſſeque eo tuta conſcientia uti Superiores, docent Emmanuel Rodericus *Quæſt. Regul. tom. 1. quæſt. 42. art.* 5., Hieronymus Rodriquez *in Compendio quæſt. Regul. reſol.* 24. *num.* 6., Tamburinus *de jure Abbatum tom. 1. diſput.* 10. *quæſt.* 1. *num.* 8., Lezana *tom. 1. cap. 12. num.* 31., Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 3. cap. 1. reſol.* 8., Martinus a S. Joſeph *lib. 2. de orat. tract. 4. num.* 6., Pellizzar. *tract.* 5. *cap. 8. num.* 125., Paſqualigus *tom. 2. quæſt.* 196. *numer.* 4., Corduba *Horæ canon, in annotationibus*, Bruno Caſayg. *in Privileg. Regul. 2. p. tract. 8. cap. 3. propoſ. verſu 2. Leo X.*, Perſicus *tract. de divino officio cap. 13. num.* 14., aliique. Hoc autem privilegium ex Paſqualigo extendendum eſſe putant Salmanticenſes *Theolog. moral. tom. 4. tract. 16. cap. 3. num.* 57., etiam ad Lectores caſuum conſcientiæ, ac ad eos, qui ſcribunt libros edendos, modo ſint de rebus ſacris.

X. Notandum eſt, hoc privilegium (idemque proportione ſervata tenendum eſt pro aliis referendis) quoad occupatos in ſtudiis, & piis operibus, non eſſe reſtringendum ad caſum, in quo occupatio ſit talis, ac tanta, ut de ſe excuſet a recitatione horarum, & ſic eſſe intelligendum, quando occupationes dictæ non ſunt nimis urgentes, & ex ſe ſufficientes ad excuſandum a recitatione. Tum quia privilegium ut non ſit inutile, debet aliquid operari, ultra id, quod conceditur jure communi. Tum etiam quia diſpenſatio non habet locum, ubi in caſu particulari lex deſinit obligare. Pellizzar. *num.* 126., Paſqual. *num.* 4., Antonius a Spiritu Sancto *tract. 2. diſp. 2. n.* 156.

XI. Tertium privilegium eſt, quod conceſſit Eugenius IV. Monachis S. Benedicti Hiſpaniæ, & refertur in Compendio privilegiorum hujus Ordinis, illudque referunt Lezana *tom. 1. cap.* 12. *num.* 28. Tambur. *tom. 2. lib. 10. quæſt. 12. num.* 5. Miranda *in Manuali tom. 1. quæſt. 37. art.* 6., & alii, concedens, ut quilibet Abbas, Prior, ſive Prælatus quorumlibet Monaſteriorum, libere poſſint diſpenſare cum omnibus Monachis præſentibus, & futuris, *qui ſine tædio non poſſunt dicere horas canonicas, & quod tempore infirmitatis, & poſtquam convaluerint, loco horarum, aut officiorum, ad quæ alias tenebantur, dicant aliquod certum ad arbitrium ipſorum Miniſtrorum, & non teneantur ad illud officium canonicum, & quod cum ipſis Prælatis quilibet presbyter Monachus per quemvis eorum eligendus diſpenſare poſſit.* Quod privilegium extendit poſtea Martinus V. per aliud ab ipſo conceſſum Fratribus D. Hieronymi, ut refertur in Compendio privilegiorum Mendicantium *verbo Infirmi fratres num.* 11., *&* 12. Ubi dicitur, *Dum fuerint infirmi, & etiam ſenes, & valetudinarii, qui tenentur ad horas canonicas, ſatisfaciunt recitando aliquas, vel id, quod ſuis Confeſſoribus viſum fuerit.* Quæ privilegia tametſi fuerint vivæ vocis oracula, revocata non ſunt. Tum quia, ut dicebamus ſupra, per confirmationem tranſierunt in bullata; tum etiam quia, ut inquit Bordonus *reſol.* 30. *num.* 33., *&* 31. *num.* 2., quem refert, & ſequi videtur Pellizzar. *tract. 5. cap. 8. num.* 127. per generalem revocationem vivæ vocis oraculorum, ſolum extincta ſunt vivæ vocis oracula, quæ alteri erant præjudicabilia, quod non habent illa, de quibus loquimur, & ideo illa vim habere, ſupponunt Tamburinus *loc. cit.*, Martinus a S. Joſeph *lib. 1. tr. 4. num.* 5., Emmanuel Rodericus *tom. 1. quæſt. 42. art.* 7.

XII. Quartum privilegium conceſſit Leo X. Fratribus Minoribus, ut refert Rodericus art. 5. *Ut poſſint officia feriarum quæ ſunt prolixiora, anticipare diebus, quibus ſunt otioſi, & officia feſtiva, quæ ſunt breviora, reſervare in illos dies, quibus credunt ſe eſſe occupatos concionibus, & confeſſionibus audiendis.* Et ad uſum hujus privilegii non requiritur, ut diximus, tanta neceſſitas, ut ſufficiat ad omittendas horas ratione occupationis ſupervenientis, ſed ſufficit ſola major commoditas, facilitas, & utilitas ſtudii, prædicationis, & cujuſvis miniſterii. Etſi autem hoc privilegium ſit forſitan vivæ vocis oraculo conceſſum, non eſt revocatum propter ſuperius dicta; quare de hoc privilegio ut modo perſiſtenti loquuntur Rodericus *loc. cit.*, Pellizz. *num.* 121., Tamburinus *tom. 2. diſp. 10. quæſt.* 8., Antonius a Spiritu Sancto *tract. 2. diſp. 2. num.* 153. *&c.*

XIII. Quæres, an hoc privilegium ſit revocatum per Bullam Pii V. Breviario Romano præfixam? Reſpondet Miranda *tom. 1. Manual. quæſt. 37. art.* 19. non eſſe revocatum, *quia Pius V. tollit libertatem recitandi per aliud Breviarium, quam ſupradictum, & aliter recitandi officium divinum, revocando omnia privilegia in contrarium, quando tolleretur uſus Breviarii ſupradicti, non tamen quod aliquando, interveniente aliqua juſta, & legitima cauſa, in aliquo caſu, vel caſibus, recitari non poſſit ad modum contentum in privilegio ſupradicto.*

XIV. Quintum conceſſit Leo X. etiam vivæ vocis oraculo Minoribus, ut refertur in Compendio Sorbi *verbo officium divinum* 1. §. 8. Quod recitantes cum male pronunciantibus, aut ſenibus, qui ita pronunciant, ut plura non intelligantur, vel non audiunt recte, quæ ab alio dicuntur, ſive propter diſtantiam loci, ſive propter ſtrepitum, ſive propter quamcumque aliam cauſam, vel occaſionem, ut non teneantur repetere, quæ non intellexerunt, ſed quod quomodolibet audiant, ſuæ obligationi ſatisfaciant, & hoc maxime in choro. Joannes a Cruce *lib. 2. cap. 8. dub. 2. concl.* 2., Antonius a Spiritu Sancto *num.* 159., Martinus a S. Joſeph *tract. 8. num.* 4., Et Innocentius VIII. conceſſit Minoribus, ut non valentes bene recitare in choro ob defectum viſus, vel auditus, ſi quid horarum ſic omittant, ſatisfaciant dicendo in fine horarum aliquem Pſalmum, vel Pater noſter, & Ave Maria, ut teſtatur Joannes a Cruce *lib. 2. cap. 9. dub. 2. concluſ.* 2. Ac denique Leo X. conceſſit eiſdem Minoribus, ut habetur in Compendio eorum *conceſ.* 16., *&* 17. Ut ſatisfaciant divino officio, etiamſi recitent ſedendo, ambulando, vel non integ. verba proferendo, vel ob negligentiam, imperitiam, aut defectum linguæ, vel alio modo, ita ut quomodolibet recitant, etiam male pronunciando, vel cum animi diſtractione, dummodo id non fiat ex malitia, ideſt cum plena advertentia, non teneantur quidquam repetere. Martinus a S. Joſeph *lib. 2. de Orat. tract.* 8. *num.* 4. Hæc privilegia, etſi per vivæ vocis oracula conceſſa ſint, adhuc ſubſiſtunt, quia ut ſupra reddita ſunt bullata. Iiſdem vero tantas adhibent limitationes nonnulli Auctores, ut plene illa reducant ad jus commune; quia vero privilegium non debet eſſe inutile, tu tamquam indubia tene, quæ modo adjicio. Primo, ut ſedendo, & ambulando etiam dici poſſint, quæ flexis genibus recitari jubentur. 2. Ut ſub pœna peccati venialis obligatio non ſit repetendi partem non notabilem, quæ omiſſa ſit degluciendo, corrumpendo, vel ſyncopando verba, ſyllabas, vel litteras, ſecus vero forſitan, ſi pars omiſſa ſit notabilis. 3. Excuſari a peccato, etiam veniali, eum qui partem non notabilem officii omittit ratione præfatæ deglutionis, corruptionis, vel ſyncopationis, alias enim privilegium nihil concederet ultra jus commune. Conceſſit item Innoc. IV., ut Minores extra Conventum queant cum Religioſis alterius Inſtituti per eorum Breviaria officium perſolvere, & oneri ſatisfacere. Sed de hoc in Decr. I. Cap. de Breviario Romano.

XV. Sextum eſt, quod conceſſit Clemens VIII. teſte Caſarubio in Compendio *verbo Moniales num.* 30., & in Compendio privilegiorum Minorum *eodem verbo* §. 3., vivæ vocis oraculo, ſed adhuc ſubſiſtens propter rationem ſuperius allertam, nimirum ut Moniales ad chorum deputatæ, ſi ob eorum imperitiam neſciant perfecte recitare, judicio Prælati, Confeſſarii, aut Abbatiſſæ, poſſint ſatisfacere dicendo *Pater noſter*, & *Ave Maria*, quas Sorores Laicæ ex vi Regulæ, vel Conſtitutionum tenentur dicere. Prodeſſe autem poterit hoc privilegium, ut Monialis Novitia, quæ ſub finem novitiatus minus ſufficienter reperitur inſtructa circa recitationem, poſſit modo dicto diſpenſari, ut recitet officium Laicarum, uſquedum ſciat bene recitare Horas Canonicas, ne ulterius hac de cauſa differatur ei profeſſio religioſa. Idem dic de Religioſis viris.

XVI. Septimum privilegium, quod eſt bullatum, Monialibus S. Claræ conceſſit Innoc. IV., aliis vi communicationis competens. Ut quoties ob rationabilem occaſionem non poſſint dicere Horas Canonicas, ſatisfaciant officium Laicarum recitando. Verba Bullæ ſunt iſta: *Et quæ occaſione rationabili, non poſſunt aliquando, legendo, dicere horas ſuas, liceat eis ſicut aliæ Sorores, dicere Pater noſter.* Ubi tria notanda ſunt cum Pellizzario *tom. 1. tract. 5. cap. 8. num.* 129., *& to. 2. tr. 10. cap. 6. num.* 16. Primum eſt quod cum in Bulla dicatur, *Liceat eis ſicut aliæ Sorores dicere &c.*, nulla mentione facta conſilii, licentiæ, aut judicii Abbatiſſæ, Superioris, vel Confeſſarii, quod poſſunt tali uti privilegio propria auctoritate, non petita licentia Superioris, aut conſilio Confeſſarii, quamvis melius erit, id facere. Secundum quando in tali Bulla dicitur *occaſione rationabili*, poſſunt uti hoc privilegio etiam in caſu, quo Horarum Canonicarum recitatio ab eis perſolvi poſſet ſine gravi difficultate; Si enim abſque gravi difficultate, vel recitatione occupationis, indiſpoſitionis, aut alte-

ſius impedimenti illud non poſſent recitare, ex jure communi a tali obligatione manerent immunes: ſufficit ergo occaſio, vel cauſa rationabilis, qualis cenſetur adeſſe, ſi Monialis ſit ſcrupuloſa circa recitationem officii divini, ſi minus expedite ſciat legere ex Breviario, ſi ſit fatigata ex aliquo extraordinario labore, ſi præ manibus habeat aliquam extraordinariam occupationem, quæ illam defatiget, vel angat, & ſimiles. Tertium quod dictum privilegium per viam communicationis ſuffragatur Religioſis, quorumcumque Ordinum habentium communicationem privilegiorum. Nam ſecundum communem ſententiam & Moniales fruuntur privilegiis Fratribus conceſſis, & Fratres conceſſis in ſpecie Monialibus, ut diximus in Præliminaribus hujus Capitis.

XVII. Quare etiam Religioſi poterunt modo dicto, rationabili cauſa interveniente, officium canonicum in *Pater noſter* Laicorum commutare; & rationabilis cauſa in eis judicatur vel aliqua ex dictis, vel ſi actum extraordinarium litterarum habituri ſunt, ſi concionentur in Quadrageſima, vel alio tempore (etſi non quotidie) cum labore non ordinario: ſi confluat magna frequentia pœnitentium ad confitendum, ſi ſint ex itinere laxati, aut concione, aut alia ſimili de cauſa, vel ſi ſint convaleſcentes, ita ut ſine gravi incommodo poſſint recitare Horas Canonicas. Et ſimilibus cauſis.

XVIII. Adſunt etiam nonuulla alia privilegia circa divinum officium Regularibus, & Monialibus conceſſa, ſed quia vel ea revocata ſunt, vel nihil concedunt, ſi bene perpendantur, ultra jus commune, ideo ab eorumdem recenſione abſtinendum eſſe duximus.

XIX. Quæres, an iſtis privilegiis circa rationem officii divini, frui etiam poſſint Moniales, quæ non ſunt ſub cura Fratrum, ſed Ordinariorum?

XX. ℞. Affirmative, & quidem hoc ſatis conſtat ex dictis in præliminaribus Capitis. Accedit quod in tranſlatione earumdem ſub cura Ordinariorum nullam ipſæ culpam commiſerunt, ſed ſummo Pontifici obedientiam præſtaverunt, ergo cenſeri debent translatæ cum omnibus privilegiis, & gratiis, quibus prius gaudebant. Idem dicendum venit de Monaſteriis, quæ ſub cura Ordinariorum de novo eriguntur; æquum enim eſt, ut gaudeant iiſdem privilegiis, quibus gaudent ea, quæ ſub cura Regularium ſunt, unde Summus Pontifex dum confirmat aliquod Monaſterium ſecundum Regulam, & Conſtitutiones alicujus Religionis approbatæ, cenſetur iſti concedere omnia privilegia ejuſdem Ordinis, quoniam quæ ſentiunt onera, debent ſentire & commoda.

C A P U T O C T A V U M.

De Regularibus quoad Feſta locorum.

I. QUÆ de Regularibus jura diſponunt, ſi ſexui, & conditioni congruant, & de Monialibus diſpoſita eſſe, non eſt, qui refragetur. De Monialibus vero, nedum quæ Prælatis Regularibus obediunt, verum & de iis, quæ ſub regimine Ordinariorum ſunt conſtitutæ, niſi aliter expreſſe cautum ſit. De his alibi non ſemel egimus, & præſertim in præliminaribus præcedentis Capitis, & infra debet ſermo redire. Cum itaque non minus Regularibus viris, quam fœminis illarum Religionum, quæ choro addictæ ſunt, divini officii onus incumbat; certum redditur, quod quæ univerſim de Regularibus circa divinum officium diſpoſita ſunt, non minus de Monialibus choro addictis debent cenſeri diſpoſita.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXXVIII.

Regulares non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem officii Patroni principalis loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorumdem octavas celebrandas non tenentur. S. R. C. 20. Martii 1683. *In una Ordinis Minor. Obſeru.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 135.

I. OFficia, quæ particularibus Civitatibus, Diœceſibus, aut locis quandoque indulgentur, cum triplici vidi expreſſione regulariter concedi. Aliqua conceſſa reperiuntur *pro Clero Sæculari, & Regulari*. Alia *pro Clero Sæculari tantum*. Alia indefinite *pro univerſo Clero*, aut *pro Clero*, puta, *Bergomenſi*. Vidi & alias conceſſionum officiorum expreſſiones, ſed omnes ad aliquam ex adductis reducuntur, & nonniſi ab iiſdem quoad materiales terminos diſcriminantur, ut conſideranti quælibet officiorum Indulta manifeſtum fiet.

II. Quæ primo modo, videlicet *pro Clero Sæculari, & Regulari*, reperiuntur conceſſa, nec dubium eſſe poteſt, quod a Regularibus ibi degentibus valeant recitari, ad libitum quidem, ſi pro tali loco *ad libitum* tantummodo ſunt recitari indulta, ut decrevit S. R. C. 13. Junii 1682. & *de præcepto*, ſi ibidem *de præcepto* recitari debere cantet conceſſio, quemadmodum eruitur ex altero Decreto ejuſdem Congregationis 20. Martii 1683., de quibus Decretis inferius, & alibi agitur; & ſic *ex privilegio*, ſi per verba mere facultativa Decretum conceſſionis adſit expreſſum. Aſt ſuper hoc pudet ulteriora addere, quoniam conceſſio ipſa, dum *Regulares* expreſſe includit, diſceptandi locum nequaquam relinquit.

III. Quæ vero ſecundo modo, ſcilicet *pro Clero Sæculari tantum*, indulta noſcuntur, a Regularibus non poſſe celebrari, Sole clarius evadit, quia particula illa *Tantum*, quæ *ex l. qui aliena §. libertas, ff. de negot. geſtis &c.* includit expreſſum, & reliqua excludit, a Clero dumtaxat Sæculari, pro quo ſunt conceſſa, poſſe denotat recitari. Idipſum dici debet, etſi indultum taxativam, ac limitativam particulam illam *Tantum* non habeat, ſed cantet verb. gr. *Clero Sæculari Brixienſi* celebrandum indulſit; hoc ipſo enim ly *Clerus*, qui veluti genus eſt ſub ſe continens Sæcularem, & Regularem, per ly *Sæculari* contrahitur, & qui indifferens erat ad utromque Clerum ſignificandum, & ſumptus in ſua univerſalitate utrumque revera comprehendebat, ad *Sæcularem* dumtaxat denotandum determinatur, inſtar hujus nominis verb. gr. *Animal*, quod genus itidem eſt ſub ſe habens rationale, & irrationale, & in ſua ſi ſumatur univerſalitate, utrumque ſignificat; aſt ſi ei addatur una ex ſuis differentiis, & dicatur verb. gr. *Animal rationale*, hoc ipſo in ſua ſignificatione reſtringitur, & ad denotandam unam dumtaxat ex ſuis ſpeciebus limitatur.

IV. Quæ vero tertio modo conceſſa ſunt indefinite, videlicet *Pro univerſo Clero*, aut *pro Clero talis Civitatis, aut loci*, nulla facta expreſſione Sæcularis, aut Regularis, etiam a Clero Regulari talis Civitatis, aut loci, non videmus, cur recitari non valeant; ut enim modo dicebamus, Clerus genus quoddam eſt ſub ſe continens Sæcularem, & Regularem; unde ſi in ſua ſignificatione per differentiam aliquam non limitetur, utrumque Clerum comprehendit, & maxime in favorabilibus, in quibus *ex l. cum quidam ff. de liber. & poſthum.* reſtringendum non eſt, ſed ampliandum; hinc nomine Cleri in favorabilibus venire Regulares, etiam debilis ſexus, & Novitios docent Bellaſius *Prompt. Regul. v. Clericus num. 1.* Sylveſter *v. Clericus*, Bonacina *de præcept. Decalog. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 1. §. 2. num. 4.*, aliique communiter.

V. Confirmatur 1. nam indulta officiorum, quæ vel pro Eccleſia univerſali, vel pro aliquo Dominio, aut Civitate promanant, his terminis regulariter videntur expreſſa: *Ab univerſo Clero Sæculari, & Regulari utriuſque ſexus præfati Dominii celebrari poſſe cenſuit.* Vel *ab utroque Clero Sæculari, & Regulari utriuſque ſexus univerſalis Eccleſiæ recitari mandavit*. Quis igitur adhuc ambigere unquam poteſt, nomine *Cleri* non venire etiam Regulares, utriuſque ſexus, atque adeo Regulares Eccleſiæ univerſalis non ſpectare ad Clerum Eccleſiæ univerſalis, Regulares alicujus Dominii ad Clerum ejuſdem Dominii &c. cum a Summis Pontificibus, ac Sacra Congregatione per *Clerum* paſſim deſignentur?

VI. Confirmatur 2. Nam quando Summi Pontifices concedunt officium aliquod pro Clero dumtaxat Sæculari alicujus loci, id aſſolent in ſuis conceſſionibus denotare; unde Benedictus XIII. volens conſecrationem Baſilicæ Lateranenſis ab univerſo Clero Sæculari tantum Almæ Urbis ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava quotannis celebrari, his terminis *Ab univerſo Almæ Urbis Clero Sæculari tantum* ſuam intentionem expreſſit, ut conſtat ex Decreto XXV. Capit. I. Idipſum moderne factum legimus in conceſſione officii S. Gabrielis Archangeli pro Civitate Venetiarum. Manifeſtum igitur eſt, quod *Cleri* appellatione veniunt etiam Regulares, ac conſequenter quod quoties officium aliquod *Univerſo Clero*, vel *Clero* indefinite alicujus loci conceditur, etiam Clero Regulari cenſetur conceſſum.

VII. Adſunt vero aliqua officia *ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, vel univerſalis Eccleſiæ, vel particularium locorum* recitari conceſſa; & hujuſmodi officia etiam a Clero Regulari celebrari poſſe non crederem a quopiam poſſe dubitatum iri. Adſunt alia cum hac expreſſione: *Ab omnibus Eccleſiaſticis Civitatis N. qui ad horas canonicas tenentur, celebrari poſſe annuit;* & hæc ſimiliter per Clerum Regularem perſolvi poſſe quis inficiabitur? Nec deſunt alia *in toto Dominio* verb. gr. *Veneto* recitari conceſſa; & cum Clerus Regularis degens in eo Dominio, ſit portio talis Dominii, ab eorumdem celebratione quomodo repelletur? Demum ad examen advoca quæcumque hujuſmodi officiorum indulta, & non dubito, quod mihi rationem facies, videlicet Regulares a dictorum officiorum recitatione minime excludi, ſi in indultis ipſis vel explicite, vel implicite non ſint excepti.

VIII. Adſunt tamen aliqua, haud inficior, Sanctorum officia, de quibus dubitari utique licet, num a Regularibus Diœceſum valeant recitari, cujuſmodi ſunt ea, quæ præcedenter ad Bullam Pii V. per auctoritatem Epiſcoporum, vel conſuetudinem in Kalendario proprio invecta fuerunt, & poſt eam retenta; necnon ea, quæ licet poſt Bullam Pii V. per particulares conceſſiones indulta ſint, adhuc tamen non conſtat, num pro Clero Sæculari tantum, an vero etiam pro Clero Regulari fuerint conceſſa. Verum cum fere omnia Sanctorum officia, de quibus in Diœceſibus recitatur, pro univerſo earumdem Clero invecta ſint, aut conceſſa, & admodum rariora ſint, quæ cum exceptione Cleri Regularis, vel pro Clero ſolum Sæculari in Kalendario fuerint introducta, & aliunde valde congruum, ac laudabile ſit, ut ſtatim dicemus, quod & Clerus Regularis de iiſdem recitet, ab eorumdem recitatione iſte minime eſt repellendus; a privilegiis enim, & favoribus locorum nullus accola jure præſumi poteſt excluſus, niſi conſtet de ejuſdem expulſione, præſertum ſi ejus ſit conditionis, ut ab omnibus participari ratio dictet, atque conveniat.

IX. Regulares itaque poſſe officia recitare de feſtivitatibus Sanctorum, de quibus in Diœceſi, in qua degunt, recitatur, dummodo ea non ſint cum clauſula *Pro Clero Sæculari tantum*, vel alia ſimili conceſſa, communis eſt ſententia Doctorum, inter quos Salmanticenſes *tom. 4. Theol. mor. tr. 16. num. 39.*,

Palaus

Palaus *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 9., Ceſpedes *de exempt. Regul. dub.* 369. *n.* 1., Trullench *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 13. *n.* 7., Euſtachius a S. Ubaldo *de Dei Benedict. obſerv.* 9. *ſect.* 5., Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 10. *quaeſt.* 8. *n.* 6., Peyrinus *in conſt.* 28. *Leonis X. n.* 6., Gobat. *tr.* 4. *caſu* 3. *ſect.* 1. *n.* 79., Bordonus *reſol.* 30. *n.* 19. *&c.*

X. Nec congrua deſideratur ratio, cum enim Sancti, qui in Diœceſibus particularibus ſolent celebrari, ut plurimum ſint vel fidei anteſignani, qui ſcilicet fundatis Eccleſiis fidem Chriſti in eas primitus invexerunt, aut deinceps eximie promoverunt, vel Epiſcopi, Martyres, aut Confeſſores, qui eamdem fidem vel defenderunt, vel propriis virtutibus illuſtrarunt, ac in populorum corda egregiis exemplis altius infigerunt; aut Sancti alii, qui ortu, vel exitu ab hac luce, vel inſigni commoratione ea loca decorarunt, ſeu a funeſtis diſcriminibus ſua protectione ſervaverunt, vel ibi inſignibus miraculis, vel ſuarum advectione Reliquiarum, aut communi Populi devotione illuſtres redditi ſunt; profecto non convenit, ut dum totus Clerus Sæcularis, & forſan etiam Populus eorumdem celebrationi incumbit, ſolus Clerus Regularis, qui talium locorum inſignis portio quoque eſt, in præfatorum Sanctorum laudibus taceat; monſtruoſa ſiquidem, aut ſaltem minus apta eſt illa pars, quæ ſuo non correſpondet toti.

XI. Oppones 1. Conſuetudinem Regularium Ordinum non celebrandi de hujuſmodi Sanctis; cum autem conſuetudo ſit optima legum interpres, ſignum eſt præfata officia ad ipſos minime extendi.

XII. ℞. Opponendo communiorem Religionum uſum recitandi de officiis Diœceſum; unde ſi quid ex conſuetudine præfata inferri licet, magis deducitur licitam, quam illicitam eſſe prædictorum officiorum apud Regulares Ordines recitationem. Ceterum ſi qui ex Ordinibus Regularibus de memoratis Sanctis non recitant, ſunt ii, qui Sanctis indigenis, ac propriis Religionum multum abundant; unde ne in Sanctorum magis propriorum celebratione impediantur, a celebratione Diœceſanorum appoſite deſtiterunt. Qui autem non tanta officiorum propriorum copia onerati ſunt, non minus congrue Diœceſanorum recitationi communiter incumbunt, quinimmo horum recitationem generaliter Conſtitutiones Ordinum vel laudant, vel præcipiunt, & ſi quid aliter factum, vel diſpoſitum fuit, memorata unica de cauſa novimur eſſe factum, atque diſpoſitum.

XIII. Oppones 2. In conceſſione officiorum, quæ etiam Clero Regulari indulgentur, ſemper eumdem nominari, quapropter hujuſmodi officiorum Indulta his terminis, *univerſo Clero Sæculari, & Regulari*, reperiuntur munita, ergo cum Clerus Regularis expreſſus non eſt, haud in iiſdem cenſeri debet comprehenſus.

XIV. ℞. Quod etiam dum officia conceduntur Clero Sæculari, hic aſſolet nominari; unde ut plurimum in conceſſionibus habetur *Clero Sæculari, & Regulari*, vel ſi conceſſio eſt pro ſolo Clero Sæculari, *Clero Sæculari tantum*, vel ſimpliciter *Clero Sæculari*: Quemadmodum igitur etſi in memoratis conceſſionibus Clerus Sæcularis explicite expreſſus non ſit, adhuc cenſetur comprehenſus, quia in eiſdem expreſſus eſt *Clerus*, cujus ipſe una pars eſt, ita eadem de cauſa etſi expreſſus non ſit Clerus Regularis, adhuc intelligetur incluſus, quia *Clerus* etiam Regulares complectitur, ut ſuperius dicebamus.

XV. Oppones 3. Clericorum appellatione non comprehenduntur Monachi *cap.* 1. *de juram. calumn. can. accuſatoribus* 3. *quaeſt.* 5., *& capit.* 1. *ne Clerici, vel Monachi*, ergo officia conceſſa *Clero* abſolute, poterunt quidem a Clero Sæculari, non autem a Monachis, vel Regularibus recitari.

XVI. ℞. Quod licet id ſit verum in odioſis, non tamen in favorabilibus, ut dicebamus ſuperius plurimis allegatis Auctoribus. Quinimmo etiam quoad odioſa aliquando Clerici nomine veniunt Regulares; unde ſuſpenſio lata generaliter in Clericos, ſi ſit ab habente auctoritatem ſupra Regulares, hos etiam comprehendit, Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 28. *ſect.* 2. *n.* 8., *&* 9., Comex. *tom.* 2. *in* 3. *par. tract.* 5. *de ſuſpenſ. diſ.* 3. *dub.* 1., Bellaſius *Prompt. Regul. verb. Clericus n.* 1. *&c.*, hic autem ſumus in mere gratioſis, ac favorabilibus, unde dubium eſſe non poteſt, quod Regulates comprehendantur.

XVII. Oppones 3. Deciſionem quamdam Congregationis Concilii, quam in terminis adducemus in Cap. de diebus feſtivis; in ea autem diſponitur, quod Regularium ritus ſemper maneat quoad Miſſas, & divina officia tam publice, quam privatim perſolvenda in feſtis diebus, quos Epiſcopus in ſua Diœceſi ſervandos præceperit, & ſolum debere Regulares ſe conformare in Evangelio, vel Epiſtolis, quibus utitur dictis diebus Clerus Sæcularis, quoad conciones, & lectiones habendas ad populum.

XVIII. ℞. Ex Gobat *Theol. exper. tract.* 3. *caſu* 20. *n.* 696., quod quamvis Sacra illa Congregatio dicat, *Regularium ritus ſemper maneat*, ſenſus tamen eſt, *manere poſſit*; ſic enim declaravit ipſamet Congregatio, quæ apud Joannem Gallemart. *in cap.* 12. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* Tridentinæ Synodi ſic loquitur: *Dies feſti, quos Clerus, & Populus ex more, & inſtituto alicujus Eccleſiæ obſervant, Regulares etiam eorumdem ritu tales dies feſtos obſervent, licet ex obſervatione dictorum feſtorum ritus prædictorum in ſuis officiis obſervandis intactus manere poſſit.* Magis igitur ex præfata Declaratione Congregationis Concilii eruitur Regulares recitare poſſe, quam non poſſe officia Diœceſum. Verum ſuper adducta declaratione potiora vide in Capite de Diebus feſtivis.

XIX. Remanet modo, videamus, qualiter intelligendum ſit præſens Decretum, dum *Regulares non poſſe uti Kalendario Diœceſano* indicit. Duplex igitur ſenſus eſſe poteſt, videlicet Regulares uti non poſſe Kalendario Diœceſano, poſthabito proprio, cui ſunt adſtricti; vel eatenus eo uti non poſſe, quatenus Kalendarium Diœceſanum plura continet Sanctorum officia, quæ Regulares celebrare non poſſunt; cum enim Kalendaria Diœceſana pro Cleri Sæcularis dumtaxat directione formentur, complectantur etiam Feſta, ſi quæ ſunt a ſolo Clero Sæculari recitari conceſſa, necnon octavas Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, & Patroni Principalis loci, ſignatque Feſtum ipſum Dedicationis præfatæ Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis; quæ omnia a Clero Regulari in uſum deduci minime poſſunt.

XX. Subdit vero Decretum, quod *Regulares tenentur ad recitationem officii Patroni Principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorumdem octavas non tenentur.* De obligatione Regularium ad officium Patroni Principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis jam fuſe actum eſt in Cap. III., ubi vidimus prædictam obligationem etiam ſe extendere ad officium Patroni principalis Regni, vel Provinciæ, non autem Parochiæ, in qua eorumdem Domus, ſive Monaſteria ſita reperiuntur. Regulares item adſtringuntur ad officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici 2. claſſis, qui degunt in Civitate, non autem degentes extra Civitatem, etſi & hi id poſſint. Ad nullas horum feſtorum octavas tenentur, ita quod ly *non teneri* excludat etiam *libitum*, ut in eodem Cap., & in Cap. I. dictum eſt. An, & quoties teneantur ad officia Diœceſana de præcepto quoad forum, agitur in Cap. de diebus feſtivis, & in Decreto ſequenti conſtabit de eorumdem obligatione ad feſta ad petitionem Regum, & Principum recitari conceſſa in Regnis, Provinciis &c. Cum itaque Decretum meminit de ſola obligatione Regularium ad officium Patroni Principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, non loquitur taxative, & limitative, ita quod ad hæc officia teneantur, & ad nulla alia, ſed pure aſſertive, ſcilicet aſſerendo prædictam obligationem, & nihil negando circa eorumdem obligationem, necne ad aliqua alia Diœceſana officia.

XXI. Dices: Modus loquendi Sanctionis eſt excluſivus: habet enim, *Tenentur tamen ad officium Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis*, per quæ verba indicatur obligatio erga officia Diœceſana, ad quorum recitationem nec teneri, nec poſſe incumbere, ea verba, *Non poſſunt uti Kalendario Diœceſano*, ſtabiliverant; dictio enim illa *Tamen* eſt limitativa, reſtrictiva, ſeu exceptiva ſuperiorum, ut advertit Barboſa *dict.* 401.

XXII. ℞. Ita quidem fore, ſi modus loquendi, quem tenet Decretum, abſolute, & ſimpliciter attendi deberet, dictio enim *Tamen* eſt exceptiva ſuperiorum, & adverſativa præcedentibus, & adverſativa diverſificans unum caſum ab alio, & includens quod terminat, & omne aliud excludens, quemadmodum egregie advertunt Juriſconſulti, quapropter ſi præfatus loquendi modus abſolute, & ſimpliciter attendi deberet, utique ſenſum redderet, quod Regulares tenentur ad officia de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, non autem ad aliqua alia Diœceſana, quinimmo quod de his nec recitare poſſent, utpote quia dictio illa *Tamen* eſt exceptiva officiorum, de quibus præcedenter Regulares non poſſe recitare, ſtabilitum extiterat. Verum quoniam in iis, quæ relativa ſunt, non ita procedi debet, ſed eorumdem intelligentia pendet ab iis, ad quæ relationem, ac reſpectum dicunt, idcirco etſi Decretorum, quæ abſoluta ſunt, & in nullius propoſiti dubii ſolutionem emanata, verba abſolute, & ſimpliciter intelligi debeant, ac juxta communiorem eorumdem acceptionem, ac veriorem ſenſum, quem præſeferre videntur, attamen Decreta, quæ relativa ſunt, ſeu quæ ſunt ſolutiones propoſitorum dubiorum, cujuſmodi eſt præſens Decretum, nonniſi habito reſpectu ad petitionem exhibitam, rite, & recte intelligi valent. Cum itaque ab Ordine Minorum Obſervantium ſupplicatum fuerit declarari, num *Regulares poſſent uti Kalendario Diœceſano, & tenerentur ad feſta, ac octavas de Patrono principali loci, ac de Titulari Eccleſiæ Cathedralis*; duobus hiſce dubiis optime Sacra Congregatio ſatisfecit dicendo, quod *Non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, ſed tamen tenentur ad officia, non tamen ad octavas, ſive de Patrono principali loci, ſive de Titulari Eccleſiæ Cathedralis*, abſque eo quod ly *Tamen* ſumi poſſit, ac debeat limitative, excluſive, ac exceptive, & adverſative, ita ut ſenſum reddat, quod ad dicta duo officia Diœceſana tantummodo teneantur, & ad nulla alia; reſponſio enim debet convenire interrogationi, Menoch. *Conſ.* 47. *n.* 1., *&* 13., & ſecundum eam intelligi, ex eodem Menoch. *Conſ.* 221. *n.* 23., *& Conſ.* 82. *n.* 31., & ab ea declarari, ut tradit idem Menoch. *Conſ.* 33. *n.* 14., *& Conſ.* 244. *n.* 2. Et quidem taliter, ut ex reſponſione colligi poſſit, qualis fuerit interrogatio. Nari. *Conſ.* 98. *n.* 22.; Marc. Anton. *Var. Reſolut. lib.* 3. *reſol.* 44. *n.* 5. *verſ. tum quia.*

XXIII. Cum igitur interrogatio non ſit reſtrictiva, aut limitativa, ſed abſoluta, & procedat inquirendo de dictis duobus officiis, idcirco & abſoluta, & non reſtrictiva, nec limitativa eſt exhibita reſponſio, & dumtaxat reddi ſenſum, quod Regulares tenentur ad officia Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, de quibus interrogatio procedebat, quidquid ſit poſtea, an, necne teneantur ulterius ad aliqua alia feſta, de quibus petitio haudquaquam erat. Secus forſitan dicendum foret, ſi petitio ita efformata fuiſſet: *An Regulares poſſent uti Kalendario Diœceſano, & an ad aliqua officia Diœceſana teneantur*; tunc enim ſi ut ſupra reſponſum extitiſſet, ſenſus fieret, ad eorum recitationem dumtaxat teneri, non autem alicujus alterius, & dictio illa *Tamen* excluſionem importaret, ac limitationem, ſaltem in veriori textus expoſitione.

XXIV. Et

XXIV. Et quidem quod præſens Decretum per dicta verba talem limitationem non faciat, claret ex reſponſione ad 2. dubium, quod efformat ſequentem Sanctionem; in hac enim Regulares obligantur ad officia Regnorum &c. ad Principum petitionem conceſſa, quam utique obligationem minime facere potuiſſet, alioquin contraria iis, quæ ad 1. dubium dederat, ad 2. reſpondiſſet, cum etiam dicta officia ad inſtantias Principum conceſſa, ſint ex iis, quæ in Kalendario Diœceſano inſeruntur. Adhuc, quis unquam credere valet, quod præſens deobligare poſſit Decretum Regulares a recitatione officiorum, quæ expreſſe demandata forent ab utroque recitari Clero alicujus Diœceſis, cujus rationis proculdubio non deſunt plurima conceſſionum exempla? Quis dicet relaxari obligationem recitandi de feſtis in præcepto quoad forum, quam eadem Congregatio diſerte ſtabilit? Quis præceptum perimi officii de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, per tot firmatum Sanctiones?

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXXIX.

Regulares poſſunt, & debent recitare officia ad petitionem Regum, & Principum recitari conceſſa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus &c. a tuto Clero tam Sæculari, quam Regulari. S. R. C. 20. Martii 1683. *in eadem Ord. Minor. Obſerv. ad ſecundum dubium*. Ex Meruto in Indice Decretor. Brev. num. 136.

I. NOn crederem a quopiam negatum iri poſſe id, quod primo loco præſens ſtatuit Sanctio, videlicet *Regulares poſſe recitare officia dici conceſſa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus &c. a toto Clero, tam Sæculari, quam Regulari*; dum enim Iodultum Clerum Regularem expreſſe includit, ac nominat, eique poteſtatem facit, omnem profecto ſupprimit dubitandi rationem, quod a Regularibus degentibus iis in locis præfata officia valeant recitari.

II. Eadem pariter de cauſa indubium redditur, quod iidem Regulares debent, ſeu tenentur ad recitationem dictorum officiorum, ſi de præcepto in præfaris Regnis ab utroque Clero Sæculari, & Regulari indulta ſint recitari; cum enim officiorum conceſſionis promanent a Sede Apoſtolica habente auctoritatem ſupra Regulares, quomodo hi ab hujuſmodi obligatione ſe tueri poſſunt, ſi Indultum etiam Clero Regulari memorata officia recitandi præceptum faciat?

III. Si ad hujuſmodi officia de præcepto ut ſupra recitari conceſſa limitetur Decretum, nullam profecto difficultatem patitur, Soleque clarius evadit, quod Regulares iis in locis degentes poſſunt, & debent præfata officia recitare. Aſt quoniam Decretum verbum illud *De præcepto* nequaquam apponit, ſed ſimpliciter, & abſolute pronunciat, Regulares poſſe, & debere recitare officia recitari conceſſa in Regnis &c. a toto Clero tam Sæculari, quam Regulari, ampliorem expoſcere videtur interpretationem, & ad cuncta ut ſupra conceſſa officia extendi.

IV. In hac tamen amplitudine accipiendum non eſſe nos edocet Decretum ejuſdem Congregationis 13. Junii 1682., dum in eo expreſſis his verbis ſancitum habetur; *De officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel conceduntur recitanda ad libitum a toto Clero tam Sæculari quam Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel Loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare &c.* Si igitur de iſtis ſolummodo *ad libitum* recitare queunt, ad horum recitationem haudquaquam tenentur.

V. Difficultas itaque tantummodo reſtringitur ad officia, quæ ex privilegio, ſeu terminis mere facultarivis, & abſque expreſſa notula *ad libitum*, ſed per verba *Recitari poſſe*, *Fieri poſſe*, vel ſimilia reperiuntur in præfatis locis recitari conceſſa, qualiter communiter concipi ſolent conceſſiones hujuſmodi officiorum; & ſi ſermo ſit non de rigoroſo debito obligationem involvente, ſed de ſolo debito congruitatis, & decentiæ, hoc pacto Regulares ad iſta officia adſtringuntur; cum enim quæ ad petitionem Regum, & Principum in Regnis, vel Provinciis recitari conceduntur, communi regulariter cauſæ innitantur, & grave ſuæ conceſſionis ſoleant habere fundamentum, decet ab omnibus intra ea loca degentibus communiter recitari, nec convenit ſolum Clerum Regularem, inſignem Cleri portionem, a cultu illorum Sanctorum, cui tota Provincia, vel Ditio incumbit, abſtinere.

VI. Si vero ſermo ſit de rigoroſo debito ſtrictam obligationem involvente, non videntur Regulares adſtringendi ad recitationem dictorum officiorum, quandoquidem quæ conceſſa tantummodo ſunt per verba facultatem facientia, & nullam obligationem dicentia, videntur officia ex mero privilegio, & conſequenter ejus rationis, quæ ad ſui recitationem Privilegiarium minime cogant, cum privilegiis utamur, ſi, & quando volumus. Taliter proculdubio hac in re loquendum eſſe demonſtrant ea, quæ de hujuſmodi officiis fuſe dabimus in Cap. de officiis ex privilegio. Verum quoniam in ultimo Decreto ejuſdem Capitis deciſum apparebit, quod officia prædictis terminis recitari conceſſa, de præcepto ſunt, hoc ipſo, quod ſunt acceptata, fit, quod habita eorumdem acceptatione Clerus Regularis ad dictorum officiorum recitationem maneat adſtrictus. Et quidem hujuſmodi officia, etiam apud Regulares, eſſe in præcepto, videtur itidem deciſum per Decretum IV. Capit. VI., in quo cum quæreretur, num quoties apud Regulares ſuperſunt incelebrata aliqua officia in fine anni, poſſent omitti officia de Breviario Romano per terminos præceptivos conceſſa, ut conſuleretur celebrationi officiorum particularium Provinciarum per verba mere facultativa conceſſorum, reſponſum extitit, potius moderandas eſſe octavas, & quatenus adhuc officia aliqua ſuperſint, hæc, quæcumque ea ſint, celebranda ea eſſe ad modum ſimplicium. Conſiderantur itaque hujuſmodi officia, ac ejuſdem rationis reputantur, cujus ſunt officia de præcepto Breviarii Romani, ac conſequenter de præcepto ea ſunt, nec integrum eſt, ab eorumdem recitatione abſtinere.

VII. Fieret itaque, quod dicta officia poſt acceptationem Regulares obligent ad ſui recitationem, ſecus vero præcedenter ad acceptationem, quemadmodum in memorato Decreto dicebamus; at difficultas inſurgit, ad quem horum officiorum acceptatio attineat; ad Clerumne, qui dicta officia recitare debet, an vero ad Principes, vel Reges, ad quorum inſtantias eadem officia conceſſa ſunt; & quoniam Sedes Apoſtolica cum Regibus, & Principibus liberalius agere conſueſcit, & aliunde in nihilum abire poſſet gratia conceſſa, ac eorumdem porrectæ preces, licet ſecundatæ, penitus inanes reddi, ac Principes in ſuis votis fruſtrari, ſi conceſſi officii recitatio ab acceptatione, vel arbitrio Cleri penderet, idcirco dicendum arbitramur, quod acceptatio gratiæ præfatæ, quæ primario Principibus fit, licet in Cleri favorem cedat, & ab hoc ſit uſurpanda, ad eoſdem attinet Principes, & Clero locorum iiſdem ſubjectorum ſola obſequendi neceſſitas, quemadmodum alibi dicebamus, ceterorum hujuſmodi officiorum acceptationem ſpectare ad Epiſcopos, Prælatos, alioſque Superiores pro ſuis reſpective ſubditis, & non ad ſubditos ipſos, licet in horum favorem vergant. Principes autem dum per acceptationem ſubditis ſuis officiorum prædictorum recitationem demandant, reipſa non ipſi, qui nullam ſuper hujuſmodi imperandi habent facultatem, ſed Sedes Apoſtolica in vi factæ gratiæ, præfata officia in præcepto conſtituunt, inſtar Epiſcoporum, & aliorum laudatorum Superiorum, qui per acceptationem itidem præfata officia recitandi ſubditis ſuis obligationem imponunt; tametſi circa officia quid diſponendi omni penitus ſint facultate exuti.

VIII. Equidem aſſerta benignitas, vi cujus cum Regibus, & Principibus liberalius Sedem Apoſtolicam agere dicebamus, admodum elucet ex dicendis in Cap. de feſtis affixis diebus mobilibus, ubi ſtabilitum veniet, officia ad eorumdem inſtantias conceſſa, licet affixa Dominicis, vel certis diebus, in caſu impedimenti transferri poſſe, cum tamen tranſlatione gaudere non valerent ejuſdem rationis officia, quæ ad locorum, vel Epiſcoporum inſtantias conceſſa ſunt recitari. Quoniam vero ibidem dicemus, hujuſmodi officia affixa diebus mobilibus, & ad preces Principum conceſſa, tranſlationem pati, tametſi pro Regnis, Provinciis, aut Ditionibus conceſſa non ſint, ſed duntaxat pro particulari aliqua Civitate, vel loco, idcirco poſt eorumdem acceptationem putamus apud Clerum nedum in præcepto eſſe officia ad petitionem Principum in aliquibus Regnis, Provinciis, aut Ditionibus recitari conceſſa, ſed etiam ea, quæ pro particulari Civitate, vel loco duntaxat indulta forent celebrari. Tum quia eadem ratio utique militat; Tum etiam quia hujuſmodi officia ita ſtrictim conceſſa per acceptationem ſuorum Prælatorum non minus in præcepto conſtituuntur.

IX. Dices: Decretum expreſſe loquitur de officiis ad petitionem Principum recitari conceſſis *in Regnis, Provinciis, & Ditionibus*; non eſt igitur extendendum ad officia pro particulari Civitate, vel loco conceſſa.

X. ℟. Satis in memorato Decreto utique indicari & cetera, licet particularia, loca, dum memoratis Regnis, Provinciis, Ditionibus ſubdit *Et cetera*; quæ eſt clauſula extenſione indigens, & virtualiter includens omnia, quæ ſunt de ſubjecta materia, poniturque duntaxat brevitatis gratia; ceterum omnia complectitur, quæ ſolent ſequi poſtea, & ſubintelligi quoquomodo poſſunt ad perficiendam orationem, uti communiter ſentiunt Juriſperiti de vi, & effectibus hujus clauſulæ agentes.

XI. Quæ tamen omnia ita limitanda eſſe credimus, ut locum duntaxat habeant in Principibus relate ad ſibi ſubjecta loca; cum enim ad ipſos nihil attineat de iis, qui foris ſunt, tunc ipſi ſolum interceſſores, non principales petentes eſſe queunt, ac conſequenter gratia non ipſis principaliter, ſed Clero reſpectivorum locorum facta cenſetur, & ſic ad hunc ſimiliter, vel ſatius ad ejuſdem Superiores ſpectat dictæ gratiæ acceptatio, quapropter pro obligatione recitandi hujuſmodi officia perinde ſentiendum venit, ac ſi ad Principum preces haudquaquam forent indulta.

XII. Difficultas itaque emergit, num ad hujuſce rationis officia, quæ ad petitionem Principum conceſſa minime ſunt, quemadmodum & ad cuncta ea Diœceſana, quorum recitationi in Decr. I. hujus Cap. incumbere poſſe dicebamus, Clerus Regularis eorumdem locorum maneat adſtrictus?

XIII. ℟. Negative; & id propemodum infinitis firmatum eſt Sanctionibus, in quibus Regularium obligatio quoad officia locorum reſtringitur ad officia Patroni principalis Loci, Regni, vel Provinciæ, Titularis Eccleſiæ Cathedralis, hujuſque Dedicationis, & Sanctorum, quorum feſtivitas eſt in præcepto quoad forum, a recitatione autem octavarum adhuc ab iiſdem penitus abſolvitur, imo declaratur nec pro libito extendi poſſe, Regulareſque expreſſe ſancitur ad alia particularia locorum, vel Diœceſum officia, licet Patronorum minus Principalium haudquaquam teneri, quinimmo loquendo de Regularibus extra Civitatem degentibus, nec ad Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis eoſdem adſtringi. Hæc Decreta dantur præſertim in Cap. I. & III. & in Cap. de diebus feſtivis, & ad rem maxime etiam facit Decretum ſequens, quod ſtatim dabimus, & exponemus, in quo deciſum apparebit, Moniales, licet Ordinariis locorum ſubjectas, non teneri recitare officia particularia Diœceſum,

teneri tamen recitare de Patrono principali loci, & de Eccleſiæ Cathedralis Titulari, & Dedicatione, non autem de eorumdem Feſtorum octavis. Exploratum eſt itaque, quod demptis ſuperius recenſitis Feſtis ad nulla alia Feſta locorum teneantur Regulares, & conſequenter quod apud hos hujuſmodi Feſta haudquaquam ſunt de præcepto.

XIV. Aſt ſi de præcepto non ſunt, utique ſequi videtur, quod officia ad libitum cenſeri debeant, uti ſiquidem alibi dictum eſt, officium quolibet vel eſt in præcepto, vel ad libitum, & officia ipſa, quæ terminis mere facultativis, ſed abſque notula *Ad libitum* conceſſa ſunt, præcedenter ad acceptationem ad libitum ſunt, & acceptata evadunt de præcepto, Aſt nec ad libitum dici queunt, officia enim, quæ ad libitum ſunt, quoties in propria die impediuntur, transferri non poſſunt, & adhuc in occurrentia cum Feſto alio de præcepto, licet inferioris ritus, celebrari non valent, ſed prorſus debent omitti; officia autem Diœceſana apud Regulares hujus non extant rationis, ſed in occurrentia cum alio Feſto de præcepto, ſi id ritus, vel ſolemnitas, aut dignitas patitus, retinentur, ſin autem, ad aliam diem transferuntur; unde petentibus Patribus Benedictinis de officio recitando in caſu occurrentiæ Feſt. Diœceſani S. Barbaræ, & S. Petri Chryſologi, die 5. Maji 1736. per Sacram Congregationem officium aſſignatum extitit S. Barbaræ cum translatione S. Petri ad aliam diem fixe aſſignandam. In Capitibus itidem de occurrentia, Translatione, & Repoſitione Sanctorum videre eſt, pluries fuiſſe ſancitum ordinem obſervandum in retinendis, vel reponendis Feſtis Religionis, vel Diœceſis, quapropter in apertis utique conſtituitur, quod etiam apud Regulares officia Diœceſis celebrari poſſunt in occurrentia cum aliis de præcepto, quæ non ſunt majoris ritus, vel dignitatis, & in caſu impedimenti in propria die ad aliam transferri; non eſt autem in iiſdem ſermo de officiis locorum principalibus, & ſolemnioribus, ad quorum recitationem Regulares tenentur, ſed præcipue de ceteris, adeoque fas eſt, quod officia Diœceſana apud ipſos haudquaquam ad libitum ſint.

XV. Confirmatur id ex Decreto S. R. C. de die 13. Junii 1682., quod in Indice exhibetur ſub num. 125. In eo autem in primis adducuntur Feſta Diœceſana, ſcilicet Patroni principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ad quæ Regulares tenentur, 2. Declaratur, quod non tenentur recitare de Patronis minut principalibut. 3. Quod poſſint recitare de Sanctis ad libitum, quæ recitare ad libitum conceſſa ſunt in Regno, Diœceſi, vel loco, in quibus dicti Religioſi morantur, ſed ad libitum tamen, ita ut ſi occurrant in die in eorum Kalendario impedita, debeant omitti. Officia itaque Patronorum minus principalium cum & apud Regulares diſtinguantur a claſſe officiorum ad libitum, nec ſint de præcepto, ut itidem firmat Sanctio, ſequitur, quod ſint ex privilegio, ac conſequenter, quod quæ de iis officiis dicenda nobis apparebant, ſaltem veritatem habeant in officiis Diœceſanis, ſeu locorum relate ad Regulares homines, qui ea inhabitant. Fert autem natura hujuſmodi officiorum, quod Privilegiarium non cogant ad ſui recitationem, ſed pro libito omitti poſſint, & quoad hoc participant de natura officiorum ad libitum, e contra vero quod celebrari itidem poſſint, tametſi ſimul eadem die occurrant cum officio aliqun de præcepto, vel ad alteram diem transferri, ſi ſimul occurrens officium aliud ſit majoris ritus, vel dignitatis, & in hoc recedunt a Sanctis ad libitum, & ſapiunt de natura Sanctorum de præcepto. Cum itaque juxta Decreta officia locorum relate ad Regulares ſint hujuſmodi, cum ad ea non teneantur, recitent in occurrentia cum aliis Sanctis de præcepto, & ad aliam diem in caſu impedimenti transferant, non tamen neceſſario, cum non neceſſario, ſed libere eadem etiam in proprio die recitantur a Regularibus, idcirco indubium reddi videtur, quod ſint officia ex privilegio conditionibus, & qualitatibus in penultimo Decreto Cap. de feſtis ex privilegio a nobis expreſſis inſtructa.

XVI. Dices 1., quod ly *non tenentur* de Patronis minus principalibus dictum, intelligi debet per excluſionem etiam libiti, & arbitrii, quemadmodum idem verbum intelligitur, cum de octavis in eodem Decreto uſurpatur.

XVII. ℟. Quod utique verbum illud ita intelligi vetat, quod ſubdit Sanctio de Sanctis ad libitum, qui etiam a Regularibus celebrari queunt; quis autem credere unquam poteſt, quod Regulares poſſint recitare de Sanctis ad libitum in locis, in quibus degunt, recitari conceſſis, & poſtea nullatenus celebrare valeant de Patronis minus principalibus, & aliis Sanctis indigenis eorumdem locorum, qui incomparabiliter ſolemniores ſunt, ac celebriores. Prout autem de octavis reperitur dictum, ita proculdubio intelligendum eſſe denotant alia Decreta, ad quæ ſe remittit Sanctio ipſa, dum aſſerit *Juxta pluries reſoluta*; pro ſimili autem intelligentia, quatenus præfatum verbum dicitur de Patronis minus principalibus, nulla adſunt Decreta, imo cuncta in oppoſitum militant, quemadmodum ſuperius advertebamus. Ratio autem, ob quam a Regularibus celebrari vetitæ fuerunt locorum octavæ, non autem feſta, alibi non ſemel indicata fuit, & eſt, quia octavæ non ſunt niſi repetitiones ejuſdem feſti, & ideo retineri non conveniebant a Regularibus, qui cum propriorum Sanctorum octavis, & quamplurimis, & celebrioribus Feſtis ſint occupati, vel nullatenus omnia intra annum, vel nimis ægre, aut cum magna ſtrage officii ferialis, & plurimis aliis incommodis alibi pluries recenſitis, iiſdem indulgere valebant. Eadem de cauſa Feſta Diœceſana poſita haudquaquam extiterunt in præcepto, ſed eorumdem celebratio relicta fuit in arbitrio, quo juxta caſuum contingentiam poſſent, vel non poſſent de iiſdem recitare; ſatius autem damptæ fuerunt præfatæ octavæ, quia adhuc de Sancto, cujus illæ ſunt, agitur in feſto, ubi de ceteris Sanctis nihil penitus fieret, ſi officium de iiſdem in proprio die celebrari fuiſſet inhibitum. Verum de his pluries egimus, ubi & vidimus, apprime convenire, quod Regulares de Sanctis locorum recitent.

XVIII. Dices 2. Feſta localia ſunt per terminos facultativos indulta, ſed officia ita conceſſa evadunt de præcepto, hoc ipſo quod ſunt acceptata, ergo ea in claſſe officiorum de præcepto conſtitui debent, cum a reſpectivis locorum Epiſcopis, ad quos attinet Feſta Diœceſis acceptare, regulariter acceptata ſint, & ſupponantur in Kalendarium eorumdem auctoritate invecta, quinimmo & a Regularibus ipſis poſſint dici acceptata, ſaltem ab iis, qui dicta officia recitare conſueverunt; quapropter ſaltem hi non videntur ab eorumdem recitatione poſſe ceſſare, ac conſequenter non eſſe officia ex privilegio juxta illam rationem, quam dicebamus.

XIX. ℟. In primis, quod Epiſcoporum acceptatio Regulares haudquaquam adſtringit, ſunt ſiquidem hi ab eorumdem juriſdictione penitus immunes, ſuoſque habent Prælatos, a quibus pleno jure reguntur: quapropter Epiſcopi per ſuam approbationem, etſi ad dictorum officiorum recitationem obligare queant Clerum ſibi ſubditum, non tamen Regularem, licet intra limites ſuæ Diœceſis degentem, niſi ad id in conceſſione a Sede Apoſtolica expreſſam habeant facultatem.

XX. De Regularibus potiſſima reſtringitur difficultas, quorum Conſtitutiones de Sanctis locorum fieri mandant, aut eorumdem Prælati, vel Capitula generalia, provincialia, aut localia præfata officia formaliter acceptarunt, vel virtualiter per inveteratam conſuetudinem recitandi de iiſdem, num ſcilicet dicti Regulares in hiſce caſibus de feſtis localibus recitare teneantur? Et in primis certum eſt, quod utique tenentur, ſi eorumdem Conſtitutiones per Apoſtolicam Sedem fuerint confirmatæ, quia tunc dicta officia a Conſtitutionibus demandata, perinde eſt, ac ſi ab Apoſtolica ipſa Sede forent in præcepto conſtituta, & in hoc caſu hujuſmodi obligatio non intelligitur relaxata per Decreta declarantia Regulares ad dicta officia non teneri, quemadmodum aperte eruitur ex Decreto S. R. C. 20. Martii 1683., quod eſt IX. Cap. III. Hoc tamen intellige, dummodo Conſtitutiones præcipiant, & non tantum laudent dictorum officiorum recitationem; in caſu autem præcepti formalis, tametſi Conſtitutiones præfatæ non forent per Sedem Apoſtolicam approbatæ, adhuc ſubditi Regulares de iiſdem recitare tenerentur, non quidem quia hujuſmodi officia reapſe forent de præcepto, ſed per accidens ratione ſcilicet præcepti ab habente facultatem impoſiti ſuper uſum conceſſi privilegii, quemadmodum alibi a nobis dictum, ac ponderatum veniet. Ceterum hujuſmodi obligatio diſſolvi utique poteſt ab iiſdem, a quibus fuit impoſita, & conſequenter dicta officia dici non valent de præcepto, quorum obligatio nonniſi a Sede Apoſtolica valet relaxari.

XXI. In caſu autem acceptationis eorumdem officiorum ut ſupra formaliter, vel virtualiter habitæ, utique juxta laudatum Decretum 6. Septemb. 1739. de præcepto eſſe videntur, cum nihil aliud deſideretur ex iis, quæ ad talem effectum ab eodem exiguntur. Verum quoniam ſemper, atque conſtanter Sacra Congregatio ſtabilivit dicta officia localia de præcepto non eſſe apud Regulares, declaravitque quænam ſint ex officiis, ad quæ iidem tenentur, idcirco apud eoſdem haudquaquam de præcepto eſſe cenſenda arbitramus; non enim memorata Decreta diſtinguunt inter dicta officia acceptata, & non ut ſupra acceptata, ſed ſimpliciter, & abſolute ea non eſſe de præcepto pronunciant, ac conſequenter ad nulla eorumdem tenentur, præſertim quia habetur exceptio officiorum, ad quæ obligantur, & exceptio cum dictione *Tantum*, quæ de ſui natura excludit quæcumque alia, quæ expreſſa non ſunt.

XXII. Confirmatur id etiam, quia etiam officia de Patronis minus principalibus apud Regulares juxta Decretum 13. Junii 1682. de præcepto non ſunt, etſi ad eorumdem electionem ſuum ipſi quoque præſtent conſenſum, ac generaliter eorumdem officia ſaltem per uſum ſint apud Regulares acceptata.

XXIII. Quæ cum ita iterato ſtabilita fuerint, remanet, quod dicamus, Decretum ſuperius laudatum de die 6. Septemb. 1739. procedere de officiis, non in particulari aliqua Diœceſi recitari conceſſis, ſed de recitari conceſſis *in Regni, Provinciis, Ditionibus, & Statibus*, quemadmodum ea aperte loquitur Sanctio, necnon præſens ſtabilit Decretum, quod ad dicta officia obligat etiam Regulares, quando ad petitionem Principum reperiuntur indulta. Ceterum procedere poſſe, & extendi in aliis etiam officiis per ſimilia verba conceſſis, licet Ordini alicui particulari, vel Civitati, aut Loco, ultro concedimus, ſed tamen cum limitatione officiorum locorum particularium relate ad Regulares, qui per officia propriæ Religionis, & Monaſteriorum ſunt ſatis occupati, nec commode ad Diœceſana ulterius poterant obligari, ſed optio eiſdem relinqui debuit ad effectum, ut eorumdem recitationi poſſent, necne incumbere, quatenus commodum, vel incommodum pateretur. Et quidem nullum eſt reperire Decretum, quod ad officia Diœceſana Regulares obliget, præter nonnulla eorumdem officia ex celebrioribus, & ſolemnioribus, ſed ſi quod eſt, ſermonem inſtituit de officiis Provincialibus, aut Ditionum, quæ cum pauca, & rata ſint, potuerunt abſque gravi incommodo ad eorumdem recitationem Regulares obligari.

XXIV. Cum itaque jura juribus concordari debeant, & legum correctio quammaxime vitanda ſit, & talis facienda ſit interpretatio, ut ſequentia non corrigant præcedentia, quemadmodum Jura ipſa non ſemel edocent, & concorditer aſſerunt Juriſcon-

con-

Digitized by Google

conſulti, proculdubio dicendum venit, quod officia Diœceſana relate ad Regulares, ad quos minus attinent, ſunt officia ex privilegio in ſenſu a nobis ſuperius expoſito. Sic enim ſtat, quod ad ea recitanda non teneantur, quod recitare poſſint, ſi velint, etiam in caſu occurrentiæ cum aliis feſtis de præcepto, & quod eadem ad aliam diem transferre valeant, ſi in propria ſint impedita per aliud feſtum majoris ritus, vel dignitatis; hæc enim omnia per recenſita Decreta iterato diſpoſita ſunt, & alioquin indubia ſimul ſtare non poſſunt, ubi in caſu noſtræ ſuperius adductæ intelligentiæ nullum eſt adinveniri Decretum; quod alteri pugnet, ſed omnia ad concordiam optime vocantur, ac reducuntur.

XXV. Suppeteret itidem alius dicendi modus, videlicet, quod officia quæcumque localia, in quorum conceſſionibus Clerus etiam Regularis exprimitur, eidemque diſerte de dictis officiis indulgetur, acceptata ſint in præcepto, ſecus vero ea, quorum conceſſiones Clerum ſimpliciter, vel Civitatem, aut Dominium aliquod nominant; præſens enim, & alia Decreta, quæ ad aliqua localia feſta Regulares adſtringunt, ſa aperte loqui fatentur de officiis *a toto Clero tam Sæculari*, *quam Regulari* recitari conceſſis, & aliunde quando Clerus Regularis in conceſſione expreſſe nominatus non eſt, non venire videtur, niſi favorabili appellatione, ac conſequenter in ejuſdem arbitrio poſitum eſſe, facultate conceſſa uti, vel ab ejuſdem uſu abſtinere, prout melius ipſi placuerit. Ex duabus hiſce interpretationibus, quam maluerit, eligat Lector, nobis tamen prior magis arridet.

XXVI. Sequitur ex dictis, quod cum privilegia mere favorabilia, & nemini præjudicium ullum inferentia, nec per non uſum, nec per uſum contrarium deperdantur, cujus profecto rationis eſt privilegium Regularium de recitatione Sanctorum Diœceſanorum, idcirco quotquot ex Ordinibus Regularibus a prædicta recitatione ceſſarunt, aut aidem numquam incubuere, adhuc pro libito ſuo valent vel eorumdem recitationem reſumere, vel inchoare, omittare, vel intermittere; privilegia enim non cogunt Privilegiarium ad ſui uſum, ſed hunc eidem liberum omnino relinquunt.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXXX.

Moniales Ordinariis locorum ſubjectæ non tenentur recitare officia particularia Diœceſum, tenentur tamen recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, necnon de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non vero de eorumdem feſtorum octavis. S. R. C. 20. Novemb. 1683. *in Lauden.* Ex Merato in Indice Decretorum Brev. num. 147.

I. UBerrimo ſunt alibi examinata calamo, quæ præſens firmat Sanctio de Monialibus Ordinariis locorum ſubjectis, videlicet de earumdem non obligatione ad officia particularia Diœceſum, bene vero ad ea de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, hujuſque Dedicatione, ſine tamen octavis. Hæc diſcuſſa venere agendo de Regularibus, & Monialibus, præſertim quæ Prælatis Regularibus parent; hic autem edocemur, applicanda itidem eſſe Monialibus, quæ Ordinariis locorum obedientiam præſtant, quoniam eadem profecto ratio de utriſque militat, utpote quæ ſunt æque Sanctorum indigenarum officiis occupatæ, & locorum Ordinarii vicem Prælatorum Regularium ſubeunt, uti dictum eſt alibi ſæpe.

II. Hinc ex dictis fit 1., quod ad Diœceſana officia non teneantur, poſſint tamen ea perſolvere, ut dictum eſt in Decr. I. hujus Cap. 2. Quod adſtrictæ ſint ad recitandum de Patrono principali loci, & Titulari Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis, & hoc late firmatum eſt in Cap. III., ubi & plene diſcuſſum fuit de Patrono Regni, Diœceſis, Parochiæ &c. 3. Quod eædem, quæ degunt in Civitate, ſint ſolum obſtrictæ ad officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, non autem quæ ſunt extra Civitatem, licet & hæ id poſſint; & de hoc præſertim in Cap. I. actum extitit. 4. Quod ad nullas dictorum feſtorum octavas teneantur, ly *non teneantur* ſumpto per excluſionem etiam arbitrii, ut in ſuis reſpective citatis locis videre eſt, fuiſſe per Congregationem non ſemel ſtatutum, ac a nobis ponderatum. 5. Quod obſtrictæ denum maneant ad officia ad inſtantias Principum in Regnis &c. recitari conceſſa, uti præcedens firmat Sanctio, necnon ad officia Sanctorum, quorum feſtivitas in Diœceſi eſt de præcepto quoad forum, ſicuti videbitur in Cap. de Diebus feſtivis; & licet de iis nihil teneat præſens Decretum.

III. Utinam ut hæc, quia alibi pertractata, ab ulteriori nos liberant examine, ita etiam ab excuſſione perinſignis cujuſdam nos eximerant quæſtionis, ad quam nos indiſpenſabiliter vocat verbum illud *Tenentur* dictum de Monialibus relate ad officia Patroni principalis loci, Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis; videtur enim innuere, quod Moniales teneantur ad recitationem officii divini. Hoc autem, cum valde inter Doctores ſit controverſum, & ex his adſint quamplurimi non inferioris notæ, qui mordicus negant, opus eſt, a nobis examinetur, ut innoteſcat, qualem interpretationem verbum illud *Tenentur* habere debeat. Quoniam vero nimis multa ſunt, quæ ſuper hanc quæſtionem, tamquam directe, vel indirecte attinentia, attingi, exagitari, & præmitti debent, idcirco ne dicendorum copia confuſionem pariat, in diverſos, ac diſtinctos paragraphos quæſtionem ſecandam eſſe arbitramur.

§. I.

Quinam ex Regularibus viris, aut fœminis ad recitationem Horarum Canonicarum non teneantur.

I. DOctores omnes apud, & cum Bordono *reſol.* 30. *tit. de horis canon. queſt.* 8. *num.* 12. docent, Moniales teneri divinum officium recitare eo modo, quo viri ajuſdem Raligionis obligantur, ſive poſtea hujuſmodi obligatio ortum habeat, vel ex conſuetudine, vel ex Regula, vel aliunde, quod examinabitur infra, nihil ad hoc faciente ſexus diverſitate. Sermo autem eſt de Raligioſis viris ſacro ordine non inſignitis, nam obligatio, quæ ad horas canonicas ex ſacro ordine in Regulares viros promanat, Religioſas fœminas, quæ cujuſcumque ordinis expertes ſunt, ac incapaces, haud poteſt obſtringere. Et quod eſt principium, ſeu fundamentum memoratæ obligationis, non eſt, niſi *Profeſſio cum deputatione ad Chorum*, *adjuncta conſuetudine*, ut bene Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 7. *in fine*, & quemadmodum ex infra dicendis plenius conſtabit; in hoc autem principio æqua conveniunt Raligioſi mares, & fœminæ, & ideo quoties Regulares alicujus Religionis, ſacris non initiati, obligantur ad horas canonicas, ad eaſdem etiam tenebuntur Moniales ajuſdem Religionis, & e converſo.

II. Certum itaque eſt primo, quod Religioſi viri Laici, aut Moniales Converſæ ad divini officii penſum non obligantur, quia iſti non ſunt ad chorum addicti. Paludanus autem, Antoninus, & alii, quos Sylveſter ſequitur *qu.* 2. dicunt, hos teneri ad recitandum aliquod loco horarum canonicarum, quia aluntur eleemoſynis laicorum, quibus aliquo modo compenſare tenentur. Verumtamen ſi intelligant teneri ex Regula, & Conſtitutionibus ſuorum Ordinum, erit verum juxta modum, & exigentiam Regulæ, & earumdem Conſtitutionem, unde ſi Regula, aut Conſtitutiones, alias non obligent ad culpam, neque in hoc obligabunt, niſi ſpecialiter id exprimant. Si vero intelligant teneri ex jure communi, vel ax conſuetudine, id non admittimus, quia Jus nullum invenitur, nec de conſuetudine conſtat, immo contrarium teſtantur communiter Doctores, ut videre eſt apud Suarez *loco citato n.* 2. Quod autem addunt de recompenſatione a præfatis Converſis per orationes, & preces facienda pro eleemoſynis laicorum, quibus aluntur, examinabitur in paragrapho ſequenti.

III. Certum eſt 2. Novitios, vel Novitias neutiquam obſtringi ad officium divinum; vere enim Religioſi non ſunt, neque in oneribus ſub illa voce comprehenduntur, neque ulla eſt lex, aut conſuetudo, quæ illos obliget. Ita communiter Doctores, excepto Paludano, quia gaudent, inquit, privilegiis Clericorum, & aliquibus privilegiis Religioſorum, & ex eorum redditibus, vel aleemoſynis vivunt. Sed hæc nimis remota ſunt ad inferendam illam obligationem, ſufficit enim ad illos effectus, quod ſint in via ad profeſſionem, & quod voluntaria ſubjiciantur Ordini, & actionibus Religionis ſub diſciplina religioſa.

IV. Certum eſt 3. quod ſi aliquis Religioſus choro deputatus ad Converſos auctoritate Superiorum tranſeat, eo ipſo eximitur ab obligatione recitandi, quæ adnexa eſt illi ſtatui: verſa vice vero ſi ex ſtatu Laicorum, & Converſorum tranſeat ad ſtatum Choriſtarum, induit ſtatim iſtam obligationem, quia fundamentum obligationis (inquit Suarez *num.* 7.) eſt profeſſio religioſa cum tali munere, ſeu deputatione ad chorum; unda ſicuti Clericus in minoribus (addit Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *queſt.* 7.) ſi beneficiarius ſit, & beneficium deponat, eo ipſo a lege horarum canonicarum ſolutus cenſetur, ſimiliter & Religioſus, qui a choro divellitur, ab eodem onere liberatur; & e contra ſi choro aumdem deputari contingat, ſtatim præfatam induet obligationem, quemadmodum eamdem ſtatim induit Clericus in minoribus, qui beneficium obtinet.

V. *Dices:* Monachus profeſſus ad chorum, ſi transferatur ad ſtatum Converſorum, eo ipſo non tenetur recitare horas canonicas, ergo nequa antea fuit obligatus. Probatur conſequentia, quia ſola Prælati voluntas eſt ſufficiens ad faciendam illam mutationem, non eſſet autem ſufficiens ad tollendam obligationem præcepti.

VI. ℟. Negando conſequentiam, quia licet Prælatus non poſſet auferre obligationem, manente fundamento ajus, tamen ſi poſſit auferre fundamentum, ablato illo, auferret etiam obligationem. Sicut ſi Clericus in minoribus habeat beneficium, non poteſt Epiſcopus illum liberare ab onere recitandi pro ſuo libito, ſi tamen aliquo juſto titulo poſſit auferre beneficium, illo ablato, conſequenter etiam auferet onus. Tantum ergo probat illud argumentum, fundamentum hujus obligationis in Monacho non eſſe nudam profeſſionem, nam hæc eadem manet in tali munere, ſeu deputatione ad chorum, adjuncta conſuetudine, quæ utramque conditionem ad obligationem requirit.

VII. Quæſtio modo inſurgit, num Monachus alias deputatus ad chorum, & nondum in ſacris ordinatus, ſi a Papa diſpenſetur, ut in ſæculo vivat, aut numquam eat ad chorum, nihilominus obligatus maneat ad officium dicendum?

VIII. ℟. Quod aliqui ax Auctoribus diſtinguunt de diſpenſatione perpetua, vel temporali; & in temporali fatentur manera obligationem, quia licet Religioſus ille ad tempus ſeparetur ab actuali uſu chori, ſemper manet in ſtatu Religioſi profeſſi ad chorum, & cum jure ad chorum, ad quem redire quoque debet tranſacto diſpenſationis tempore, unde in eo non aufertur fundamentum obligationis; ſecus vero in perpetua, quia per hanc omnino liberatur a choro, cum liberetur perpetuo ab

ab uſu ejus. Contrarium tamen verius eſt, & probabilius, quia licet diſpenſatio perpetua liberet ab uſu chori, non facit mutationem ſtatus Religioſi profeſſi ad chorum, ſed adhuc remanet in dicto ſtatu, cui adnexa eſt obligatio dicendi officium ex conſuetudine; unde ſicuti ſi Pontifex revocet diſpenſationem, ille redibit ad Religionem in ſtatu choriſtarum, aut ſtatim ad chorum tenebitur, ideo cenſendum eſt, per dictam diſpenſationem factam non fuiſſe mutationem in ſtatu, neque ablatam obligationem recitandi, niſi hoc in ipſamet diſpenſatione fuerit expreſſum, & conſequenter quemadmodum ille non liberatur aliis oneribus Religionis, quæ extra clauſtra, vel privatim poteſt implere, ita nec eximetur ab obligatione horarum canonicarum, quas extra clauſtra, & privatim dicere valet.

IX. Hinc a fortiori ſequitur, hujuſmodi Religioſum, ſi fugitivus ſit, non liberari ab hoc onere propter fugam, quamdiu extra Monaſterium vivit, quia non debet commodum ex ſua iniquitate reportare, & quia ſemper retinet fundamentum obligationis, & de ſe obligatus eſt ad ſervandam conſuetudinem talium Religioſorum, quam poteſt obſervare etiam extra clauſtra, ut bene notavit Navarrus *cap. 7. de Orat. num. 19., &* 20., qui addit, idem judicandum eſſe de Religioſo per ſententiam ejecto, quia eadem ratio obligationis in eo manet, etiamſi ſit ad triremes condemnatus; ſemper enim manet Religioſus talis ſtatus, & ideo licet pro tunc ſit impeditus ab uſu chori, tenetur recitare, ſi commode poteſt. Hanc opinionem ſequitur etiam Rodericus *tom. 1. quæſt. Regul., quæſt. 30. art.* 10. quia non ſunt hi exonerandi, niſi in his, quæ in ſæculo commode ſervare non poſſunt, cum ſua culpa extra Religionem ſint.

X. Verum communior ſententia eſt, Religioſum ejectum non teneri ad officium divinum, quia in eis deeſt obligationis fundamentum, quod non eſt nuda profeſſio, ſed profeſſio cum deputatione ad chorum, & conſuetudine in illa fundata, per ejectionem autem, licet non tollatur profeſſio, tollitur deputatio ad chorum, & mutatur quodammodo ſtatus, in quo illa obligatio fundatur. Nec refert, quod ſua culpa ejectus ſit, quia illa fuit cauſa remota, ad cujus pœnam per accidens ſecutum eſt, ut tolleretur fundamentum hujus obligationis. Nec hoc reputatur commodum, quia plus habet incommodi, & pœnæ, licet ſuppoſito tali malo pœnæ, aliquod onus auferat. Et quidem ſi intra Religionem ipſam aliquis propter delicta transferretur a ſtatu Monachorum chori ad gradum Laicorum, conſequenter tolleretur illa obligatio, multo magis tolli debet, quoties Religioſus a Religione ejicitur, cum major mutatio fiat in Religioſo per ejectionem, magiſque ſeparetur a choro, poſſitque hic perpetuo manere licite in ſtatu Laicorum extra clauſtra, nec teneatur, imo nec poſſit habitum ſuæ Religionis deferre, & ſit depoſitus, & quaſi degradatus a Monachatu, quinimmo nec ad obſervantiam Regulæ, vel Conſtitutionum ſui Ordinis obligatur. Non eſt autem eadem ratio de fugitivo, quia ille revera non mutavit ſtatum, & gradum in ſuo Ordine, & ideo cum eadem obligatione manet, nec ex ſua iniquitate commodum aliquod reportare poteſt, aut debet. Videatur Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 6. n. 11. & ſeq.* Sunt tamen Bonacina, & alii, qui etiam Apoſtatas, & fugitivos deobligant.

XI. Idem dicendum eſt de iis, qui ad triremes condemnarentur. Tum quia frequenter ſunt jam expulſi. Tum quia id cederet in non exiguum dedecus Religionis, ſi in illa hominum depravatorum colluvie oſtenderent ſuum ſtatum. Tum denique quia ſatis habent afflictionum, dum illi ſupplicio deputantur, & afflictis non eſt addenda afflictio. Ita Bordonus *reſol. 30. n.* 13., aliique communiter, quorum potior pars inſuper eoſdem deobligat, etiamſi ſint in ſacris conſtituti, id tamen negantibus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 4. n. 2.* Azorio, *part. 1. lib. 10. cap. 5. qu. 9.*, & aliis de iiſdem, quoties aliquo ordine ſacro ſunt initiati.

XII. Certum eſt 4. Non perſeverare obligationem officii divini in Religioſo non ordinato in ſacris, vel Moniali, qui ex diſpenſatione Pontificis contraheret Matrimonium; talis enim non eſſet vere Religioſus, cum votum caſtitatis, & obſervantia illius ſint de eſſentia hujus ſtatus, & per conſequens hoc ipſo, quod Pontifex diſpenſaret in eo voto, ſtatum religioſum diſſolveret, & de Monacho non Monachum faceret. Azorius 1. *par. lib. 10. cap. 6. quæſt. 8.* Villabos *tom. 1. tract. 24. diff. 9. num. 13.*, Sanchez *Conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 4. num. 7. &c.* Par autem non eſt ratio de diſpenſato manere perpetuo extra clauſtra, quia hic non ſupponitur diſpenſatus in aliquo ex tribus votis ſubſtantialibus, & ideo adhuc remanet Monachus, & ex deputatis ad chorum.

XIII. Certum eſt 5. Religioſos illius Religionis, quæ ex ſuo inſtituto non eſt choro addicta, non eſſe obligatos officium divinum recitare, niſi ſint in ſacris, quia obligatio recitandi officium divinum privatim ſuccedit loco publicæ recitationis, quam Religio profitetur, & ad quam vel ex Regula, vel ex conſuetudine (ut infra) tenentur Religioſi profeſſi, vel in choro, vel privatim, etiamſi ſacris ordinibus non ſint initiati. Palaus *part. 2. tit. de Orat. diſp. 2. punct. 1. §. 3. num. 1. in fine verſ. Hinc fit*, cum Suarez, Vaſquez, Valentia, Bonacina, & aliis. Hujuſmodi ſunt Religioſi Hoſpitalarii, qui regulariter Laici ſunt, & tantum ad corporalia opera miſericordiæ deputati; Religioſi equites militares, qui non choro, ſed militiæ ſunt deſtinati; Religioſi Societatis Jeſu, & alii, qui ad alia opera, & ſtudia extra chorum ſunt ordinati.

XIV. Certum eſt 6., quod ſi quis a Religione, in qua choro deputatus erat, tranſeat ad aliam, in qua non haberet talem deputationem, jam non haberet amplius recitandi obligationem, eadem prorſus ratione, ob quam ſuperius diximus Choriſtam alicujus Religionis, qui in eadem tranſit ad ſtatum Converſorum, deperdere præfatam obligationem; mutant ſiquidem in utroque caſu ſic tranſeuntes ſtatum, & cum ſtatu, quem derelinquunt, deſerunt ſimul obligationem, quæ eidem eſt adnexa.

§. II.

Refelluntur varia capita, ex quibus nonnulli ex Doctoribus eruunt fundamentum obligationis ad Divinum Officium publice, vel privatim recitandum a Religioſis in Sacris non conſtitutis.

I. UT certum ſupponimus Religioſum nullo pacto teneri ad talem recitationem ex vi alicujus præcepti divini, quia ex Sacra Scriptura, aut Eccleſiæ traditione non conſtat adeſſe, præcipue quia ordinatio officii canonici eſt ab Eccleſia diſpoſita, & ſic non poteſt adeſſe de perſolvendo illo divinum præceptum.

II. Contenderunt nonnulli apud Bartholom. a S. Fauſto *de Horis Canon. lib. 2. quæſt.* 55., ad id obſtringi jure naturæ, pertinente ad divinum cultum, & religionem, quia videlicet ad hunc cultum peculiariter per profeſſionem dicati ſunt. Verum, ut optime idem a S. Fauſto, cultus divinus latiſſime patet, & multis aliis modis exhiberi poteſt, unde ex tali ſolo capite non poteſt inferri obligationem hanc potius eſſe ad memoratam recitationem, quam ad alium alterius modi cultum Dei. Deinde ſi Religioſi jure naturæ ad divinum officium obſtringerentur, Religioſi omnes, & quarumcumque Religionum, ad idem obligarentur, cum jus naturæ idem ſit in omnibus; hoc autem communiter a Doctoribus nequaquam admittitur.

III. Voluit Paludanus *in 4. diſt. 15. q. 5. art.* 1. ad id obligari ex naturali lege juſtitiæ, quia ex Chriſtiani Populi bonis in eleemoſynam acceptis aluntur, & vivunt, ac proinde tenentur precari pro his, qui bene de ipſis ſunt meriti. At neque ex hoc capite ad horas canonicas Religioſi obſtringuntur, quia alias etiam Converſi, immo & Religioſi ex iis Religionibus, quæ chori uſum non habent, ad eaſdem obligarentur, quoniam & hi aluntur, ſicut & alii. Tum quia non ſuſtentantur a Populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ religioſæ, ſed ſimpliciter ut in tali ſtatu perfectionis ſecundum ſuum inſtitutum vivant ad Dei gloriam. Tum quia eleemoſynæ non conferuntur hac conditione, & pacto, ut ſuppono, ſed quia ſunt divino cultui mancipati, & pauperes ex profeſſo, immo etiam quando conferrentur cum expreſſa conditione, ut orarent pro eo, id optime præſtari poſſet, etiamſi ab ipſis non recitetur officium canonicum, per alias videlicet orationes, quando divinum officium expreſſum non foret, quo in caſu proculdubio ob pactum ad dictum divinum officium tenerentur.

IV. Præfatam obligationem ex vi profeſſionis oriri aliqui perperam dixere; ſiquidem Religioſi ex vi profeſſionis ſolum obligantur ad vota eſſentialia, & ad tendendum ad perfectionem; inter vota autem non annumeratur officium divinum, & tendentia ad perfectionem per alia pia exercitia, & obſervantias Religionis haberi poteſt.

V. Ex vi Regulæ, & Religioſarum Conſtitutionum petunt alii obligationem recitandi publice in choro, vel privatim horas canonicas. Verum Regula, & Conſtitutiones Religioſæ regulariter non obligant ſubditos ſuos ad obſervantiam ſuæ diſpoſitionis ſub culpa lethali, immo neque ſub veniali, ſed ſolum ſub reatu pœnæ; unde Suarez *de Relig. tom. 2. l. 4. c. 10. n. 16.* expreſſe docet: *Unuſquiſque Religioſus in particulari ſolum tenetur ad exiſtendum, & canendum in choro ex vi Regulæ, quæ ordinarie non obligat ſub reatu culpæ, ſed tantum pœnæ.* Idem habet Bordonus *reſol. 30. n. 6.* ſub ſequentibus verbis. *Fere nulla Religioſorum Regula eos obligat ſub mortali ad recitandum horas canonicas, imo neque ſub veniali, excepta prima Regula Divi Franciſci, quæ ſuos alumnos in multis obligat ſub culpa.* Ita etiam docent Bonacina *de horis canon. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. num. 8.*, Filliuccius, aliique, qui videri poſſunt apud Doctores agentes de horis canonicis. Et quidem in mea Religione Auguſtiniana nec Regula, nec Conſtitutiones ſub nulla culpa obligant profeſſores ejuſdem Inſtituti. Ex vi igitur Regulæ, & Religioſarum Conſtitutionum peti non poteſt principium præfatæ obligationis, quæ cunctos ſimpliciter Religioſos adſtringat.

VI. Ex Jure Canonico, & Pontificio conantur nonnulli obligationem deducere. Verum nullam reperi Pontificiam Conſtitutionem, vel ſacrum Canonem id præcipientem, communis eſt omnium, ac recepta ſententia, inquit Palaus *n. 1. cit. in princip.*, qua de re Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 10. n.* 15. Filliuccius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. quæſt. 7. n.* 133. Bonacina *tom. 1. de horis canon. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. n. 1. verſu Dixi ex conſuetudine.* Tamburinus *de Jure Abbatum diſp. 15. quæſt. 1. n. 1.* Bordonus *reſol. 30. n. 3. in fine*, aliique innumeri, unanimiter omnes affirmantes præfatam obligationem non oriri abſolute ex aliquo Jure, aut Textu canonico, eo quia Jus tale nec affertur, nec afferri poteſt; evidens ſignum non extare.

VII. Opponès Textum *Clement. 1. de celebr. Miſſar.*, in quo Regulares videntur obligari ad publicam pſalmodiam in choro hiſce verbis: *Sancimus, ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Eccleſiis horis debitis devote pſallatur:* hujuſmodi autem verba videntur eſſe præceptiva, maxime quia inferius additur: *Si Dei, & Apoſtolicæ Sedis indignationem evitare*

volue-

voluerint: Ergo ex vi legis canonicæ tenentur Regulares profeſſi pſallere in choro horas canonicas ſub lethali culpa.

VIII. ℟. 1. Cum Antonio a Spiritu Sancto *in Director. Regular. part. 2. tract. 3. diſp. 6. ſect. 11. §. 8. num. 1584.*, & aliis, Textum Clementinæ non ponere, ſed aliunde ſupponere obligationem, quæcumque iſta ſit, ſive ex peculiari Regularium Regula, & Inſtituto, ſive ex conſuetudine, ſive ex præcepto &c. Ita etiam Diana Coord. *tom. 3. tract. 6. reſol. 19. ex part. 10. tract. 14., & Miſcell. 4. reſol. 3.*, unde & *tom. 2.* Coord. *tractat. 1. reſolut. 87. num. 4.* habet: *Ex Clementina I. de celebrat. Miſſarum Regulares eſſe obligatos ad officium in choro juxta cujuſcumque conſuetudinem, & inſtitutam.*

IX. ℟. 2. Dictam Clementinam bene examinaram, & intellectam, non præcipere Regularibus canere publice horas canonicas, ſed tantummodo præcipere debitum modum, & tempus pſallendi, ad quoſdam tollendos abuſus, & inconvenientia aliqua valde gravia, quæ in Eccleſia Dei extabant, ut patet ex Textu ipſo, in quo hæc habentur: *Plerique Eccleſiarum Miniſtri, modeſtia Ordinis Clericalis abjecta, dum offerre Deo ſacrificium laudis fructum labiorum ſuorum in puritate conſcientiæ, & animi devotione debent horas canonicas dicere, ſeu pſallere, tranſcurrendo, ſyncopando, extranea quidem, & plerumque vana, profana, & inhoneſta intermiſcendo colloquia, tarde ad chorum veniendo, ſeu Eccleſiam ipſam abſque rationabili cauſa ante finem officii exeundo frequenter. Aves interdum portando, ſeu faciendo portari, caneſque ſecum ducendo venaticos &c.* Ex his autem verbis clare habetur, quod erat in illis temporibus abuſus pſallendi in choro horas canonicas extra tempus, & horas ab Eccleſia determinatas, indevote, vana, profana, & inhoneſta intermiſcendo, & alia perpetrando delicta (ut in Textu) ob quæ poſtea Summus Pontifex coactus fuit ſtatuere, *ut in Eccleſiis debitis horis, & devote pſallatur &c.* Et ne tranſgreſſiones hujuſmodi invaleſcant, aliiſque veniant in exemplum, Eccleſiarum Prælatis committit ſollicitam, diligentemque curam in illis exequendis adhibere, concedendo inſuper eiſdem Prælatis facultatem compeſcendi contradictores cenſura eccleſiaſtica, & aliis opportunis remediis. Non tamen ſtatuit, ut recitentur in choro horæ canonicæ, potiſſimum quia talis abuſus non canendi in choro, tunc non vigebat. Claret igitur, quod in dicta Clementina non ſit obligatio canendi in choro officium divinum, ſed præſupponitur, quæcumque poſtea illa ſit, & ex quocumque capite oriatur.

X. Prætenderunt alii præfatam obligationem choralem, vel privatam in Regolatibus choro addictis oriri ex eo, quod Regularium Eccleſiæ ſint Collegiatæ, quæ ſecundum omnes tenentur ad officium divinum in choro, immo ſunt inſtitutæ principaliter in hunc finem, ut tenent communiter Doctores. Verum Collegiatæ non ſunt Regularium Eccleſiæ, & conſequenter nec Regulares ſub hoc titulo obligantur ad chorum, quemadmodum ſentiunt Rodriquez *tom. 1. Quæſt. Regul. quæſt. 43. art. 12.*, Dian. *tom. 2. Coord. tract. 1. reſol. 83.*, Villabos *in ſumm. tom. 1. tract. 8. diffic. 19. num. 4.*, Hieron. Rodriquez *in compendio reſol. 25. de celebr. Miſſa num. 10.*, Peyrinus *de privileg. tom. 3. in addit. ad Conſtitut. Pyrrhi cap. 2. num. 19.*, Gavantus *ad Rubricas Miſſalis par. 3. tit. 22. num. 12.* Sanctor. de Melfi *in Statuta, & Conſtitut. S. Franciſci ſtatuto 6. verſu Verum appoſitum*, Paſqualigus *de Sacrificio Miſſa tom. 2. quæſt. 877. a num. 2.*, & alii.

XI. Et quod Regularium Eccleſiæ non ſint Collegiatæ, ſuadetur primo ex citata Clementina I. de celebratione Miſſarum, in qua diſtinguuntur Regularium Eccleſiæ a Collegiatis, nam ibi dicitur: *Necnon ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Eccleſiis*, ergo cum ſint a Collegiatis diſtinctæ Regularium Eccleſiæ, non ſunt Collegiatæ. 2. Quia ut tradit Gavantus *loco cit.*, Regularium Eccleſiæ appellantur proprie *Conventuales* ab Innocentio IV. *in Bulla ejuſdem 7. Bullarii*, ubi Flavius Cherubinus in *compendio Bullar. ſchol. 1.* notat, *eo titulo appellari ad differentiam Collegiatarum, quæ ſunt propriæ Canonicorum*. 3. Quia illæ dicuntur propriæ Eccleſiæ Collegiatæ, quibus aſſignantur beneficia, & redditus eccleſiaſtici, ut deputentur plures Sacerdotes, & Clerici Sæculares ad illarum ſervitium, & miniſterium, ut ſcilicet canant in choro horas canonicas, ut Miſſas celebrent, & hujuſmodi: ſed Eccleſiis Regularium eccleſiaſtici redditus hoc fine non aſſignantur, quia bona eccleſiaſtica, & eleemoſynæ non tribuuntur, ut canant in choro, & ut Eccleſiæ inſerviant, ſed ut ſolum Deo ſerviant juxta propriam Regulam, & Inſtitutum, ut diximus ſupra, & tradunt communiter Doctores, præſertim Filliuccius *tom. 4. tract. 23. cap. 4. quæſt. 7. n. 133.*, Diana *tom. 2. Coord. tract. 1. reſol. 87. &c.*, ergo non cenſentur propriæ Eccleſiæ Collegiatæ.

XII. Oppones primo Textum Concilii Trident. *ſeſſ. 22. de Reform. cap. 4. in princ.*, in quod videtur, quod Eccleſia Regularis ſit Collegiata; ſic enim habet: *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata Sæculari, vel Regulari Eccleſia &c.* Ex quo videtur tribuere Concilium qualitatem Collegiatæ, tam Sæculari, quam Regulari Eccleſiæ. 2. Quia alibi etiam in Jure, vel a Doctoribus Eccleſia Regularis vocata reperitur Collegiata.

XIII. ℟. Ad primum ex Paſqualigo *ibidem n. 6.*, quod Concilium ibi non tribuit Regulari Eccleſiæ qualitatem Collegiatæ, ſed diſtinguit etiam ipſum (ut facit & Textus citatus Clementinæ) tres ſpecies Eccleſiarum, Cathedralium videlicet, Collegialium Sæcularium, & Regularium, & qualitatem Collegiatæ tribuit ſolum Sæcularibus; quod declarat dictio *Vel*, ſic repetita. Cum enim habeat ex natura ſua disjungere, juxta *l. illud ff. de legat. 2. ubi Bald. & cap. Inter cæteras, de reſcript. ubi Panormit. numer. 4. Dec. num. 22.*, dum dicit *Vel Collegiata Sæculari*, eam disjungit a Cathedrali, & cum ſubdit *Vel Regulari Eccleſia*, hanc disjungit a Cathedrali, & Collegiata. Addit autem dictionem *Sæculari*, & non dicit ſolum *Collegiata* ut declaret qualitatem Collegiatæ convenire ſolum Sæcularibus Eccleſiis.

XIV. Ad 2. dicimus id evenire, vel quia nomen Eccleſiæ Collegiatæ ſumunt largo modo, & improprie, vel quia tractatur de materia favorabili, in quo caſu ſub nomine Eccleſiæ Collegiatæ comprehendi poteſt etiam Monaſterium Regularium; at non in odioſis, & quando agitur de inducendo onere, ut videre eſt apud Doctores communiter.

XV. Prætendunt denique communiter Doctores talem obligationem recitandi officium divinum in choro, vel privatim ortum habere ex conſuetudine recepta, & præſcripta in omnibus Religionibus, quæ choro reperiuntur addictæ. Verum de hac conſuetudine tractare reſervamus in ſequentibus paragraphis.

§. III.

An apud Regulares Eccleſias, in quibus eſt uſus Chori, adſit obligatio recitandi publice in Choro Horas Canonicas?

I. IN ſuperiori paragrapho ſatis refellimus plura Doctorum Capita, ex quibus eruebant, obligationem apud Regulares extare recitandi vel publice in choro, vel privatim horas canonicas; in præſenti vero, an revera adſit talis obligatio pro publica recitatione (de privata inferius tractabimus) ſummus examinare.

II. Hac in parte doctiſſimus Joannes Caramuel *in Theologia Regulari diſpat. 101. num. 1320. in princip.* ita ſcribit: *Communitates teneri ſub peccato gravi legere divinum officium, aſſerunt communiter Auctores: nullum legi, qui aſſerat contrariam, nullum, qui hanc obligationem demonſtret. Ne igitur ſingularis videar, ſupponam ea communi, non poſſe communitatem aliquam Benedictinam omittere officium divinum ſine culpa mortali.* Verum etſi præfatus Caramuel non legerit quempiam, qui oppoſitum aſſerat, duæ tamen ſunt inter ſe contrariæ ſententiæ, una negans obligationem ad recitandum, altera affirmans adeſſe, dicenique quo jure.

III. Pater itaque Marcus Vidal *in Arca Vitali Theologia Moralis tit. de horis canon. inquiſitione prima num. 33.* ſententiam tenens negativam (quam refert per extenſum Diana ubi infra) ait, ut ſequitur: Conſuetudo pene recepta in omnibus Religionibus canendi quotidie in choro publice horas canonicas, non obligat ſub mortali culpa Regulares, neque ſigillatim perſonas, neque communitatem, & ſuperiores locales, ita ut ſi aliquando deſiſtant canere in choro, etiam ſine gravi cauſa, non ideo ſunt condemnandi rei mortalis culpæ.

IV. Probatur aſſertio primo: Omnes fere Regularium Religiones canunt quotidie in choro horas canonicas ex conſuetudine tantum recepta in quavis Religione: ſed hæc conſuetudo non habet vim legis, & præcepti, ergo non obligat ſub culpa mortali. Major ut certa recipitur communiter a Doctoribus. Minor autem probatur; Conſuetudo tunc habet vim legis, ſive præcepti, quando a majori parte communitatis introducitur cum ſuperioris legitimi conſenſu, & recipitur communi animo ſe obligandi, & quando participat juſtæ legis conditiones, atque etiam obſervatur per modum præcepti, & obligationis; ſed nulla pene Religin introduxit talem conſuetudinem canendi in choro has intentione, & animo obſervandi illam per modum præcepti, & legis; ergo ſub mortali non obligat.

V. Secundo: Conſtitutiones fere omnium Religionum non obligant regulariter ſubditos ad illas obſervandas ſub culpa mortali; ergo neque etiam obligabit ſub mortali hæc conſuetudo canendi publice in choro horas canonicas. Antecedens ſupponitur verum, & certum, conſequentia probatur. Tum quia Regulares tenentur ex conſuetudine canere in choro juxta Regulam cujuſvis Religionis; ſed Regula non obligat ſub culpa mortali, ergo neque etiam conſuetudo. Tum quia iſta conſuetudo canendi in choro eſt orta, & dependet a Conſtitutionibus particularibus Religionum; ergo ſequitur earum naturam: at Conſtitutiones non obligant ad culpam mortalem, ergo neque conſuetudo ab ipſis dependens; quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, *leg. cum principali, ff. de regal. jur. cap. Acceſſorium de reg. jur. in 6.*, potiſſimum quando militat eadem ratio, ut in caſu noſtro: nam tam Conſtitutiones, quam conſuetudo canendi in choro tendunt ad idem bonum, & ad eumdem finem: ideo &c.

VI. Nec obſtat dicere, quod conſuetudo circa rem gravem, quaſi ſemper vim legis habeat, ergo obligat ſub mortali, ergo etiam hæc canendi in choro horas canonicas quotidie in Regularium Eccleſiis, cum ſit conſuetudo circa rem gravem, ut per ſe patet, ideo &c.

VII. Nam ℟. negando abſolute antecedens. Et ratio negationis eſt. Primo, quia dantur aliquæ conſuetudines, quæ habent vim legis, & tamen non ſunt de re gravi, & difficili, neque communiter ſervantur, Ita Paſqualigus *deciſ. 487. num. 3.* ergo &c.

VIII. Secundo: Cum eodem Paſqualigo *loco cit. num. 5.* in aliquo loco introduci poteſt ex devotione exercitium alicujus virtutis, quod ab omnibus communiter ſervetur, & ſit difficile, & etiam quod ſit res gravis; & nihilominus talis conſuetudo non obligaret ſub culpa ſaltem mortali; illa enim, quæ fiunt ex liberalitate, non introducunt obligationem, quia proveniunt

ex libera voluntate, quæ cum liberalitate operatur, ſe obligare non intendit, ergo.

IX. Tertio. Conſuetudo numquam vim legis præceptivæ habet, niſi ſit introducta, & inſtituta cum conſenſu Superioris, ac animo ſe obligandi, & tali etiam intentione obſervetur. Ita aſſerunt communiter Doctores, ut Suarez, Azorius, Rebellius, Reginaldus, Vaſquez, Fagundez, Filliuccius, Layman, Beccanus, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par. 3. tract. 2. reſol. 8. §. ſed hac opinio*. Nam ſicut lex quoad ſuam obligationem dependet ab intentione Legislatoris, ita etiam conſuetudo dependere debet ab intentione illorum, qui eam inducunt, cum participare debeat conditiones legis, ut vim legis habeat, aliter non obligabit, quia actus voluntarii non plus operantur, quam velint operari, *Lege voluntarie, sap. de excuſ. tut.*, *& leg. fin. Cod. ne uxor. pro mar.*, & actus agentium non debent operari ultra eorum intentionem, *leg. non omnes, ff. ſi certum, cap. ad Audiendam de decif.* ergo &c.

X. Quarto, In actionibus de conſilio, & liberis requiritur ſemper agentis intentio, per quam ſe obligare intendat ad aliquod opus, ut dicatur in conſcientia eſſe obligatum, ut patet in voto. Sed ut aliqua conſuetudo introducatur, eſt quid dependens a libera hominis voluntate, cum ſit quoddam jus non ſcriptum, quod continuo actuum ſimilium uſu naſcitur, ergo ad introducendam conſuetudinem obligantem in conſcientia, inter alia requiritur illorum intentio, qui eam introdunt, qua intentione ſe obligare in conſcientia velint, & intendant, Igitur conſuetudo recepta in Religionibus canendi quotidie in choro horas canonicas, cum non ſit introducta, & inſtituta hoc animo ſe obligandi ſub mortali, ſequitur, quod vim legis præceptivæ non habeat; quoniam ut ſentiunt Doctores communiter, conſuetudo numquam vim habet obligandi in conſcientia, niſi ſit de conſenſu illius, qui poteſt legem condere, & niſi ſit introducta hac intentione obligandi. Ita cum D. Thoma *par. 2. quaſt. 97. art. 3. ad* 1, aſſerunt Doctores, ut Suarez *de leg. lib. 7. cap. 9.* Reginald. *lib. 13. num.* 143., Filliuccius *tract.* 23. *cap. 6. num.* 97., Clavis Regia *lib.* 13. *cap.* 11. *num.* 5., Bonacina *de legib. diſp.* 1. *quaſt.* 1. *punct. ult. num.* 28. Sà *verbo conſuetudo n.* 4., Fagundez *in precepto* 1. *Eccl. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7., & alii. Sed Regularium Conſtitutiones apud plures Religiones, leges præceptivas obligantes ſub mortali culpa non habent, ergo neque etiam ullo pacto aſſerendum eſt, quod in illis Religionibus conſuetudo canendi in choro fuerit introducta hoc animo, ut vim legis præceptivæ habeat, cum dependeat ab Inſtituto, & Regula ipſarum Religionum.

XI. Hæc, & alia plura docet Pater Vidal *loco citato* pro ſua negativa ſententia, quam Antonius a Spiritu Sancto *in Direct. Regul. p.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 2. §. 8. *verſ. Dico primo, num.* 1584. dicit non eſſe improbabilem; ejuſdemque non improbabilitas.

XII. Confirmari poteſt primo ex doctrina, quam tradit P. Paſqualigus *de Sacrif. Miſſæ tom.* 2. *quaſt.* 889. *num.* 7. Quia tunc conſuetudo locum habet, & pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex, *cap. Conſuetudo, diſtinct.* 1. *ubi Gloſſa verb. cum deficit*. Et quando aliquid obſervatur communiter, quia ita lex præſcribit, non eſt dicenda conſuetudo, ſed obſervantia legis, & ut videatur, ex qua obligatione procedat, non eſt conſideranda conſuetudo, ſed quam obligationem lex imponat. Neque enim obſervantia legis inducit obligationem ſupra obligationem legis, ergo cum pſallere in choro quotidie horas canonicas apud Religiones ſit ex præſcripto ſuarum Coſtitutionum, non eſt in hoc inquirenda obligatio conſuetudinis, quia hæc conſuetudo obligativa non adeſt, ſed obligatio Conſtitutionum, ita ut præter hanc, nulla ſit alia obligatio. At Conſtitutiones, ut ſuppono, non obligant ad illatum obſervantiam ſub culpa lethali, ergo, &c.

XIII. Secundo. Confirmari poteſt ex lis omnibus, quæ in ſequenti paragrapho adducentur ad oſtendendum, quod conſuetudo recitandi privatim horas canonicas non obligat Moniales, aut Regulares in ſacris non conſtitutos, quæ proculdubio procedunt etiam pro publica, & chorali obligatione.

XIV. Adductam ſententiam P. Vidal refert, & tamquam ſingularem, & contra Theologorum omnium, etiam Regularium, communem, rejicit Diana *tom. 3. coord. tract. 6. reſol.* 19. *n.* 3., ubi ſic concludit: *Doctrina eſt communis inter Theologos circa obligationem recitandi horas canonicas in choro, quam habent Religioſi; unde caveant ipſi, opinionem contrariam in praxim deducere.*

XV. Communis quidem, imo communiſſima eſt omnium ſententia, in Eccleſiis Regularium adeſſe obligationem canendi publice in choro horas canonicas ſub peccato, & nullum quidem Doctorem legiſſe fatetur Caramuel qui ſupra, aſſerentem contrarium, ſed nec ullum, qui obligationem hanc demonſtret, adinvenit, uti nec ita facile eſt, talem obligationem demonſtrare. Unde & Oliverius Bonartius *de horis canonic. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. ait: *Communis ſententia Doctorum eſt hujuſmodi obligari: quo vero jure obligentur, laborant Doctores, quia difficile eſt obligationis radicem invenire*. Et quidem nos ipſi in præcedenti paragrapho retulimus, unaque refellimus multa Doctorum capita, quibus oſtendere conantur memoratam obligationem.

XVI. In ſuam aſſertionem communiter innituntur Auctores conſuetudini ubique in Religionibus receptæ, & præſcriptæ, vim legis obligantis habenti, ut expreſſe habent Sanchez *de Relig. tom.* 2. *de horis canonis. n.* 7. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *n.* 49., aliique fere omnes, quos propterea ſupervacaneum eſt recenſere. At huic communi concluſioni, atque rationi obſtare videtur præfata Doctrina ſuperius relata ex Patribus Vidal, & Paſqualigo, quæ ſatis valida, & concludens apparet, unde pro nunc.

XVII. Concludendum arbitror cum P. Paſqualigo, qui *quaſt. cit.* 889. *n.* 16. ait: *Cur ſit peccatum mortale omittere horas canonicas in choro, relinquo inquirendum ſuo loco: interim tamen dico, quod hoc peccatum committeretur ſolum a Superioribus, ad quos pertinet curare, ut celebrentur. Ideo autem peccarent, non quia conſuetudo obligaret, quia hoc verti poteſt in dubium, ſuppoſito quod Conſtitutiones illas præſcribant, & non obligent ad peccatum; ſed peccarent mortaliter, quia ratione muneris tenentur conſervare regularem diſciplinam, cujus præcipua eſt inſtitutum chori; unde omittendo horas canonicas, læderent inſtitutum, & diſciplinam regularem in notabiliſſima parte, & ideo peccarent mortaliter*; hinc eſt, quod Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 76. vocat Prælatos Regulares *Cuſtodes Regula, & Inſtituti*, & conſequenter tenentur ratione ſui muneris, & ſub reatu culpæ lethalis conſervare inſtitutum, ac diſciplinam regularem; quapropter ſi negligentes ſint ad extirpandas ſubditorum tranſgreſſiones etiam leves, ac ſinant regulares obſervantias, etiamſi non ſint ſub rigoroſo præcepto, damnum pati, ac detrimentum, a peccato mortali excuſari non poſſe putant communiter Auctores, inter quos Peregrinus *in Comment. Conſtit. Theatinorum in proæmio ſub verbo contemptum litt. B.* §. 1., Soto *De ratione tegendi, & detegendi ſecretum membro* 2. *quaſt.* 2. *concl.* 3., Vannez *in* 2. 2. *D. Thoma quaſt.* 33. *art.* 2. *dub.* 2., Suarez *de Charitate diſput.* 8. *sect.* 2. *num.* 6., A S. Fauſto *in Theſauro Religioſor. quaſt.* 152. *n.* 3., Peyrinus *de Prælato quaſt.* 3. *cap.* 3. *n.* 15., Didacus Sgroja *Lux Prælatorum par.* 1. *proœmiale cap.* 2. *n.* 11., & 12., ubi quampluri mos refert, ac citat idipſum docentes.

XVIII. Addit autem Paſqualigus: *Si vero innitamur conſuetudini, poſſet etiam dici, quod cum conſuetudo de horis canonicis ſit de aliquo tamquam neceſſario pro Inſtituto Religioſo, quia eſt de oratione fundenda, ad quam ratione ſtatus tenentur Regulares, ideo cum conſuetudo illas præſcripſerit tamquam illam orationem, quam ratione ſui ſtatus tenentur fundere Religioſi, fit, quod obliget ſub mortali.*

XIX. Quamvis autem ſpectet ad Prælatum, ſeu Superiorem communitatis, cui commiſſa eſt cura, & gubernatio illius, ut obligationes ejus executioni mandentur, ac per conſequens ſub gravi teneatur curare, ut per ſe, vel per alios obligationi chori communitas ſatisfaciat, ſi tamen Prælatus fuerit in hoc negligens, ſub eadem obligatione tenetur unuſquiſque particularis procurare, ne dictum officium omittatur in communi, quia devolvitur obligatio munerum, & officiorum communitatis ad ſingulas ejus perſonas, deficiente cura Prælati, ut tenent communiter Doctores; quapropter ſi ſubditi negligerent chorum, & divinum officium in choro ſine rationabili cauſa prætermitteretur, omnes forent in culpa, quia licet obligatio inſit toti communitati collective, ſinguli tamen diſtributive in ſolidum tenentur, utpote dictam communitatem conſtituentes, in caſu prætermiſſionis. Videantur Bordonus *reſol.* 30. *de horis canon. n.* 5. & Salmanticenſes *tom.* 4. *Theol. mor. tract.* 16. *n.* 4. *&c.*

§. IV.

Expediuntur nonnulla Quaſtiones circa publicam recitationem Officii Divini apud Regulares.

I. VIdimus in præcedenti paragrapho adeſſe gravem obligationem recitandi publice in choro divinum officium apud Regulares Eccleſias, cujus obligationis executio principaliter, & primario reſidet in Superiore, & ſecundario in ſingulis de communitate, ita ut ſinguli graviter peccent, ſi ſine cauſa dictum officium prætermittatur. Ceterum cum dicta obligatio inſit toti communitati collective, & non ſingulis diſtributive, fit, quod quoties ea per aliquos adimpletur, ad chorum non accedentes minime peccent, & quidem etiamſi ad chorum conſuetudine non accedant, ut bene Diana *reſolut.* 18. *de horis canonic.*, & Bonacina *diſput.* 1. *quaſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 8., quia Religioſi in particulari non adſtringuntur ad chorum, niſi ex vi ſuæ Regulæ, ſeu Conſtitutionum, quæ regulariter ad nullam culpam obligant. Et idem eſt dicendum de Monialibus.

II. Prælatus vero, quamvis ſpecialiter obligatus ſit curare, ne officium divinum in choro omittatur, non tamen ſpecialiori, quam alii, obligatione adſtringitur ibi aſſiſtendi, niſi tantum ob congruentiam propter bonum exemplum; quin potius ob occupationes, & negotia graviora ſui muneris facilius, quam alii, poſſet excuſari, quemadmodum docent Salmanticenſes *loco cit. num.* 5.

III. Poteſt tamen obligatio communitatis recitandi divinum officium publice ſufficienter impleri, ſi ad illud ſoli Novitii concurrant, quia Novitii in favorabilibus reputantur Religioſi, & ſic in præſenti cenſendum eſt per Religioſos fieri, quod per Novitios impletur, & quia Novitii ſicut profeſſorum gaudent privilegiis, ita poſſunt concurrere ad implenda onera illorum. Ita Salmanticenſes *ibidem num.* 6. & apud hos Pellizzarius, & Antonius a Spiritu Sancto, qui ad minus quatuor Religioſos aſſerunt convenire debere ad ſatisfaciendum tali obligationi, quia abſque tali numero non cenſetur ſufficiens communitas ad intentum, cum pauciores alternative reſpondere commode nequeant.

IV. Quæres primo, an excuſetur communitas Religioſorum ab obligatione chori, in parvis Conventibus, ſi ſolum in illis reſideant tres, aut quatuor Religioſi?

V. R.

Digitized by Google

V. ℞. Affirmative, quia tres, aut quatuor nequeunt commode divinum officium recitare publice in choro; id autem, quod commode fieri non poteſt, reputatur impoſſibile in jure, ac proinde nulli ſubjectum obligationi, & conſequenter illi duo, tres, aut quatuor non tenentur recitare in choro horas canonicas. Ita Salmanticenſes *loc. cit.* Pellizzarius *tom. 1. Manual. tract. 5. cap. 8. ſect. 1. qu. 23. n. 50.*, Thomas Tambur. *in Decalog. lib. 2. cap. 5. de Loris canon.* §. 1. *n.* 12., Bruno Neuſſer *de horis canon. diſp.* 13. *quæſt.* 9. *num.* 35. Bordonus *reſol.* 30. *num.* 8.

VI. Idem dicendum eſſe exiſtimant Salmanticenſes *l. c.* quando tametſi plures Religioſi ſint in Monaſterio, ſunt aliqui infirmi, vel in eorum aſſiſtentia occupati, aliiſque obligationibus gravibus præpediti, ſi quatuor, vel quinque non remaneant expediti ad officium in choro debite perſolvendum.

VII. Quæres 2. An Regulares ſint magis obligati Clericis Sæcularibus, Canonicis ſcilicet, & Beneficiatis pſallere publice in choro?

VIII. ℞. Regulares non tam arcte teneri pſallere publice in choro horas canonicas, atque Canonicos Sæculares, & Beneficiatos. Ita Bruno Neuſſer *de hor. canon. diſp.* 13. *quæſt.* 9. *num.* 34., Bonartius *cap. de hor. canon. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4., Baſſæus *verb. hora canon. p. n.* 8. *verſ. Religioſi ſingulariter*, Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 16., *&* 17. Bonacina *de hor. canon. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *n.* 8., Thomas Tamburinus *in Decal. lib.* 2. *cap.* 5. *tit. de hor. canon. num.* 12., Bordonus *reſ.* 30. *qu.* 2. *n.* 6. reddens ibi rationem, quia videlicet Regulares tenentur recitare in choro horas canonicas ex Regula, & uniuſcujuſque inſtituto, & Conſtitutionibus, quæ nullum fere Religioſorum obligant ad mortale, imo neque ſub veniali, Canonici vero, & alii Beneficiati ad id ex juſtitia tenentur, cum ob id etiam accipiant diſtributiones, & beneficium, *Cap. cum ſecundum, de præben. Cap. Quia per ambitioſam; de reſer. in* 6., hinc iſtis etiam præcipitur intereſſentia choro ſub pœna depoſitionis, *cap. finali. Si quis Presbyter diſt.* 29., Regularibus autem nullibi.

IX. Quæres 3. num Præfati Regulares juſta, & rationabili interveniente cauſa poſſint diſpenſare, ut non recitentur in choro horæ canonicæ?

X. ℞. Affirmative. Ita Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 51., aliique, & nituntur in eo, quod uti Superior poteſt in aliis Statutis Regulæ, & Conſtitutionum juſta interveniente cauſa diſpenſare, ita in obligatione chori, quæ nonniſi ex vi Regulæ, & Conſtitutionum, ut dicebamus, in Regularibus locum habet.

XI. Quæres 4. An Superiores permittentes aliquando ex leviſſima cauſa omiſſionem divini officii, etiam in totum, peccent mortaliter, item tolerantes duos, aut tres recitare illud poſt completorium, & non de nocte, vel matutinali tempore?

XII. ℞. Bordonus *reſol.* 30. *n.* 7., præſcindendo ab iſtis Regulis, quæ ſub culpa præcipiunt recitationem divini officii in choro, in aliis nullum eſſe peccatum ſaltem mortale præfatas permiſſiones, præſertim primam, & tertiam, quas nec cenſet veniales, utique vero peccatum veniale perniciosum in ſecundo caſu, quia choro non plene, & ut eſt debitum, ſatisfit, & conſequenter in hoc caſu vigilare debere Superiores, & magis expedire illud recitare in ſero poſt completorium, quam de nocte, vel mane cum paucis Clericis, cum perverſio temporis maxime apud Regulares nullum ſit peccatum ſaltem mortale, & ſic nec recitare matutinum poſt completorium. Clem. enim 1. de celeb. Miſs. præcipiendo etiam Regularibus, ut in ſuis Eccleſiis debitis horis pſallant divinum officium, non idcirco ponit obligationem ſimpliciter recitandi, ſed ſuppoſitæ adjecit tempus; cum autem ex ſupra probatis conſtet non eſſe rigoroſam hujuſmodi obligationem, cum laxior ſit illa, quam habent Collegiatæ, & Cathedrales, conſequenter obligatio temporis ſequitur obligationem recitationis, & cum hæc non ſit ſub mortali, oportet inferre eam eſſe ſub veniali tantum, & in quibuſdam Religionibus nullum peccatum. Quod autem non ſit peccatum mortale, docent Cajetanus, & Valentia, quos pro ſe citat Bonacina *diſp.* 1. *de hor. canon. quæſt.* 3. *punct.* 3. *num.* 7. §. *Ego contra Navarr. tom.* 4. *cap.* 3. *de Orat. num.* 63., *Regin. lib.* 18. *num.* 180., *& alios*. Hactenus Bordonus, quem omnino ſequitur Antonius a Spiritu Sancto *in ſuo Direct. Regul. part.* 2. *tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 11. §. 8. *num.* 1600. his verbis: *An autem in illis Religionibus, in quibus ſub mortali non præcipitur in ſuis Conſtitutionibus, ut recitentur quotidie in choro horæ canonicæ, poſſint Superiores ſine ullius culpa permittere aliquando ex leviſſima cauſa, ut omittantur in choro, vel in totum, vel in partem, & etiam ut matutinæ preces recitentur poſt completorium, & non de nocte matutinali tempore. Reſpondeo affirmative. Ita ex Valentia, Cajetano, Bonacina, & aliis Bordonus ſupra n.* 7., *Vidal ſupra num.* 95.

XIII. Baſſæus vero *verb. Horæ Canon. p. ſub. num.* 8. *verſ. ex quibus* ait: *Non eſt damnanda illorum Religioſorum conſuetudo, qui de ſuorum Superiorum licentia, certa aliqua die a choro vacant, ut corpus defatigatum recreent, quo frequentius poſtea aliis diebus ad pſallendum ſurgant, dummodo ſaltem duo in choro pſallentes relinquantur; cum de Jure Canonico Conventus, ſive Monaſterium, etiam ex duobus conſtet, ut innuit Gloſſa juncta textui c.* 10. *qu. p.* Nos tamen etſi præfata vera putemus, in ea tamen opinione verſamur, ut ſaltem quatuor in choro convenire debeant ad recitandas horas, quia etſi in duobus, aut tribus etiam ſubſiſtat Conventus, aut Monaſterium quoad eligendum ſibi Superiorem, non autem quoad recitandum officium publice in choro, ut bene Bordonus *loc. cit.* 7., & 8., Naldus tamen *in annot. ad diſt.* 5. *cap. non mediocriter* dicit ad uſum Chori tres ad minus requiri, & ſufficere. Quantum ad obligationem chori perpendenda ſunt, quæ infra dabimus de recitatione privata, quæ ſuccedit loco publicæ.

XIV. Quæres 5. Utrum Religioſi ſervitio Chori deputati, v. g. in pulſandis organis, libris transferendis &c. ſatisfaciant & obligationi, ſi propterea aliquam partem divini officii omittant illam non canendo, nec audiendo?

XV. ℞. Antonius a Spiritu Sancto *loco ſuperius cit. n.* 1599. affirmative, nam tunc chorus, cujus miniſterio ſerviunt, tam ſuo, quam aliorum miniſtrantium nomine recitat, ſicque ipſi cenſentur mortaliter recitare, modis dictis divino officio cooperantes uſu ſic permittente. Ita Layman, Arag., Reginald., Azor., Molpheſ., Nald., Villab., Cruz, Raphael de la Torre, quos refert & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 12. *reſol.* 13., quidquid in contrarium dicant Palaus, Suar., Bonacina, quos refert, & ſequitur Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 40.

§. V.

Num Viri profeſſi Regulares, carentes Sacris, ad chorum deputati, uti & Moniales, item choro addictæ, quando non interſunt publicæ pſalmodiæ in choro, teneantur privatim ſub mortali ſupplere, & recitare Horas Canonicas?

I. HAe in re duæ extant inter ſe contrariæ ſententiæ, negans una, ſuſtinens altera mordicus obligationem. Qui primam negantem ſectantur, ſunt Cajetanus *in ſummula verb. Horæ Canonicæ initio*; Bartholomæus Fumus *in ſua Summa*, *Armilla num.* 4., *&* 5., Joan. Medina *Cod. de Orat. quæſt.* 6., Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 29. *difficult.* 9. *dub.* 8., Alphonſus de Caſtro *lib.* 4. *de leg. pœn. cap.* 8. Martinus de S. Joſeph *in Monita Confeſſarior. tom.* 1. *lib.* 1. *de Ordine tract.* 10. *num.* 3. Aragon. *in* 2. 2. *D. Th. quæſt.* 83. *art.* 12. *verſ. explicatis jam duob.* Bruno Chaſſaing. *de Privil. par.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *propoſ.* 4., aliique infra citandi, quorum præcipuus eſt

II. Petrus Marchant. *in Tribun. Sacrament. tom.* 2. *tract.* 2. *par.* 2. *ſect.* 1. *quæſt.* 2. ita ſcribit. Regulares, ſive viri, ſive Moniales quæ ex vi Regulæ, vel voti ſpeciale præceptum non habent, ſub nullo peccato obligantur ad horas canonicas privatim recitandas. Ratio mea fundamentalis eſt: quia tantum onus ſine ſpeciali lege, vel titulo, ſub peccato mortali imponere, eſt jugum intolerabile, & violentum. Nec ratio conſuetudinis vim legis habentis aliquid concludit, etſi enim conſuetudinem ſanctam Religionum communiter negare non poſſimus; illam tamen conſuetudinem habere vim legis ad peccatum mortale obligantis, nullus probare poterit: nec vidi ullum, qui hoc probare intenderet; qui enim hanc vim conſuetudinis allegant, illam communiter ſupponunt, non probant.

III. Dico ergo primo: Sanctam conſuetudinem eſſe, ut Religioſi, ubi choro non interſunt, privatim horas canonicas, a quibus abſuerint, legant.

IV. Dico 2., hanc conſuetudinem receptam eſſe ſub titulo pietatis, & ſancti exercitii, quam qui prævaricaretur, indevotionis, & negligentiæ, ſeu defectus fervoris in rebus pietatis argueretur.

V. Dico 3. hanc conſuetudinem non habere vim legis, ut enim conſuetudo vim legis habeat, non ſufficit, ut communi ſenſu, & conſenſu ſit recepta ſimpliciter (recipi enim poteſt ob decentiam, pietatem, utilitatem, quæ in illa continetur) ſed requiritur, ut recipiatur per modum legis ſub peccato obligantis. Taliter autem receptam eſſe a Regularibus conſuetudinem illam communiter dicendi horas canonicas, abſolute negandum eſt.

VI. Dico 4. fictitium eſſe, conſuetudinem illam receptam eſſe per modum legis ad peccatum mortale obligantis; hoc enim abſque certo fundamento libere dicitur. Conſtans autem mihi eſt iſta regula; nullam legem, multo minus conſuetudinem, ad peccatum mortale obligare; niſi conſtet certo de fundamento tantæ obligationis.

VII. Dices 1. Multi ſunt in iſta opinione obligationis, quæ ſi tollatur plures Religioſi negligent horas legere. Reſpondeo, minus malum eſſe negligere, quam negligendo Deum offendere. Et cum opinio illa legitime fundata non ſit, melius eſt errorem, qui pluribus eſt offendiculum peccati, tollere, quam unum peccatum mortale permittere; quilibet enim ſcrupuloſus ſibi conſcientiam erroneam formare poſſet, & imprudenter hoc titulo conſuetudinis ſe in graviſſimos laqueos conſcientiæ præcipitare. Pii certe, & ſuæ ſalutis amatores attendentes fructus pietatis, & utilitatem, & ſanctam conſuetudinem Religionis, horas facile non omittent. Cur autem ob piorum diligentiam, incurios, & infirmos volumus exponere periculo peccati mortalis, & æternæ damnationis? Conſueverunt Religioſi certis horis orationi, & exercitationi mentali vacare; certis diebus diſciplinas ſumere; ex pietate certis diebus jejunare, officium Beatæ Mariæ Virginis recitare, quin frequenter ad illam conſuetudinem communem a ſuis Directoribus compelluntur, ergo peccant mortaliter illa omittendo, vel ex omiſſione hujuſmodi formanda eſt in illis conſcientia peccati mortalis, aut ubi erronee fundata eſt, continuanda? Hoc dicant cæci, qui cæcis ducatum præbentes, in foveam ruunt. Ego tali aſſertioni repugno.

VIII. Dices 2. Beneficiati ad horas tenentur, quia ex fundationibus propter officium vivunt, ergo & religioſi, qui ſive

fondationibus, ſive piorum oblationibus, & mendicationibus victitant, ſimiliter obligantur. Reſpondeo negando conſequentiam; fundationibus enim beneficiorum correſpondet preciſe canonicum officium ex debito juſtitiæ, & contractuum virtualium; fundationibus autem Monaſteriorum, ac oblationibus Piorum &c. correſpondent omnia, quæ facit Religioſus, utpote arcta Statutorum obſervatio, orationes, jejunia, diſciplinæ, auſteritates, doctrina, ſancta exempla &c.; quorum intuitu, titulo charitatis, Monaſteriis factæ ſunt, & in dies fiunt, eiſque, qui omnia pro Chriſto reliquerunt, rependuntur a ſapientiſſimo retributore Deo: Unde bene dicebat S. P. N. Franciſcus, Fratres ſuos mundo debere exercitationes pietatis, exemplum, & doctrinam: Mundum titulo charitatis debere illis victum, veſtitum, hoſpitium gratuita benignitate. Sufficienter itaque Religioſus exercitiis, & auſteritatibus Religionis ſatisfacit oblationibus, & eleemoſynis Piorum, nec privatim, & ſingulariter ad horas canonicas obligari poteſt. Hucuſque Marchantius.

IX. Contra Marchantii ſententiam, & doctrinam inſurrexit P. Ludovicus Bertrandus Loth Dominicanus, acrique cenſura eum momordit, illumque inculpat de exceſſu; unde idem Marchantius in ſui defenſam denuo calamum ſumpſit, & in quodam Opuſculo, cui titulus *Notabiles reſolutiones variorum caſuum* caſu 32. prolixe ſe, & egregie defendit. Et revera tam Regulares viros ſacris non initiatos, quam fœminas profeſſas ad horas canonicas non teneri, pluribus oſtendi poſſe videtur, &

X. Primo. Cum B. Joannes Capiſtranus in Vicariatus officio exiſtens declaraſſet in Regula prima S. Claræ contineri centum, & triginta præcepta Regularia (inter quæ cap. 3. Regulæ erat præceptum de lectione horarum canonicarum) in quorum tranſgreſſione Moniales peccatum mortale incurrerent, Eugenius IV. in Bulla *Ordinis ſui* de anno 1446., quæ habetur apud Emmanuelem Rodriquez, & eſt ejuſdem Pontificis 31. per ſequentia verba oppoſitum declaravit: *Cum nos id nimis durum, & periculoſum judicemus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum tranſgreſſione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ ſcilicet, paupertatis, caſtitatis, & clauſuræ, & ſuper electione Abbatiſſæ, & depoſitione, peccatum mortale incurrant.* Cum itaque in præfata Regula cap. 3. expreſſe præcipiatur, *ut Sorores litteratæ faciant divinum officium ſecundum conſuetudinem Fratrum Minorum*, & ab hujus præcepti tranſgreſſione, ſicut ab aliorum in Regula contentorum, removeat reatum peccati mortalis Pontifex, non diſpenſatione aliqua, ſed ſimplici declaratione, exploratum redditur, Moniales Ordinis S. Claræ, & conſequenter nec aliorum Ordinum, ad recitationem horarum canonicarum ſub peccato gravi nequaquam teneri.

XI. 2. Leo X. in Regula lata pro Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis S. Franciſci ſub tribus votis ſolemnibus in Congregatione viventibus, declarat eaſdem Sorores obligari tantum ſub peccato mortali ad tria vota eſſentialia, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & ad clauſuram eas, quæ illam expreſſe voverunt; cap. autem 4. ejuſdem Regulæ præſcribitur, *Quod Sorores, quæ horas canonicas ſciunt per ſe dicere, debeant illas ſecundum uſum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ perſolvere.* Ne autem Sorores putarent ſub mortali peccato ſe teneri, inſuper ibidem ita ſe exprimit, atque declarat Summus Pontifex: *Omnia, & ſingula in præſenti Regula contenta eſſe conſilia ad faciliùs ſalvandas animas viatorum, & nulla eſſe obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, niſi humano, vel divino jure aliquis alias eſſet obligatus.* Moniales igitur Tertii Ordinis S. Franciſci non tenentur ſub peccato mortali ad horas canonicas, ac conſequenter ruit conſuetudo illa univerſalis, vi cujus Moniales obligantur ſub peccato mortali ad horas canonicas.

XII. 3. Quia ultra ſuperius recenſitos non deſunt quampluzimi graves Doctores, qui Regulares ſacris non initiatos, atque Moniales eximunt ab onere recitandi horas canonicas, atque proculdubio afferunt validas rationes, diſſolvuntque egregie, quæcumque in oppoſitum adduci unquam poſſunt. Quoniam vero nimis longum foret, hæc omnia referre, idcirco ſufficiat Auctores hoſce indicaſſe, ut Lector, ſi voluerit, eoſdem conſulere queat. Sunt autem Leonardus Leſſius in *Reſol. caſuum conſcientiæ poſt* 1. 2. *D. Thomæ verb. horæ canonicæ caſu* 14., Georgius Gobat *in Alphabeto officii recitandi, caſu* 23. *num.* 570., *& num.* 632., & alibi, Franciſcus Bordonus *Conſil.* 30. *a num.* 1. *uſque ad* 4. *incluſive*, Bruno Neuſſer *tract. de horis canon. diſp.* 11. *quæſt.* 3., Antonius Cotonius *in ſuo opere Controverſiarum lib.* 3. *controverſ.* 3. *de horis canon. cap.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 22., *&* 23. aliique.

XIII. 4. Quia hujuſmodi negativa ſententia probari poteſt ex doctrina P. Paſqualigi *de Jejun. deciſ.* 69. *num.* 3. *&* 4., nulla enim conſuetudo obligat ad mortale, etiamſi ab immemorabili tempore introducta ſit, niſi introducta fuerit cum animo ſe ad mortale obligandi, & quatenus introducta cum tali animo, a Superioribus approbata (ut communiter Doctores) unde immemorabiles conſuetudines, ut recitandi Salutationem Angelicam, Litanias B. Mariæ, vacandi orationi mentali, & aliæ hujuſmodi, quæ apud Regulares vigent, non cenſentur obligare, quia abſque dicto animo ſe obligandi ad mortale ſunt introductæ. Immo etiamſi approbetur conſuetudo a Superiore tamquam inducta ex animo ſe obligandi, & revera cum tali animo inducta non ſit, neque adhuc obligat, quia approbatio procedit ex falſa ſuppoſitione, & ideo non poteſt ſubſiſtere, cum non ſubſiſtat fundamentum, ex quo procedit. Cum autem in caſu noſtro conſuetudo recitandi privatim horas canonicas a Profeſſibus carentibus Sacris, & a Monialibus, inducta ſit in Religionibus ex conſuetudine ſecundum Regulam (per omnes) quæ non obligat ad peccatum, ſtat præſumptio conſequenter, quod conſuetudo, pariter inducta potius fuerit ex devotione, non autem ex animo ſe obligandi; nullum enim extat fundamentum, ex quo inferri poſſit, Regulares ex alio fine conſueviſſe recitare horas, quam ut Regulæ, & Conſtitutionibus ſatisfacerent; ſi autem ex hujuſmodi conſuetudine liceret inferre obligationem ad culpam, jam tranſgreſſio omnium eorum, quæ ordinantur in Regula, & Conſtitutionibus, erit peccatum mortale, quod nemo dicet. Recolantur quoque, quæ ſuperius data ſunt in paragrapho tertio ad oſtendendum, conſuetudinem publicæ pſalmodiæ in choro haudquaquam apud Regulares eſſe obligatoriam; a fortiori enim militant pro privata recitatione.

XIV. 5. Quia dum certe non conſtat de intentione, qua introducta fuit hujuſmodi conſuetudo, ad minus dubium eſt, quod introducta fuerit cum animo ſe obligandi; in dubiis autem melior eſt conditio poſſidentis, ut notant paſſim Doctores, & cum unuſquiſque poſſideat ſuam libertatem, poteſt eam retinere, & uti jure ſuo, nec tenetur eam ſubdere obligationi incertæ. Item & dum in dubiis verſamur, præſumere debemus potius devotionis cauſa, quam obligationis fuiſſe introductam dictam conſuetudinem, uti docent Serra, Gallego, & alii plures apud Mendo, & plurimi alii, quos plena manu congerit, & ſequitur Paſqualigus *in Tract. de ſacrificio Miſſæ quæſt.* 411.

XV. 6. Quoniam etſi de conſuetudine fere omnes teſtentur, tamen cum ſit quid facti, difficile eſt de ejus ſubſiſtentia judicium ferre; quapropter ut bene Bordonus *loco citato* aſſerit, ea conſuetudo refertur ad chorum, non præciſe ad deputatum ad chorum, quando abeſt, nam conſuetudo in vim legis obligans, non inducitur ex actibus privatis, ſed publicis, & manifeſtis, ut docent communiter cum Bonacina *de conſuetudine num.* 26.; officium autem extra chorum dicitur occulte, & non manifeſte; ergo ſignum eſt, eam conſuetudinem referri ad Profeſſum, non ut ſic, ſed quatenus recitat in choro. Idipſum docent Cajetanus, & alii, qui aſſerunt conſtare quidem de conſuetudine, qua Moniales conſueverunt publice horas canere, non tamen ſatis conſtare de conſuetudine, qua tantum vinculum ſingulis privatim ſit impoſitum.

XVI. 7. D. Thomas *Quodlib.* 9. *q.* 7. *art.* 15. *in corp.* nos monet, ut ſequitur: *Periculoſe determinatur, aliquid eſſe peccatum mortale, niſi expreſſa veritas habeatur*: quod & confirmat 1. 2. *quæſt.* 107. *art.* 4. *in corp.* provida hac ſua, & S. P. Auguſtini monitione: *In iis, quæ ex inſtitutione Sanctorum ſuperaddita ſunt præceptis naturæ, Chriſti, & Apoſtolorum, moderationem attendendam eſſe, ne converſatio fidelium oneroſa reddatur*; hinc huc ſpectat generalis illa ratio, quam in materia de horis canonicis promit Aragonius *in* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *in titulo* 30. *concluſ.* 3. his verbis: *Certe videtur durum, & a chriſtiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quod peccet mortaliter ſine evidenti, & certa ratione*; unde & Gobat *in Alphabeto ſacrificantium caſu* 21. *num.* 702. *&* 703. habet: *Mihi diſplicet, aſſerit, aliquid eſſe peccatum etiam veniale, & conſequenter extare aliquod præceptum, quando non habetur ſufficiens fundamentum. Et longe horreo noxam lethalem aſſerere, niſi vel clara ratio, vel auctoritas irrefragabilis coget*, quod ſimiliter aſſerit *in Alphabeto recitantium Breviarium caſu* 23. *num.* 723. *in fine*. Cum itaque in noſtro caſu nec auctoritas aliqua irrefragabilis, nec clara habeatur ratio obligationis præfatæ ſub gravi peccato, ideo haudquaquam eſt aſſerenda.

XVII. Objicies 1. Emmanuel Sà *verb. horæ canonicæ num.* 1. cum ſcripſiſſet: *Quidam tamen & Moniales, & eos omnes, qui non ſunt in ſacris, obligatione liberant (quod etſi probabile) non eſt uſu receptum*: a Magiſtro Sacri Palatii correctus fuit, & ex ejuſdem ordinatione expuncta fuere illa verba (*quod etſi probabile*), quibus probabilis talis ſententia judicabatur, ut videre eſt in editione Romana, & in aliis expurgatis, quæ poſtea factæ fuerunt.

XVIII. ℞. Marchantium, & Leſſium non multum curare de dicta correctione Sa, utpote quæ reapſe non excedit cenſuram a privato Doctore factam; ideo autem correctus fuit, ac expurgatus, quia tunc temporis communis erat contraria opinio, & illa prædicti Sà admodum ſingularis, ut nec tuta cenſita ſit in conſcientia. Aſt cum poſtea plures, & non inferioris notæ advenerint Doctores, qui nedum illam amplectuntur, verum etiam novis argumentis, & ſolidis, ac fundatis rationibus roborant, eamdemque vocant nedum probabilem, ſed abſolute veram, piam, atque ſecuram, idque abſque correctione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſcrupulo ullo Inquiſitorum paſſim admittatur, ut experientia ipſa conſtat in ſuperius laudatis Auctoribus, idcirco non plurimi facienda venit correctio memorata Emmanuelis Sà; & præſertim quia pro hujus ſententia extare videntur duo Pontifices Summi Eugenius IV. & Leo X. ſupra relati, quorum primus ſententiam obligantem ſub gravi Moniales ad divinum officium *nimis duram, & periculoſam* judicare videtur in ſuperius ejuſdem recenſitis verbis.

XIX. Objicies 2. Communis olim erat, & communiſſima ſententia præfatam aſſerens obligationem, cui pene innumeri ſubſcribunt Auctores; ergo ad hos expugnandos, illamque infirmandam non ſufficere poteſt ſuperius recenſitorum paucorum auctoritas.

XX. ℞. Quod olim ante Sotum communis etiam erat opinio, omnem beneficiatum ſub peccato mortali teneri quotidie ad horas canonicas, quantumvis beneficium ſolum duos, aut tres aureos ei penderet; & ita conſuetudine, & Doctorum opinione tenebantur ſub mortali. Verum poſtquam Sotus præclaro judicio docuit contrarium, paſſim cœpit illa rigida ſententia exoleſcere. Simili modo putabatur eſſe peccatum mortale facere Sacrum ante preces matutinas; aſt talis obligatio ſtatim evanuit quoad gravitatem peccati mortalis, ſimul atque oſtenſum fuit, eam ſolido fundamento minime niti. Idipſum factum extitit in pluribus aliis opinionibus, atque ſententiis, in quarum recenſione ſupervacaneum putamus hic immorari, quas inter eſt caſus præſentis quæſtionis.

XXI. Objicies 3. plura Pontificia privilegia Regularibus, & Monialibus facta, per quæ cum ipſis fit diſpenſatio, aut commutatio horarum canonicarum; ergo ſupponunt Summi Pontifices in iiſdem obligationem. Hujuſmodi privilegia a nobis recenſita fuere in Dec. ultimo Cap. præcedentis.

XXII. Reſpondet Bruno Neuſſer, atque Cotonius *locis citatis*, ſæpe concedi privilegia, quia petuntur, ſeu per eadem concedi, quod petitur, quidquid poſtea ſit de obligatione, necne ejus, in qua fit diſpenſatio, vel commutatio; & hoc non crederem, nec ab Adverſariis ipſis, ſaltem univerſim, negatum iri poſſe. Addit Cotonius ſupponi potuiſſe in iiſdem obligationem ex Regula, vel Conſtitutione peculiari.

XXIII. Reſponderi itidem poteſt ex Paſqualigo *de Jejunio quæſt.* 415. *num.* 4., ubi ait, quod licet quandoque aliquod Pontificium privilegium non ſit neceſſarium, eſt tamen utile pro ſedandis conſcientiis reſpectu illorum, qui opinionem amplectuntur. Patens eſt itaque, quod memorata privilegia non ſunt inutilia, nec otioſa ad ſedandas conſcientias illorum, qui ſunt in opinione obligationis, aut ſuper hanc obligationem valida dubietate tenentur, ac ad tollendos quoſcumque ſcrupulos, quibus præſertim anguntur Moniales. Hoc autem maxime procedit in noſtro caſu, in quo ſententia ſuſtinens obligationem admodum communis eſt, nec ſuis caret rationibus.

XXIV. Objicies 4. præcipuum omnium contrariæ ſententiæ Auctorum fundamentum, diuturnam nempe, antiquiſſimam, & immemorabilem conſuetudinem, quæ licet initio ſui vim legis obligantis forſitan minime habuerit, nihilominus temporis progreſſu incepit legitime præſcribi, & conſequenter tranſacto tempore ad præſcriptionem requiſito, vim legis habere cœpit: eo pacto, quo, ut notant Doctores de Legibus, incipiunt aliæ conſuetudines, etiam contra legem ipſam, præſcribere; initio enim ſui vim legis non habent, ſed pedetentim progredientes, tranſacto tempore a præſcriptione requiſito, ſtricte obligant, vimque legis habent.

XXV. ℞. Ex dictis jam ſatis corruere hoc argumentum ex conſuetudine petitum, unde in ejuſdem ſolutione non eſt diu immorandum, ſed curſim repetenda nonnulla, quæ fuſius ſupra proſecuti fuimus; plura enim exiguntur ad hoc, ut conſuetudo aliqua obliget, & vim legis habeat. Primo, ut ea introducta ſit animo ſe obligandi, & non ex ſimplici devotione; quoniam ut ſuperius, & præſertim in paragrapho tertio dicebamus, uti lex quoad ſuam obligationem dependet ab intentione Legiſlatoris, ita etiam conſuetudo dependere debet ab intentione illorum, qui eam inducunt, cum participare debeat conditiones legis, ut vim legis habeat; alias non obligabit, quia actus voluntarii non plus operantur, quam velint operari, & numquam ultra intentionem agentium; & quidem alias Regulares Ordines ſub gravi peccato tenerentur ad plura ſancta, & ſalutaria exercitia, quæ ex inveterata conſuetudine ſemper cuſtodierunt, ac ex devotione aſſumpſerunt, ut certis horis orationi, & exercitationi mentali vacandi, certis diebus diſciplinas faciendi, jejunandi, litanias, aut officium B. Mariæ recitandi &c. 2. Quia conſuetudo vim legis habet, & pro lege ſuſcipitur, quando deficit lex; quando autem aliquid communiter fit, quia adeſt lex, quæ ita faciendum præſcribit, tunc conſuetudo legem non facit, ſed ipſa non eſt niſi obſervantia legis, quapropter pro inveſtiganda obligatione, quæ urget, conſideranda non eſt conſuetudo, ſed quam obligationem imponat lex; quia obſervantia legis non inducit obligationem ſupra obligationem legis. Cum itaque in Regularibus Ordinibus adſit lex, nimirum eorum Regulæ, aut Conſtitutiones, quæ præfatam recitationem præſcribunt, ex quibus ortum utique habuit conſuetudo, quæ allegatur, idcirco dicta conſuetudo non habebit majorem obligationem, quam inducant dictæ Regulæ, & Conſtitutiones, & ex his utique dignoſcetur etiam animus, quo dicta conſuetudo introducta, & continuata extitit, quapropter cum Regulæ, & Conſtitutiones non præſcribant dictam recitationem ſub gravi aliquo peccato, quinimmo regulariter ſaltem ſub nullo, ſequitur, quod nec magis obliget conſuetudo prætenſa, ac conſequenter, quod neque introducta fuit, ac continuata animo ſe obligandi; acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. Verum videantur ſuperius dicta, ex quibus utique penitus evaneſcit adductum argumentum, & præſertim cum nec deſint inſignes Doctores, qui de conſuetudine recitandi extra chorum ſe nil ſcire aſſerant, unde cum ea incerta ſit, ſuper eam fundari non poteſt certa obligatio, quæ cum ſit res valde odioſa, præſumenda non eſt, niſi ubi neceſſitas cogit, & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis libertatem; quinimmo & in dubiis de intentione eorum, qui dictam conſuetudinem introduxiſſe dicuntur, præſumendum eſt defuiſſe animum ſe obligandi, ut docet Suarez *de legibus cap.* 15. *n.* 13., quia in dubio nemo præſumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta, ubi moraliter certa non ſint.

XXVI. Dices. Quidquid ſit, an hujuſmodi conſuetudo vim legis obligantis ab initio habuerit, nihilominus temporis progreſſu viri ſapientes exiſtimarunt communiter præfatam conſuetudinem obligare, ergo ſaltem tractu temporis per ejuſdem continuationem vim legis obligantis acquiſivit.

XXVII. ℞. Id putaſſe ex ignorantia, & errore, in quantum quod crediderunt adeſſe præceptum, vel ſaltem conſuetudinem obtinuiſſe ab initio vim legis, conſuetudo autem, quæ fundatur in ignorantia, & errore, non poteſt acquirere vim legis, ut habetur *in cap. conſuetudo diſt.* 8., ubi dicitur, *conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*, & ut communiter fatentur Doctores de legibus. Ratio autem eſt, quia error, & ignorantia facit, quod ex ipſa, & tali pacto operans, non habeat intentionem ſe obligandi, ſed potius ita operetur, quia putat ſe eſſe obligatum, unde cum conſuetudo non acquirat vim legis, niſi interveniat animus ſe obligandi, neque hic interveniat, non poteſt conſuetudo acquirere vim legis; hinc Joannes Sanctius *in Selectis de Sacram. diſp.* 54. *num.* 33. juxta hanc communem doctrinam concludit: *Conſtito igitur ex ignorantia comparatam fuiſſe conſuetudinem quatenus arbitrabantur homines devinctos ſe eſſe operari, quia a lege erat imperatum, quæ tamen id minime juſſerat, deinceps ad operandum non erunt conſtricti, nec lege ſcripta, quæ non extat, nec conſuetudine, quæ tunc eſt effectus legis imaginariæ.* Ad rem refert caſum quemdam Bardi *in ſelectis moralib. lib.* 8. *quæſt.* 2. *nu.* 18., videlicet, quod olim in Siciliæ Regno, præſertim apud Univerſitates remotiores ab exterorum commercio, magna Vulgi pars exiſtimabat ſine Bulla eſſe abſtinendum a lacticiniis die veneris, & ſabbati per totum annum, quamvis in hos dies jejunia Eccleſiæ non incidiſſent, & quia exiſtimatio iſta oriebatur ex ignorantia, idcirco viri ſapientes populum a tali ignorantia liberarunt, oſtendentes hujuſmodi obligationem non reperiri. Conſuetudo igitur, quæ in ignorantia fundatur, vim obligandi non habet, & cum talis præſumatur eſſe conſuetudo recitandi privatim horas canonicas a Regularibus in ſacris non conſtitutis, & a Monialibus, quando abſunt a choro, idcirco eos, & eas minime obligari aſſerendum eſt; hinc in citato cap. *Conſuetudo* habetur: *Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire non debet, quominus veritas prævaleat, & vincat.*

XXVIII. Objicies 5. Prælati, & Superiores reprehendunt, & etiam puniunt ſubditos, vel ſubditas non recitantes privatim horas, quando abſunt a choro, ergo opus eſt, ad horas teneantur.

XXIX. ℞. Quod id faciunt Prælati, eo quod inter obſervantias, & conſuetudines regulares extat privata etiam horarum canonicarum recitatio, & cum iidem ſint cuſtodes Regulæ, & Conſtitutionum, incumbit ipſis ſub peccato invigilare, atque exigere a propriis ſubditis earumdem obſervantiam. Et quatenus id facerent Prælati ex eo, quod putarent conſuetudinem obligare, oppoſitam ſententiam ſequentes, ſecundum quam poſſunt judicare, non dant conſuetudini vim obligandi, ſed illam relinquunt in ſuo ſtatu, cum hæc ſit ſpecialis ipſorum opinio, quæ (ut ait Paſqualigus *de Jejun. Deciſ.* 69. *num.* 6.) non notificat nobis animum eorum, qui dictam conſuetudinem introduxerunt.

XXX. Objicies 6. Ex Bardi *quæſt. cit.* 2. *num.* 14., nulla in jure communi invenitur lex, quæ obliget Diaconum, & Subdiaconum, ad recitandum divinum officium, ut etiam oſtendit Leſſius *diſp.* 9. *num.* 44., & 45., ubi concludit obligationem hanc fundari in antiqua conſuetudine. Rurſus in pervigilio Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & Feſti omnium Sanctorum, eſt jejunium obligans ſub gravi, & non ex lege poſitiva, ſed ex conſuetudine: contra quam ſi quis argueret, non eſſe legitime præſcriptam, & non conſtare de intentione, qua inducta fuerit, ex devotione, an ex obligatione: vel ſi dicat procedere poſſe ex errore hanc exiſtimationem de obligatione ſervanda, ſi quis, inquam, ita argueret, eſſet repellendus, quia ſufficit per tot ſæcula ita fuiſſe a ſapientibus, & piis viris judicatum: Ita etiam & ego dicam de conſuetudine recitandi apud Regulares, & Moniales, cum nullum prorſus diſcrimen appareat. Ita argumentatur Bardi *loco cit.*

XXXI. ℞. 1. Eſſe diſcrimen, quia conſuetudo recitandi privatim in Religionibus non eſt proprie conſuetudo, ſed obſervantia Conſtitutionum, quæ non obligant ad peccatum, ſicque nec recitatio ipſa privata, quæ ab iiſdem ortum habet. Item talis conſuetudo cum pendeat a dictis Conſtitutionibus, legem novam non facit, nec novam obligationem inducit, conſtatque aperte, qua intentione, ac animo fuerit inducta. Non ſic autem evenit in adductis aliis caſibus.

XXXII. ℞. 2. Diaconos, & Subdiaconos teneri ab horas canonicas ex Jure canonico, & in ipſo Jure tale onus imponi; ad hoc enim ordinantur in ſacris, ut Eccleſiæ inſerviant, ac proinde æquum fuit, ut Eccleſia illis tamquam ſuo miniſterio mancipatis, hoc onus imponeret. Sic Canoniſtæ apud Leandrum *part.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 13. *quæſt.* 8. *Verſ. Negant deinde*, unde ibi: *Teneri Subdiaconos ad divinum officium recitandum Jure Canonico, & Eccleſiaſtico, habito in Cap.* 1. *de Celebr. Miſſar.*, *quod (ut inquit Navarrus) ad verbum eſt Caput Presbyter* 93. *diſt. affirmant communiter Canoniſtæ, & alii apud Bonacinam, quos ipſe ſequi videtur, de horis canon. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *n.* 1., *Machado lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 1. *deciſ.* 14. *num.* 1. Eſto autem, quod Diaconi, & Subdiaconi ad penſum officii divini, non ex aliquo ſcripto, & canonico Jure tenerentur, ut contendit Leander *quæſt. cit. verſ. Sed probabilius*, eo quia per ipſum Navarrum, & alios citati Textus de ſolis

Sacer-

Sacerdotibus loquuntur, tenentur tamen lege naturali divina (inquit idem Leander) determinata per univerſalem conſuetudinem, eos ad idem penſum obligantem ſub mortali per omnes, nemine excepto; quod per omnes, ut patet ex dictis, non obligat juniores Profeſſos, nec Moniales.

XXXIII. Quantum vero ad pervigilia Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, extra controverſiam non eſt, an obligent ſub gravi culpa, ut videre eſt apud Paſqualigum *de Jejunio deciſion.* 171., & 172., hinc & alicubi in Vigilia Pentecoſtes reipſa non jejunari docet Guyetus *lib.* 1. *cap.* 17. *quæſt.* 6. Verum de his alibi ſermo inſtituitur, & habebitur.

XXXIV. Objicies 7. nam Summi Pontifices in conceſſione officiorum pro Eccleſia, præſertim univerſali, hæc verba ut plurimum aſſolent adhibere: *Ab univerſo Clero Sæculari, & Regulari utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari mandamus*. Supponunt itaque Moniales ad horas canonicas teneri, ac conſequenter etiam Regulares viros, nondum ſacris initiatos. Idipſum deduci poteſt ex præſenti Decreto, in quo deciſum habetur, Moniales *teneri* ad recitandum de Patrono principali loci &c.; ſi enim ad officium divinum non tenerentur, nec ad recitanda prædicta officia utique teneri valerent.

XXXV. ℞. 1. Præſupponere obligationem ad recitandas horas publice, & in choro, de qua nos ſuperius egimus, non autem privatim, & extra chorum, de quo impræſentiarum quæritur. Vel 2. Supponere obligationem, quæ in Monialibus adeſt ratione earumdem reſpective Regulæ, vel Conſtitutionum, adeoque vel ſub gravi, vel ſub levi culpa, aut adhuc tantummodo ſub pœna, vel ſub conſilio, prout regulares obſervantias, quas præſcribunt, jubent dictæ Regulæ, aut Conſtitutiones.

XXXVI. Ex dictis abunde patet, ſententiam negantem Regulares ſacris non initiatos, atque Moniales ad horas canonicas privatim recitandas teneri, admodum probabilem eſſe, & tuto in praxim deduci poſſe, atque adeo ad ſervandam aſſertam conſuetudinem in iiſdem ſufficere obligationem ad pœnam, & caſtigationem regularem, ſicut ſufficit ad alias regulas, & ad diſciplinam religioſam ſervandam, uti aſſerit Leſſius *loco cit.*, ubi aliam dicit eſſe rationem de beneficiatis, & ordinatis. *Beneficiati enim ſtipendia ab Eccleſia accipiunt, ut officium divinum perſolvant, unde inſtar mercenarii tenentur ex quaſi contractu, & officio: ordinati vero ordine ſacro ſponte ſe in miniſterium Eccleſiæ tradiderunt: ad hoc enim ordinantur, ut Eccleſiæ ſerviant; ac proinde æquiſſimum fuit, ut Eccleſia illis, tamquam ſuo miniſterio mancipatis, hoc onus imponeret. Moniales vero non ideo deſerunt ſæculum, & ſe in Monaſterium abdunt, ut aliquod Eccleſiæ miniſterium obeant, aut ut ſtipendia ab Eccleſia percipiant, ſed ut ſuæ perfectioni vacent, & Deo ſerviant; alimenta gratis percipiunt, ut pauperes. Itaque ex hoc capite nulla fuit ratio tam gravis vinculi imponendi. Et ſane cum illæ ſæculum deſerant, omnes opes, voluptates, propriam voluntatem, & in latebras perpetuas ſe abdant, ut occaſiones peccatorum vitent, & liberiori ſpiritu Deo ſerviant, parum videtur humanum, ſi novus ille laqueus illis injiciatur, & ſub peccato mortali ad preces tam longas, & multiplices, quas non intelligunt, adſtringantur. Sat enim ipſæ ſibi oneris imponunt, cum tribus votis ſe obſtringunt, & diſciplinæ Religionis ſubjiciunt. Quis novam illam obligationem adeo gravem non reformidet? Non eſſet hoc ſacras Virgines ad Religionem allicere, ſed abſterrere*. Ita Leſſius de Monialibus; tu autem eadem applica etiam ad Regulares viros in ſacris non conſtitutos.

XXXVII. His tamen haudquaquam obſtantibus nos non putamus eſſe recedendum ab affirmativa communiſſima ſententia, cujus fautores enumerat Bardi *quæſt.* 1. *cit.* §. 2. *num.* 3., non quidem omnes, ſed uſque ad ſeptuaginta. Ducimur autem primo, quia conſuetudinem perſolvendi privatim officium canonicum a Religioſis in ſacris non conſtitutis, & Monialibus, qui chorum profitentur, & ex ſua profeſſione choro adjiciuntur, non ex devotione dumtaxat, ſed ex vero animo ſe obligandi, introductam fuiſſe arbitramur. Hoc autem exinde conſtat, quia tres conditiones aſſignant communiter Doctores ad cognoſcendum, quando conſuetudo ex animo ſe obligandi cenſeatur introducta, quas in hac, de qua loquimur, nullus cordatæ mentis negabit reperiri. Prima, quod materia ſit gravis, a populo, vel a majori parte continuo obſervata abſque interruptione, quia non ſolent tanta firmitate ſervari, quæ ſolum ex devotione fiunt. Secunda, ſi Superiores graviter reprehendant, aut puniant non obſervantes talem conſuetudinem. Tertia, cum prudentes, & timorati male ſentiunt de his, qui non obſervant talem conſuetudinem, vel communiter populus ſcandalizatur, exiſtimans tranſgreſſores talis conſuetudinis peccare. Quis non videt in conſuetudine, de qua loquimur, tales conditiones reperiri? Nec putandum eſt, primos introductores prælatæ conſuetudinis ex errore proceſſiſſe; quin potius credendum eſt, eos ex motione Spiritus Sancti motos fuiſſe ad eam introducendam, ex certa ſcientia, vel ſaltem non ex errore, putantes ſe aliqua lege eccleſiaſtica adſtrictos eſſe, ſed ſe voluiſſe obligare, ſive alias obligati eſſent, ſive non eſſent, quia illi non ad has verſutias attendebant, ſed ad id, quod erat magis ſanctum, & perfectum, & quod majorem facultatem præbebat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Et quidem non alia utique ratione ſuperius recenſita jejunia in pervigiliis Pentecoſtes &c. cenſentur communiter obligatoria ſub culpa gravi, niſi quia in iiſdem concurrunt memoratæ conditiones. Ceteræ rationes dabuntur infra in Coronide.

XXXVIII. Dices 1. Conſuetudo, quæ eſt juxta legem, non facit novam legem, ſed eſt quædam obſervantia legis, nec inducit novam obligationem, ſed illam, quam lex imponit, ut dictum eſt ſupra; talis autem eſt conſuetudo, de qua impræſentiarum ſermo eſt.

XXXIX. ℞. Verum id eſſe, quoties conſuetudo eſt juxta legem tam quoad rem præceptam, quam quoad modum obligandi ab ea taxatum; tunc enim non obligat amplius quam lex, nec novum jus conſtituit, ſed eſt obſervantia antiqui. At quoniam per conſuetudinem poteſt multitudo ſe amplius velle obligare, quam ab ipſa lege obligetur, & tunc conſuetudo eſt præter legem quoad illum modum, ſtatuitque novum jus in ordine ad graviorem obligationem, ideo id eveniſſe putamus in noſtro caſu. Conſuetudo enim poteſt introducere, ut lex alicujus rei, quæ per legem ſolum ſub peccato veniali, vel nullo præcipiebatur, quia ſolum obligabat ad pœnam, obliget etiam ad culpam, & adhuc ad culpam gravem, quod tunc ita facere præſumitur, quando communiter apud timoratos, & prudentes fractio talis legis, ſuppoſita conſuetudine, cenſetur culpæ gravis, & aliæ conditiones ſupra aſſignatæ concurrunt, ut evenit in præſenti.

XL. Dices 2. Fœminæ uti nequeunt legem ſtatuere, ait neque conſuetudinem, quæ vim legis habeat; unde Bartolus *in leg. prim.* §. *de legib. n.* 7. ait: *Uſus mulierum non inducit conſuetudinem*; ergo ſaltem Moniales &c.

XLI. ℞. Quod etiam fœminæ, uti ſunt capaces legis, & ad legum onera adſtrictæ, ſic ſua conſuetudine poſſunt jus inducere in iis, quæ ad ipſas ſpectant, & quod ipſas, non viros obliget, ut docent Suarez *de legib. lib.* 7. *cap.* 9. *numer.* 7. & 11., Salmanticenſes *loc. cit. num.* 21. Diana coord. *tom.* 6. *tract.* 2. *reſ.* 22., Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 18. *quæſt.* 11., Salas &c. officium autem divinum valde congruenter ſpectat etiam ad Moniales.

XLII. Pro coronide liceat nobis adjicere, quod ex terminis illis, quibus concipi ſolent officiorum conceſſiones, ſcilicet *Ab univerſo Clero Sæculari, & Regulari utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur &c.*, necnon ex præſenti, & quamplurimis alibi relatis Decretis, in quibus Moniales ad recitationem officii de Patrono loci &c. *teneri* dicuntur, ſatius eruitur earumdem obligatio ad divinum officium, & nonniſi iiſdem maxima proculdubio vis infertur, dum ad obligationem earumdem a Regula, & Conſtitutionibus exortam detorquentur, ut verborum vim, pondus, ac robur de veritate unice ſollicito, nullaque ex prædictis ſententiis præcepto, vel modice ponderanti, non dubitamus, facile conſtabit. Quoad obligationem vero ex conſuetudine ut ſupra inductam multum relevat obligatio, quæ univerſaliter admittitur, jejuniorum in pervigiliis Pentecoſtes, Sancti Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, licet per meram conſuetudinem credatur invecta. Ad auctoritates allegatorum Summorum Pontificum, qui in tranſgreſſione comprehenſorum in Regulis, & Conſtitutionibus, etſi in his contineatur obligatio privatæ recitationis, nullum peccatum agnoſcunt; dicimus, vel quod ad Caput, in quo illa præſcribitur, non debite adverterunt, cum credibile ſit, quod alias hujuſmodi ſanctam diſciplinam non adeo relaxaſſent, vel melius, quod in tranſgreſſione ejuſdem peccatum non agnoſcunt, quatenus a præfatis Regula, & Conſtitutionibus demandatur, cum hæ ad culpam minime obligent, ſed ſolum ad pœnam, & nos ipſi non refragamur; non autem quatenus ex conſuetudine ut ſupra inducta, vel aliunde poſſet dicta obligatio privatæ recitationis eaſdem urgere. Et quidem quoad hoc ſatis conſtat de mente Summorum Pontificum, dum ut ſuperius vidimus, plurima privilegia etiam Monialibus ipſis, & adhuc Clariſſis, in ſpecie conceſſa fecere, in quibus fit diſpenſatio, vel commutatio horarum canonicarum; ſi autem Moniales, & præſertim Clariſſæ, de quibus ut ſupra declaravit Eugen. IV., ad officium divinum nullatenus aliunde tenerentur, nec in tranſgreſſione Regulæ, & Conſtitutionum id demandantium nulla culpa interveniret, utique opus iiſdem haud fuiſſet privilegiis, diſpenſatione, aut commutatione. Dici & poteſt, quod horæ canonicæ ſunt obſequium illud a Religioſis Deo debitum, quod conſuetudo præſcripſit, ut dictum fuit de publica recitatione.

CAPUT NONUM.

De perpetua Feſtorum Immutatione.

I. NON idem eſt mutari, quod transferri. Nam feſta cum transferuntur feſto alio, ſeu officio majori impedita, ſic a die ſuo proprio abſcedunt, ut ipſi nihilominus ſemper addicta remaneant, adeoque, ſublato alias impedimento, in eo jugiter celebrantur. Quæ vero mutantur in alium diem, hunc, abdicato penitus priſtino die, firma deinceps ac perpetua ſtatione quaſi proprium ſibi vindicant. Etſi igitur tam translatio, quam mutatio ſit amotio feſti e ſuo die proprio, differunt tamen in eo, quod mutatio veluti tranſmigratio eſt, perpetuaque ſedis alterius occupatio; translatio vero inſtar eſt peregrinationis, qua ſe alio quis ſic confert, ut tamen ad ſedem propriam illico ſit rediturus. Utriuſque cauſa eſt officium aliquod diem feſto deſtinatum occupans; at hujus ex accidenti, atque pro hac, aut alia ſimili vice dumtaxat, ut fit in occurrentiis Dominicæ 1. Quadrageſimæ, aut diei Paſchatis, & aliorum feſtorum mobilium; illius conſtanter, ac perpetuo, propter occurſum videlicet ver. gr. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, aut aliorum feſtorum, quæ eodem ſtato ſemper Kalendarii die recurrunt. Dicimus *de perpetua feſtorum immutatione* ad diſtinctionem

acceden-

accidentariæ, de qua loqui reſervamus in capite ſequenti, ubi & apparebit diſcrimen, quod perpetua immutatio habet ab accidentaria. In Capite V. egimus de Sociis, qui conſtanter, atque perpetuo a ſuis ſeparantur Conſociis, & in VI. mentionem habuimus de Sanctis, qui in fine anni ſemper idem individualiter ſuperſunt, qui propterea ſemper a proprio ſunt amoti die. Hi omnes, utpote perpetuo tranſlati, ſunt ex Sanctis, qui perpetuam ſubeunt immutationem; hinc gradum faciendum eſſe putavimus ad tractatum de eorumdem perpetua repoſitione, ſeu magis de feſtorum quorumcumque perpetuo tranſlatorum immutatione.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXXXI.

Ab eo tempore, quo Innocentius X. ad duplicem ritum erexit officium S. Franciſcæ Romanæ, dubitari cœpit, an Feſto quadraginta Martyrum ſit aſſignanda dies fixa, nempe dies 10. Martii, an vero idem Feſtum tamquam tranſlatum prima die non impedita ſit celebrandum; quo dubio in Sacra Congregatione propoſito, hæc declaravit, aſſignari debere certam ſedem officio quadraginta Martyrum, diem ſcilicet 10. Martii; idemque in novis Martyrologiis ſervari mandavit die 29. Novembris 1659. *in una Rubricarum*. Ex Merato in Indice Decretor, Breviar. num. 80.

I. PAulus V. anno 1608. Kalendis Junii in Bulla Canonizationis §. 40. ℣. *Statuentes* univerſali Eccleſiæ primo conceſſit recitare officium S. Franciſcæ Romanæ, non determinans tamen ritum, quem poſtea teſte Gavanto *ſect. 7. cap. 8. n.* 9. Urbanus VIII. ſemiduplicem ad libitum pro Urbe tantum declaravit, & tandem Innocentius X. ad duplicem de præcepto pro univerſali erexit Eccleſia. Tale officium celebrari indictum cum eſſet pro die 9. Martii, in qua officium jam ſemiduplex quadraginta Martyrum recurrebat, factum eſt, ut juxta Rubricam *X. de Tranſl. feſt.* dictum quadraginta Martyrum feſtum ſemper, ac perpetuo remaneret tranſlatum, hinc dubitari cœptum fuit; *num eidem aſſignanda foret dies fixa, nempe dies* 10. *Martii, quæ eſt prima dies non impedita, an vero idem feſtum tamquam tranſlatum prima die non impedita ſemper eſſet celebrandum?*

II. Quo dubio in Sacra Congregatione propoſito, hæc declaravit: *Aſſignari debere certam ſedem officio quadraginta Martyrum, diem ſcilicet* 10. *Martii*. Hæc nobis deſignat Sanctio, quod quoties in Breviario Romano ſimul eodem die duo occurrunt feſta, illi, quod perpetuo tranſlatum redditur, ſedes certa, ac fixa debet aſſignari; *Declaravit aſſignari debere certam ſedem officio quadraginta Martyrum*. Quæ dies non in Cleri eſt poſita arbitrio, ſed debet eſſe prima dies non impedita: *Diem ſcilicet* 10. *Martii*, quæ erat prima dies in eodem Breviario inimpedita. Etſi enim Decretum ſtabiliat pro caſu perpetuæ tranſlationis feſti quadraginta Martyrum, adhuc ad alios quoſcumque ſimiles extendi debet, procedit ſiquidem non quid particulare pro dicto feſto indulgendo, ſed *declarando*, quid in caſu perpetuæ tranſlationis officiorum in Breviario Romano, cujus rationis erant ambo officia, de quibus quærebatur, fieri debeat, *Declaravit aſſignari debere &c.* Admodum etiam ad rem ſuffragatur, quod Sanctio præſens edita fuit *in una Rubricarum*, as per conſequens patefacit nobis, quod vel eſt explicatio ipſarum Rubricarum, vel quod tamquam Rubrica in Breviarium invehi debet, & ſic uſurpanda in quocumque alio ſimili caſu, in quo in Breviario Romano duo feſta ſimul occurrunt, ita ut prima dies non impedita, ſi aliud non ſit expreſſe firmatum, aſſignanda ſit, ut certa ſtatio, feſto transferendo. Huc reſpexiſſe videtur Gavantus, dum loco laudato de Innocentio X, aſſerit: *Et dedit diem ſequentem quadraginta Martyribus*; non quia ipſe, dum officium duplex S. Franciſcæ conceſſit, feſtum quadraginta Martyrum ſequenti diei conſignaverit, alioquin ſuper hoc fruſtra Sacra Congregatio conſulta extitiſſet, ſed quia hoc ipſo Feſto quadraginta Martyrum prima dies non impedita, tamquam certa ſedes, debebatur.

III. In uſu ſemper habuit Eccleſia, Feſta, quæ in Breviarium invehit Romanum, ſtatæ alicui diei tradere celebranda, ita quod in prima conceſſione diei natalitiæ, ſi hæc non ſit impedita, illa conſignet, & in caſu impedimenti alicui alteri vel corporis tranſlatione, aut Sancti canonizatione, vel ordinatione, ſeu quacumque alia de cauſa celebri. Quod ſi deeſt dies altera a natalitia, quæ aliqua de cauſa ſit de Sancto celebris, ad ejuſdem laudes recenſendas primam diem non impeditam poſt natalitiam regulariter delegit. Plurima profecto hujus moris non deſiderantur exempla, ut S. Pauli 1. Eremitæ, Franciſci Saleſii, Petri Nolaſco, Romualdi, Birgittæ, ac aliorum, quæ cum paſſim obvia ſint, opus non eſt ulterius recenſere, Licet autem in novis concedendis officiis talem aſſoleat ſervare œconomiam, ut ſi natalis dies alterius officii adhuc minoris ritus impedimento teneatur, quo præconceſſis parcat, eaque in ſua poſſeſſione relinquat, primæ ſequenti diei non impeditæ in perpetuum celebranda conſignet, uti antiquiora omittendo, moderne factum extitit in feſto S. Petri Chryſologi diei quartæ Decembris affixo ob impedimentum officii, licet ſolum ſemiduplicis, S. Bibianæ in propria die ſecunda ejuſdem Menſis occurrens, adhuc tamen nonnunquam factum reperimus, ut juſtis de cauſis, nulloque habito ad dictum impedimentum reſpectu pro eadem die aliquod aliud officium conceſſum extiterit, quod cum majori ritu, vel dignitate ſuper præconceſſum gauderet, hoc conſequenter expulit, atque rejecit.

IV. Quoniam vero una dies uno dumtaxat contenta eſt officio, æquumque viſum non eſt, Feſtum aliquod in Breviario Romano, in quo cetera cuncta ſtatam habent diem, perpetuæ damnari peregrinationi, diei, in qua numquam poterat celebrari, affixum officium perperam relinquebatur, idcirco officium, quod præfata de cauſa perpetuo transferri debebat, de altera certa die ſemper proviſum extitit, vel per particulare Decretum deſignando diem aliam de Sancto celebrem, uti in caſu S. Dominici, qui præcedenti diei quintæ Auguſti, in qua inter Sanctos relatus fuit, conſignatus venit, vel illud relinquendo Rubricarum mandatis, quæ ad primam diem non impeditam feſta tranſlata rejiciunt, ita tamen ut hæc dies foret perpetua, & certa ſtatio ejuſdem, qualiter olim evenit S. Petro Nolaſco, qui ob poſteriorem conceſſionem officii S. Franciſci Saleſii a die 29. Januarii ad 31. ejuſdem Menſis ſtate repoſitus fuit, cum 30. a feſto S. Martinæ impedita foret, & moderne factum extitit pro feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ ad primam diem non impeditam, ſcilicet 27. Maji, fixe rejecta fuit poſt conceſſionem officii Sancti Gregorii VII., ut patebit in ſequenti Decreto.

V. Hæc itaque regula in occurrentia plurium feſtorum eadem die in Breviario Romano tenenda venit, ut ei, cui perpetua in vi Rubricarum debetur tranſlatio, prima dies in eodem Breviario non impedita, tamquam propria, & certa ſedes ſit aſſignanda, dummodo tamen per particulare Decretum præfatum feſtum de altera ſtata die non fuerit proviſum. Equidem id Breviarii leges, ſeu Romanæ Rubricæ minime ferunt, quæ feſta ſive accidentarie, ſive perpetuo tranſlata, ad primam diem non impeditam, tamquam in diem ſtatam, nequaquam rejiciunt, ut in ſequentium patebit expoſitione Decretorum, attamen in caſu occurrentiæ plurium feſtorum pro eadem die in Breviario Romano dies illa prima non impedita, tamquam certa ſtatio officii perpetuo tranſlati, cenſeri debet ex particulari declaratione Sacræ Congregationis; qua de cauſa per talem aſſignationem nihil per propriam auctoritatem attentatur, aut mutatur in Breviario Romano, qualiter Bulla Pii V., & plura Congregationis Decreta fieri diſtricte inhibent.

VI. Hoc Decretum a ſequenti plurimam ſumit confirmationem, nec in ullo ab aliis hujus Capitis accipit offenſionem, utpote quæ non procedunt pro caſu occurrentiæ plurium feſtorum in Breviario Romano, ſed in Kalendario particularium Eccleſiarum. An autem, & quomodo nunc Sanctorum immutatio licita ſit in Kalendariis particularibus, ex inferius in hoc Capite dicendis dilucide patebit. Quod denique præſens addit Decretum de annunciatione feſti ut ſupra immutati ſtate transferenda in Martyrologium ad diem illam, in quam feſtum ipſum immutatur, ægre ne ferat ſe Lector amandari ad Caput de Martyrologio Romano.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXXXII.

Cum Feſtum Sancti Gregorii VII. ex mandato Benedicti XIII. celebrandum ſit die 25. Maji, quo die antea celebratur Feſtum ſemiduplex S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; Quæritur, *an hoc Feſtum habeat diem fixam, an vero ſit transferendum in primam diem non impeditam?* Et reſponſum fuit, *ei aſſignandam eſſe primam diem non impeditam*, S. R. C. 23. Junii 1737. *in Brugen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 318., ubi aſſerit idem omnino confirmatum fuiſſe die 16. Februarii 1737, *in Mechlinen. ad 4. dubium*.

I. CLemens X. ſub die 9. Junii 1670. univerſali Eccleſiæ conceſſit die 25. Maji officium ſemiduplex S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis quotannis facere; aſt cum Benedictus XIII. die 25. Septembris 1728. pro eadem die officium duplex S. Gregorii VIII. ut ſupra indulſerit, occaſionem inquirendi præſtitit, *num feſtum S. Mariæ Magdalenæ*, quod utpote ſemiduplex ab ea perpetuo amotum erat die, *diem fixam deberet habere, an vero transferendum foret in primam diem non impeditam?* Hoc dubium ex parte Eccleſiæ Brugen. pro declaratione primo propoſitum fuit, & iterum ad inſtantiam Eccleſiæ Mechlinen., conſtanterque S. Congregatio reſpondit, *ei aſſignandam eſſe primam diem non impeditam*.

II. Ambo ſunt hæc officia, quæ eadem die occurrebant in Breviario Romano, ac propterea prima dies non impedita, quæ S. Mariæ Magdalenæ aſſignanda præſcribitur, erit prima dies inimpedita, quæ in eodem Breviario recurrit, ſcilicet dies 27. Maji, cui reipſa in perpetuum præfata Sancta conſignata fuit; quapropter in eadem die tamquam occurrens cenſetur, ab eaque reputari debet tranſlata, ſi quandoque eamdem transferri contingat, perinde ac ſi in prima ſui conceſſione memoratæ diei 27. fuerit affixa, qua de cauſa nec dubitamus, quod tantum juris in dicta habeat die, ut in caſu occurrentiæ aliorum Sanctorum particularium Eccleſiarum juxta generales regulas deciſio fieri debeat pro alterutrius tranſlatione, ac ab ea quæcumque tranſlata, licet duplicia, rejciat, nec eorumdem immutationem, quoties alicubi forent perpetuo, immo & prius tranſlata, in ea permittat.

III. Stante itaque petitione exhibita, quæ non erat pro facultate obtinenda diem fixum aſſignandi, ſed an feſtum diem fixum deberet habere, ex reſponſione utique ſequitur, officiis perpetuo in Breviario Romano tranſlatis primam diem non impeditam eſſe aſſignandam, ac per conſequens ea, quæ in præcedenti Sanctione dedimus, una cum Sanctione ipſa remanent profecto per præſens confirmata Decretum, cui propterea nihil contrarium unquam ſancitum fuit, ut ibi dicebamus.

D E-

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXXXIII.

Nemo valet aſſignare diem fixum Sanctis tranſlatis ſine ſpeciali Decreto Sacræ Congregationis. S. R. C. 28. Novem. 1682. *in Faventina*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 134.

I. MEmorat hoc Decretum Pittonus *Deciſ. pro ſac. ritib. n.* 966. cum ſequentium additione verborum: *Et ideo officia Sanctorum propria die celebrentur, & ſi ſint impedita, transferuntur juxta Rubricam de Tranſl. feſt., ſcilicet in primam diem non impeditam*. Verum etſi hujuſmodi illatio in noſtro deſideretur Decreto, in eo tamen utique ſupponitur, quippe hoc ipſo, quod Sancti tranſlati ſine ſpeciali Decreto certæ diei affigi vetantur, Rubricarum diſpoſitioni relicti intelliguntur, adeoque reponendi in primam diem non impeditam, ut paſſim ſtatuunt Rubricæ, & præſertim De Tranſlatione feſtorum.

II. Dum Sanctio ſine ſpeciali Decreto inhibet Sanctis tranſlatis diem fixam aſſignari, non habet quidem *ſemper, vel perpetuo tranſlatis*, aſt indubium eſt de his tantum procedere; quæ enim una, vel altera vice dumtaxat, aut etiam ſæpe, vel adhuc quaſi ſemper a propria amoventur die, hic nihilominus remanent ſemper addicta, & ideo haud egent alteri aſſignari. Specialius ſuper id omnem removet dubitationem petitio propoſita, quam de Sanctis in Diœceſi Faventina perpetuo tranſlatis certum eſt proceſſiſſe; hinc & inſtruimur, Decretum non proviſionem ponere de Sanctis perpetuo in Breviario Romano tranſlatis, ſed de iis, qui in particularibus locis perpetuo a propria expulſi reperiuntur die. Romani praxim Breviarii, necnon Decretum I. hujus Capitis petitioni motum dediſſe, inficiari haud poſſumus, at non ſimilis prodiit reſolutio, quoniam ubi tamquam Rubricam eſſe Congregatio voluit, Sanctos in Breviario Romano conſtanter tranſlatos primæ diei non impeditæ eſſe perpetuo conſignandos, de perpetuo in particulari Kalendario tranſlatis ſanxit: *A nemine poſſe iiſdem ſine ſpeciali Decreto diem fixum aſſignari*.

II. Diſpoſitionis rationem ſi expoſcas, in promptu ea eſt. Rubricæ generales, ſeu communes officii leges feſta, ſive accidentalin, ſive perpetuo tranſlata, ad primam diem non impeditam vage, indeterminate, & non ſtate, ac fixe amandant, ut liquido patebit ex dicendis in Decreto VI. hujus Capitis: nullum adhuc aderat latum Decretum, vel formaliter, aut æquivalenter generale, dicta feſta immutandi poteſtatem faciens, & primum hujuſce Capitis, utpote reſtrictum ad caſum occurrentem in Breviario Romano, ſuffragari nullatenus poterat; hinc cum per iteratas Apoſtolicas Sanctiones, atque Congregationis Decreta ſevere inhibitum ſit in iis, quæ ad divinum pertinent officium, mutationem ullam, vel minimam facere, reliquum utique erat, quod ad dictam immutationem Sanctorum tentandam, neceſſarium erat ſpeciale Decretum.

III. Quod preſens ſtatuit Decretum, ſaltem implicite firmant & tria ſequentia, quibus nil habent contrarium poſteriora, quon iam hæc vel immutationem faciendi poteſtatem tribuunt, vel eam jam factam ſupponunt, ubi tempore Datæ illorum cum nulla conceſſio vel formaliter, vel æquivalenter generalis haberetur ſuper dicta immutatione, ad hanc præſtandam proculdubio expoſcebatur ſpeciale Decretum, cum illi Rubricarum diſpoſitio obſiſteret, & ſpecialia Indulta, ſi quæ erant, ultra perſonas, & caſum extendi non poterant, & ſic nec ad effectum ſuffragari.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXXXIV.

Nullum officium transferri debet in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum*. Ex Merato in Indice Decretorum Breviarii num. 174.

I. ADmodum dubiis prægnans in Sacra Congregatione petitio exhibita fuit declarati, ſuiſque conſerta reſolutionibus reſponſio proceſſit, uti videbitur in Capite de Repoſitione feſtorum, ubi Decretum quoad omnes ſui partes, & quoad terminos, quibus conſtat, integre refferetur; modo enim ex eodem ſolum eam partem allegavimus, quæ ad præſens ſpectat inſtitutum. Et hæc igitur reſolutio procedit, non pro caſu officii perpetuo tranſlati in Breviario Romano, quod primo diei non impedito fixe conſignari debere dicebamus in decreto I. hujus Capitis, & quando de illo etiam procederet, adhuc per illius immutationem nihil huic contrarium attentaretur Decreto, quia talis immutatio fieret vi Indulti Sedis Apoſtolicæ, per dictum ſcilicet facti Decretum.

II. Ceterum Sole emicat lucidius ex petitione, quod præſens diſpoſitio procedit de officio Romano duplici, vel ſemiduplici conſtanter, & perpetuo tranſlato in vi occurrentiæ cum altero altioris ritus proprio alicujus Diœceſis, vel Religionis, adeoque de officio ſemper tranſlato, non in Breviario Romano, ſed in particularibus locis, vel Religionibus; de hoc autem firmatur, quod in diem fixum transferri non debet, niſi id indultum fuerit a Sede Apoſtolica. Ratio hujus deciſionis eſt eadem, quæ præcedentis, ſcilicet quia nondum latum fuerat Decretum aliquod, vel Indultum Apoſtolicum feſta perpetuo tranſlata certæ diei fixe, & ſtabiliter aſſignandi poteſtatem generaliter faciens, & ſpecialia Indulta haud poterant ſuffragari; unde reliquum erat, quod præfata officia juxta Rubricarum mandata in primam diem non impeditam vage, & inſtabiliter rejicerentur, niſi aliter indultum fuiſſet a Sede Apoſtolica.

III. Cum uti præcedens, ita præſens Sanctio prodierit tempore, quo nondum Sanctos immutandi poteſtas, ſaltem generaliter, fuerat facta, & ſi quæ aderant ſpeciales conceſſiones, nonniſi apud indultarios, & pro caſu indulti in uſum eſſe poterant, utique conſequens fit, quod nullam recipiat derogationem ab iis Decretis, quæ poſtmodum dictam facultatem dedere, haud eadem jam facta dictam immutationem licitam declararunt.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE LXXXV.

Non licet Patribus Cappuccinis, nec aliis cujuſvis Ordinis Regularis, qui non utuntur Breviario Patrum Minorum Obſervantium in uſum deducere Rubricam in dicto Breviario anni 1696. n. 15. his verbis expreſſam: *Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut tranſlatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, aſſiguanda cenſetur in perpetuum pro die propria Feſti tranſlati reſpective*. Siquidem conceſſio facta utentibus Breviario Minorum non extenditur ad non utentes. S. R. C. 28. Auguſti 1706. *in una PP. Cappuccinor. Provincia Leodien.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 240.

I. APud Ordines Regulares, qui ultra officia Breviarii Romani permultis aliis Religionis, Conventuum, Provinciarum, ac locorum, in quibus degunt, ſunt adſtricti, non raro evenit, ut plura officia de præcepto eadem die ita fixe occurrunt, ut tranſlatio alicujus, vel aliquorum ſit perpetua. Hujuſmodi caſus apud Patres Minores Obſervantes perſæpe accidebant, hinc ſupplicandam cenſuere Sacram Rituum Congregationem pro facultate aſſignandi primam diem proximam non impeditam pru ſede propria, ac perpetua dictorum Sanctorum conſtanter, ac perpetuo tranſlatorum, quam de ſua benignitate, quod petebatur, indulſiſſe denotant duo ejuſdem Decreta 14. Auguſti 1684., & 18. Octobris 1696. quæ adduci, & citari videbimus in Decreto VII. hujus Capitis.

II. Ad praxim deduxere præfati Patres facultatem ut ſupra conceſſam pro Sanctis, qui in toto Ordine perpetuo remanebant tranſlati, & ideo, & etiam ut forſitan eadem facultate uti poſſent particularia ejuſdem Ordinis Monaſteria pro Sanctis, qui in eiſdem conſtantem poſſent habere tranſlationem, in Breviarium Ordinis anno 1696. editum n. 15. ſequentem Rubricam invexere: *Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut tranſlatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, aſſignanda cenſeatur in perpetuum pro die propria Feſti tranſlati reſpective*.

III. Hæc Rubrica, quæ memoratis Decretis Sacræ Congregationis reperitur vallata, attentis terminis, quibus concepta, ac expreſſa eſt, generalem præferre videbatur diſpoſitionem, hinc dubitari cœptum fuit, num ad uſum deduci poſſet etiam ab his, qui Breviario Minorum non utuntur, & præcipue ab aliis Regularibus, qui privilegiorum, ac gratiarum cum eo Ordine ampliſſimam inſuper habent communicationem?

IV. Propoſito itaque hujuſmodi dubio in Sacra Rituum Congregatione ex parte Patrum Cappuccinorum Provinciæ Leodien. hæc reſpondendum cenſuit: *Non licere Patribus Cappuccinis, nec aliis cujuſvis Ordinis Regularis, qui non utuntur Breviario Patrum Minorum Obſervantium in uſum deducere Rubricam in dicto Breviario anni 1696. n. 15. his verbis expreſſam: Quando autem plura officia de præcepto &c.* Nec contenta extitit ita determinaſſe, ſed & ſuæ determinationis addidit rationem: *Siquidem conceſſio facta utentibus Breviario Minorum non extenditur ad non utentes*.

V. Sacra Congregatio his verbis nobis prodit, præfatam facultatem Patribus Minoribus factam, fuiſſe ſpecialem conceſſionem, privilegium, & gratiam, ſpeciales autem conceſſiones, privilegia, & gratiæ cum non extendantur de perſona ad perſonam etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut docet Fagnanus *in 2. part. lib. 5. Decretal. in c. Quod nonnullis de privil. n. 2. & 25.*, idcirco indubie haud licet Patribus Cappuccinis, nec aliis cujuſvis Ordinis Regularis, qui non utuntur Breviario Patrum Minorum, ac conſequenter quibus facta non eſt memorata facultas, in uſum deducere ſuperius recenſitam Rubricam.

VI. Nec hac in parte eiſdem ſuffragari poteſt ampliſſima, quam habet cum Ordine Minorum, privilegiorum, ac gratiarum communicatio, quoniam hæc ad officia, nec ad alia ad divinum officium attinentia, nequaquam extenditur, quippe in iis, quæ ad divinum attinent officium, locum non habet privilegiorum communicatio, ut dicebamus in Capite præcedenti.

VII. Quod ſi ad Ordines Regulares, qui mutuam habent privilegiorum, ac gratiarum communicationem, minime extenditur, ad Sæculares Eccleſias, dicta & communicatione expertes, protendi quis aſſeret? Nemo igitur, ſive ex Regularibus, ſive ex Sæcularibus poteſtatem habet in uſum deducendi dictam Rubricam, & aſſignandi Sanctis perpetuo tranſlatis diem fixum, ſed ad id exigitur ſpecialis conceſſio, & ſpeciale Decretum, uti firmatum vidimus in præcedenti Decreto; ſolique utentes dicto Breviario Minorum, præfata pollent facultate, & ſi qui alii ſunt, qui ſpeciali alio privilegio reperiuntur ſuffulti.

VIII. Ex his inferat Lector, quod nondum aderat Decretum aliquod generale poteſtatem faciens aſſignandi certam diem Sanctis perpetuo tranſlatis, ſed ſi quæ aderant hujuſmodi Decreta, gratiæ ſpeciales erant, quæ cum ultra perſonas, quibus ſunt con-

conceſſæ, non protendantur, fiebat, quod ceteri quicumque, non privilegiati, Feſta perpetuo tranſlata regere debebant, atque celebrare juxta Rubricas Generales, quæ Feſta quæcumque tranſlata ad primam diem non impeditam vage, & inſtabiliter rejiciunt. Non ita tamen modo evenit ratione poſteriorum Decretorum, quæ dictam poteſtatem generaliter deinde fecere, ut in ſequentibus hujus Capitis Decretis dicendum reſervamus, ac examinandum. Per hæc autem nequaquam præſenti derogatur Decreto, quoniam non vi conceſſionis ut ſupra utentibus Breviario Minorum factæ in uſum deducitur memorata Rubrica, ſive Sanctis perpetuo tranſlatis fixus aſſignatur dies, ſed ratione poteſtatis per dicta Decreta generaliter factæ.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE LXXXVI.

Cum nonnulla officia propter perpetuam occurrentiam officiorum majores dignitatis, ſeu ſolemnitatis, ſeu Ritus perpetuam habeant tranſlationem, & juxta Rubricas de Tranſl. Feſtor. n. 6. in primam diem non impeditam ſemper transferenda ſint; quæſitum fuit, *an illa prima dies cenſenda ſit propria illius tranſlati ſedes perpetuo juxta Gavantum ſect. 3. cap. 10. n. 15. ita ut debeat de eo celebrari ſemper illa prima die, etiamſi occurrat transferri aliud officium ejuſdem, vel ſuperioris ritus*. S. R. C. 14. Decemb. 1709. reſpondit *negative, & ſerventur Rubricæ Generales*, in una Ordinis Cappuccinorum. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 250.

I. IN Indice Merati deeſt quidem verbum illud *Officiorum*, quod nos in præſenti poſuimus Decreto, legiturque: *Cum nonnulla officia propter perpetuam occurrentiam majoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, ſeu ritus perpetuam habeant tranſlationem &c.* Aſt quoniam nulla officia transferri contingit, niſi ob occurrentiam aliorum officiorum majoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, ſeu ritus, arbitror hac in parte neminem me poſſe habere refragatorem, ſi ut ſupra legendum eſſe exiſtimavi. Juvat igitur credere, quod verbum illud *officiorum* accuratam, ac diligentem ex Sacræ Congregationis Regeſtis effugit Merati tranſcriptionem, vel ex Typographorum incuria in præfato Indice deſideratur; juxta enim lectionem Indicis congruum non habet Sanctio ſenſum, niſi in ea ſupponatur, vel ſubintelligatur verbum illud *officiorum*, ubi juxta noſtram lectionem ex ſe proprium ſenſum ſortitur, ac Rubricis conſonum.

II. Cenſuit Gavantus *ſect. 3. cap. 10. num. 15.* feſtis perpetuo tranſlatis primam diem non impeditam in perpetuum aſſignari poſſe; ſcribit enim in caſu occurſus Patroni principalis loci cum Titulari Eccleſiæ: *Quod ſi quotannis hic accidat occurſus, aſſignanda erit dies ſequens* (intellige, dummodo non ſit impedita) *in perpetuum Titulari illius Eccleſiæ*, atque adeo de eo celebrari ſemper debere prima illa die non impedita, etiam in excluſionem alterius officii ſuperioris ritus, vel ſi æqualis, prius tranſlati; unde Gavantus ſentire videtur, quod prima dies non impedita, in quam Rubricæ feſta tranſlata rejiciunt, in Sanctis perpetuo tranſlatis conſideranda veniat uti propria dies perpetuo eiſdem aſſignata, ac perpetua eorumdem ſtatio, ita ut in eadem veluti occurrentes ſint celebrandi.

III. Cum itaque Patres Cappuccini a Sacra Congregatione in reſponſum habuiſſent, ipſis nequaquam licere in uſum deducere Rubricam in Breviario Minorum anno 1696. inſertam, de qua in præcedenti Decreto, ſeu quod in idem redit, ipſos haud poſſe vigore ſpecialis conceſſionis eiſdem Minoribus factæ Sanctis perpetuo tranſlatis diem fixum aſſignare, eamdem Congregationem interpellandam hic cenſuere, num ipſis ſaltem in uſum deducere liceret ſententism Gavanti *ſect. 3. cap. 10. num. 15.* ſentientis feſtis conſtanter tranſlatis primam diem non impeditam tamquam propriam eſſe aſſignandam, *ita ut in ea ſint celebranda, etiamſi occurrat transferri aliud officium ejuſdem, vel ſuperioris ritus*, videlicet etiamſi poni inſtet feſtum aliud majoris ritus tranſlatum, vel ſi ejuſdem ritus, quod ſit prius in tranſlatione?

IV. Et reſponſum fuit *negative, & ſerventur Rubricæ Generales*. Et quidem in conſpectu Romanarum Rubricarum, quæ ſunt leges divinorum officiorum, aliter diſponentium attendi numquam potuit ſententia cujuſcumque Auctoris, cujus auctoritas, hoc ipſo quod contra leges, nullius ſtatim evadit conſiderationis; Rubricæ autem præfatæ in diſpoſitis habent, quod feſta quæcumque, quæ ſive accidentario, ſive perpetuo a proprio evenit amoveri die, in primo quidem non impedito reponi debeant, attamen non ita ut dies iſte cenſeri debeat propria, & perpetua earumdem ſedes, & ſtatio.

V. Probatur id autem efficaciter ex Rubrica *de Tranſl. n. 1.*, quæ de feſto duplici tranſlatu vel ob accidentariam occurrentiam cum Dominica Septuageſimæ, aut aliis feſtis mobilibus, vel ob perpetuam incidentiam in aliud feſtum ſtatum, ac fixum, puta in Nativitatem Domini, ullo abſque diſcrimine, ipſiſſimis verbis, unaque diſpoſitione ſtatuit, quod transferatur in primam diem non impeditam: Cum igitur relate ad feſta accidentario tranſlata de prima die non impedita fixe, ac ſtabilieer aſſignanda intelligi haud poſſit, utique nec relate ad feſta perpetuo, ac conſtanter tranſlatæ; una enim, ac eadem ipſiſſima verbis expreſſa diſpoſitio, duplicem ſenſum neutiquam reddere valet.

VI. Hæc Sanctio ſolum ſtabilit, in conſpectu Rubricarum aliter diſponentium non eſſe Gavanti, ſive Auctorum ſententias attendendas, ſed ſervandas eſſe Rubricas, & proceſſit tempore, quo nondum poteſtas facta fuerat Sanctos immutandi, unde eidem per poſteriora non ita derogatum, ſed dumtaxat ſequitur per dicta poſteriora facultatem ut ſupra tributam eſſe, quæ ante facta non fuerat. Ceterum nec modo licet ſequi Auctorum opiniones in conſpectu Rubricarum aliter diſponentium, & adhuc ſervandæ forent Rubricæ, ſi ſuper immutatione indultum non fuiſſet.

DECRET. VII. CAPITIS, IN ORDINE LXXXVII.

In Civitate, & Diœceſi Piſaur. die trigeſimaprima Auguſti occurrit feſtum Dedicationis Cathedralis ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandum, & eadem die ab Eccleſia univerſali fit officium S. Raymundi Nonnati ſub ritu duplici minori. Item in eadem Civitate, & Diœceſi die 24. Septembris occurrit feſtum S. Terentii Martyris Patroni principalis Civitatis, & Diœceſis ſub ritu duplici primæ claſſis celebrandum, & eadem die ab univerſali Eccleſia fit officium B. M. V. de Mercede ſub ritu duplici minori; Supplicatur: Si ſupradicta feſta altioris ritus venerint die Sabbato, an officia Sancti Raymundi, & B. M. V. de Mercede vigore Decreti Sacræ Rituum Congregationis emanati 14. Auguſti 1684., & iterum 18. Octobris 1696. in reformatione Kalendarii Fratrum Minorum, ſint celebranda die Dominica ſequenti, tamquam die propria, vel debeant transferri in feriam proximam non impeditam? Et Sacra eadem Rit. Congregatin reſpondendum cenſuit, *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ*. Et ita decrevit die 2. Julii 1712. *in Piſaurenſi*. Ex Merato in Indice Decret. Brev. num. 254.

I. EX ſupplicatione porrecta liquet abunde, duplicem plurium feſtorum eadem die in Kalendario Civitatis, & Diœceſis Piſaurenſis evenire perpetuo occurſum, videlicet die 31. Auguſti feſti Dedicationis Cathedralis cum officio S. Raymundi Nonnati, & die 24. Septembris, feſti S. Terentii Martyris Patroni principalis cum feſto B. M. V. de Mercede, ac conſequenter utrumque feſtum S. Raymundi Nonnati, ac B. M. V. de Mercede, utpote inferioris ritus, in eodem Kalendario perpetuam habere tranſlationem, numquamque in propria die poſſe celebrari. Quis vero dies immediate ſequentes, nimirum dim prima Septembris, & dies 25. ejuſdem Menſis a nullo feſto reperiuntur occupatæ, idcirco de mandato Rubricarum in eas transferuntur, ac celebrantur, videlicet feſtum S. Raymundi Nonnati in die prima Septembris, & feſtum B. M. V. de Mercede in die 25. ejuſdem Menſis.

II. Evenit non ſemel ſupradicta Feſta altioris ritus, ſcilicet Dedicationis Cathedralis, & Patroni principalis Civitatis venire die Sabbato, quo in caſu in die ſequenti, in qua celebranda forent præfata feſta duplicia perpetuo tranſlata S. Raymundi Nonnati, & B. M. V. de Mercede, occurrit dies Dominica, quæ cedit quidem cuicumque officin duplici occurrenti, aſt reſpuit quodcumque tranſlatum, licet primæ claſſis exiſteret.

III. In Reformatione Kalendarii Fratrum Minorum habita anno 1696. invecta fuit num. 15. quædam Rubrica, de qua ſuperius etiam egimus, & eſt his verbis expreſſa: *Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut tranſlatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita aſſignanda cenſeatur in perpetuum pro die propria feſti tranſlati reſpective*. Quæ Rubrica duplici innititur Decreto Sacræ Rituum Congregationis 14. Auguſti 1684. & 18. Octobris 1696. in quibus præfatis Minoribus fit facultas aſſignandi diem fixum Sanctis perpetuo tranſlatis.

IV. Vigore itaque iſtius Rubricæ generaliter conceptæ, & ut innixæ duobus memoratis Decretis, exhibitæ, dies prima Septembris aſſignata videbatur in perpetuum tamquam dies propria Feſto Sancti Raymundi Nonnati, & dies 25. ejuſdem menſis Feſto M. B. V. de Mercede, in iiſque reſpective dicta feſta tamquam occurrentia eſſe inſpicienda, atque celebranda; hinc cum dies Dominica cedat officin duplici in propria die occurrenti, etiam cedere non minus videbatur præfatis Feſtis, quæ in illis diebus tamquam in propriis, & perpetuo aſſignatis celebranda eſſe apparebant.

V. Hæc Canonicis præfatæ Cathedralis dubitandi cauſam dedere, *num vigore duorum productorum Decretorum memorata officia S. Raymundi Nonnati, & B. M. V. de Mercede eſſent celebranda in occurſu Dominicæ tamquam in die propria, vel magis transferenda in feriam proximam non impeditam*, quapropter pro declaratione apud S. Congregationem ſupplicandum eſſe cenſuerunt.

VI. Quæ ſupplicatio ab eadem Sacra Rituum Congregatione remiſſa fuit ad D. Abbatem Joannem Baptiſtam Gambarucci tunc Sedis Apoſtolicæ, & Sacrarum Cæremoniarum Magiſtrum, tunc Archiepiſcopum Amaſenum pro voto, quod teſte Merato *ſect. 3. cap. 10. num. 10.* fuit ſequentis tenoris.

VII. *Duplici propoſito dubio, uno duntaxat, ac compendioſo reſponſo ſatisfaciendum videtur. Officia enim Sanctorum, quo-*

rum

rum feſta, non quidem ex accidenti, atque pro hac, aut alia ſimili vice, ſed conſtanter, ac de rei natura, propter occurſum majoris Feſti perpetuo ſunt impedita, apud Peritos Sacrorum Rituum in aliam diem permutari, & non transferri dicuntur. Tranſlatio namque non idem eſt, quod mutatio, juxta tradita per Guyetum in ſua Heortolog. lib. 4. cap. 7. quæſt. 1. Quamvis etenim utraque ſit amotio feſti a die propria, differunt tamen in hoc, quod mutatio eſt quædam veluti tranſmigratio, ac nova alterius ſedis adeptio: Tranſlatio vero inſtar eſt peregrinationis, qua ſe alio quis ita confert, ut tamen ad ſuam ſtationem illico ſit rediturus. Poſita igitur hac diſtinctione, liquido apparet in noſtro caſu, quod officia S. Raymundi Nonnati, & B. M. V. de Mercede non tranſlata omnino ſint, ſed potius immutata, ac ſtabiliter conſtituta a trigeſima prima Auguſti in die proxima prima Septembris; necnon reſpective a die vigeſima quarta Septembris in die immediate ſequenti, ac propterea ſub præfatis hiſce diebus perpetuo, & quandocumque etiam in occurſu Dominicæ jure merito celebranda.

VIII. *Adſtipulatur noſtræ ſententiæ praxis Baſilicæ Vaticanæ, cujus auctoritas in hac materia quanti a nobis facienda ſit, colligi poteſt ex Conſtitutione Nicolai III., quæ incipit* Civitatem Sanctam Hieruſalem &c., *ubi Principis Apoſtolorum Baſilica cunctarum Eccleſiarum exemplar, & ſpeculum nuncupatur; ex ejus ſiquidem Kalendario, omiſſis aliis quampluribus, unum ſat erit adduci exemplum, de feſto ſcilicet S. Catharinæ Virg. & Mart., quod ob perpetuum impedimentum diei octavæ Dedicationis dictæ Baſilicæ, a ſua priſtina ſede amotum, & in diem primam aſportatum, ita ei firmiter addictum eſt, ut etſi inciderit in Dominicam, ceſſare faciat illius officium, quemadmodum pro ultima vice de anno 1708. laudabiliter ſervatum fuit.*

IX. *Quare ex allatis juxta mentem hujus S. Congregationis jam pluries declaratam, & ſignanter per duo Decreta, quæ in præſenti ſupplici libello citantur, reſcribi poſſe cenſerem; Faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ.*

X. Audita ab Eminentiſſimis Patribus hac conſultatione, S. Rituum Congregatio ad propoſita dubia reſpondit: *Juxta votum antedicti Cæremoniarum Magiſtri*, nimirum, *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ.*

XI. Pittonus, qui cenſet, officia perpetuo tranſlata ſine ſpeciali conceſſione in die aliqua tamquam fixa, & propria celebrari non poſſe, *Deciſ. pro ſacr. ritib. nu.* 1332. putat S. Congregationem ſic reſpondendo, ipſam præfatis feſtis dies aſſignaſſe, atque adeo quæcumque alia feſta, licet perpetuo tranſlata, niſi habeatur ſpeciale Indultum, ſemper ut tranſlata celebrari debere, nec eiſdem fixam aliquam diem poſſe aſſignari.

XII. Verum penitus utique corruit hujuſmodi opinio. Tum quia Canonici non ſupplicant pro gratia, nec pro facultate celebrandi dicta feſta in die ſequenti etiam in occurſu Dominicæ, nec pro aſſignatione eorumdem feſtorum in die ſequenti ab ipſa Congregatione facienda, ſed pro declaratione dumtaxat dubii, num videlicet vigore Decretorum 14. Auguſti 1684., & 18. Octobris *1696.*, quibus innixa videbatur generalis illa Rubrica in Breviarium Fratrum Minorum invecta, dicta feſta forent celebranda in die ſequenti, tamquam in die propria, etiam in occurſu Dominicæ, ac potius transferri deberent in diem proximam non impeditam: Dum itaque Congregatio reſpondit, *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ*, nec facultatem ipſa facit prædictis Canonicis memorata feſta diei fixæ conſignandi, nec ipſa diei fixæ eadem conſignat, nec gratiam impertitur dicta feſta ut ſupra celebrandi in occurſu Dominicæ, ſed ſolummodo declarat, in diebus illis præfata officia conſideranda eſſe ut occurrentia, ac perpetuo immutata, veluti extendendo duo illa Decreta particularia, illaque reddendo generalia, & quæ lata erant ad beneficium ſolius Ordinis Minorum, ad univerſalem Eccleſiam pro norma, & exemplo in ſimilibus, extendendo.

XIII. Tum etiam quia rationes, quas affert Gambarucci, cui ſupplicatio remiſſa fuit pro voto, videlicet *quia feſta, quæ perpetuo ſunt a proprio die amota, juxta Guyetum non transferri, ſed permutari dicuntur, & quia ſic fert praxis Baſilicæ Vaticanæ, cui multum eſt deferendum*, jam ſatis oſtendunt Decretum non gratiam aliquam importare, vel dierum pro dictorum feſtorum celebratione aſſignationem facere, ſed quid in caſu perpetuo tranſlatorum in uſum deduci debeat, unice declarare, præſertim cum Sacra Congregatio in reſponſis habuerit, *juxta votum antedicti Cæremoniarum Magiſtri*, quem ex ab ipſo allatis in ſuo voto utique conſtat pro generali caſu conſtanter tranſlatorum profari. Si itaque declaratum extitit, in occurſu Dominicæ faciendum eſſe de dictis officiis, cum officium Dominicæ non cedat, niſi duplici occurrenti, & numquam tranſlato, opus eſt, quod eadem officia in die ſequenti non impedita, tamquam occurrentia cenſeri debeant. Ex quo indubia exurgit regula, ſi non formaliter, ſaltem æquivalenter generalis, & univerſalis celebrandi feſta perpetuo tranſlata in prima die non impedita, tamquam in propria, iiſdemque pro certa ſede in perpetuum aſſignata.

XIV. Lubet hic adnotare, quod quamvis ſupplex libellus declarari perquirat, num *vigore Decretorum 14. Auguſti* 1684., *& 18. Octobris 1696.* præfata feſta ſint celebranda in die ſequenti, tamquam in propria, etiam in occurſu Dominicæ, Sacra Congregatio reſpondendum non cenſuit *affirmative*, aut aliis ſimilibus verbis, quæ approbare poſſe viderentur, *vigore allegatorum Decretorum immutationem apud quoſcumque licite intentari*; ſciebat enim præfata Decreta eſſe conceſſiones ſpecialiter factas, quæ ceteris non poterant eſſe favorabiles, nec ab iis in uſum deduci juxta generalem, ac communiter receptam regulam, jam ab eadem Congregatione firmatam in Decreto V. hujus Capitis, in quo dicitur, quod *conceſſio facta utentibus Breviario Minorum non extenditur ad non utentes*. Rigoroſo itaque habito ſilentio ſuper dicta Decreta conſulto ita ſuum expreſſit reſponſum: *Faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, ſub diebus reſpective aſſignatis, etiam in occurſu Dominicæ*; ut ſic innueret approbare quidem, quod officia perpetuo tranſlata primæ diei non impeditæ aſſigantur, & ſi ſunt duplicia, quod in diebus aſſignatis celebrentur etiam in occurſu Dominicæ, ceterum hoc non approbare, quaſi generaliter, & ab omnibus id fieri liceret vigore dictorum particularium Decretorum, ſed magis vigore congruentiarum, ac rationum ab antedicto Cæremoniarum Magiſtro in ſuo voto expreſſarum; unde & reſcripſit *juxta ejuſdem votum*. Uti igitur dicebamus; cum rationes a dicto Cæremoniarum Magiſtro adductæ, petitæ fuerint a ſententia Guyeti, atque a praxi Baſilicæ Vaticanæ, & ille immutationem Sanctorum perpetuo tranſlatorum generaliter licitam, & faciendam edoceat, & hæc eamdem non minus univerſaliter in uſum deducat, quis inficiabitur adhuc, quod Sacra Congregatio in præſenti Sanctione, ſi non formaliter, interpretative ſaltem, ac æquivalenter generalem conceſſionem faciat aſſignandi ad primam diem non impeditam officia perpetuo tranſlata?

XV. Nonnihil utique difficultatis ingerunt verba ea, *Juxta mentem hujus Sacræ Congregationis jam pluries declaratam, & ſignanter per duo Decreta, quæ in præſenti ſupplici libello citantur*, quæ in ſuo voto cum inſeruerit prædictus Gambarucci, Sacra Congregatio inniti in hac Sanctione videtur particularibus Decretis, atque adeo particularem dumtaxat gratiam facere, non autem generalem diſpoſitionem ferre.

XVI. ℞. Votum præfatum dictis Decretis neutiquam inniti, ſed rationibus generalibus ſuperius recenſitis, ut denotant verba ea, *Quare ex allatis*, per quæ, cum ſint concluſio, profecto datur intelligi, jam præcedenter allata fuiſſe rationum momenta, quibus dictum nitebatur votum. Verba autem ea, *Juxta mentem &c.*, ſolum Congregationi notum faciunt, quod ipſa jam pluries in ſimilibus ſpeciales gratias fecerat, vel ipſa aſſignando diem alteram fixam, vel aſſignandi facultatem impertiendo, vel pro caſu occurrente in Breviario Romano adhuc generaliter id præſcribendo; unde facilius ipſa moveri poſſet ad generalem diſpoſitionem edendam, reſcribendo, *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, &c.* Et quidem indubium eſt ex Decretis ſuperius expoſitis, quod duo Decreta, quæ in ſupplici libello citantur, ſunt particularia, nempe pro Ordine Minorum dumtaxat edita, & cum votum aſſerat, *Juxta mentem pluries declaratam &c.*, utique nonniſi particularia poſſunt eſſe hujuſmodi Decreta, cum univerſalia præſenti antiquiora plura numero non ſint reperiri, immo nullum, alias ſi aliquod extitiſſet, illud in ſuo voto præfatus Gambarucci adduxiſſet. Hoc itaque ex Decretis primum eſt, quod Sanctos perpetuo tranſlatos immutandi univerſaliter ut ſupra poteſtatem facit.

XVII. Si quæras momenta, ob quæ hujuſmodi poteſtas facta fuit? Jam ea habes in præfato voto exarata, quibus addi poteſt, congruenter id factum extitiſſe, ne dicta officia perpetuæ manerent damnata peregrinationi, & præſertim quia id jam habebat in uſum Breviarium Romanum, quod ceteris eidem addictis tamquam norma, & exemplum videtur debere deſervire. Cur autem ita ſero? Crederem id eveniſſe ex multiplici, quæ poſtmodum facta fuit, officiorum conceſſione, ob quam nimis frequens fiebat Sanctorum perpetua tranſlatio, ac ejuſdem Congregationis, cui immutandi facultas reſervata fuerat, incommoda conſultatio. Ob memoratas itaque congruentias, & dictum incommodum præcavendum locorum reſpective Prælatis, ac Religionum, atque Eccleſiarum Præſidibus conceſſa creditur facultas aſſignandi diem fixam, ac certam officiis, quæ in reſpectivis Eccleſiis in perpetuum a ſuo amota erant die, in hac parte quodammodo relaxando inhibitionem illam, qua cavetur, ne in iis, quæ ad divinum officium pertinent, Eccleſiarum particularium Præſides aliquo modo ſe ingerere præſumant.

XVIII. Ex dictis habes, quod modo non quidem amplius ad Sanctorum immutationem agendam exigitur ſpeciale Decretum, ſicuti expoſcit Sanctio III., cui utpote latæ tempore, quo nondum ſuper id generaliter indultum fuerat, per præſentem, nec per poſteriores ita derogatum, ſed magis confirmatum, etſi dictam poteſtatem tribuant. Sequentia Decreta eamdem item roborant, nec eidem officiunt IX., & X. danda, *in Januen.* edita, ut ſuo loco conſtabit. An autem prima dies non impedita dumtaxat aſſignari valeat, uti præſens, & ſequens Decreta importare videntur, quæ in ultimo Decreto dicemus, in apertis facient.

DECRET. VIII. CAPITIS, IN ORDINE LXXXVIII.

Ex parte Eccleſiæ S. Jacobi Incurabilium Urbis quæſitum fuit, an officium Viſitationis B. M. V. diei 2. Julii, in qua Feſtum Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ occurrit, celebrari poſſit die immediate ſequenti, etiamſi fuerit dies Dominica? a. Quæſitum fuit ex parte ejuſdem Eccleſiæ, an item die immediate ſequenti diei 1. Auguſti etiam Dominica, celebrandum ſit officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipſa die occurrat octava S. Jacobi? Et S. R. C. reſcripſit, *Faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, in die immediate ſequenti etiam in occurſu Dominicæ propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum Decretum S. R. C. 2. Julii* 1712. Et ita declaravit die 20. Novemb. 1717. Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. num. 260.

I. HOC Decretum, quemadmodum ex ſe patens eſt, omnimode ſimile, ac concors eſt præcedenti, illudque expreſſe citat, atque confirmat per ea verba, *Juxta alterum Decretum S. R. C. 2. Julii* 1712., quo eſt ſuperius datum *in Piſaur.*, in eodemque ſufficientem habet expoſitionem, quam unuſquiſque cum ibi recolere poſſit, hic repetere ſupervacaneum arbitramur.

II. Rationem tamen, ob quam in die immediate ſequenti faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur, etiam in occurſu Dominicæ, Decretum determinat, videlicet *Propter perpetuum impedimentum in propria die*, aliquali haud putamus præterire animadverſione, nobis enim ſatis indicat, Feſta perpetuo in proprio die impedita primo diei non impedito in perpetuum, & fixe eſſe conſignanda, regulamque exhibet generalem, quid in ſimilibus perpetuis translationibus præſtandum ſit; quinimmo patenter denotat, præcedens Decretum Feſta quæcumque perpetuo translata primæ diei non impeditæ conſtanter affigere, aut eidem ea addicendi generalem præbere poteſtatem. Ut ſuper hujuſmodi plene Lector reddatur inſtructus, horum Decreti verborum vim ſat eſt utique perpendat: *Propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum Decretum S. R. C. 2. Julii* 1712.

III. Aliam quoque hic diremptam quæſtionem habemus; etſi enim Guyetus *lib. 2. cap. 2. quæſt.* 5. attentis variis mutationis feſtorum generalium, quam reperire eſt in Breviario Romano, exemplis, ſimilem mutationem in feſtis locorum, & Eccleſiarum particularibus poſſe æque uſurpari, cum opus eſt, aſſeveret, quia pari incommodo paria ſunt adhibenda remedia, attamen *q.* 7. non plane conſentit, quod feſta in Kalendario Romano deſcripta, æque poſſint per mutationem diei alteri aſſignari, quando contingit ea a feſtis propriis loco moveri; ſatius; enim putat hujuſmodi officia transferre ſimpliciter in primam diem minime impeditam, quam alteri certæ diei, quæ inſtar ſit propriæ, conſignare. Ducitur autem nonnullis rationibus, quas ibi affert, quæ tamen non valde relevant, & infirmant, ſi quid probant, etiam immutationem feſtorum propriorum, quas propterea referre, & diſſolvere abſtinemus. Ceterum quæſtio, ut dicebamus, patenter eſt modo dirempta, quoniam in præſenti Decreto facultas ſignanter fit mutandi officium Viſitationis B. Mariæ, & illud S. Petri ad Vincula, necnon in præcedenti officia S. Raymundi Nonnati, & B. Mariæ de Mercede, quæ ſunt feſta de Kalendario Romano. Æque igitur feſta de Kalendario Romano, ac proprio e ſuo amota die, poſſunt per immutationem alteri tradi.

IV. Fateor vero, quod ex hoc, & præcedenti Decretis, ſi eorumdem verba nude inſpiciantur, deduci dumtaxat videtur, feſta perpetuo translata diei immediate ſequenti poſſe conſignari, quia adducta in eiſdem exempla ſunt ſolummodo in die immediate ſequenti; verum ſic non eſt, ſi ratio eorumdem teneatur, eſt ſiquidem ut quodlibet feſtum ſuam ſtatam habeat ſedem, in qua celebretur, & perpetuæ haud damnetur peregrinationi, incaſſum enim cenſetur aſſignatum illi diei, in quo ſemper eſt impeditum; unde præſens Decretum, dum producta officia in die immediate ſequenti fixe ſancit eſſe celebranda, habet *Propter perpetuum impedimentum in propria die*, quapropter ſi in immediate ſequenti die, eo quod ſit altero feſto impedita, feſta perpetuo translata fixe poni non poſſint, alteri diei non impeditæ poterunt aſſignari. Cuinam autem diei conſignari debeant, aut poſſint, dabunt ſequentia hujus Capitis Decreta. Quod vero præſens, & præcedens Decreta exempla pro die immediate ſequenti ſolummodo proferant, per accidens eſt, in quantum quod eæ dies nullo reperiuntur feſto impeditæ; quod ſi impeditæ extitiſſent, in ulterioribus diebus, ſeu primis non impeditis exempla feciſſent. Videntur tamen denotare in primam diem non impeditam faciendam eſſe feſtorum mutationem, ſed ſuper hoc in Decreto XIII. hujus Capitis reſervamus ſermonem inſtituere.

V. Ubi autem præcedens Sanctio nos docuit, in Diœceſibus licite fieri feſtorum perpetuo translatorum mutationem, ſeu feſtorum, quæ pro tota aliqua Diœceſi conſtanter a proprio die amoventur, præſens nos inſtruit, eamdem licitam quoque eſſe in qualibet Eccleſia particulari, ſeu licite alteri diei quoque, veluti proprio, conſignari feſta illa, quæ in aliqua particulari Eccleſia perpetuo contingit in proprio die impediri, eſt ſiquidem pro aſſignatione officiorum Viſitationis B. Mariæ, & S. Petri ad Vincula, quæ in Eccleſia S. Jacobi Incurabilium Urbis perpetuo ſunt in proprio die impedita. Idipſum dici debet de Sanctis apud Ordines Regulares, vel quaſcumque Eccleſias continue translatis. Quænam autem œconomia in eorumdem mutatione ſervanda ſit, præſertim cum plura Sanctorum officia, quorum unum *v. g.* ſit Eccleſiæ univerſalis, alterum particularis, accidit perpetuo transferri, dilucide monſtrabunt, quæ in expoſitione Decreti XIII. hujus Capitis dicenda ſunt.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE LXXXIX.

Cum in Directorio Divini Officii pro Civitate, & Diœceſi Januenſi impreſſo ſub prætextu Decreti S. R. C. die 18. Octobris 1684. ſuper aſſignatione diei pro officiis Sanctorum die propria impeditis, prima dies non impedita pro hujuſmodi officiis fixe fuerit aſſignata, cumque occaſione ſimilis impreſſionis multæ exortæ fuerint altercationes, propterea S. R. C. inſtantibus Eccleſiaſticis Civitatis Januenſis; & præcipue quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & numquam editum fuerit; in caſu, de quo agitur, ſervandas eſſe Rubricas declaravit, atque decrevit. S. R. C. 29. Novemb. 1721. *in Januenſi*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. n. 262.

I. IN Kalendario Civitatis, & Diœceſis Januenſis nonnulla reperiuntur Sanctorum officia, quæ perpetuam habent translationem, ut SS. Fructuoſi, & Sociorum Martyrum, ac S. Raymundi de Pennafort a die 23. Januarii per feſtum Deſponſationis B. Mariæ occupato, S. Athanaſii Epiſcopi a die 2. Maji per feſtum S. Valentini Epiſcopi impedito, S. Gothardi Epiſcopi a die 4. Maji, S. Eliſabet Viduæ Reginæ Portugalliæ a die 8. Julii, S. Hyacinthi Confeſſoris a die 16. Auguſti, S. Eduardi Confeſſoris a die 13. Septembris, necnon aliorum Sanctorum ab aliis reſpective diebus, qui ab alio occurrenti officio impediuntur. Cum itaque hujuſmodi officia primæ diei non impeditæ in Directorio divini officii pro eadem Civitate, & Diœceſi fixe fuerint conſignata prætextu cujuſdam Decreti S. Rituum Congregationis 18. Octobris 1684. multæ exortæ fuerunt inter Eccleſiaſticos præfatæ Civitatis altercationes, ſuper validitatem, ac ſubſiſtentiam præfatæ aſſignationis.

II. Res igitur pro declaratione per eoſdem Eccleſiaſticos in S. Rituum Congregatione delata fuit, quæ ponderans Decretum prædictum, vigore cujus præfata aſſignatio facta fuerat, ſuppoſititium eſſe, & numquam edictum, *In caſu, de quo agitur, ſervandas eſſe Rubricas declaravit, atque decrevit*; Rubricæ autem, uti jam ſæpe dictum eſt, præſcribunt, feſta, quæ transferri contingit, in primam quidem diem non impeditam transferenda eſſe, ſed non ſtate, ac fixe, ſed mobiliter, ac inſtabiliter.

III. Notatu hic digna ſunt verba illa Decreti *In caſu, de quo agitur*, ut clare quilibet inferat, S. Congregationis mentem non eſſe, quod Sanctis perpetuo translatis fixa ſedes, ac ſtatio aſſignari non poſſit, hoc ſiquidem ipſamet & in duobus immediate præcedentibus, & aliis quamplurimis infra dandis, & citandis Decretis conſtanter affirmat, atque concedit; ſed ejuſdem mentem in eo ſitam eſſe, quod in hoc caſu particulari aſſignationis prædictæ habitæ vigore Decreti ſuppoſititii, & numquam editi, pro quo exortæ erant altercationes, talis aſſignatio ſequenda non ſit, quare ſuæ determinationis rationem ſubdens habet, *Et præcipue quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & numquam editum fuerit*.

IV. Et revera Decretum, vi cujus prædicta Sanctorum perpetuo translatorum aſſignatio facta fuerat, aſſerebatur emanatum die 18. Octob. 1684. cum tamen tunc nullum ſuper hujuſmodi ſit reperire emanatum eſſe Decretum, ſed vel die 18. Octob. 1696. vel die 14. Auguſti 1684. quæ ſunt Decreta, quæ citantur in Decreto VII. hujus Capitis, & ſunt particulares conceſſiones utentibus Breviario Minorum factæ, quas non licet extendere ad non utentes, ut bene ſtabilit Decretum V. hujus ejuſdem Capitis. Quid autem mirum, ſi aſſignatio, quæ Decreto ſuppoſititio, ac falſo, & numquam edito innixa erat, nulla, & non ſequenda extitit declarata? Adhuc enim ex ſeipſis corruunt, quæ falſo, ac ficto fundamento innituntur.

V. Etſi autem, non imus inficias, prædicta translatorum aſſignatio ad primam diem non impeditam per Decretum, utpote ſuppoſititium, vi cujus facta erat, quo ſubſiſteret, fundamentum non haberet, ex aliis tamen Decretis, a quibus Sanctorum perpetuo translatorum alteri diei addictio permiſſa eſt, ſtabilitatem ſibi poterat vindicare; unde aliquibus non videtur, cur dicta aſſignatio approbata non fuerit, ſi non vi illius Decreti, aliorum vigore Decretorum, ſed *ſervandas eſſe Rubricas* fuerit declaratum, atque ſancitum.

VI. Verum cum tunc non ageretur, an Sanctorum perpetuo translatorum aſſignatio ad certam diem fieri valeat, ſed an talis aſſignatio, quæ facta fuerat prætextu Decreti S. R. C. 18. Octob. 1684. ſubſiſtantiam haberet, ideo cum tale Decretum ſuppoſititium foret, & numquam editum, congrue rejecta fuit, atque reprobata, licet haud dubitemus, quod alium-

aliunde, unde ſubſiſteret, poſſet habere, cetera ſcilicet Decreta aſſignationem Sanctorum perpetuo translatorum ad certam diem permittentia; quapropter ut ſupra dicebamus, non ſine cauſa in Decreto additum fuit *In caſu, de quo agitur*, ut ſcilicet indicaretur pro tali particulari caſu non approbari factam aſſignationem, non autem Sanctorum aſſignationem in univerſum, ac generaliter rejici.

VII. Verba autem ea, in quibus ſubditur ratio, ob quam Sacra Congregatio factam rejecit aſſignationem, ſcilicet *& præcipue quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & numquam editum*, nobis quidem ſignificant præcipuum motivum extitiſſe ſuppoſitionem, & inexiſtentiam Decreti, vigore cujus facta fuerat, ſed una patefacit quoque, alias non defuiſſe cauſas, quas inter crederemus non infimum tenere locum præfocationem, ac ſuppreſſionem altercationum, quæ cauſa talis aſſignationis inter Eccleſiaſticos exortæ fuerant; prudentia enim dictat quandoque etiam ab iis, quæ licite fieri queunt, abſtinendum eſſe, ad præcavendas altercationes, ac rixas.

VIII. Declaratum denique videre eſt, *ſervandas eſſe Rubricas*, quia cum valida haud foret facta aſſignatio, utpote innixa Decreto ſuppoſititio, & ideo approbari non poſſet, & aliunde in caſu altercationum inter Eccleſiaſticos exortarum laudabile non eſſet in uſum deducere poteſtatem illam, quæ ab aliis Decretis aperte conceſſa fuit ſuper aſſignatione Sanctorum perpetuo translatorum, ſuccedit diſpoſitio Rubricarum, quæ ſunt generales regulæ officii divini, omniumque ad illud attinentium.

IX. Cum itaque præſens Decretum omnimode particulare ſit, & pro caſu particulari emanatum eſſe ſit declaratum, *In caſu, de quo agitur*, & inſuper particularem habeat rationem, & cauſam, *Et præcipue quia Decretum prædictum ſuppoſititium eſt, & numquam editum*, ideo etſi poſterius ſit ad duo præcedentia Decreta, in quibus feſtorum conſtanter translatorum aſſignatio ad certam diem probatur, iiſdem in nihilo derogat, quinimmo eadem indubie roborat, ac confirmat, quin contrarium in ceteris caſibus faciendum eſſe demonſtrat. Ceterum quantumvis daretur, per hoc iiſdem derogari, adhuc per poſteriora alia Decreta infra in hoc Capite examinanda, in quibus poteſtas ad certam diem addicendi feſta perpetuo translata generaliter facta eſt, ſuum integrum robur recuperaſſent, ac in ſtatu omnimode valido forent.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE XC.

Ad preces Archiepiſcopi Januenſis iterum porrectas ſuper aſſignatione dierum fixorum pro officiis plurium Sanctorum, quæ ob occurentiam aliorum officiorum majoris ritus in prædicta Civitate, & Diœceſi propria die recitari nequeunt, S. R. C. quoad officia tantum Sanctorum Canuti Regis, & Martyris diem 6. Februarii, & Sancti Vvenceslai Martyris diem 7. Octobris aſſignari, quoad reliqua officia vero Rubricas de Translatione Feſtorum ſervandas eſſe mandavit die 22. Auguſti 1722. *in Januenſi*. Ex Merato in Indice Decr. Brev. n. 264.

I. IN præcedenti Decreto jam diximus, qualiter in Directorio divini officii pro Civitate, & Diœceſi Januenſi cum aſſignatio Sanctorum perpetuo translatorum ad certam diem facta fuiſſet vigore cujuſdam Decreti, quod ſuppoſititium erat, variæ altercationes inter Eccleſiaſticos exortæ fuerunt, & re delata ad Sacram Rituum Congregationem, hæc *ſervandas eſſe Rubricas* reſcribendum cenſuit. Modo per Archiepiſcopum ejuſdem Civitatis eidem Sacræ Congregationi preces (*quas alia vice eidem porrectas fuiſſe notula illa* Iterum *in Decreto reperta demonſtrat*) porrigi videmus ſuper aſſignatione dierum fixorum pro officiis iiſdem perpetuo in ſua Diœceſi translatis, necnon duobus aliis ad libitum, ſcilicet S. Canuti Martyris, ac S. Vvenceslai itidem Martyris, quæ cum ad libitum eſſent, & per officia iiſdem diebus occurrentia SS. Joannis Boni, & Salomonis Epiſcoporum impedita, nec in propria die celebrari, nec ad alteram transferri valebant, ſed prorſus vacabant.

II. *Sacra Rituum Congregatio quoad officia tantum Sanctorum Canuti Regis, & Martyris diem 6. Februarii, & S. Vvenceslai Martyris diem 7. Octobris aſſignari indulſit*; Cum enim hæc officia in propria die propter perpetuum ut ſupra impedimentum celebrari non poſſent, & quia ad libitum erant, ad alteram diem transferri vetabant quamplurima Decreta ejuſdem Congregationis, ideo ne Januenſis Eccleſia ſuper laudes tantorum Martyrum in Divina Pſalmodia perpetuum teneretur obſervare ſilentium, recte dies aſſignari indulſit, in quibus præfatorum Martyrum laudes recolere poſſet, & cum univerſali Eccleſia, ſi non in die celebrationis, in eorumdem officio æque convenire.

III. *Quoad reliqua vero officia Rubricas de Translatione Feſtorum ſervandas eſſe mandavit*. Cum enim reliqua officia de præcepto forent, vel ex privilegio, ſi in propria die ob perpetuum impedimentum celebrari non poterant, penitus nequaquam vacabant, ſed adhuc beneficio translationis altera die recurrebant, & ideo neceſſe non erat, uti pro officiis Sanctorum Canuti, & Vvenceslai, pro eorumdem celebratione diem aliquam ſtatam aſſignare. *Rubricas autem de Translatione Feſtorum ſervandas eſſe mandavit*, & dicta officia certæ diei nequaquam addixit, ne circa eadem officia recederet a jam recens deciſis, & ne altercationibus, quæ inter Eccleſiaſticos memoratæ Diœceſis ob aſſignationem Sanctorum perpetuo translatorum in Directorio divini officii pro eadem Diœceſi habitam, exortæ erant, ac vix peremptæ, novum fomentum accederet, denuoque exurgerent; qua & de cauſa diximus in præcedenti Decreto bene ſancitum fuiſſe, *ſervandas eſſe eaſdem Rubricas*, licet forſitan ſuper facta aſſignatione reſcribi potuiſſet: *Bene retineri poſſe, ſed male factam*. Equidem *bene retineri poſſe* ratione quamplurimorum Decretorum aſſignandi feſta conſtanter translata ad certum diem poteſtatem facientium; *male autem factam* ob Decretum ſuppoſititium, cui innitebatur, ac vigore cujus facta dicebatur.

IV. Volo, ut hic annotet Lector verbum illud *mandavit*, ut edifcat, integrom non eſſe Clero Januenſi in uſum deducere poteſtatem per quamplurima Decreta Sacræ Congregationis huic anteriora Eccleſiæ univerſali factam ſuper aſſignatione Sanctorum perpetuo translatotum ad certum aliquem diem, ſed eoſdem juxta Rubricas celebrare teneri, in prima ſcilicet die ſimpliciter non impedita; in præſenti etenim Decreto pro dicto Clero exceptio ponitur, & a præſcripto Rubricarum in eorumdem Sanctorum celebratione recedere inhibetur.

V. Iis, quæ modo diximus, nobis addere liceat, quod neque Decreta præſenti poſteriora, per quæ poteſtas Sanctos conſtanter translatos alteri diei, uti propriæ, addicendi facta eſt; a præfato Clero poſſe uſurpari, & vigore illorum præfatis Sanctis diem ſtatum aſſignari, quia quoties conceditur facultas aliqua, generalibus licet terminis expreſſa, ab ejuſdem participatione illi cenſentur expulſi, qui ſpeciali aliquo Decreto, vel ſpeciali de cauſa ab eadem arcentur, niſi in conceſſione habeatur eorumdem expreſſe, vel æquivalenter facta mentio.

VI. Licet autem præfatæ altercationes exortæ fuerint cauſa aſſignationis Sanctorum in tota Civitate, vel Diœceſi perpetuo translatorum ad certam diem in Kalendario Diœceſano habitam, & inhibitio ſimiliter ſit ſuper dicta aſſignatione, adhuc putamus dictam inhibitionem ad quaſcumque particulares Eccleſias ejuſdem Civitatis, vel Diœceſis eſſe extendendam, ita ut in nulla ejuſdem particulari Eccleſia ad ſtatum diem aſſignatio fieri valeat eorum Sanctorum, qui ob particularia officia, puta Dedicationis, vel Titularis ejuſdem Eccleſiæ, in proprio die poſſent eſſe impediti; vel enim hujuſmodi aſſignatio fieri deberet ab Archiepiſcopo, & hoc non, quia hoc ipſo, quod eidem inhibitum eſt aſſignationem prædictam facere pro tota Civitate, vel Diœceſi, quam regit, inhibitum quoque eidem cenſetur eamdem peragere pro Eccleſia particulari præfatæ Civitatis, vel Diœceſis: vel fieri deberet, aut poſſet a Prælato inferiori illius Eccleſiæ, & hoc apprime diſſonum videtur, quoniam ſic plus poſſet Prælatus inferior, & Archiepiſcopo ſubjectus pro Eccleſia particulari, quam regit cum ſubjectione, & dependentia ab Archiepiſcopo, quam Archiepiſcopus ipſe poſſit in ſua Diœceſi, & in Eccleſia illa particulari. Tum etiam quia haud convenit, quod membrum diſſonet a capite, & a reliquo corpore, & ideo ſi in Kalendario totius Diœceſis aſſignatio præfata haudquaquam licet, nec licita cenſeri debet pro Eccleſia particulari ejuſdem Diœceſis, tum denique quia quod fieri inhibitum eſt in Diœceſi aliqua, fieri vetitum intelligitur in omnibus Eccleſiis ejuſdem Diœceſis, maxime in iis, quæ ad divinum ſpectant officium, in quibus Eccleſiæ inferiores ſuperiori ſe debent conformare, ejuſque methodum tenere, ac obſervare.

VII. Quia tamen Eccleſiæ Regulares independenter a juriſdictione Epiſcopali per ſuos Prælatos jure pontificio reguntur, & in iis, quæ ad divinum pertinent officium, a Diœceſano Kalendario minime diriguntur, ſed proprium habent Breviarium, & proprias ejuſdem leges, quibus manent obſtrictæ, quoſque obſervare tenentur, vel ſi proprium non habent Breviarum, Romanas aſſolent ſervare Rubricas, & Decreta Sedis Apoſtolicæ, cui immediate ſubjiciuntur, ac Romanarum Congregationum pro univerſali Eccleſia edita, ideo cenſerem eaſdem Regulares Eccleſias, etiamſi intra confinia præfatæ Diœceſis ſitas, minime privandas fore beneficio generaliter indulto aſſignandi Sanctos perpetuo translatos ad certam diem, hocque in uſum deducere poſſe, nedum relate ad Sanctos, qui in ſua particulari Eccleſia poſſent eſſe in proprio die conſtanter impediri, vel ob occurrentiam Feſtorum particularium ejuſdem Eccleſiæ, vel Sanctorum Ordinis, ſed etiam relate ad Sanctos in tota Diœceſi perpetuo translatos, de quibus eaſdem recitare poſſe in Cap. VIII. oſtenſum eſt, inſtar totius Ordinis, in quo Sancti perpetuo a ſuo die moti, alteri diei, uti proprio, ſolent eſſe addicti, ut ſic membrum cum toto apte conveniat.

VIII. Quæ vera eſſe credimus nedum reſpective ad Eccleſias Regularium exemptorum, ſed etiam relate ad Eccleſias Monialium locorum Ordinariis ſubjectarum; in iis enim, quæ ad divinum attinent officium, etiam iſtæ dirigi debent juxta regulas proprii Breviarii, ac juxta methodum, & conſuetudinem propriæ Religionis, ut dicebamus exponentes Decretum XI. Capitis primi, & non juxta morem Cleri Sæcularis illius Diœceſis, intra cujus confinia earumdem Monaſteria ſita ſunt, maxime in odioſis, qualis eſt memorata inhibitio. Et quidem ſi Moniales locorum Ordinariis ſubjectæ peragere non poſſunt octavam Patroni

prin-

principalis loci, aut Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ſed in iis, ac aliis Diœceſanis officiis eodem prorſus modo, quo Regulares, & aliæ Moniales exemptæ, ſe gerere debere pluribus Decretis Sacræ Congregationis ſancitum manet, etiamſi Clerus Sæcularis easdem peragat octavas, & materia ſit in favorabilibus, quomodo quæſo credi unquam poterit, quod eædem comprehendantur in præfata inhibitione, quæ odioſa eſt, facitque eas a more, ac conſuetudine totius Religionis, cujus membra ſunt, diſcrepare.

IX. Decretum præſens non minus, ac præcedens, omnino particulare eſt, pro caſu particulari editum, & particularem ob rationem, & ſic in nihilo offendit, ſed magis roborat Decreta immutationem concedentia.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE XCI.

Cum pluries occurrant quotannis eodem die duo Feſta Sanctorum, quorum unum juxta Rubricas eſt transferendum, petitum fuit ex parte Archiepiſcopi, & Capituli Hiſpalenſis, ut quoties perpetua eſt talis occurrentia, aſſignetur ei, quod transferendum eſt, dies propria, & fixa, prima nempe dies non impedita. Et S. C. reſpondit, quod Sanctis, qui perpetuo ſunt transferendi, ſit aſſignanda dies fixa, & commiſit eidem Reverendiſſimo Archiepiſcopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc aſſignationem dierum. S. R. C. 26. Novembris 1735. *in Hiſpalen.* Ex Merato in Indice Decretorum Breviar. num. 280.

I. PRoculdubio conſtantem ſe exhibet Sacra Congregatio in poteſtate facienda aſſignandi diem propriam, & fixam Sanctis perpetuo translatis, unde nullus nunc remanet dubitandi locus, quod præfatam fieri liceat aſſignationem. Verum quoniam ſuper hujuſcemodi rem ſuperius jam plura dedimus, & infra daturi ſumus, non putamus ulteriora hic eſſe addenda, ſed ſolummodo nonnulla hic ducimus annotare, quæ ex hoc Decreto ſpecialius præ ceteris eruuntur.

II. Primo igitur hic petitum habemus, ut feſto conſtanter translato *aſſignetur dies propria, & fixa*, & S. Congregatio reſpondit, *eidem eſſe quidem aſſignandam diem fixam*, non tamen ipſa illam aſſignat, ſed illam faciendam committit Archiepiſcopo. *Et commiſit eidem Reverendiſſimo Archiepiſcopo, ut &c.* Per hæc verba inſtruimur, quod pro aſſignatione Sanctorum perpetuo translatorum ad certam, ac ſtatam diem, non opus eſt amplius Sacram Congregationem ſupplicare; hæc enim juſtis de cauſis generalem fecit poteſtatem dicta feſta ſtatæ dies addicendi, & generalem illam inhibitionem, mutationem aliquam inducendi in iis, quæ ad divinum pertinent officium, niſi Rubricis Breviarii Romani, aut licentia Sedis Apoſtolicæ, vel Sacrarum Congregationum ſpecialiter permiſſa, vel conceſſa ſit, hac in parte moderata fuit. Cum enim Sacra Congregatio validis mota rationibus, ac congruentiis, de quibus ſupra, etſi forſitan aliter ſuadeant Rubricæ Romanæ, in eam iverit opinionem, ut Sanctis perpetuo translatis aſſignanda ſit altera dies, ut propria, poteſtatem, quam ſibi uni reſervavit, talem aſſignationem agendi, aliis communem facere exiſtimavit, ne continuis laceſſiretur petitionibus ſuper hujuſmodi aſſignationes ob quamplurimas, ac propemodum infinitas occurrentias plurium feſtorum in eodem die, quæ in particularibus Orbis Catholici eveniunt Eccleſiis, poſtquam Sedes Apoſtolica in conceſſione officiorum benigniorem ſe reddidit, ac Eccleſiarum, vel Principum ſupplicibus libellis facilius indulgendum eſſe cenſuit.

III. Quibus autem hujuſmodi ſit facta facultas, ſequentia Decreti verba nos edocent, *Et commiſit eidem Reverendiſſimo Archiepiſcopo*, per quæ datur intelligi, quod talis aſſignatio facienda eſt a proprio reſpective Prælato, ſeu Superiore, videlicet ab Epiſcopo in Kalendario Diœceſis, a Prælatis Ordinum in Kalendariis Religionum, a Superiore Monaſterii, vel Collegiatæ, aut Parocho, ſeu quocumque altero Eccleſiaſtico, qui alicui præeſt Eccleſiæ, ſi inibi perpetuus ille accidat occurſus. Illa autem cenſetur a præfatis Superioribus acta etiam, quando fit ab iis, qui ex eorumdem mandato Kalendarium pro Cleri directione componunt.

IV. *Ut pro unica vice*, ſubdit Decretum, *deveniat ad hanc aſſignationem dierum.* Aſſignationem ſemel factam nec poſſe, nec debere amplius immutari hæc denotant verba; hoc ipſo enim, quod aſſignatio ſemel facta eſt, dies aſſignata ſe habet veluti propria dies, & feſtum aſſignatum non amplius ſe habet in ea ut translatum, ſed ut occurrens, unde non cedit officio altioris ritus, vel prius translato, & adhuc in occurſu Dominicæ, ſi duplex eſt, officium nequaquam deperdit. Cum igitur, ſi ſemel facta feſti alicujus aſſignatione ad aliam ejuſdem aſſignationem deveniretur, jam tale feſtum a propria die, & ſtatione ſtatim depelleretur, ideo ſemel facta dierum aſſignatione, expirat poteſtas aſſignantis, nec amplius ei licet eamdem immutare quamvis tractu temporis feſtum aliud altioris ritus, vel anterioris translationis aſſignari inſtaret, quod juxta rectum Rubricarum ordinem prius, quam illud, quod jam aſſignatum eſt, celebrari, ac aſſignari expoſceret, quod propterea alteri diei poſt illas officiorum jam aſſignatorum conſignandum veniet. Ratio hujus eſt, quia jam ſtatim hoc officium per hoc quod repelleretur a die aſſignata, a die propria rejiceretur, quod fieri uſus, & Rubricæ Romanæ refragantur aperte, quæ ſemper feſta translata; & quidem licet perpetuo, in primam diem non impeditam amandant. Nec immutationis facta poteſtas jus tribuit a proprio die feſta amovendi, uti eveniret in caſu, ſed ſolum feſta jam amota altari diei addicendi, unde ſemel facta Sanctorum immutatione nihil ulterius juris habent Prælati.

V. Ceterum jam facta alicujus feſti ad certam diem aſſignatione, ſi poſtmodum pro eadem die officium aliud majoris ritus, per quod officium eidem aſſignatum iterum deturbaretur, accideret concedi, alteri adhuc diei tale officium conſignari valeret; ea enim verba, *Ut pro unica vice deveniat ad aſſignationem dierum*, excludunt quidem iterationem aſſignationis ex libito, vel ex aliquo alio motivo, quod deinde exurgere poſſit, de quibus ſtatim promemus exempla, ſed non ſi iterum tale feſtum ab jam aſſignata ſtatione repellatur; tunc enim denuo perinde ſe habet, ac feſtum, quod a propria die in perpetuum amovetur, & ideo adhuc unica vice ad ejuſdem aſſignationem ad certam diem poteſt deveniri, & ſic toties quoties ſimilis occurſus accideret; ſive feſtum jam aſſignatum a die aſſignata in perpetuum contingeret abigi. Quodnam autem feſtum alicui diei ſtatæ addictum, ab eadem jura ejici poſſit, aut debeat, diſcuſſio habebitur in expoſitione ſequentis Decreti.

VI. Etſi igitur, antequam Prælatus ad alicujus feſti perpetuo translati aſſignationem deveniat, congrua ratione aliqua, ut videbimus in ultimo Decreto hujus Capitis, interveniente unam præ altera ex duabus ſeligere valeat, attamen ſemel facta prædicta aſſignatione, integrum amplius eidem non eſt eam diem immutare, licet poſtmodum ea congrua interveniat ratio, ob quam ab initio alteri diei dictum officium convenienter fuiſſet aſſignatum, vel ſi ea tunc intererat ratio, debita caruit animadverſione. Licet itaque in caſu feſti alterius altioris ritus, vel dignitatis, vel anterioris translationis prius aſſignari poſſet, imo debuiſſet feſtum hoc, ad alteram diem poſteriorem protracto feſto inferioris ritus, dignitatis, vel translationis, adhuc ſemel facta hujus aſſignatione a die aſſignata expelli hoc feſtum nequaquam poſſet, ut in eadem feſtum, quod recens, ac poſtea concedi eveniret, licet altioris ritus collocaretur, ſed poſt quæcumque officia aſſignata, licet ſemiduplicia, dictum officium aſſignari deberet. Idem dicito, ſi aliqua ex cauſis, quæ ad aſſignandum alterum diem a primo non impedito ſufficiunt, vel poſtmodum interveniret, vel ſi tunc intererat, ad eamdem animadverſio nequaquam adhibita fuiſſet. De his cauſis agetur in ultimo Decreto hujus Capitis. Non credimus tamen hoc habere locum, quoties animadverſum non fuiſſet in aſſignatione jam peracta ad rationem congruam a Congregatione approbatam, ut pro feſto SS. Nominis Jeſu in ſequenti Decreto determinatum videbimus, relinquendam eſſe liberam diem 28. Januarii pro ejuſdem repoſitione; tunc enim aſſignatio cum ſit perperam facta, nulla eſt, & cenſetur pro non facta, adeoque ad aliam aſſignationem deveniri poteſt, immo debet, perinde ac ſi prior facta minime fuiſſet. An autem idem dicendum veniat de feſto Purificationis B. M., judicent alii ex identitate rationis, de qua in Dect. II. Cap. ſequentis, quæque in Decreto lato pro SS. Nomine Jeſu ſaltem implicite approbata videtur.

VII. Supereſt advertere, quod licet in ſupplici libello petitum fuerit, ut aſſignaretur *dies prima non impedita*, nihilominus Congregatio non reſpondit, quod ſit aſſignanda *dies prima non impedita*, ſed *dies fixa*, ut denotaret, quod feſta perpetuo translata non ita ſtate in primam diem non impeditam rejici debent, ut etiam alteri, ſi congrua interveniat ratio, non poſſint in perpetuum conſignari.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE XCII.

Si die 21. Januarii occurrat in aliquibus locis Feſtum alicujus Sancti particulare ſub ritu duplici, v. g. S. Meinradi apud Benedictinos, faciendum eſt officium de tali Sancto, & transferendum eſt officium S. Agnetis, quod occurrit eodem die, cui aſſignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non ſit dies 28. Januarii, ne Feſtum SS. Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica 2. poſt Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem Dominica, quæ eſt Septuageſimæ, ideoque ne illud Feſtum celebretur intra Quadrageſimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii, in qua id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Feſtum S. Agnetis ſecundo, fiet de eo commemoratio tamquam de ſimplici, nullo habito reſpectu, quod Feſtum ejuſdem ſolemne prius non fuerit celebratum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 286.

I. HAbetur igitur primo per illa verba, *Si die 21. Januarii occurrat &c.*, quod occurrente eodem die feſto S. Agnetis Virg., & Mart., cujus ſolemnia die 21. Jan. univerſalis agit Eccleſia, & feſto particulari alicujus Ordinis, vel Diœceſis, quod celebretur ſub eodem ritu,

majoris nec ſit dignitatis, aut ſolemnitatis, faciendum eſt officium de tali Sancto particulari, & transferendum eſt illud S. Agnetis; & hoc nobis innuit, quod in occurſu officii Eccleſiæ particularis, & alterius officii Eccleſiæ univerſalis, in paritate ritus, dignitatis, & ſolemnitatis officium particulare eſt præponendum univerſali, quemadmodum pluries id fuiſſe deciſum apparebit in Capite de Occurrentia feſtorum.

II. Habetur 2. per ea verba, *Cui aſſignari debet aliqua dies fixa*, quod officiis perpetuo translatis, ne perpetuæ damnata veniant peregrinationi, aſſignanda eſt dies fixa, certa, ac ſtata, in qua continuo veluti occurrentia ſint celebranda, ita ut in ea non cedant officiis altioris ritus, vel dignitatis, vel prioris deſcriptionis in Kalendario, quæ quandoque transferri contingit, immo ſi duplicia ſunt; nec officio occurrentis Dominicæ. Hæc conſona apprime ſunt, maximam ac porrigunt confirmationem iis, quæ in præſenti Capite dedimus, unde ulteriori non egent examine.

III. Verbum tamen illud *Debet* non ſpernendam ingerit difficultatem, noſque ad inquirendum ducit, an Sanctorum perpetuo translatorum aſſignatio ad ſtatam, ac certam diem in præcepto ſit, an vero a noſtro pendeat arbitrio; ita ut Sancti illi vel certæ diei addici poſſint, vel in prima die ſimpliciter non impedita iidem celebrari queant, quemadmodum Rubricæ feſta translata in eamdem rejiciunt?

IV. Ad quod dicendum videtur, præfatam aſſignationem in præcepto eſſe, nec a noſtro pendere arbitrio, feſta perpetuo translata, vel certæ diei addicere, vel in prima ſimpliciter die non impedita ad modum ceterorum translatorum recolere. Id innuere videtur modus loquendi, quem tenent Decreta ſuper dictorum feſtorum aſſignatione emanata, qui certe præceptivus apparet. Habet enim Decretum 5. Maji 1736., de quo in Cap. de Occurr.: *Et aſſignanda fixa, & propria dies pro S. Anſelmo*. Itidem Decretum 5. Maji 1736., quod eſt ultimum hujus Capitis, *Aſſignando aliam fixam, & perpetuam diem S. Petro Chryſologo*, & in XI. ejuſdem Capitis, *Et Sacra Congregatio reſpondit, quod Sanctis, qui perpetuo ſunt transferendi, ſit aſſignanda dies fixa*. Nec ſatis hucuſque; ſubditur enim, *Et commiſit Archiepiſcopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc aſſignationem dierum*. Quibus omnibus, & aliis ſimilibus ſi addatur vis verbi illius *Debet*, quod præſens habet Sanctio, *Cui aſſignari debet aliqua dies fixa*, tamquam indubium erui videtur, quod aſſignatio feſtorum perpetuo translatorum in præcepto ſit, & a noſtro nequaquam pendeat arbitrio.

V. Hæc profecto concludentia videntur, licet eiſdem nequaquam obſtantibus in eam iri poſſe opinionem nos probabiliter arbitremur, ut in arbitrio adhuc ſit, feſta perpetuo translata, vel certæ diei aſſignare, vel in prima ſimpliciter die ad modum ceterorum translatorum excolere. Ducimur autem tum ex conſuetudine, quam adhuc quamplures ex inſignioribus Eccleſiis cuſtodiunt, illa feſta in prima ſimpliciter die non impedita celebrandi. Tum ex Rubricis Breviarii, quæ *tit. 10. de Trasl. num. 6.* feſta præfata in eamdem primam ſimpliciter diem non impeditam celebranda rejiciunt; quæ cum nondum correptæ extiterint, denotant nobis, adhuc ſuam vigere diſpoſitionem eas relate ad Eccleſias, quæ privilegio aſſignandi diem fixam minime uſæ ſunt; reſtringere autem ejuſdem Rubricæ ſenſum ad feſta per accidens ſimul eodem die venientia, nimis arcta, & extorta ejuſdem intelligentia videtur, cum ampliorem apud omnes Auctores ſemper ſortita ſit explanationem, & aliunde ſi talia feſta nequaquam comprehenderet, ſane nulla in Rubricis pro eiſdem feſtis diſpoſitio haberetur; quod cum dictus perpetuus plurium feſtorum occurſus non infrequens eveniat, aſſerere abſurdius profecto eſt, quam quod præfata Rubrica etiam capiat feſta perpetuo translata. Remanet igitur, quod Decreta aſſignationem Sanctorum perpetuo translatorum ad certam diem indicentia, poteſtatem faciant, ac privilegium; privilegiis autem utimur, ſi, & quando volumus, cum nemo uti ſuo privilegio cogatur. *Cap. ad Apoſtolicam de Regul.* Semel autem facta aſſignatione, ſeu in uſum deducto prædicto privilegio non licet amplius ad Rubricarum diſpoſitionem tranſire, quia ſic fert tenor verborum ejuſdem privilegii quorum proprietas tenenda venit.

VI. Quod ſi præfata Decreta privilegium, licet generaliter, facere reputantur, jus commune Rubricarum nequaquam tollitur, quinimmo dicta Decreta ſunt reſtringenda, ut minus lædant præfatum jus commune, quam fieri poſſit, ut bene Fagnanus *in 1. par. lib. 1. Decretal. de Reſcriptis in Cap. Cauſam quæ num. 8.*, atque adeo intelligenda ea veniunt, dum obligationem, ac debitum faciendæ memoratæ aſſignationis inducere videntur, de obligatione, ac debito non rigoroſo, ſed de debito congruitatis petito tum ex jure uniformitatis cum Eccleſia univerſali, quæ feſta perpetuo in propria die in Kalendario Romano impedita, alteri diei, uti propriæ conſignat, tum ex aliis rationibus, ob quas aſſignationem dictorum Sanctorum convenienter fieri ſuperius aſſerebamus.

VII. Aliam quoque difficultatem verbum illud *Aliqua*, nobis examinandam ſuppeditat, cuinam videlicet diei addici debeant hujuſmodi feſta, quæ conſtanter ſunt ſuo die mota?

VIII. Ad quod ſimiliter dicendum videtur, conſignanda in perpetuum ea eſſe *prima diei non impeditæ*. Tum quia ſic fert uſus Romanæ Eccleſiæ, quæ feſta conſtanter translata in Kalendario Romano primæ diei non impeditæ ſemper affigit, ut factum fuiſſe vidimus pro feſto Quadraginta Martyrum, & pro feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis in Decretis I., & II. hujus Capitis. Tum quia Rubricæ paſſim, & ubique clamant feſta, quæ transferri contingit, in primam eamdem diem non impeditam eſſe rejicienda. Tum quia Rubrica illa, quæ vigore Decretorum Sacræ Congregationis introducta fuit in Breviario Minorum, quamque utique apparet, modo pro Eccleſia univerſali poſſe deſervire, firmat, quod *prima dies proxima non impedita aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria dictorum translatorum*. Tum denique quia Decreta VII., & VIII. hujus Capitis, dum *faciendum eſſe de officiis, de quibus agitur etiam in occurſu Dominicæ*, præſcribunt, innuere videntur, atque generalem regulam approbare transferendi ſtare in primam diem non impeditam feſta perpetuo translata, quemadmodum ſunt ea feſta, de quibus faciendum eſſe ibidem diſponitur.

IX. Valida ſunt quidem hujuſmodi argumenta, ut eiſdem obſiſtere poſſimus, quapropter eorumdem ponderi adhærendum eſſe putamus, unica dumtaxat addita clauſula, ſive limitatione, quam nobis præſens manifeſte ſuggerit Sanctio, videlicet ut feſta perpetuo translata in prima die non impedita, tamquam in propria ſede, ac ſtatione locanda ſint, dummodo aliqua non adſit congrua ratio, quæ aliter faciendum eſſe ſuadeat. Pro hujuſce appoſitione clauſulæ, opus non eſt inſudare, quoniam præſens Decretum propter aliqualem dumtaxat inconvenientiam, quam habet celebratio feſti SS. Nominis Jeſu intra quadrageſimale tempus, officio Sanctæ Agnetis conſtanter translato, non vult aſſignandam eſſe diem 28. Januarii, etſi ſit prima dies non impedita; ſed eamdem relinquendam eſſe vacuam, ut in ea collocetur feſtum ejuſdem SS. Nominis, quando ob occurſum, qui perraro evenit, cum Dominica Septuageſimæ transferri contingit; hinc Decretum non *primam diem non impeditam* eidem feſto aſſignandam eſſe edicit, ſed *aliquam diem fixam*, & inſuper quod *hæc dies fixa non ſit dies 28. Januarii*, & ſubdit rationem *ne feſtum SS. Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica 2. poſt Epiphaniam, aliquando occurrat in Dominica Septuageſima; ideoque ne illud feſtum celebretur intra Quadrageſimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii, in quam id tunc erit transferendum*. Quid quæſo clarius præſenti Sanctione adduci unquam poteſt in probationem appoſitæ clauſulæ, ac limitationis?

X. Juvat igitur credere, quod in Decretis ſuperius hic recenſitis conſulto poſitum non eſt, Sanctis perpetuo translatis, de quibus in eiſdem agitur, aſſignandam eſſe *primam diem non impeditam*, ſed ſimpliciter in primo, *Et aſſignanda fixa, & propria dies pro S. Anſelmo*, & in ſecundo, *Aſſignando aliam fixam, & perpetuam diem S. Petro Chryſologo*. In præcedenti quoque Decreto abſque ponderatione præterire nolumus, quod etſi in ſupplici libello peteretur aſſignatio dictorum Sanctorum *pro prima die non impedita*, adhuc Sacra Congregatio nequaquam reſcripſit aſſignandam eſſe *primam diem non impeditam*, ſed quod eidem *aſſignanda eſt dies fixa*, quinimmo commiſit Archiepiſcopo, *ut pro unica vice deveniat ad hanc aſſignationem dierum*, ſimpliciter, & abſolute, nullaque facta limitatione *pro prima die non impedita*. Hoc autem factum eſſe arbitramur, ut inde deduci poſſet, non eſſe in præcepto primam diem non impeditam pro aſſignatione dictorum Sanctorum deligere, ſed etiam alteram deligi poſſe, dummodo congrua non deſit cauſa, aut ratio, ſine qua a delectione primæ diei non impeditæ non putamus eſſe recedendum.

XI. Ad adducta igitur argumenta, quatenus obſtare poſſint, brevis ſufficit reſponſio; unde ad primum dicimus conſuetudinem Eccleſiæ quidem ita ferre, verum nec deeſſe quamplurima exempla in Kalendario Romano, in quibus feſta in proprio die impedita, non in prima die non impedita conſtituta ſunt celebrari, ſed vel in die ordinationis, translationis, aut altera, quemadmodum infra dicturi ſumus; quapropter ſi Eccleſiæ conſuetudo attendatur, potius approbatur, quam reprobetur dicta clauſula, vel limitatio; unde nihil concludunt duo illa exempla S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & quadraginta Martyrum, quorum feſta in prima die non impedita ſtatuta ſunt celebrari, quia nulla aderat ratio aliter faciendum eſſe ſuadens.

XII. Ad 2. Rubricas alloqui in caſu meræ translationis, non mutationis; ceterum etiam in caſu mutationis eſſe ſequendas in defectu congruæ rationis, aut cauſæ, quæ oppoſitum convenientius fieri probet.

XIII. Ad 3. Rubricam illam deſervire modo pro Eccleſia univerſali, ſed cum adducta clauſula, & limitatione, quam Decreta Sacræ Congregationis, & præſertim præſens, eidem exporrigunt.

XIV. Ad 4. bene in aſſertis Decretis id ſtatui, quia ſupponitur nullam adeſſe rationem, quæ ad alteram diem adducta feſta ſtare transportet. Ceterum Decreta S. C. ſatis manifeſte ſe explicant pro appoſita clauſula.

XV. Supereſſet hic congruas rationes, & cauſas adducere, ob quas licita redditur immutatio Sanctorum perpetuo trans-

latio-

latorum in alteram diem a prima non impedita. Verum quoniam hæc pertractare nonnihil confuſionis ſuper præſentis Decreti explanationem apud Lectorem minus peritum ob copiam dicendorum ingerere poſſet, ideo in ſequenti Decreto eaſdem adducere reſervamus.

XVI. Habetur autem ex illis Decreti verbis, *Qua tamen non ſit dies 28. Januarii*, feſtum S. Agnetis, quoties eſt perpetuo tranſlatum, & propterea immutandum, non eſſe aſſignandum diei 28. Januarii, etſi ſit prima dies non impedita, ſed in alteram ulteriorem diem eſſe ſtate rejiciendum. Quod dicitur de feſto S. Agnetis, eadem de cauſa dicendum venit de quolibet alio feſto conſtanter tranſlato, quod alicubi occurrere poſſet, quod propterea nequaquam aſſignandum erit dictæ diei 28. Januarii, ſed in ulteriorem diem protrahendum, quia non minus hoc, ac feſtum S. Agnetis in caſu in impedimentum poſitionis Feſti SS. Nominis Jeſu in ea die deſerviret; hinc bene Meratus *in Indice Decretorum Breviarii numer.* 286. aſſerit, quod ob ſupradictam rationem in Statu Eccleſiaſtico videtur non eſſe aſſignandam diem 28. Januarii feſto S. Raymundi de Pennafort, a die 23. per feſtum Deſponſationis B. Mariæ ſemper amotci; licet nonnulli Ordinariorum Directores adhuc tali feſto aſſignent prædictam diem, tamquam ei fixam, & propriam, & transferant officium SS. Nominis Jeſu in aliam diem. Bene quidem ibi, ſed valde miror poſtea, quod ipſemet in quarto Tomo in ſuis Tabulis idem, quod illi, in uſum deducat, turpiter deſtruendo, quod jam ædificaverat.

XVII. Habetur 4. ratio per verba, quæ in Decreto ſubdunt, *Ne feſtum SS. Nominis Jeſu &c.*, ob quam per aſſignationem feſtorum perpetuo tranſlatorum occupari inhibetur diem 28. Jan., ne ſcilicet feſtum SS. Nomini Jeſu ob occurſum in Dominicam Septuageſimæ intra Quadrageſimam transferendum veniat, ac celebrandum, quod utique eveniret, quotieſcumque Dominica Septuageſimæ incideret in diem 20. Januarii, cum enim a die 20. Januarii uſque ad diem 6. Februarii, in qua tunc occurret dies Cinerum, omnes dies in Kalendario Romano ſint occurrenti officio novem lectionum occupati, diebus 28. Januarii, & 3. Februarii ſolummodo exceptis, claret, quod ſi præfata dies 28. Januarii per dictam aſſignationem occupata veniret, tunc feſtum SS. Nominis Jeſu intra Quadrageſimam eſſe transferendum, ac celebrandum; quia altera dies in dicto Kalendario haud occupata, eo anno impeditur ob occurſum Dominicæ Quinquageſimæ, quæ reſpuit quodcumque duplex 2. claſſis occurrens; quanto autem magis tranſlatum?

XVIII. Habetur 5. per ea verba *Quod non conveniret*, nequaquam congruere feſtum SS. Nominis Jeſu intra Quadrageſimam celebrari. Fatemur, quod hujuſmodi incongruitatis rationem facile non eſt invenire; quam ſubdimus tamen, non incongrue cenſemus aſſignari; tempore enim Quadrageſimali recolitur Jejunium, quod Chriſtus vir plurium annorum in deſerto peregit, unde tunc temporis non apte celebrari videtur feſtum illud, in quo Chriſtus ut puer, in circumciſione nomen accipiens inſpicitur.

XIX. Quæres, an ita non congruat feſtum SS. Nominis Jeſu celebrari intra Quadrageſimam, ut ſi in hanc transferri deberet, eſſet magis omittendum?

XX. ℞. Nequaquam, atque adeo in Quadrageſima tunc eſſe celebrandum; cum enim hoc officium ſit de præcepto, & licet ſit ex officiis affixis diebus mobilibus, ſit ex feſtis transferibilibus, utpote ex feſtis univerſali Eccleſiæ conceſſis, ratio ſuperadducta, ob quam intra Quadrageſimam celebrari non convenit, non videtur tanti eſſe momenti, ut queat impedire illud transferri, & in prima die non impedita, etiam intra Quadrageſimam, ſi aliter fieri non poſſit, celebrari juxta Rubricas, quæ ubique ſimpliciter, & abſolute clamant, feſta de præcepto, ſi in propriis diebus impediuntur, in prima die non impedita eſſe celebranda. Et quidem tempore Quadrageſimali celebratur feſtum SS. Annunciationis, quod implicite claudit Dominicam Incarnationem, ſeu Conceptionem; magis autem proculdubio hæc diſtat a Chriſto jejunante, quam circumciſio, ſeu impoſitio Nominis Jeſu. Licet igitur magis congruat dictum feſtum extra Quadrageſimam celebrari, & ideo ad adductam aliqualem incongruitatem evitandam apte ſancitum ſit, diem 28. Januarii relinquendam eſſe vacuam, ut in caſis translationis prædicti feſti in ea collocari valeat, non ita tamen diſconvenit, ut ſi aliter fieri non poſſit, intra Quadrageſimam nequeat celebrari, ſed potius omitti debeat.

XXI. Dices ob incongruitatem, quam habet feſtum Dolorum B. Mariæ, vetitum eſt ad tempus Paſchale transferri; ergo etiam ob incongruitatem, quam habet feſtum SS. Nominis Jeſu cum tempore Quadrageſimali, cenſendum eſt verbum illud, *Quod non conveniret*, inhibitionem importare transferendi dictum feſtum intra Quadrageſimam.

XXII. ℞. Quod apprime diſpar eſt ratio, quoniam tempus Paſchale eſt tempus ſummi gaudii, & lætitiæ ob Chriſti reſurrectionem, & noſtram operatam redemptionem; & ideo omnino ineptum, & non congruum ad recolendos Dolores Mariæ ad viſionem Chriſti Filii ſui crucifixi paſſos, cum enim in hoc feſto Dolorum indirecte recolantur dolores, & paſſio etiam Chriſti, quis non videt, quod agendo

feſtum præfatum Dolorum tempore Paſchali, idem Chriſtus ſub contradictoriis reſpectibus una ſimul recoleretur, ſcilicet ut patiens, & non patiens; non ſic autem evenit in altero caſu, quoniam etſi dum in deſerto jejunus inſpicitur, vir plurium annorum ſupponatur, & in impoſitione nominis vix natus, ſeu puer octo dumtaxat dierum, adhuc tamen agendo feſtum Nominis intra Quadrageſimam Chriſtus una ſimul ſub terminis contradictoriis non coleretur, videlicet ut jejunans, & non jejunans, ut vir, & non vir, quia cum hæc diverſis temporibus, & annis facta ſint, & in eiſdem etiam diebus, ſed diverſorum annorum, contingere potuerint, ideo nil vetat, quod una ſimul recoli poſſint, ut diverſis tamen annis peracta; quapropter & Chriſti Incarnatio in feſto Annuntiationis die 25. Martii adhuc intra Quadrageſimam, imo & tempore Paſſionis peragitur. Cum autem Chriſti reſurrectio ſtatim ſubſecuta ſit ad ejuſdem crucifixionem, nec una ſimul evenere, nec evenire potuere, & ideo nec una ſimul celebrari debuere, nec ſummum gaudium, quod fert nobis Chriſti reſurrectio, conveniens eſt deturbari a ſumma triſtitia, quam indiſpenſabiliter ſecum affert ejuſdem crucifixio; *omnia* enim, ut nos edocet Eccleſiaſtes cap. 4., *tempus habent, & aliud eſt tempus ridendi, aliud flendi.*

XXIII. Habetur 6. quod relinquenda eſt vacua dies 28. Januarii: *Erit relinquenda vacua dies 28. Januarii*. Si *relinquenda*, ergo ſi alicubi illa dies jam ſit impedita aliquo feſto novem lectionum, non debebit hoc transferri, ut in ea collocetur feſtum SS. Nominis. Singulare privilegium eſt feſti ſeptem Dolorum B. Mariæ ob ejuſdem intransferibilitatem ad tempus Paſchale, ut quoties impeditum eſt in propria feria, expellat ab immediate ſequenti ſabbato feſtum quodlibet occurrens, quod non ſit altioris ritus, vel dignitatis. Quia vero tantam incongruitatem non habet feſtum Nominis Jeſu cum tempore Quadrageſimali, ideo ſolum ſtatutum eſt dictam diem 28. Januarii relinquendam eſſe vacuam, ut in eam illud transferatur, non autem quod ab ea explodi debeat feſtum occurrens. Et quidem ſi a propria ſede ante Quadrageſimam feſtum aliquod occurrens abigi deberet, ut fieret locus dicto feſto Nominis tranſlato, id potius faciendum foret in feſto ſemiduplici, quam duplici, quacumque die poſtea id accideret, & in caſu paritatis ritus in omnibus feſtis, potius in feſto immediate ſequenti, in cujus diem ratione vicinitatis potius jus haberet. Quia igitur Sacra Congregatio noluit feſtum aliquod a propria ſede expelli, ut in eamdem locetur feſtum SS. Nominis, quoties transferri contingit, ſolum decrevit, *relinquendam eſſe vacuam*, ſi eſt, *diem 28. Januarii*, quod ulla abſque injuria, ac incommodo alterius evenit feſti, quoniam feſtum hoc ipſo quod a propria die eſt expulſum, quod in una, aut altera die ponatur, nullum patitur diſpendium, ſed in qualibet æque apte reſumitur.

XXIV. Habetur 7., quod tunc feſtum SS. Nominis in diem præfatam 28. Januarii eſt transferendum: *In quam id tunc erit transferendum*. Refert Meratus *ſect. 6. cap. 8. num.* 1. Sacram Congregationem ſub die 22. Januarii 1735. in correctione, & approbatione Kalendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium decreviſſe, quod officium SS. Nominis, quando ob occurſum Dominicæ Septuageſimæ evenit transferri, transferri debet ad diem 28. Januarii tamquam diem propriam. Quæ ſi ita ſunt, etſi intelligenda veniant cum limitatione, quam dicebamus, ſcilicet *dummodo ea dies non ſit officio novem lectionum impedita*, adhuc tamen denotant nobis, quod in dicta die, quoties non eſt ut ſupra impedita, poni debet in excluſionem alterius feſti altioris ritus itidem tranſlati, quia cum tunc dictum feſtum cenſeatur in propria die, ab ea indubie quodlibet feſtum tranſlatum abigere debet. Idipſum quoque faciendum eſſe oſtendit ratio congruitatis, ob quam dicta dies vacua relinquenda decernitur, licet tamen hæc ſolummodo id probet pro caſu, quo alias feſtum SS. Nominis intra Quadrageſimam transferri deberet.

XXV. Plura quoque alia nos obiter Decretum edocet, dum memoratum feſtum SS. Nominis in diem 28. Januarii, quoties in propria Dominica eſt impeditum, ſtabilit eſſe transferendum. Primum eſt, quod officia univerſali Eccleſiæ conceſſa, etſi affixa ſint diebus Dominicis, aut mobilibus, minime ſunt omittenda, quoties in propria die impediuntur, ſed transferenda. Secundum, quod memoratum feſtum SS. Nominis non eſt ita Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam affixum, ut ſi ipſa propter occurſum Septuageſimæ anticipetur, ſit quoque tunc una anticipandum in ea die, in qua ponitur officium dictæ Dominicæ. Quod autem faciendum præſcribitur pro caſu, in quo dictum feſtum SS. Nominis ob occurſum Dominicæ Septuageſimæ transfertur, fieri quoque deberet, ac obſervari, ſi prædictum feſtum, non ob occurſum Dominicæ Septuageſimæ, ſed feſti altioris ritus, puta Dedicationis Eccleſiæ, transferri contingeret.

XXVI. Remanet modo videamus, cuinam diei aſſignari deberet feſtum S. Agnetis, aut quodlibet aliud, quod hic affigi vetatur diei 28. Januarii, ne impedimento ſit poſitioni feſti SS. Nominis Jeſu.

XXVII. ℞. Primæ diei non impeditæ, quia cum tunc non amplius in impedimentum poſitionis feſti SS. Nominis ante Quadrageſimam, pro quo vacua remanet dicta dies 28. Januarii,

rii, valeat deſervite, non eſt illi deneganda prima dies non impedita, in qua pariter locum haberet, licet non in ea deberet immutari, ſed ut ſimpliciter translatum poni inſtaret; id tamen, dummodo non adeſſet congrua aliqua alia ex rationibus, de qoibus in ultimo hujus Capitis Decreto, quæ alteram diem dicto feſto congruentius aſſignari oſtenderet, puta ob repoſitionem Purificationis B. Mariæ.

XXVIII. Quod ſi io Kalendario aliquo dies 28. Januatii occnrrenti feſto novem lectionum ſit occupata, tunc prima dies non impedita aſſignari non debebit, ſed altera, itaut ante eam in omni eventu dies aliqua remaneat vacua, quæ capere poſſit feſtum SS. Nominis Jeſu, ut quantum fieri poteſt, minus eveniat, quod memoratum feſtum SS. Nominis intra Quadrageſimam celebretur; ita enim proculdubio fert intentio Decreti, a qua recedere non licet.

XXIX. Bergomi die 14. Januarii colltur Feſtum Dedicationis Cathedralis ejuſdem; in eadem die aliquando occurrit Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, & ſic & Feſtum SS. Nominis Jeſu eidem Dominicæ affixum, quod conſequenter ab illo, utpote altioris titus, depellitur, nec poni poteſt in die 28. Januarii, eo anno ab officio occurrentis Dominicæ, & præſertim ſi quæ ſit ex privilegiatis, occupata. Quæritur igitur, an ſi quod feſtum io ea Diœceſi, uti reipſa plurima ſunt, adſit perpetuo translatum, immutari queat in die 3. Februarii, quæ eſt prima non impedita, an potius ejuſdem immutatio in alteram differri debeat, ita ut omni eventu ſemper aliqoa dies præcedens remaneat libera, in qua poni queat dictum feſtum SS. Nominis, ne ejuſdem celebratio in Quadrageſimam transferri debeat, aut ſaltem, quaotum fieri poteſt, id caveatur?

XXX. ℟. Affirmative; ſi enim hunc ad effectum a Decreto dies 28. Januarii libera relinquenda decernitur, utique & quæcumque altera, ſi per eam alicubi ad dictum præcavendum incommodum, & ad conſuiendum repoſitioni dicti feſti ante Quadrageſimam non ſit ſufficienter proviſum. Decretum enim ſolam dictam diem 28. memorat, quia per eam, quoad Breviarium Romanum attinet, e medio tollitur præſatum incommodum; cæterum cum ſatis patens ſit intentio, & ratio Decreti, nec dubium eſt, quod ſi alicubi per dictam diem non ſit ſufficienter proviſum, prima adhoc dies non impedita relinquenda erit libete ad eandem rem, & effectum. In præſata igitur Diœceſi ultra diem 28. Januarii relinquenda itidem erit libera dies 3. Februarii, in quarum alterutra ſemper locum habebit feſtum SS. Nominis, & in omni eventu ante Quadrageſimam celebrabitur. Idem dic in ſimilibus; & ſi alicubi dies 3. Februatii occurrenti feſto novem lectionum impedita foret, dies 6. ejuſdem menſis, ſeu quæcumque alia prima non impedita relinquenda foret vacua, ut ſaltem, quantum fieri poteſt, caveatur dicti feſti celebratio intra Quadrageſimam, ſi tale periculum omnino tolli non poteſt. Fas eſt, recolat Lector, quæ in Decreto II. ſequentis Capitis de feſto Purificationis dabuntur, ut horum plenam notitiam teneat.

XXXI. *Quando autem agetur*, proſequitur Decretum, *feſtum S. Agnetis ſecundo &c.* Quoties feſtum S. Agnetis eſt in propria die perpetuo impeditum, adeoque in alteram diem venit immutandum, cum omnes dies menſis Januarii ſint impediti, die 28. ſolummodo excepta, in qua, ut ſuperius dictum eſt, locari haud poteſt, ejuſdem celebratio indubie in menſe Februario venit protrahenda; hinc dubium exoritur, num die 28., in qua agitur de S. Agnete ſecundo, adhuc agi debeat, an potius omitti, qoia ſecundum proculdubio ſupponit primum, & de S. Agnete tunc primum, ſeu feſtum ejuſdem ſolemne, actum non eſt.

XXXII. Huic ut occurreret dubio Sacra Congregatio, in Decreto ſubdit: *Quando autem agetur feſtum S. Agnetis ſecundo, fiet de eo commemoratio* (adde & legetur nona ejuſdem lectio) *tamquam de ſimplici, nullo habito reſpectu, quod feſtum ejuſdem ſolemne prius non fuerit celebratum*; non enim feſtum S. Agnetis ſecundo, inquit Guyetus *lib. 4. cap. 8. quæſt. 9.*, ideo dictum eſt ſecundum, quaſi aliud neceſſario ſit ipſi præmittendum, ſed ſolum quia regulariter ſupponit aliud ejuſdem Sanctæ feſtum; videlicet quod die 21. Januarii celebratur. Ab hoc tamen in ſoi celebratione minime dependet, quoniam illud inſtitutum fuit, ac fieri juſſum ob apparitionem ejuſdem Sanctæ Parentibus, & Conſtantiæ, ovi narratur in lectione Breviarii, quæ facta eſt octava die, ait Baronius *in notis ad Martyrologium*. Videatur Gavantus, qui *ſect. 7. cap. 3. num. 28.* idipſum docet, & nunc extra omnem ſit controverſiam in vi præſentis Sanctionis, quapropter non ſunt amplius attendendi, qui ſecus cenſuere, aut putarunt in tali die recoli diem octavam ejuſdem S. Agnetis, unicam reliquiam octavarum minorum, in quibus olim in diebus intermediis nihil de octava agebatur, & in die octava de ea inſtituebatur officium ſimplex.

XXXIII. Quod fieri ſtatutum eſt in caſu immutationis feſti S. Agnetis in diem poſteriorem ad diem 28. Januarii, idem faciendum venit in caſo ejuſdem meræ translationis, qualiter contingit, quoties feſtum Sanctæ Agnetis incidit in Dominicam Septuageſimæ; tunc enim cum dies 28. ejuſdem menſis, quæ unice vacua eſt, cadat in Dominicam Sexageſimæ, feſtum præſatum S. Agnetis ad menſem Februarium eſt transferendum, & conſequenter die 28. Januarii, ſeu in Dominica Sexageſimæ de S. Agnete ſecundo ritu ſimplici agendum erit modo ſuperius adducto, cum ſilentio dumtaxat nonæ lectionis de eadem, quia ea Dominica de Sanctis nonam lectionem nequaquam patitur.

XXXIV. Si vero feſtum S. Agnetis non perpetuo, ſed fortuito alicubi quandoque transferri contingeret, & dies 28. Januarii vacua, & non impedita foret, in hanc utique tamquam in primam diem non impeditam eſſet transferendum. Aſt ut erit faciendum officium, cum eadem die occurrat ipſiuſmet S. Agnetis feſtum ſecundo dictum? ℟. Totum ut in priori feſto notatur. Sed fieretne commemoratio feſti ejuſdem ſecundo dicti? Nequaquam; ceſſat enim omnis commemoratio ejus, de quo ſit officium; ſi autem commemoratio, utique & nona lectio. Ubi vero celebratur octava S. Agnetis, & primum ejuſdem feſtum nequaquam accidit transferri, die 28. Jaouarii dicuntur omnia, ut in feſto 21. ejuſdem menſis, excepta antiphona ad Magnificat in primis veſperis, & oratione, quæ dicentur de S. Agnete ſecundo. Lectiones I. nocturni erunt de ſcriptura occurrente, lectio IV. de S. Agnete ſecundo, V., & VI. de communi Virgioum, vel ut in Octavario Romano, uti & lectiones III. nocturni. Ita recte Gavantus *loco citato*.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE XCIII.

Ubi celebratur Feſtum S. Barbaræ ſub ritu doplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate, fiet de illa officium; aſſignando aliam fixam, & perpetuam diem S. Petro Chryſologo. S. R. C. 5. Maii 1736. *in Einſidlen.* Ex Metato in Indice Decretor. Brev. num. 288.

I. DIe 4. Decembris, qua contigit paſſio S. Barbaræ, ejuſdem feſtum cum officio ſimplici jampridem, & nunc etiam univerſalis celebrat Eccleſia. Ex mandato Benedicti XIII. ſub die 10. Februarii 1729. in Breviarium Romanum invectum fuit officium S. Petri Chryſologi ſub ritu duplici minori quotannis de præcepto celebrandum, aſſignata pro ejuſdem celebratione, utpote prima die non impedita, eadem die 4. Decembris, ne a die 2. ejuſdem menſis, in quam accidit præfati Sancti Præſulis obitus, ut produnt Martyrologium Romanum, & Tabulæ Eccleſiæ Ravennatenſis, expelleretur officium ſemiduplex Sanctæ Bibianæ Virginis, & Martyris, quod talis diei pluſquam centenariam poſſeſſionem habebat.

II. In Eccleſia univerſali, in qua S. Barbara nonniſi officium ſimplex habet, hujus officium per ſolam commemorationem in officio duplici Sancti Petri Chryſologi expletur; At ubi feſtum S: Barbaræ ſub rito duplici celebratur; exoritur dubium, quodnam ex illis duobus præfata die 4. Decembris ſit celebrandum, & quodnam transferendum? Et difficultas procedit ſtante paritate in ritu, ac ſolemnitate, unde Decretum habet *etiam ſine ſpeciali ſolemnitate*; in paritate enim titus, & diſparitate ſolemnitatis agendum eſſe de ſolemniori, & quæ minoris ſunt ſolemnitatis, eſſe transferenda, diſertis verbis ſtabilit Rubrica *X. de Transl. Feſtor. num. 6.*

III. Quo in dubio Sacra Congregatio reſpondendum cenſuit, *faciendum eſſe officium de feſto S. Barbaræ, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate celebretur*. Hanc ſuper rem opus non eſt, quod diu immoremur, quoniam pluribus Decretis in Capite de occurentia feſtorum ſancitum fuiſſe apparebit, quod feſta particularia præferenda ſunt feſtis univerſalibus; feſtum autem Sanctæ Barbaræ, cum non ſit Eccleſiæ univerſalis, quatenus peragitur ritu duplici, ſed ſolummodo ſub ritu ſimplici, ideo feſtum particulare eſt, & conſequenter præferendum feſto S. Petri Chryſologi, quod eſt de Kalendario Romano. Hæc ibidem fuſe firmata ſunt, & ibi dictis opus non eſt ulteriora addete, præſertim cum nedum eadem in genere pertractata ſint, ſed etiam in ſpecie de præſenti occurſu S. Barbaræ, ac S. Petri Chryſologi, ut videre eſt in eodem Capite.

IV. Occurſum igitur præſatum hic non ſumimus examinandum, prout ad dictum, ſed prout ad præſens ſpectat Caput, dicimuſque, quod etiamſi non attendatur celebritas illa, ob quam feſtum S. Barbaræ præferendum eſſe feſto S. Petri Chryſologi ibidem dicemus, adhuc in præſato occurſu præferentia deberetur eidem S. Barbaræ. Ducimur autem ad id aſſerendum, quia dies 4. Decembris eſt dies vere propria, & natalitia S. Barbaræ, non ſic autem eſt S. Petri Chryſologi, qui ut ſuperius diximus, die 2. Decembris ad æternam tranſiit gloriam, unde relate eumdem Sanctum Præſulem eſt dumtaxat dies aſſignata, veluti propria; fortius autem jus habet feſtum in diem vere propriam, ac natalitiam, quam in diem aſſignatam, ac veluti propriam, imo totum jus, quod habet feſtum in diem aſſignatam, habet, qoia ea dies eidem uti propria aſſignatur: In occurſo igitur duplicis feſti ejoſdem ritus, dignitatis, ſolemnitatis, & celebritatis retinendum utique venit feſtum, quod eſt in vere propria, & natalitia die, & transferendum illud, cui ea dies eſt ſolummodo aſſignata; ſatius enim videtur non nttenta aſſignatione unum ex illis feſtis in propria, & natalitia die celebrate, quam ea ſalva utrumque feſtum extra propriam, & natalitiam diem excolere.

V. Tantum autem arbitramur eſſe jus, quod feſtum habet in propriam, natalitiam diem, ut prævalere debeat feſto cuilibet pro ea die aſſignato, licet majoris exiſtat hoc dignitatis accidentalis, aut antiquius ſit in conceſſione, quare ſi pro ea die, quæ feſto alienjus puta Martyris eſt addicta, fe-

ſtum

3

ſtum aliud puta Virginis, cujus ea dies ſit propria, & natalitia, poſtmodum concedi eveniat, retinendum eſſe credimus feſtum hoc Virginis, licet minoris dignitatis accidentalis, & antiquitatis in conceſſione, & illud transferendum: uti enim docetur in memorato Capite, dignitas accidentalis, aut major antiquitas in conceſſione non relevant, niſi in defectu cujuſcumque alterius diſparitatis.

VI. Quid vero faciendum erit, ſi facta verbi gratia aſſignatione feſti duplicis Sancti Raymundi Nonnati ad diem 7. Septembris, qualiter evenit in Ordine Eremitarum Sancti Patris Auguſtini, poſtea concedatur Eccleſiæ univerſali feſtum alterum ejuſdem ritus, dignitatis, & celebritatis pro eadem die, quæ tamen non ſit ejuſdem dies natalitia, ſed ſolummodo aſſignata?

VII. ℞. Æquum eſſe, quod prævaleat feſtum, quod in ea die aſſignatum eſt pro Eccleſia univerſali; inde enim exurgit uniformitas, quæ valde commendabilis eſt, in divinis laudibus cum univerſa Eccleſia. Nec par eſt ratio de feſto particulari, quod præferentiam habet præ feſto univerſali, ut inde inferatur aſſignationem particularem præponendam quoque eſſe aſſignationi univerſali; id enim in priori caſu evenit ratione majoris celebritatis, & veluti connaturalis alicujus ſolemnitatis, quam habet feſtum particulare præ univerſali; non ſic autem in ſecundo, quia in utroque feſto ea die aſſignato ſupponitur omnimoda paritas etiam in celebritate, unde fas eſt, præcedat feſtum poſterius conceſſum ratione uniformitatis præfatæ, quæ inde exurgit.

VIII. Et quidem adeo pluris nos facimus uniformitatem in divino officio, ut ſtante officiorum omnimoda paritate in occurſu plurium feſtorum aſſigatorum illud retinendum eſſe putemus, cujus aſſignatio eſt univerſalior, ſic etenim univerſalior ſequitur uniformitas; unde feſtum in Kalendario Romano alicui diei ſtatæ addictum ab eadem depellit feſtum, quod eidem diei in Natione aliqua poſſet eſſe aſſignatum, aſſignatum apud Nationem excludit aſſignatum in Regno, & ſic ab univerſaliori ad minus univerſalem aſſignationem procedendo, ita ut aſſignatio, quæ fit apud Eccleſiam aliquam particularem, noviſſimum teneat locum, & in retinendis hujuſmodi feſtis aſſignatis ſervetur contrarius ordo illi, qui ſervari præſcriptus veniet in occurſu plurium feſtorum.

IX. Quinimmo ſi quis pro retinenda natalitia die, vel aſſignatione univerſaliori Sancti noviſſime conceſſi, aſſereret in translatione Sanctorum apud Eccleſias particulares aſſignatorum non nimis ſcrupuloſes ritum, vel dignitatem eſſe inſpiciendam, non multum nos refragatores haberet; convenientius enim videtur, ad alteram Sancti alicujus, qui jam extra propriam diem celebratur, devenire aſſignationem, quam ſalva priori aſſignatione ambos Sanctos extra propriam, ac natalitiam diem recolere, aut in divinis laudibus non uniſona voce reſonare. Unde ſi v. g. feſtum Angelorum Cuſtodum in Eccleſia aliqua ob occurſum feſti altioris ritus, in diem 3. Octobris ſtate transferatur, ſi pro ea die concedi eveniret feſtum aliquod inferioris dignitatis, ſed ejuſdem ritus, vel adhuc ritus inferioris, aut in eamdem diem in Breviario Romano, vel Ordinis, aut Diœceſis ſtabiliter introduceretur, vel affigeretur, hoc retineri poſſe, & illud alteri diei addici, non modica caret probabilitate.

X. Fallunt tamen hæc omnia, ſi feſtum præcedenter alicui diei addictum, in eadem alicubi ſpecialem ſortitum fuiſſet ſolemnitatem, vel ejuſdem diei immemorabilem poſſeſſionem haberet; tunc enim hoc in ſua poſſeſſione, & illud in ſua ſolemnitate turbandum non eſſe putamus, atque adeo prævalere debere alteri officio pro eadem die poſterius conceſſo, vel in eamdem per aſſignationem introducto, niſi majoritas ritus, vel dignitatis officii poſterius conceſſi, vel introducti aliter faciendum eſſe ſuadeat. Quapropter ſi v. g. præfatum feſtum Angelorum Cuſtodum in die 3. Octobris, ad quam in Eccleſia aliqua ut ſupra eſt ſtate translatum, ſolemniter ibi coleretur, aut ab immemorabili ejuſdem diei poſſeſſionem ſibi præſcripſiſſet, non eſſet transferendum, ut in ea die, tamquam in natalitia, aut univerſalius aſſignata celebraretur officium aliud ejuſdem ritus, & dignitatis poſterius conceſſum, vel introductum; majori enim illi ſolemnitati, quæ juxta Rubricas præferentiam tribuit, multum honoris deferendum eſſe videtur, ne perturbetur, ac ex immutatione repetita inde ſcandalum exurgat, & ut ſolemnitati, quod maxime convenit, correſpondeat officium, & ne tale feſtum in ſua ſolemnitate minuatur, & immemorabilis alicujus diei poſſeſſio facit, quod feſtum in eam diem non ut ab altera amplius translatum conſideretur, ſed ut occurrens in natalitia die. Non ſic autem eveniret, ſi feſtum poſterius conceſſum majoris foret ritus, vel dignitatis, nam major ritus; aut dignitas cuicumque prævalet ſolemnitati, ac poſſeſſioni juxta Rubricarum præſcripta: unde quemadmodum hoc officium ab illa die officium ſolemnius, & antiquius depelleret, etſi foret in propria, & natalitia die, ita a fortiori explodere debet illud, dum ſolum eſt eidem ab immemorabili aſſignatum.

XI. Quæres, an ſi dies natalitia, & propria, a qua ob occurrentiam cum alio officio altioris ritus feſtum aliquod repellitur, tractu temporis libera, ac vacua reddatur, feſtum præfatum illi ſtatim reſtitui debeat, an vero adhuc continuari ejuſdem celebratio in ea die, in quam fuit immutatum, quæque illi aſſignata fuit pro propria, & perpetua ſtatione?

XII. ℞. Diei natalitiæ eſſe reſtituendum; dies enim altera, in quam feſtum immutatur, ſolummodo ſubrogatur ob impedimentum, quod habet in propria, quare ceſſante impedimento propriæ diei reſtitui debet. Nec obeſt, quod dies, in quam feſtum immutatur, ei dicatur in perpetuum aſſignata; Sic enim dicitur, quia impedimentum ſupponitur perpetuum, quare ſi e perpetuo temporaneum reddatur, temporanea, & non perpetua evadit etiam facta aſſignatio. Hæc eſt opinio Guyeti, qui *lib. 2. cap. 2. quæſt.* 10. facta aſſignatione Sancti alicujus cujus dies natalis ignoratur, vel incertus eſt, in diem alterum, vult, quod reſcito poſtmodum, qui antea ignotus erat, proprio die, eidem Sanctus ille reſtitui debeat.

XIII. Hujuſmodi caſus evenit in Kalendario Eremitarum S. P. Auguſtini, & in facti ejuſdem contingentia, uti modo ſtatuimus, extitit recte obſervatum. Apud eumdem Ordinem die 14. Januarii celebrabatur feſtum SS. Nominis Jeſu, & ob perpetuum hoc impedimentum officium ſemiduplex S. Hilarii Epiſcopi, quod eadem die 14. Januarii in Kalendario Romano ſuam ſedem habet, ſtare aderat conſignatum dies 3. Februarii: feſtum SS. Nominis Jeſu redditum fuit officium Eccleſiæ univerſalis, Dominica 2. poſt Epiphaniam quotannis de præcepto, celebrandum; & in dicto Ordine feſtum SS. Nominis in præfatam Dominicam translatum fuit, ſtatimque celebrari cœpit, & reddita memorata die 14. Januarii ab aſſerto impedimento libera, & vacua, illi officium S. Hilarii fuit illico reſtitutum. Idem autem arbitramur in ſimilibus caſibus ab omnibus eſſe obſervandum.

XIV. Hæc autem tantummodo dicta eſſe volumus de particularibus aſſignationibus, quæ vigore Decretorum poteſtatem generaliter facientium immutandi Sanctos perpetuo translatos, apud particulares Eccleſias, vel Religiones eveniunt, non autem iis de aſſignationibus, quæ immediate per Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem in officiorum conceſſione primitus fiunt; unde licet feſto v. g. S. Felicis de Cantalicio, quia dies ejuſdem natalitia, ſcilicet dies 18. Maji, eſt occupata a feſto S. Venantii Martyris, aſſignata ſit dies 21. ejuſdem menſis, adhuc in eadem die 21. continuari deberet ejuſdem celebratio, licet dies dicta 18. libera, & vacua redderetur, quoniam præfatum officium S. Felicis pro die 21. fuit primitus in Kalendarium Romanum introductum, atque conceſſum, nec ad eamdem fuit a die 18. ſtate translatum, quapropter cum numquam in die 18. fuerit celebratum, ullum nec jus habuerit, illi nec reſtitui poteſt, nec in eamdem jus aliquod conſervat, vi cujus ceſſante impedimento ſuæ priſtinæ ſedi reſtitui debeat.

XV. Secus vero dicendum venit iis etiam de Sanctis, qui natalitiæ diei in ſua prima conceſſione in Kalendario Romano fuerunt conſignati, licet poſtea ob modernam conceſſionem alterius Sancti majoris ritus in ea die impediti, alteram ſedem obtinuerint, ut contigit in S. Maria Magdalena de Pazzis, quæ pro die 25. Maji celebrari conceſſa, poſtmodum diei 27. ejuſdem menſis fuit aſſignata ob officium duplex minus S. Gregorii VII. a Benedicto XIII. pro eadem die Eccleſiæ univerſali indultum; ſi enim officium hoc S. Gregorii aliqua de cauſa vacare contingeret, feſtum memoratæ S. Mariæ Magdalenæ nec dubitamus ſuæ priſtinæ ſedi reſtitui debere.

XVI. Quam tamen priſtinam ſedem opus nequaquam eſt reſtitui illis Sanctis, qui in die aſſignata ab immemorabili celebrati extitiſſent, aut ubi in ea ſpecialem ſortiti eſſent celebritatem, vel ſolemnitatem; in priori enim caſu dies propria veluti deſiit, & loco propriæ jure ſucceſſit aſſignata, & ne in ſecundo ſolemnitas perturbetur, aut ex immutatione ſcandalum exurgat, & ut ſolemnitati correſpondeat officium. Qui tamen ſecus faceret, admodum damnandus non eſſet, niſi ea immutatio, vel aſſignatio contigiſſet ante Bullam Pii V., poſt quam nulla fieri licet immutatio.

XVII. Cum autem dies propria reddatur inimpedita, nedum quando redditur vacua, libera, ac expers omni officio, ſed etiam quando feſtum, quod eam impediebat, juxta Rubricas deſinit habere vim impediendi, ſeu excludendi aliud feſtum, quod ſimul eadem ipſa die occurrebat, idcirco maxima haud caret probabilitate, quod ſi feſtum impediens reddatur minoris ritus, quam ſit feſtum impeditum, aut feſtum impeditum ad altiorem elevetur ritum, quam habeat feſtum impediens, tunc feſtum, quod impediebat, deperdit vim impediendi, & excludendi, & ex impediente, ac excludente evadit impeditum, atque excluſum, atque adeo feſtum, quod impediebatur, ac depellebatur, ſuæ poteſt reddi diei, & feſtum, quod impediebat, alteri ſedi conſignari. Id factum extitit die 23. Auguſti, ex qua in Kalendario Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini feſtum ſemiduplex SS. Liberati, & Sociorum Martyrum erat perpetuo translatum, ac in alteram diem mutatum ob ſimultaneum occurſum cum feſto duplici S. Philippi Benitii; hoc ipſo autem, quod præfatum feſtum SS. Liberati, & Sociorum Martyrum per Indultum Apoſtolicum redditum fuit duplex, huic reſtituta fuit propria dies, & ab eadem excluſum fuit feſtum S. Philippi, & alteri diei commendatum. Cum enim tunc feſtum SS. Liberati, & Sociorum Martyrum foret itidem duplex, & aliunde eſſet feſtum Ordinis, præferentia ei debebatur, relate ad feſtum extraneum S. Philippi.

XVIII. Quando vero feſtum aliquod propriæ diei accidit reſtitui, aut ab officio altero elevatioris ritus poſtmodum conceſſo ab aſſignata ſtatione depelli, hoc fieri debet ullo abſque incommodo, ac perturbatione aliorum, ſi quæ ſunt, feſtorum alteri diei aſſignatorum, unde etſi reddatur vacua illa dies, quam tenebat feſtum propriæ diei reſtitutum, adhuc feſtum, quod in alteram ſequentem diem eſt immutatum, in eadem celebrandum erit, nec illi diei vacuæ, etſi prima dies ſit non impedita poſt ſuam vere natalitiam diem, conſignari debebit, & feſtum, quod ab aſſignata die ut ſupra abigitur, poſt omnia feſta occurrentia, ac aſſignata, licet hæc ſint poſterius trans-

tranſlata relare ad ſuam diem natalitiam, celebrandum erit, vel immutandum; nimia enim ſequeretur, ſi aliter fieri deberet, in Kalendario perturbatio, & aliunde prima dies non impedita non eſt ita neceſſario feſto aſſidue tranſlato attribuenda, ut eidem altera aſſignari non poſſit, ſi congrua adſit ratio, quam utique in memorato adeſſe caſu nemo inficias ibit.

XIX. Si feſtum itidem alteri diei aſſignatum per accidens quandoque transferri contingat, prioritas tranſlationis ejuſdem petenda erit a die aſſignata, & non a die natalitia, quapropter ſi quod aliud adſit feſtum poſterius quidem a die ejuſdem natalitia, ſed præcedenter ad diem eidem aſſignatam translatum, hoc prius reponi debebit, quam illud, nullo habito reſpectu ad ejuſdem natalitiam diem, ſed ſolum ad diem aſſignatam, quæ eidem pro propria, & natalitia deſervit. Idem in ſimili caſu præſtandum erit in immutatione.

XX. Quoniam vero in ſuperioribus ſancitum vidimus, nedum Sanctorum in Kalendario Romano, ſed etiam in Kalendariis Diœceſum, quinimmo & apud Eccleſias particulares perpetuo tranſlatorum aſſignationem fieri poſſe, ideo in hujuſmodi aſſignatione facienda hanc congrue ſervandam eſſe œconomiam arbitramur, ut dies, quæ in Kalendario Romano eſt feſto alicui aſſignata, impedita cenſeatur pro aſſignatione in ea facienda alicujus alterius feſti apud Religiones, vel Diœceſes, & quæ in Kalendariis Ordinum, vel Diœceſum alicui itidem feſto eſt attributa, reſpuat aſſignationem ab Eccleſia aliqua particulari ejuſdem Ordinis, vel Diœceſis faciendam, etiamſi prioritas tranſlationis, aut majoritas ritus, vel dignitatis officiorum apud particulariores Eccleſias immutandorum aliter fieri expoſceret; unde dies v. g. 27. Maji Kalendario Romano feſto ſemiduplici S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis aſſignata, cenſetur impedita ad recipiendum feſtum duplex, cujuſcumque ſit claſſis, quod apud Ordinem aliquem, vel Diœceſim poſſet eſſe perpetuo tranſlatum, & ſic reſpective in aliis ſimilibus caſibus. Ratio hujus eſt, quam ſuperius dicebamus, videlicet ut quanto magis fieri poſſit, in divino officio uniformitas ſervetur, ac uno ore cunctæ reſonent Eccleſiæ.

XXI. *Aſſignando aliam fixam, & perpetuam diem*, proſequitur Decretum, *S. Petro Chryſologo*. Dicit *Aliam* Decretum, *non primam non impeditam*, ut nobis innuat, neceſſe haudquaquam eſſe, Sanctis perpetuo tranſlatis *primam diem non impeditam* aſſignare, ut aſſerebamus in præcedenti Decreto, ſed etiam *alteram* eiſdem adſcribi poſſe, ſi congrua id præſtandi non deſideretur ratio, licet in hujus defectu prima non impedita congruentius aſſignetur.

XXII. Quæres, quænam eſſe poſſint hujuſmodi congruæ rationes, ac rationabiles cauſæ, vi quarum ad aſſignationem alterius diei a prima non impedita pro celebratione feſtorum perpetuo tranſlatorum deveniri valet?

XXIII. R. Quod prima aſſignationis prædictæ cauſa eſſe poteſt tempus celebrando feſto, quod alteri diei adſcribi debet, vel alio, quod quandoque transferri contingit, minus idoneum. Conſtat hæc cauſa ex Decreto XII. hujus Capitis, in quo ne feſtum SS. Nominis Jeſu aliquando in tempore minus idoneo celebrari contingeret, feſtum S. Agnetis ultra primam diem non impeditam aſſignandum decernitur, & relinquenda vacua dies 28. Januarii, ut in eam transferri illud valeat; ſi autem id faciendum præſcribitur ob feſtum extraneum, & pro caſu admodum petraro, quanto magis id faciendum eſſet, ſi prima dies impedita, celebrationi ipſius feſti aſſignandi ſit, vel eſſe queat minus idonea, & congrua. Hac quoque unice de cauſa ſancitum vidimus, quod ſi feſtum 7. Dolorum B. Mariæ fieri non poſſit, in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis, fiat in ſequenti Sabbato tamquam in die fixo, & hoc impedito per feſtum altioris ritus omitti debeat, & transferri non poſſit ad tempus Paſchale ad recolendos dolores Mariæ ex viſione dolorum Filii paſſos minus idoneum, & aptum.

XXIV. Inter tempora celebrandis feſtis minus idonea recenſebatur olim tempus Quadrageſimæ, in quo propterea ab omni feſtorum celebratione abſtinendi diſciplina ferebat, necnon tempus circa feſtum Paſchatis, quod cum illi dies feriis Paſchatis frequenter implicentur, frequentem, & fere perpetuam feſtis in eiſdem occurrentibus porrigunt tranſlationem. Hac de cauſa feſtum S. Jacobi Majoris Apoſtoli, circa Paſchæ feſtum, nempe Kalendis Aprilis ab Herode Agrippa decollari, ipſo die tranſlationis ejus in univerſa Eccleſia recolitur. Feſtum itidem Decollationis S. Joannit Baptiſtæ ab alio Herode Antipa dicto circa idem Paſchæ feſtum interfecti, indictum eſt die 29. Auguſti, quando ejus venerandum Caput ſecundo inventum fuit, ac poſtea Romam tranſlatum. Sic etiam S. Ambroſii feſtum uſu Romano e die obitus ipſius, nempe 4. Aprilis, in 7. Decembris, qui eſt dies Ordinationis ipſius, mutatum fuit; unde & SS. Cyriaci, & Sociorum Martyrum feſtivitas celebratur die 8. Auguſti, licet eorumdem paſſio in Martyrologio Romano inſcripta ſit 16. Martii &c. Verum cum hujuſmodi diſciplina in Eccleſia Romana penitus ceſſaverit, & modo Quadrageſimali tempore occurrentia agantur feſta, nec officia, quæ circa feſtum Paſchatis occurrere poſſunt, aut ejuſdem feriis frequenter implicari, nequaquam a proprio die amoveantur, & in alterum immutentur, ſed ſtate in ſuo die celebrentur, & quando a feſto, aut feriis Paſchatis occupari contingit, in primum diem non impeditum transferantur, ideo modo nec tempus Quadrageſimæ, nec circa feſtum Paſchæ reputari debet tempus minus idoneum, ut in eo tamquam in primo die non impedito, aut alias, immutatio fieri poſſit Sanctorum perpetuo tranſlatorum.

XXV. Etſi tamen modo hæc ita ſint, adhuc de facili per hujuſmodi mutationes impediri non debet tempus Quadrageſimale, ſed ſolum quoties id faciendum ſuadet aliqua ex congruis rationibus, de quibus hic ſermo inſtituitur, aut quando prima dies non impedita intra Quadrageſimam contingit; eſt enim hoc tempus multis privilegiis, de quibus ſuo loco, diſtinctum, & ne de facili vacare eveniat, in eodem octavæ inhibitæ ſunt, uti & officia votiva per hebdomadam, vel menſem celebrari indulta. Idipſum dicito de feriis Adventus a die 17. Decembris, a quibus octavæ itidem fuerunt excluſæ, & forſitan etiam de præcedentibus, ac aliis feriis majoribus, aut vigiliis, in quibus memorata officia votiva expulſa fuere. In iis tamen omnibus immutatio bene fieri poterit, ſi in iiſdem prima dies non impedita eveniat, aut alia congrua id ſuadeat ratio, vel ſubſit cauſa rationabilis, ut dicebamus.

XXVI. Secunda cauſa eſſe poteſt, quoties immutatio alicujus Sancti perpetuo tranſlati in primam diem non impeditam, deſerviret, vel deſervire poſſet in omiſſionem alicujus alterius feſti. Et quidem ſi ſolum ne feſtum aliquod celebrari eveniat tempore minus idoneo, ſancitum eſt, quod immutatio Sancti perpetuo tranſlati non fiat in primam diem non impeditam, multo magis id fieri debet, ſi ex hac immutatione ſequeretur, aut ſequi poſſet totalis omiſſio alterius feſti. Inde eſt, quod ſi alicubi a Feria V. poſt Dominicam Paſſionis v. g. perpetuo tranſlatum foret feſtum aliquod primæ, vel ſecundæ claſſis, illud aſſignari non deberet Sabbato ſequenti, licet ſit primus dies non impeditus, ſed uſque poſt octavam Paſcharis protrahi deberet, ne in omiſſionem feſti 7. Dolorum B. Mariæ, quod ad tempus Paſchale transferri non poteſt, deſerviret, quoties transferri contingit, ſed relinqui deberet vacuum dictum Sabbatum, ut in caſu dictæ tranſlationis, in eo celebrari, ac poni poſſet feſtum Dolorum.

XXVII. Naſcitur hinc dubium, cum ut locus pariter fiat officiis votivis per menſem, vel hebdomadam ſemel, vel plures celebrari conceſſis, quæ in Quadrageſima, aut aliis majoribus, vel vigiliis locum non habent, idem feſtum perpetuo tranſlatum aſſignari queat aut dictis feriis aut ulteriori diei a prima non impedita, quam dictis feriis perſæpe implicari contingit? Sit exemplum: Sunt nonnulla feſta a menſe Januario ſemper tranſlata, quæritur, num ea feriis Quadrageſimæ ſtate affigi queant, aut ultimis diebus Februarii, vel primis Martii, qui intra Quadrageſimam fere ſemper occurrunt, ut primi dies Februarii liberi remanere poſſint pro celebratione dictorum officiorum votivorum, an vero primæ diei non impeditæ neceſſe ſit ea conſignari, licet ex hujuſmodi aſſignatione eveniat omiſſio dictorum officiorum?

XXVIII. R. Quod primæ diei non impeditæ ſunt conſignanda nullo habito reſpectu, quod inde exurgat, vel exurgere queat omiſſio dictorum officiorum votivorum. Ratio in promptu eſt, quoniam ſi ne impediatur officium dictarum feriarum, ab eiſdem excluſa fuere memorata officia votiva, excluſa quoque venerunt quæcumque alia officia, quæ in eaſdem introduci poſſent, quo detur locus dictis officiis votivis; tunc enim perinde eſſet, ac ſi præfata officia ferialia a dictis officiis votivis impedirentur; quod cum vetitum ſit, ideo & vetitum erit in ulteriorem diem ex prima non impedita ſtate rejicere feſta perpetuo tranſlata in impedimentum dictarum feriarum, ut pateat locus dictis officiis votivis.

XXIX. Nec par eſt ratio de feſto, cujus ne ſequatur omiſſio, diximus officia tranſlata poſſe in ulteriorem diem a prima non impedita ſtate rejici? hoc enim ut plurimum ullo abſque incommodo, aut præjudicio officii Quadrageſimalis evenit, quod ſi non perimeretur ab officiis ſtate ut ſupra affixis, impeditum veniret per feſtum, quod aut figi, aut transferri intra Quadrageſimam deberet. Deinde officia votiva non ſunt, niſi repetitiones officii, jam alias celebrari, & ideo congruum non eſt, per ea impediri officium Quadrageſimale, quod cum jam octavas reſpuat, officiorum reſpuit repetitiones. Deinde officia votiva ſunt vel pluries, vel ſaltem ſemel omni menſe recitari conceſſa, unde ſi in feriis majoribus, & vigiliis locum haberent, magna inde ſequeretur dictarum feriarum ſtrages, quæ nequaquam poſtea ſequitur, ſi unum, vel alterum ex feſtis congrua interveniente ratione in dictis feriis celebrari contingit.

XXX. Tertia cauſa eſſe poteſt, ſi feſtum poſitum in prima die non impedita foret, vel eſſe poſſet impedimento alicui ſolitæ celebritati; unde in diem 2., vel 3. Novembris, in quibus Commemorationem generalem omnium Fidelium Defunctorum univerſa celebrat Eccleſia, rejici non deberet feſtum Dedicationis, aut aliud primæ, vel 2. claſſis perpetuo tranſlatum, ne eadem impedita, ac perturbata veniret, & ne in alteram diem cum diſſonantia a ceteris Eccleſiis transferri deberet. Et quidem ſi per Decretum S. R. C. 13. Julii 1716. proviſum extitit, quod feſtum occurrens S. Pirminii a die 3. Novembris transferatur, ne impediat dictam Commemorationem Defunctorum, quando ratione Dominicæ in diem 2. Novembris incidentis in die 3. ejuſdem menſis celebrari debet, multo magis in neutram ex dictis duabus diebus ſtate introduci poterit feſtum aliquod perpetuo tranſlatum, quod eamdem poſſit impedire, cujuſmodi eſt quodlibet feſtum duplex 1., vel 2. claſſis, non autem duplex majus, aut minus, ut dicitur ſuo loco. Quod autem dictum eſt de 2., & 3. die Novembris, idipſum dici debet de diebus, in quibus, in Religione aliqua, vel Communitate celebratur Commemoratio omnium Defunctorum Ordinis, vel ejuſdem Communitatis, cum hæc iiſdem gaudeat privilegiis, ac Commemoratio generalis omnium Fidelium Defunctorum, ut patebit ex alibi dicendis.

XXXI.

XXXI. Extendenda hæc eſſe videntur ad diem, in qua alicubi Anniverſarium aliquod ſolemniter quotannis celebrari deberet; cum enim feſtum, quod jam a ſuo die amotum eſt, ullo abſque ſui incommodo non minus in una, ac in altera die reſumi poſſit, non videtur ſtate eſſe aſſignandum alicui diei cum perpetuo incommodo, ac perturbatione ſolitæ celebritatis, aut debiti Anniverſarii. Quia autem dumtaxat feſtum duplex 1., vel 2. claſſis impediunt celebrationem Anniverſariorum, ſeu Miſſæ ſolemnis de Requiem in eiſdem ex obligatione canendæ, idcirco ſolum feſtum duplex 1., vel 2. claſſis perpetuo translatum ultra diem, in quam incidunt dicta ſolemnia Anniverſaria, aſſignari poterunt, non autem feſtum duplex majus, aut minus, vel ſemiduplex, quæ dictam Miſſam cani non reſpuunt. Non crederemus autem idem præſtari poſſe, ne inde ſequatur translatio alicujus Anniverſarii, quod privatim, ac abſque ſolemnitate celebratur; ſed tunc convenientius eſſe putamus, feſtum translatum primæ diei non impeditæ aſſignari cum translatione dicti Anniverſarii, quod cum privatum, & expers ſolemnitatis ſit, non videtur habere vim invertendi ſolitum ordinem officia translata reponendi.

XXXII. Etſi tamen quæ diximus, vera eſſe putamus in caſu immutationis feſtorum, non autem in caſu meræ translationis; cum enim Rubricæ feſta per accidens translata transferenda eſſe jubeant in primam diem non impeditam hæc dipoſitio frangenda non eſt, ne perturbentur ſolemnia Anniverſaria, de quibus Rubricæ non curant, niſi ſuper hoc poteſtas aliqua per Decreta Sacræ Congregationis facta ſit, qualiter factam eſſe pro Commemoratione omnium Defunctorum dicemus in expoſitione Decretorum ad eam attinentium. Non ſic autem evenit in caſu immutationis, in quo licitum eſſe ſancitum diximus, aliam diem a prima non impedita ſeligere, ſi congrua non deſit ratio.

XXXIII. Quarta cauſa eſſe poteſt, ſi alicubi dies Translationis, Inventionis, vel Ordinationis, aut quivis alius de Sancto in loco celebris ſit; tunc enim in talem diem ejuſdem officium, quod jam in proprio die impeditur, apte rejiceretur, ut celebritati divinum etiam correſponderet officium. Et quidem Eccleſia ipſa pro immutatione Sanctorum, quorum dies natalitia ab altero feſto eſt perpetuo occupata, aliquos ex præfatis diebus ſi non fere ſemper, ſaltem frequentiſſime uſurpavit: hinc S. Baſilius e die 1. Januarii quo obiit, mutatus eſt in diem 14. Junii, qui eſt dies Ordinationis ipſius; S. Remigius e die 13. ejuſdem menſis, in diem 1. Octobris Translatione Corporis ipſius inſignem; S. Chryſoſtomus e die 14. Septembris, in diem 27. Januarii, quo item contigit ejus translatio; uti & plures alii, quorum exempla denotant nobis, poſſe feſta præfata etiam in dies præcedentes immutari, ſi dies Translationis, vel quivis alius de illis celebris juxta ordinem Kalendarii feſtum natalitium præcedat; ſic enim fert epickeja, *quæ ſervat intentionem legis in his, quæ forma legis non ſe extendit*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. Non poteſt autem melius ſervari intentio legis, quam ſi eam interpreteris eo plane ſenſu, quo eam legislator ipſe in pari caſu eſt interpretatus. Nobis tamen iis addere placet, quod ubi dies præfati Ordinationis, Translationis &c. celebres minime ſunt, ab aſſignatione primæ diei non impeditæ conſultius eſt nequaquam recedere.

XXXIV. Quinta cauſa eſſe denique poteſt, quo detur locus officio Defunctorum prima die menſis non impedita recitando; unde ſi nulla alia ſupereſſet dies vacua in menſe aliquo, ab aſſignatione primæ diei non impeditæ temperandum eſſe videtur; non enim penitus ſupprimendum videtur peculiare illud defunctorum ſuffragium ob feſtum aliquod, quod æque bene ſine Defunctorum præjudicio altera die celebrari valet. Hoc a fortiori, ſi verum eſt, quod refert Guyetus *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 8., a congruo non abeſſe demonſtrat exemplum S. Martinæ in ipſo Kalendario Romano mutatæ e die 1. Januarii in 30., interjecta nimirum 29. vacua, ut locus daretur officio feriali primum ponendo, quandoquidem adhuc iſtud æque bene in die 30. locum habere poterat, ubi in ſuperiori caſu officium Defunctorum penitus in eo menſe vacaret. Hæc tamen modo non multum attenduntur, unde menſem eumdem nunc videmus nullo habito ad hujuſmodi reſpectu totum feſtis occurrentibus eſſe occupatum, quapropter in eo non amplius locum habet officium feriale; quinimmo nec officium Defunctorum, quoniam dies 28., in qua utpote inimpedita officio novem lectionum unice poni poſſet, ab officio novem lectionum translato ob incidentiam in Dominicam, in qua celebratur Feſtum SS. Nominis Jeſu, vel ab ipſo SS. Nomine, quoties cadit in Dominicam Septuageſimæ, perpetuo manet occupata.

XXXV. Quæres 2., an mutatio Sanctorum perpetuo translatorum fieri queat in diem præcedentem? Id non improbat Guyetus, qui *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 8. in hæc verba prorumpit: *Alicubi mutatio fit per anticipationem in diem præcedentem, uti Turonis anticipatur Feſtum SS. Juliani & Hermetis mart. e die S. Auguſtini, qui eſt die 28. Auguſti, in 27. Maclovii Feſtum S. Brioci e die 1. Maji SS. Philippo, & Jacobo Apoſtolis ſacro, in præcedentem ultimum Aprilis; quod non improbaverim in ſimilibus caſibus, maxime cum plures ſunt dies ſequentes impediti, & præcedens vacuus eſt; nam licet anticipatio illa repugnare videatur translationi, non tamen mutationi.*

XXXVI. Nec deſunt nonnulla hujuſmodi exempla in Kalendario Romano; Sanctus enim Stanislaus e die ejuſdem natalitia 8. Maji in præcedentem 7. mutatus eſt ob feſtum Apparitionis S. Michaelis, & S. Dominicus primum e die 6. Auguſti, quo ille obiit, ob Feſtum Transfigurationis per anticipationem conſignatus fuit dies 5. & poſtea diei 4. ob Feſtum Dedicationis S. Mariæ ad Nives &c.

XXXVII. Nos vero etſi hujuſmodi uſum paſſim nequaquam inducendum eſſe putemus, tum quia Rubricæ, juxta quarum diſpoſitionem etiam mutatio facienda eſſe videtur, ſemper feſta translata in ſequentes dies rejiciunt; tum etiam quia Decreta Congregationis, quæ de eadem immutatione loquuntur, vel nullam, in quam facienda ſit, diem nominant, vel ſemper ſequentem, numquam vero præcedentem; nihilominus his omnibus nequaquam obſtantibus crederemus duobus in caſibus locum habere poſſe, videlicet quoties dies Translationis, vel alius alicubi celebris, in quem mutationem congrue fieri ſuperius dicebamus, non ſubſequeretur, ſed præcederet diem, a quo feſtum immutandum transfertur; necnon quoties officium immutandum intra annum non haberet diem aliquam ſequentem, cui conſignari valeret; tunc enim ſatius videtur officium illud, quod eo anno locum non habet, nec ad ſequentem transferri poteſt, in proximiorem præcedentem diem fixe rejicere, quam illud penitus remittere, vel ritu ſimplici in proprio die ſemper de eodem officium agere, quemadmodum faciendum eſſe de Sanctis, qui in fine anni ſuperſunt, diſponunt Decreta, quæ dedimus in Cap. VI. Verum quoniam nos ibidem diximus Sanctos, qui in fine anni ſemper iidem individualiter ſuperſunt, poſſe in ſequentem tranſferri, ad rem ſatis non relevat adducta ratio, & ideo ſatius adjudicamus, eorumdem immutationem in ſequenti anno fieri, quam eam in præcedenti anticipare.

XXXVIII. Potior difficultas foret, an magis expediat, anticipate fieri immutationem eorum Sanctorum, qui verſus finem anni ſtate locari deberent, ne inde ſequatur minoratio feſtorum ad ritum ſimplicem, ubi aliqua eorumdem in fine anni aſſolent ſupereſſe. At quoniam Sanctos, qui in individuo iidem quaſi ſemper, immo & probabiliter qui ſolum ſæpe, ſuperſunt, in ritu non eſſe minuendos, ſed in ſequentem annum transferendos dicebamus, non putamus ſatis congruam in caſu, & ſufficientem dicta feſta anticipate immutandi adeſſe rationem, ut intra annum fiat locus Sanctis, qui alias iidem in individuo una dumtaxat, vel altera vice eſſent minuendi; quippe quæ raro accidunt, in multam non cadunt conſiderationem, & aliunde immutatio anticipata vim aliquam inferre videtur Rubricis, atque uſui communi, adeoque non tam de facili inducenda. Nolumus tamen eidem adeo nos hic reluctantes oſtendere, ut contra eos, qui ſecus ſentirent, ulteriorem pugnam faciendam arbitremur.

XXXIX. Quæres 3. quænam ſit prima dies non impedita, in quam rejici ſtate debent officia perpetuo translata?

XL. ℟. Eſſe primam ſequentem diem nullo feſto novem lectionum occurrenti impeditam, in quam juxta Rubricas ſervato ordine dignitatis, & Kalendarii jam tranſferri deberent, ſi non perpetuo, ſed accidentario a proprio die forent amota; unde in caſu plurium feſtorum immutandorum prius aſſignari debent officia duplicia, quam ſemiduplicia, & ſtante omnimoda eorumdem paritate in ritu, & dignitate, quod prius in Kalendario occurrit, prius etiam eſt immutandum.

XLI. Fallit hoc tamen in caſu plurium translatorum ejuſdem ritus, & dignitatis, ad quorum aliquod dies immediate ſequens non eſt impedita; cum enim ex alibi dicendis feſto per accidens translato in die immediate ſequenti locus debeatur jure vicinitatis, & ratione veſperarum, aut ſaltem commemorationis, quam in proprio die hoc ipſo habet, in excluſionem alterius feſti præcedenter translati, ideo eadem de cauſa, quæ ibidem diximus de accidentaria translatione, extendenda eſſe jure cenſemus ad eorumdem immutationem.

XLII. Fallit hoc itidem in feſto ſemiduplici cadente in feſto habente octavam, aut in altero feſto infra octavam, quoniam cum in die immediate ſequenti præferentiam habeat in excluſionem cujuſcumque feſti duplicis prius translationi, idcirco etiam in caſu perpetuæ translationis eidem aſſignandum videtur diei, etiam in excluſionem duplicis prius, & perpetuo translati. Videantur ſuper hoc Decreta in proprio Capite de feſto ſemiduplici incidente infra octavam exponenda.

XLIII. Quæres 4. num feſta duplicia perpetuo translata fixe aſſignari valeant alicui diei Dominicæ?

XLIV. ℟. Negative; id enim deciſum eſſe videbimus in Decreto 26. Novembris 1735. ubi in caſu perpetuæ translationis Patrocinii S. Joſeph ſtatutum habetur, poſſe quidem illi diem alteram aſſignari, *quæ tamen non ſit dies Dominica fixa*. Si autem Patrocinio S. Joſeph, quod jam diei Dominicæ addictum eſt, in caſu perpetuæ translationis non poteſt fixe aſſignari dies altera Dominica, multo minus id fieri licebit relate ad alia feſta, quæ pro die propria diem Dominicam non recognoſcunt.

XLV. Quæres 5., utrum feſtum, quod in altera die immutatur, ſecum ferat octavam, ſi eam habeat? Quoniam variæ ſunt Sanctorum immutationum ſpecies, idcirco, per varias reſponſiones ad vitandam confuſionem reſpondendum venit. Cum itaque Sancti aliqui alteri diei a natalitia in prima ſui conceſſione, vel poſtmodum per ſpecialem Bullam, aut Decretum conſignentur, certum eſt, quod hi ſecum ferunt octavam: conſtat autem hoc in feſtis SS. Ambroſii, Jacobi Apoſtoli, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, S. Franciſci Saleſii, & aliorum plurimorum, qui cum per ſpecialem Bullam, vel Decretum in alteram diem a natalitia Breviario Romano in ſui conceſſione primum, aut poſtmodum traditi fuerint, ſua tamen non defraudentur octava, ubi ſunt Titulares, vel Patroni, quinimmo ab Octavario ipſo Romano iiſdem expreſſe conceditur, idque communis Eccleſiæ praxis obſervat. Ad rem quoque facit conſuetudo per Apoſtolica Decreta, & per Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. cele-

celebratum *tit.* 25. *cap.* 2. laudata, celebrandi octavam de feſto Dedicationis, licet hoc in actu conſecrationis ab Epiſcopo per ſpeciale Decretum fuerit in alteram diem immutatum. Ratio autem eſt, quia in tali caſu dies ſic in perpetuum aſſignata, evadit ſtabiliter propria, & inſtar ita ſe habet diei natalitiæ, ut feſtum in ea immutatum, nullum ſervet reſpectum ad diem vere natalitiam, nec ad hanc, ſi vacua redderetur, induci, vel reſtitui deberet.

XLVI. Sancti vero, qui accidentariam ſubeunt immutationem, in duplici ſunt claſſe. Alii ſecum ferunt etiam forum, ſi illud habent, ut SS. Annunciatio, quæ quandoque immutatur quoad forum, & chorum in feriam II. poſt Dominicam in Albis; & de his tenent Meratus *ſect.* 7. *cap.* 8. *num.* 16. Fagiolus *in Kalen. perpet. ration. in annot. ad menſem Martii lit. l. num.* 2., & alii contra Pittonum, quod ſecum ferunt octavam. Et ratio eſt, quia pro eo caſu hujuſmodi feſta omnino, & totaliter deſerunt propriam diem, & in ea ſuæ immutationis pro tunc ſe habent omnimode, ut in propria, nec ad propriam ullum ſervant reſpectum. Et quidem loquendo de Annunciatione dicit Decretum, quod in ea feria debet *eo prorſus modo, & forma* quoad Officium, & Miſſam celebrari, quibus propria die celebraretur; dictio autem *prorſus* ex communi Juriſtarum conſenſu ſignificat, idem, ac *omnino, ex toto, ac in totum*. Quæ vero accidentario immutantur quoad ſolum officium, cum non deſerant totaliter propriam diem, & ad hanc ſervent reſpectum, ſecum non ferunt octavam, ut liquet ex Rubrica X. *de Tranſl. feſt. n.* 1., quæ de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ in caſu ejuſdem incidentiæ in diem Corporis Chriſti ita firmat: *Si feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ venerit in die Corporis Chriſti, transfertur in ſequentem diem; dies autem octava S. Joannis tunc veniens in die octavæ Corporis Chriſti non transfertur*. Si igitur dies octava adhuc recurrit in die octava Corporis Chriſti, certum ſit, quod feſta, quæ accidentario quoad ſolum immutantur officium, ſecum non involvunt immutationem octavæ, ac conſequenter quod in iiſdem locum habet diſpoſitio præfatæ Rubricæ pro feſtis tranſlatis lata. Eſt autem: *Quando feſtum habens octavam transfertur, non ideo dies octava transferatur, ſed ipſa die de ea fiat commemoratio, quæ alias erat octava, ſi feſtum non fuiſſet tranſlatum. Quod ſi feſtum poſt totam ſuam octavam transferri contingit, illo anno celebretur ſine octava*.

XLVII. Dices: In Octavario Romano non habentur lectiones III. nocturni pro octava Annunciationis, cum tamen habeantur pro omnibus aliis feſtis B. Mariæ, quæ in Kalendario Romano poſſunt habere octavam; eſt itaque impoſſibilis reputatus caſus celebrandi dictum feſtum cum octava. Deinde unde ſumi poſſent lectiones, ſi cum octava celebraretur?

XLVIII. ℟. Ex defectu lectionum in Octavario Romano non erui argumentum validum ad intentum, quoniam indubium eſt juxta Romanas Rubricas, in quibus nullorum feſtorum exceptio fit, feſtum cujuſcumque Titularis, aut Patroni principalis celebrandum eſſe cum octava, ſi non occurrat tempore octavas reſpuente, aut transferri contingat ultra totam ſuam octavam; unde conſtat, quod etiam Annunciatio, ubi Titularis eſt, non poteſt expoliari reliquis diebus octavæ, quando reponitur in die 30., vel 31., cum nondum ſit expirata ejuſdem octava, quæ durat uſque ad diem primam Aprilis incluſive; & tamen in Octavario Romano deſiderantur pro octava dicti feſti lectiones. In Octavario igitur lectiones non fuerunt inſertæ pro illis duobus diebus octavæ, quia eſt caſus admodum perraro eveniens, tum etiam quia octavæ truncæ non ſoluerunt apponi. Pro noſtro autem caſu, qui forſitan ita raro non accidit, in eo inſertæ non fuere, quia Octavarium editum fuit, quando nondum Annunciatio decorata fuerat privilegio repoſitionis quoad chorum, & forum in dictam feriam II. veluti in propriam diem. Cæterum pro utroque caſu ſufficientem proviſionem exhibet Rubrica VII. *de Oct. num.* 4., quæ infra octavam Patroni, vel Titularis Eccleſiæ diſponit, eſſe legendas lectiones proprias, ſi habeantur, vel eſſe repetendas lectiones poſitas in communi Sanctorum, ſi de Sanctis fiat octava, alioquin lectiones diei feſti.

XLIX. Poſſunt etiam deſervire lectiones Domus Lauretanæ, Expectationis Partus, & feſti S. Gabrielis, ubi ſunt conceſſæ, & ſufficient pro tota octava ratione feſtorum occurrentium, vel intra eamdem tranſlatorum. In uſum & habet Octavarium infra octavam ſubrogare lectiones de communi, tametſi non ſint ſuper idem Evangelium; unde in caſu poſſent deſervire lectiones congruentiores aliorum feſtorum B. Mariæ.

L. Sancti denique, qui vi Decretorum generalium immutationem perpetuam ſortiuntur, quia aliqualem reſpectum ſervant ad proprium diem, cui reſtitui debent ceſſante impedimento, ad modum tranſlatorum videntur regulandi. At cum hæc ſint valde remota, & feſta ſic immutata adipiſcantur aliam perpetuam ſedem ut propriam, nec congrue in perpetuum ſpolientur jure a Rubricis conceſſo, oppoſitum eſt probabilius.

CAPUT DECIMUM.

De accidentaria Feſtorum Immutatione.

I. IMmutatio accidentaria in eo differt a perpetua, quod ubi in hac abdicato penitus proprio die, feſta alteri in perpetuum addicuntur, in illa, etſi alium ut proprium diem aſſequantur, proprium tamen prorſus non deſerunt, ſed adhuc eidem ita adhærent, ut amoto impedimento, quod uno dumtaxat, vel altero accidit anno, in eo debeant celebrari. A Tranſlatione autem in eo diſcrimen ſumit, quod feſta, quæ accidentario immutantur, in die ſuæ immutationis ſe habent ut occurrentia, & ab eo depellunt quæcumque officia tranſlata, cujuslibet exiſtant claſſis, quinimmo & occurrentia, ſi altioris hæc non ſint ritus, aut dignitatis, ubi in tranſlatione feſta reponuntur in primum diem non impeditum juxta ordinem ritus, dignitatis, & Kalendarii, & numquam depellunt feſtum aliquod occurrens, licet inferioris ritus, ut ipſa in hujus ſede collocentur. Ab adeptione alterius ſedis, ſeu diei veluti propriæ dicitur itaque *immutatio*, & quia talis adeptio perpetua non eſt, ſed accidentaria, hoc eſt uno dumtaxat, vel altero anno contingens, *accidentariæ* denominatio in eamdem derivat; uti *perpetua* appellatur, quoties impedimentum eſt perpetuum, & perpetua eſt alterius ſedis adeptio.

II. Accidentaria aliud itidem diſcrimen habet a perpetua, quod hæc in primo die non impedito, quicumque ille ſit, communiter fieri ſolet, & adhuc congrua intercedente ratione aliqua in alterum differri, vel anticipari valet, ut dicebamus in Capite præcedenti, accidentaria vera regulariter ſtatum aliquem habet diem, in quo fieri debet, nec ob rationem ullam differri, aut anticipari poteſt. Non imus tamen inficias, quod inſtar perpetuæ etiam accidentaria poſſet indulgeri, ſed nos, dum iſta proferimus, de accidentaria jam conceſſa profamur.

III. Feſta, quibus accidentariæ immutationis privilegium uſquedum legitur indubie conceſſum, quatuor ſunt, ſcilicet Annunciationis, & ſeptem Dolorum B. Mariæ, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & S. Benedicti Abbatis, ubi adnexum habet forum. Primum illam habet in feria ſecunda poſt Dominicam in Albis, & quartum in feriam tertiam ſequentem, quando hoc incidit in diem aliquam majoris hebdomadæ, aut illud in feriam VI. in Paraſceve, vel in Sabbatum Sanctum. Alia vero duo immutantur in diem ſequentem, quoties in propria die impediuntur. Verum de feſto Dolorum diſtinctim in proprio Capite agetur, de cæteris vero in Cap. de diebus feſtivis.

IV. Feſtum ſemiduplex incidens in Dominica, aut forſitan etiam duplici infra octavam, in ſequentem diem non impeditam habet immutationem, & ſi non immutationem, inſtar immutationis habet tranſlationem, in diem 28., Januarii feſtum SS. Nominis Jeſu, ſed de hoc actum eſt in Decreto XII. Capitis præcedentis, & de illo in proprio Capite agetur.

V. Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli, quod in anno communi celebratur die 24. Februarii, in anno biſſextili immutari in diem 25. cenſent nonnulli, & ſunt etiam, qui immutationis privilegio gaudere arbitrati ſunt feſtum Purificationis B. Mariæ, immo & dubitarunt de feſto Inventionis S. Crucis. De his igitur tribus dumtaxat ſupereſt in præſentiarum ſermonem inſtituere.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XCIV.

Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, eſt transferendum in Anno Biſſextili ad primam diem non impeditam officio novem lectionum (niſi eſſet Feſtum Tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ) ut fiat officium S. Matthiæ Apoſtoli. S. R. C. 7. Decemb. 1680. *in una Canonic. Regul.* Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 112.

I. ANnus habet dies 365. & fere ſex horas; tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perluſtrat. Quoniam illæ ſex horæ in quolibet quadriennio integrum diem vero componunt, hinc quartus quiſque annus intercalaris, biſſextus, vel biſſextilis dicitur, in eoque additur dies una menſi Februario, unde ubi in aliis annis Februarius non habet, niſi dies 28., in biſſextili habet dies 29. Inventa fuit hæc intercalandi ratio a Cæſare Dictatore, qui cum animadvertiſſet, Solem curſum ſuum conficere diebus 365., & horis circiter ſex, ut anni ratio cum curſu Solis conveniret, quarto quoque anno unam diem curavit adjiciendam. Februarius autem, cui dies illa interſereretur, duabus de cauſis aptiſſimus viſus eſt, tum quod pauciſſimos haberet dies, tum quod inter menſes ultimum haberet locum, nam cum antea decem tantum eſſent menſes, quorum primus erat Martius, dum poſtea in fine anni ſunt adjecti, Januarius & Februarius.

II. Sed quia illæ ſex horæ integræ non ſunt, deficiunt enim minuta undecim, & ex horum minutorum neglectu progreſſum fuerat, ac ſi annus ultra dies 365. contineret integras ſex horas, factum eſt, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis ſingulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint ut invicem juncta conſtituerint dies decem: qui cauſam dedere, ut æquinoctium vernum, quod ad XII. Kalendas Aprilis a Concilio Nicæno fuerat conſtitutum, jam a Concilio Nicæno decem circiter diebus a ſua ſede præcedendo receſſerat. Huic malo occurrens Gregorius XIII. ſtatuit, ut dicti decem dies in menſe Octobris anni 1582. eximerentur, ita ut poſt quartam diem Octobris S. Franciſco ſacram, ſequens dies non eſſet quinta, ſed decimaquinta Octobris. Quoniam vero memorata undecim minuta, quæ ſingulis annis deficiunt ad complementum dictarum ſex horarum, ſpatio annorum 131. faciunt ſummam integri diei, & unius minuti, & tractu annorum 400. efformant tres dies, unam horam, & minuta 20., ideo ut præfatus error in poſterum vitaretur, & ne rediret annorum confuſio, voluit idem Gregorius, biſſextum quarto quoque anno (uti mos eſt) continuari debere præterquam in centeſimis annis, qui quamvis biſſextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe voluit annum 1600. anno correctionis proximum, poſt eum tamen, qui deinceps conſequentur, centeſimi non omnes biſſextiles eſſent, sed in quadringentis quibuſque annis priori quique tres centeſimi ſine

biſſex-

biſſexto tranſigerentur, quartus vero quiſque centeſimus eſſet biſſextilis, hoc ordine intermittendi, intercalandique biſſextum diem in quadringentis quibuſque annis in perpetuum conſervari ſtatuto. Itaque cum in anno 1600. occurrerit intercalatio biſſexti, hinc tria ſequentia ſæcula, nimirum 1700., 1800., 1900. in eis biſſexti non eſſent, bene tamen in ſæculo 2000., & ſic deinceps in perpetuum. Cum enim annus biſſextus contineat unum diem ſupra annum regularem, dum tres centeſimi, qui biſſexti eſſe deberent, ſine biſſexto tranſiguntur, hoc ipſo demuntur tres illi dies, qui a memoratis undecim minutis ſpatio annorum quadringentorum efformantur. Claret autem, quod hæc Gregoriana correctio ad lancem omnino non eſt, quoniam adhuc ultra debitam quantitatem ſingulis quadringentis annis attribuit horam unam, & minuta 20., quæ ultra diem unum ſpatio quatuor ſæculorum ut ſupra efformantur, hinc dubium non eſt, quod curſu plurium ſæculorum prædictum æquinoctium poſſet ſuam ſedem nihilominus præcedendo mutare, & revera tractu ſæculorum 72. per unum diem præcederet. At quoniam non creditur mundus adeo duraturus, ut malum hoc, vel notabilis variatio evenire queat, ideirco prædictus intercalandi modus in perpetuum ſervari ſtatutus fuit. Quod ſi circa mundi machinæ diſſolutionem ſecus per Divinam Providentiam diſpoſitum extitiſſet, nec dubito, quod per ſedulam Summorum Pontificum ſolicitudinem in eo caſu ingruenti ſenſim præfato malo media alia correctione occurreretur.

III. *Erat autem huic intercalationi conſtitutus dies certus, qui eſt poſt 23. Februarii diem, inter Terminalia jam peracta, & Regifugium*, inquit Compatriota meus, ac Correligioſus Ambroſius Calepinus verb. *Biſſextus*, qui verb. *Intercalaris* ſubdit: *Intercalaris menſis dictus eſt, cui inſerebatur dies, qui deerat ad complendum annum. Non tamen intercalabatur in fine menſis, ſed poſt 23. diem Terminalibus jam peractis, deinde reliquos Februarii dies, qui erant quinque, poſt intercalationem, ſubjungebant, vetere religionis ſuæ more, ut Februarium omnino Martius ſequeretur.* Et quidem ſi dictus dies in fine Februarii, ſeu anni adderetur, nec annus, nec menſis, quibus adjicitur, dici valerent *intercalares*, quoniam tunc dies ille anno, vel menſi non interſereretur, interponeretur, ſeu interjiceretur juxta ſignificationem verb. *Intercalo & Intercalaris*. Item annus, cui interſeritur dies, dictus eſt *Biſſextus*, quod in eo bis, ideſt duobus diebus continuis, nempe 24. & 25. Februarii, numerarent *ſexto Kalendas Martii*, duos illos dies pro uno computantes; unde *qui natus eſt biſſexto Kalendas, nihil refert* (inquit Celſus de verb. ſignif. l. cum Biſſextus) *utrum priore, an poſteriore die natus ſit, cum illud biduum pro uno tantum die reputetur.*

IV. Hanc intercalandi methodum, & biduum illud pro uno die reputandi ſervat etiam Eccleſia Romana, & ideo in Martyrologio, quoties annus eſt biſſextus, in omnibus præfatis duobus diebus 24. & 25. Februarii legit, *ſexto Kalendas Martii*, & in die 24. tantummodo annunciat: *Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli. Item commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum &c.*, transfertque ad diei 25. lectionem, *in Judæa natalis SS. Matthiæ Apoſtoli &c.*, quæ in anno regulari legitur die 24., & lectionem diei 25. appropriatam ad diem 26., & ſic de reliquis uſque ad finem menſis. Hanc ad rem facit, quod Meratus *ſect. 7. cap. 4. n. 23.* ſcriptum relinquit: *In anno biſſextili ad lectionem Martyrologii pro vigilia, & feſto S. Matthiæ, prout exprimitur in Breviario ſub menſe Februario, & in Martyrologio ad diem 23., & 24. Februarii, dies 24. eo anno interponitur quaſi non eſſet, nec reputanda eſſet: & hinc non legitur ea die lectio Martyrologii, ſed tantum dicitur:* Sexto Kalendas Martii Luna *quota fuerit, deinde ſic:* Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli. Item commemoratio plurimorum &c. *Die porro 25. (quæ pro 24. tunc reputatur) dicitur rurſus:* Sexto Kalendas Martii, *eademque, quæ pridie, Luna pronunciatur, & legitur lectio diei 24. appropriata:* In Judæa natalis S. Matthiæ &c., *& ſic conſequenter dies 26. cenſetur eſſe 25., & 27. cenſetur eſſe 26.*

V. Cum itaque talis proculdubio ſit agendi ratio, ac computandi dies in anno biſſextili, feſtum S. Matthiæ, dum in anno intercalari celebratur die 25., celebratur eodem prorſus die, in quo celebratur in anno communi, quia dies 25. in anno biſſexto conſideratur tamquam dies 24., & dies 24., qui fuit interjectus, tamquam interjectus non fuiſſet, cenſetur; vel ſi mavis ita loqui (quod in idem coincidit) dies, qui in anno regulari eſt 24., in biſſexto eſt 25., qui 25., eſt 26., qui 26., eſt 27., qui 27., eſt 28., & qui 28., eſt 29. Et revera talis itidem eſt uſus particularium Eccleſiarum celebrandi feſta propria, ſi quæ dictis ultimis Februarii diebus occurrentia habent. Unde Tarviſii feſtum Patrocinii B. Mariæ, quod illi conceſſum eſt celebrari die 25. Februarii, in quo olim tota Civitas, & fere univerſa Diœceſis horribili contremuit terræmotu, in anno intercalari die 26. recolitur, & a Carmelitis feſtum S. Avertani Epiſcopi celebratur in anno biſſextili eodem die 26., & ab Eremitis S. P. Auguſtini die 29. Tranſlatio ejuſdem S. Doctoris, ubi in anno communi primum die 25., & ſecundum die 28. recolitur. Et quidem aliter fieri non poteſt, nam tum lectio Martyrologii diei 25. aſſignata, in anno biſſextili non legatur pro die 25., ſed ad diem 26. differatur; & ſic de reliquis, extra controverſiam ponitur, quod Sanctorum iis diebus occurrentium feſtivitas, cujus celebratio ſequitur lectionem Martyrologii, quæ propterea ab hujus Rubricis pridie legi mandatur, in anno intercalari in ſequentem diem differtur, atque cenſetur occurrens. Hæc nimis certiora, ac clariora ſunt, ut noſtram adhuc morari valeant conſiderationem.

VI. Dum itaque Decretum ſtabilit, quod *officium particulare occurrens die 25. Februarii, in anno biſſextili transferendum eſt, ut fiat officium S. Matthiæ Apoſtoli*, ſi quid novi pro anno intercalari, quod non eveniat in anno communi, ſtabilire intelligeretur, profecto inſipiens exhibita petitio minus conſonam probato ut ſupra computandi modo reſponſionem inadvertenter Sacram Congregationem traxiſſe videretur. At abſit omnino, ut quid ſimile, etiam ex inadvertentia, in conceſſum Sapientiſſimorum illorum Patrum, qui Sacrorum Rituum conſtant Congregationem, irrepere potuiſſe credamus. Res itaque neutiquam ſic ſe habet, ſed ab ipſa petitum fuit declarari, num *officium particulare occurrens die 25. Februarii, in anno biſſextili ſit transferendum, ut fiat officium S. Matthiæ Apoſtoli*. Congregatio autem advertens, quod officium in anno biſſextili occurrens die 25. Februarii, eſt officium, quod in anno communi occurrit die 24., quodque propterea ſemper recurrit cum S. Matthia, reſpondendum cenſuit *affirmative, niſi ſit feſtum Tituli, aut Patroni Eccleſiæ*; hoc autem apprime conſonum eſt Romanis Rubricis, quæ in caſu plurium feſtorum ſimul occurrentium digniori ſecundum claſſem ſemper aſſignant officium, & minus dignum ad primam diem non impeditam rejiciunt. En igitur, quam criminabaris, undequaque conſonam Sacræ Congregationis reſolutionem, in cujus exarationem propterea inductum fuit ly *in anno biſſextili*, non quia ipſa quid novi pro eo anno, quod non eveniret etiam in communi, ſtabilire putaverit, ſed quia id expoſcebat exhibita petitio. Congregatio igitur ſtabilivit, atque reſpondit id, quod in caſu de jure ſtabiliendum, & reſpondendum erat; cum enim error ſupponi non debeat, eodem petitionem teneri excogitari non potuit, maxime cum propoſita extiterit ex parte inſignis Canonicorum Regularium Congregationis, unde ſecundum ſcientiam procedere jure credita fuit. Si quis itaque error hac in re interceſſit, unice ſe tenuit ex parte petentis, de quo (liceat nobis, qui zelo veritatis unice ducimur, dicere) admodum dubitamus, quoniam in eadem Congregatione die 25. Februarii officium S. Felicis Papæ recurrit; unde veroſimile apparet, quod eadem ipſa die etiam in anno biſſextili recurrere perperam cum creditum fuerit, præfatæ petitioni cauſam dederit. Hoc tamen tuto reverentia, quam præfatæ ſapienti gerimus Canonicorum Congregationi, cohibet aſſerere.

VII. Ex dictis habes primo regulam, quæ ſervari debet in celebratione Sanctorum occurrentium in particularibus locis pro anno biſſextili, ac conſequenter errare nonnullos ex Kalendariorum Compoſitoribus, quorum nomini parco, quos dictos Sanctos celebrandos die verb. gr. 26. Februarii annotare vidi tam in anno communi, quam intercalari, cum tamen in hoc aſſignari debuiſſent die 27. &c.

VIII. Habes 2., quod ſi verb. gr. Cathedra S. Petri Antiochena alicubi foret Titularis, aut ex particulari Indulto haberet octavam, hæc tam in anno communi, quam intercalari eodem die terminari deberet, ſcilicet die primo Martii, in nihilum obſtante die illo, qui in anno biſſextili adjicitur, quoniam dies ille, ut dicebamus, reputatur, tanquam ſi non eſſet, & dies 24., & 25. cenſentur pro uno, & eodem die, quapropter etſi revera per novem duret dies, adhuc cenſetur per octo duntaxat continuari dies, unde nec obſulit etymologia octavæ, quæ in contrarium adduci poſſet. Idem dicito de quocumque alio Sancto, quapropter Guyetus *lib. 2. c. 2. quæſt. 13.* de Sancto, cujus natalis diei 23. Februarii affixus foret, ſcribit, quod *in anno biſſextili dierum infra octavam (ſi forte habeat,) adeoque octavæ ipſius nulla facienda eſt variatio, ſed quod ea adhuc æque incidet in 2. Martii.*

IX. Ad dignoſcendum annum biſſextilem hæc regula deſervit, ut quoties numerus per medietatem annum dividens, eſt par, annus ſit biſſextus, ſi impar, non biſſextus; hinc annus v. g. 76., quia per medietatem diviſus reddit parem numerum, ſcilicet 38., erit intercalaris, quia vero annus 74. ut ſupra ſectus imparem reddit numerum, ſcilicet 37., non erit biſſextus. Currit hæc regula etiam in centeſimis, ſi numerus dividens petatur a numero ſæculorum, quæ continet centeſimus; hinc annus 1800. quia dat ſæcula 18., non eſt biſſextus, cum numerus ea dividens ſit diſpar.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XCV.

Quæſitum fuit, an cum ex Decreto S. R. C. emanato 2. Julii 1681. dicenda ſit Antiphona Beatiſſimæ Virginis; *Ave Regina Cælorum*, cum ℣. *Dignare me* &c. in fine Completorii ſecundæ diei Februarii, licet transferatur officium Purificationis, dici debeat in ſuffragiis (quando fit de officio ſemiduplici, vel ſimplici &c.) ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix* cum Oratione *Concede nos famulos* &c.? Et in Miſſa ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum? Et S. R. C. affirmative reſpondit 14. Februarii 1709. *in una Ord. Cappuccin. Galliæ ad 1. dub.* Ex Merato in Indice Decret. Brev. n. 228.

I. LOCI hujus non eſt, ad longum diſcutere, quæ directe Sanctio ſtabilit, & ideo brevi venient percurſa calamo, longiori autem de iis, quæ ex eadem indirecte eruuntur, ſumimus pertractare, quia ad præſens facere poſſunt inſtitutum.

II. Præſcribebant Rubricæ Breviarii, quod in feſto Purificationis B. Mariæ poſt Completorium, dimiſſa antiphona *Alma Redemptoris*, ſumenda erat antiphona *Ave Regina Cælorum*. Exortum eſt dubium, num quando officium Purificationis ob occurſum cum Dominicis Septuageſimæ, aliiſque privilegiatis transferri contingit, protrahenda foret recitatio antiphonæ *Alma Redemptoris*; & S. R. C. 11. Januarii 1681. dictam antipho-

tiphonam protrahendam non eſſe ſancivit, ſed ſumendam antiphonam *Ave Regina*, perinde ac fieret, ſi præfatum Purificationis feſtum neutiquam transfereretur. Quod poſtea & confirmatum fecit 10. Januarii 1693., & 4. Aprilis 1705., etiam pro caſu, in quo Purificationis feſtum cum octava recolitur.

III. Uti Rubricæ Breviarii in feſto Purificationis poſt Completorium ſumendam eſſe edicunt prædictam antiphonam *Ave Regina*, ita in Sanctorum ſuffragiis pro commemoratione B. Mariæ uſque ad Purificationem dici mandant ℣. *Poſt partum* cum Orat. *Deus qui Salutis*, & poſt Purificationem ℣. *Ora pro nobis* cum Orat. *Concede nos famulos*; & Rubricæ Miſſalis nonniſi poſt eamdem Purificationem in Miſſa ſecundam Orationem *A cunctis*; & tertiam ad libitum diſponunt locum habere, ubi præcedenter ad eamdem pro ſecunda Oratione *Deus qui ſalutis*, & pro tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa volunt eſſe dicendas in ſemiduplicibus, quæ occurrere poſſunt. Natum eſt itaque dubium, an uti non obſtante translatione Purificationis juxta Decreta in die 2. Februarii ſumenda eſt antiphona *Ave Regina*, ita in ſemiduplicibus, quæ poſt diem 2. Februarii poſſent occurrere, in ſuffragiis dici deberet ℣. *Ora pro nobis*, & in Miſſa 2. Oratio *A cunctis*, 3. ad libitum, non obſtante quod feſtum Purificationis transferatur, & nondum repoſitum, & celebratum fuerit, ita quod uti in priori caſu etſi Rubricæ dicant, *quod Alma Redemptoris* dicitur *uſque ad Purificationem*, & *Ave Regina* ſumitur *in die Purificationis poſt Completorium*, adhuc non exigitur, quod pro dimiſſione illius, & hujus ſumptione feſtum Purificationis ſit celebratum, ſed ſufficit, quod venerit dies, in qua celebrari debebat, ſic intelligi debeant Rubricæ Breviarii, & Miſſalis, dum pariformiter diſponunt de memoratis ℣. *Ora pro nobis*, & Orationibus.

IV. Sacra Congregatio reſpondendum cenſuit Affirmative; Et quoniam deciſionis eadem eſt ratio, quæ militat pro recitatione antiphonæ *Ave Regina*, idcirco ad dicenda in Cap. de Antiphonis finalibus Lectorem amandamus, properamuſque ad id, quod indirecte Sanctio concedit, utpote quod pertinet ad præſens inſtitutum. Eſt autem, quod quoties Feſtum Purificationis transferri contingit, ſtatim immutandum non eſt in die ſequenti, in eaque, ut in propria die, conſiderandum, ſed transferendum in primam diem non impeditam ad modum cæterorum feſtorum, quæ a propria evenit amoveri die. Manifeſte id innuit Sanctio, dum in caſu translationis præfatæ Purificationis in ſemiduplicibus inter ſuffragia dicendum dicit ℣. *Ora pro nobis*, & in Miſſa ſecundam Orationem *A cunctis &c.*, ſi enim Purificatio in die ſequenti immutanda foret, & non in primam diem non impeditam transferenda, proculdubio, ante celebrationem feſti memoratæ Purificationis officium aliquod ſemiduplex occurrere non poſſet, in quo præfata dicerentur.

V. Reſponderi utique poſſet, quod diſpoſitio currit pro caſu, in quo dies ſequens ſit per feſtum altioris impedita ritus, in quo locum non habet ejuſdem immutatio, quemadmodum in caſu ſimultaneæ occurrentiæ a præfato depelleretur feſto. Verum quoniam nihil hujuſmodi habet Sanctio, & aliunde abſolutus nimis arctatur, quem tenet, dicendi modus, præfatæ expoſitioni acquieſcere non poſſumus, præſertim quia & petitio, ſi ſevero ſubjiciatur examini, non ita limitate procedere videtur.

VI. Ruit igitur ſententia Merati, qui *in Indice Decret. Brev. n.* 327. adducto Decreto, in quo ſtabilitur, feſtum S. Jo. Baptiſtæ occurrens in die Corporis Chriſti, ſingulari privilegio transferendum eſſe in ſequentem diem etiam impeditam, ſubdit hæc verba: *Hoc loco unum ſupereſt advertendum, quod ſicut Sacra Congregatio circa feſtum S. Jo. Baptiſtæ, quando occurrit in feſto Corporis Chriſti, in prædicto ſenſu interpretata eſt textum Rubricæ X. ſic loquentis:* Si feſtum Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ venerit in die Corporis Chriſti transfertur in diem ſequentem cum commemoratione octavæ &c. *Ita, inquam, eſt interpretata, ut prædictum feſtum S. Joannis præferendum ſit cuicumque feſto novem lectionum, etiam occurrenti in die ſequenti, a quo dicta dies venit impedita; eodem modo cenſerem intelligendum eſſe Decretum Clementis VI. allegatum a Gavanta ſect. 7. cap. 4. n. 2. ſtatuentis, quod ſi feſtum Purificationis occurrat in Dominicis privilegiatis, transferendum eſt in feriam ſecundam, ſcilicet etiamſi talis feria ſecunda eſſet impedita feſto novem lectionum præſertim inferioris, vel æqualis ritus; nam niſi hoc modo intelligatur Decretum Clem. VI., fruſtraneum videretur: nihil ſiquidem aliud præſcriberet, quam quod in prædicto eventu transferatur feſtum Purificationis in feriam immediate ſequentem, ſi nullum feſtum in ea occurrat, de qua translatione hoc modo facienda, nullum poteſt oriri dubium; neque ullum adderet privilegium pro tali feſto Clemens Papa VI. Præterea congruum valde videtur tale privilegium, ne ulterius protrahatur officium Purificationis B. M.*

VII. Verum quidquid ſit de feſto Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ, de quo ſuo loco, & nos edocet Decretum, quod id fit *ſingulari privilegio*, adeoque pro ceteris feſtis in exemplum minime deſumendum, dicimus, quod per aſſertum loquendi Rubricarum modum non intelligitur feſtum eſſe reponendum in deſignata die, tametſi ſit impedita, ſed ſolum pro caſu nullius impedimenti, ut in ſequenti Decreto ponderabimus. Eodem modo loquendum venit de Decreto Clementis VI., per quod teſte Gavanto determinatur quidem, feſtum Purificationis transferendum eſſe in feriam ſecundam, ſed non indicatur, id præſcribi faciendum ratione conceſſi alicujus privilegii, adeoque intelligendum utique venit juxta intelligentiam ſimilis modi dicendi, quem quandoque tenent Rubricæ, de quo, ut dicebamus, in ſequenti Decreto. Ceterum quale fuerit hoc Decretum, quod dicitur Clementis VI., & an a Clemente VI., an magis ab Urbano VI. latum fuerit, redditur admodum ambiguum, quoniam Radulphus *prop.* 15. refert, Urbanum VI. præcepiſſe, feſtum Purificationis incidens in Dominicis Septuageſimæ, aliiſque ſequentibus duabus Dominicis eſſe obſervandum, & non transferendum. Id, quod certi hac in re habemus, eſt, quod communis praxis, quæ eſt optima legum interpres, feſtum Purificationis ad primam diem non impeditam ſemper amandavit, numquamque in ſequentem diem, tamquam in propriam, rejecit, & quod Gavantus ipſe aliter ſe exprimere debuiſſet; ſi in ſenſu Merati Decretum Clementis VI. foret, & putaſſet intelligendum, diceretque, transferatur in feriam ſecundam, *etiam non impeditam*, quoniam conſulere poſitioni feſti cujuſcumque translati cum translatione feſti occurrentis, quammaxime reluctantur Rubricæ. Quod autem Feſtum Purificationis in caſu incidentiæ in Dominicam Septuageſimæ, aliaſque ejuſdem ritus, transferendum ſit, & non retinendum, ut itidem ſupponit Sanctio, ſuo loco videbitur.

VIII. Remanet modo dubium, in caſu translationis feſti Purificationis B. Mariæ, & SS. Nominis Jeſu, ſi hoc in Januario locum non habet, quodnam ex iiſdem reponi debeat in die 3. Februarii? Et dicendum videtur feſtum Purificationis; tum quia id juris habet feſtum quodlibet in die immediate ſequenti relate ad feſtum ejuſdem ritus, licet prius translatum, ut alibi videbimus; tum quia dicta dies videtur conſideranda eo in caſu ut propria feſti Purificationis, ut ſuo loco dicebamus de feſto SS. Nominis relate ad diem 28. Januarii. Nos tamen nihilominus in oppoſitum ſentimus, quoniam etſi feſtum ab antecedenti die translatum id juris habeat in ſequenti, quoties feſtum prius translatum eſt ejuſdem ritus, & dignitatis, non tamen ſi diſparitas ſit in dignitate, quæ altiori æquipollet ritui. Tum quia feſto Nominis, ſi aſſerto gaudet privilegio in die 28. Januarii, legitur legitime factum, non autem feſto Purificationis pro die 3. Febr., unde nec nos eidem illud facere poſſumus, etſi quia in die 3. congruam ſuæ repoſitionis habet cauſam, exiſtimemus differendam eſſe immutationem Sanctorum juxta dicta in Decret. ultimo Cap. præcedentis.

IX. Non eſt igitur dubium, quod feſtum Purificationis privilegio accidentariæ immutationis non gaudet, potius eidem concederem pro ſequenti die privilegium illud, quo in præcedenti Capite feſtum SS. Nominis Jeſu in die 28. Januarii potiri dicebamus, nimirum, ut præfata ſequens dies relinqui debeat libera, ut in eamdem transferatur in caſu incidentiæ in Dominicas privilegiatas, ne idem feſtum ſimiliter transferri quandoque debeat in Quadrageſimam, in eaque celebrari: non autem quod a dicta ſequenti die amoveri debeat feſtum novem lectionum occurrens, ut illud in eadem immutetur. Ducimur autem ad hoc privilegium Purificationi faciendum, quia eamdem inconvenientiam, quam habet ad Quadrageſimale tempus feſtum SS. Nominis Jeſu, habet etiam feſtum Purificationis, quoniam ut in illo Jeſus inſpicitur ut puer octo dierum, ita in hoc ut puer quadraginta, cum tamen in Quadrageſima recolatur jejunium, quod ipſe vir plurium annorum peregit. Quæ igitur in Decr. XII. Cap. præced. diximus de feſto SS. Nominis, intelligenda quoque veniunt proportione ſervata de feſto Purificationis.

X. Quia tamen cum evenit, ambo dicta feſta per Dominicas privilegiatas e proprio expelli die, feſtum SS. Nominis locum habet in die 28. Januarii, ideo ad præfatam rem opus non erit ultra diem 3. Febr. alterum liberum relinquere. Ubi tamen dies 28. impeditus foret, aut quacumque alia de cauſa SS. Nomen in Februarium transferri deberet, tot liberi relinquendi forent Februarii dies, quot ſufficiunt ad conſulendum pro omni eventu repoſitioni utriuſque feſti ante Quadrageſimam, vel ſaltem ad cavendum, ut quantum fieri poteſt, minus in Quadrageſima celebrentur. Idem dicito, ubi dies 3. Febr. impeditus eſſet.

XI. Quoniam dum hæc exarabamus, quæſiti fuimus ſuper nonnullis, quæ licet cæteroquin alio ſua non careant ſolutione, adhuc ad eorumdem uberiorem notitiam nolumus, noſtram hic penitus effugiant conſiderationem. Habet Ordo Eremitarum S. P. Auguſtini quolibet in menſe, in quo non occurrit peculiare aliquod feſtum ejuſdem eximii Eccleſiæ Doctoris, in præcepto officium ſemiduplex (commemorationem menſilem illud vocant) de eodem ſuo Sancto Inſtitutore; hinc ortum eſt dubium, num immutatio Sanctorum perpetuo translatorum ultra primam diem non impeditam differri queat, quoties alias in menſe adimeretur locus celebrationi ejuſdem. Ad quod dicendum videtur, quod non, quoniam non adhuc dictum ſupprimitur officium, utpote ad alium menſem transferibile. Nihilominus dicendum putamus, quod ſic. Et ratio eſt, quia juxta dicenda in Cap. de Officiis votivis præfatum officium, quoties alias in menſe locum non habet, præfertur feſtis translatis, etiam altioris ritus, non cedit vigiliis, nec feriis majoribus, in menſe ſe habet ut occurrens, & congruam tenet ſuæ poſitionis cauſam, & ulterius transferri eſt quodammodo contra ſuæ inſtitutionis rationem, quæ fuit, ut memoria Sancti Patris quolibet in menſe per ſpecialem cultum commendaretur in filiis; unde non eſt, cur Sanctorum immutatio ulteriorem in diem protrahi non debeat, ut dicti officii poſitioni conſulatur. Quinimmo quia præfatæ poſitioni non ſatis conſulitur per unam diem menſis liberam, utpote quæ per occurrentem Dominicam quandoque impediri poteſt, duas relinquendas eſſe vacuas nec dubitamus. Par autem non eſt ratio de ceteris officiis votivis, quippe hæc non ſunt de præcepto, non præferuntur feſtis translatis, & cedunt vigiliis, & feriis majoribus, unde ſicuti eorumdem poſitioni, licet alias penitus vacent, conſuli non valet per ulteriorem accidentario translatorum repoſitionem, ita nec per perpetuo translatorum immutationem, præſertim quia inde facile ſequi poſſet etiam ſuppreſſio officii alicujus

cujus

cujus vigiliæ, vel feriarum majorum, aut aliarum, præ quibus ipſa præferentiam non habent. Idem dic in ſimilibus.

XII. Super menſe Majo, & medio Junio alia vertebat dubitatio, an ab immutatione Sanctorum deberent eſſe immunes, ne Sancti in iis immutati in impedimentum ſint diei alicujus infra octavam Aſcenſionis Domini, aut Corporis Chriſti, quæ tunc temporis regulariter occurrunt. Ad quod reponimus negative; uti enim in Decr. I. Cap. I., quia dictorum feſtorum admodum varia eſt collocatio, ſufficientem non agnovimus cauſam immutationis faciendæ Anniverſarii Dedicationis Eccleſiæ, etſi exinde ſequi queat etiam totalis ſuppreſſio octavæ ejuſdem, ita nec immutationis Sanctorum protrahendæ, ne uni, vel alteri diei infra octavam Aſcenſionis, vel Corporis Chriſti dammum obvepiat. Aſſertionem hanc noſtram approbat invicte immutatio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis moderne facta in diem 27. Maji nullo ad hujuſmodi habito reſpectu.

XIII. Potior eſt ultima, quæ nobis propoſita fuit, dubitandi ratio ſuper octavam SS. Redemptoris, quæ cum pro Dominica tertia Julii Statui Veneto conceſſa ſit, a die 15. ad 28. ejuſdem menſis recurrere valet, an videlicet dies 18., 20., 21., 24., & 27. ejuſdem menſis, quæ ſunt Sanctorum expertes officiis novem lectionum, per immutationem Sanctorum occupari non debeant in damnum ejuſdem octavæ? Et certum eſt, quod ſi Sancti immutandi ritus ſunt duplicis, eorumdem tunc temporis immutationem præfata inbibere non poteſt octava, utpote quæ non reſpuit duplicia tranſlata, & illæ intra eamdem collocarentur etiam in caſu meræ tranſlationis. Dubium itaque duntaxat procedit pro caſu, in quo Sancti immutandi ſemiduplicem non excedunt ritum; quinimmo nec de iis, qui ab immediate antecedenti die forent perpetuo tranſlati, quoniam alibi videbimus, hos in die immediate ſequenti, licet infra octavam, locum ſuæ repoſitionis habere. Verum cum ſaltem ex dictis diebus duos vage occupet ſemper dies, & alii duo quaſi ſemper impediti veniant per feſtum, vel per diem octavam ejuſdem feſti SS. Redemptoris, vel per feſta ratione illorum tranſlata, idcirco crederemus, intactos relinqui poſſe, cum ſic præfata octava in quocumque caſu indemnis permaneat, nec ab officiis, quæ ſuper eamdem præferentiam non habent, ullum ſubeat præjudicium, & aliunde nec feſta ut ſupra tranſlata valde dilatam coguntur habere repoſitionem. Nec par eſt ratio de ſuperius memoratis octavis, quoniam hæc non ita variam, ut illæ, ſed admodum ſtrictam ſui habet collocationem. Quod ſi hæc, licet valde probabilia, non placeant, ſaltem vera erunt, quoties omnes, vel fere omnes præfati dies per Sanctorum immutationem occupati venirent, quia tunc neceſſario damnum præfata pateretur octava, cum juxta Rubricas ſemiduplicia utile non habeant infra octavam ſuæ repoſitionis, vel immutationis ſpatium. Idem eſto judicium in ſimilibus.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XCVI.

Feſtum Inventionis S. Crucis cadens in Dominicam, in qua celebratur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, non poteſt transferri in diem immediate ſequentem, ſi hæc ſit feſto duplici, vel ſemiduplici impedita, ſed debet reponi prima die non impedita. Ita S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Merato in Indice Decretorum Breviar. num. 326.

I. FEſtum hoc inſtitutionis ſuæ cauſam in Breviario Romano habet ſatis expreſſam, & licet ea, quæ in eodem leguntur, a nonnullis vertantur in dubium, non propterea ejuſdem lectio venit deſerenda, aut de rerum falſitate arguenda, cum ſuis ſolidis non deſtruatur fundamentis. Potior eſt difficultas circa ejuſdem inſtitutionis tempus, quod Micrologus *obſerv. Eccl. cap.* 55. petit ab Euſebio Papa, Fronto autem protrahit uſque ad ann. 720., ceterum in priſco Martyrologio, quod S. Hieronymo adſcribitur, ita legitur: *In Hieroſolyma Inventio Sanctæ Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ab Helena poſt Paſſionem Domini anno 233. regnante Conſtantino Interpretatore*; & de eadem mentio habetur in Sacramentario, & Antiphonario S. Gregorii. Qui autem ſuper hanc rem plenius inſtrui optat, recolat Florentinium *in not. ad ſuum Martyr. ad hanc diem*, Baillet *in hiſt. ſuper hac item die*, necnon Martene *cap. 32. n. 16.*, ac Bollandianos. Inventionis, ac Exaltationis S. Crucis feſta a Gregorio XI. indicta fuiſſe, aſſerunt Boſchetus, & Baluzius *tom. 1. Vit. Pontiſ. Avenion.*, & eodem approbante officium a Petro Epiſcopo Singalenſi compoſitum fuiſſe, refert Baillet, cujus antiphonas ad laudes mutavit Clemens VIII., ut eſſent eædem, ac in Exaltatione, *quia priores hiſtoriam continebant dubiam*, ait Gavantus *ſect. 7. cap. 7. n. 3.* Erat autem hæc hiſtoria, quod S. Helena Hebræis acriter exprobatis ob mortem Chriſto illatam, variis interrogationibus ab iiſdem ſcire curavit locum, ubi Dominica Crux cuſtodiretur, ſed nihil proficiens, peritiores adſcivit, quos inter cum foret quidam nomine Judas ex relatione Simeonis Patris ſui Filii Zachæi de dicto loco conſcius, manifeſtare prius reluctabatur, licet carcere, & ſeptem dierum fame afflictus, poſtmodum paruerit, ejuſque opera Crux Domini fuerit inventa, eodem poſtea baptizato, & a S. Euſebio in Epiſcopum conſecrato, depoſito Judæ nomine, & eo Cyriaci aſſumpto.

II. Hoc feſtum teſte Gavanto legitur ſemiduplex apud Durandum, duplex apud Radulphum, a Clemente VIII. ad ritum duplicem 2. claſſis deinde evectum, & denique ab Urbano VIII. inter feſta de præcepto quoad forum collocatum. Verum quoad fori feſtivitatem videantur, quæ a nobis dicentur in Cap. de diebus feſtivis. His &c.

III. Aderat in Breviario quædam Rubrica, quæ feſtum Inventionis S. Crucis in feſtum Dominicæ Aſcenſionis incidens, transferendum eſſe dicebat *in ſequentem diem*; hæc enim antiquitus nullo occurrenti feſto novem lectionum erat impedita, ſed ſolum feſto ſimplici S. M. Monicæ, quod cum poſtmodum a Clemente IX. 14. Julii *1669.* ſemiduplex, & per Sacr. Congr. *26.* Auguſti 1730. duplex redditum fuerit, præfatam diem impeditam fecit. Quia vero ſequenti die ut ſupra occupata, præfata Rubrica forſitan ex inadvertentia expuncta non fuit, factum eſt, ut inde eruerint, feſtum Inventionis habere privilegium, ſeu jus ſuæ repoſitionis in ſequenti die, licet occupata foret, quoties incidit in feſtum Dominicæ Aſcenſionis; hinc, num id juris itidem deberet habere, quoties illud ab altero feſto altioris ritus, Dedicationis ſcilicet in caſu, expelli contingit, dubium emerſit?

IV. Sacra autem Congregatio reſpondendum cenſuit *negative: & præfatum feſtum reponi debere prima die non impedita*. Quia vero inquiſitio non ut ſupra proceſſit, ſed abſolute, *an feſtum Inventionis cadens in Dominicam, in qua celebratur feſtum Dedicationis, poſſet transferri in ſequentem diem, ſi hæc eſt feſto novem lectionum impedita, vel reponendum foret prima die non impedita*, nolim, ut inferas, dictum Inventionis feſtum id juris habere, quoties ob occurſum Aſcenſionis Dominicæ, non vero ob occurſum cum feſto altioris ritus, ſeu Dedicationis evenit a proprio amoveri die. Sed abſolute, & ſimpliciter reponendum eſſe prima die non impedita, a quocumque feſto illud depellatur. Et quidem eadem eſt ratio pro utroque caſu, nec reperire eſt cauſam aliquam, ob quam in uno magis, quam in alio deberet præfatum privilegium reportare; & ſi præfatæ abraſio Rubricæ attendatur, proculdubio denotat nobis, per eamdem jus aliquod in ſequenti die illi minime factum extitiſſe, ſed ſolum fuiſſe adnotatum, quod attento jure communi in eo caſu, in quo ſequens dies nullo novem lectionum feſto impediebatur, faciendum erat, propterea que merito deleta fuit dicta Rubrica ſtatim, ac ſequens dies per feſtum ſemiduplex S. M. Monicæ extitit occupata.

V. Diſtinguendum itaque venit inter Rubricas, quæ diſpoſitionem faciunt de feſtis generatim, quæ transferuntur, & ſpeciatim. Primæ, quia ſciri non poteſt, quod dies ſequens ſit inimpedita, non *in ſequentem*, ſed *in primam diem non impeditam* tranſlatorum repoſitionem jubent eſſe faciendam; ſecundæ vero, quoniam conſtat de non impedimento ſequentis diei, *in ſequentem diem* tranſlata rejicere queunt, quia eſt in caſu prima dies non impedita. Quod ſi aliqua eſt, ut Rubrica X. n. 5. quæ ſemiduplex occurrens in Dominica infra octavam, in diem ſequentem transferendum edicit; ſi non conſtat de huius non impedimento, ſtatim ſe explicat, *dummodo non ſit feſto duplici, vel ſemiduplici impedita*, ne inde argui poſſet, tranſlatum aliquod locum ſuæ repoſitionis habere cum alterius tranſlatione, quod conſtanter, & ubique Rubricæ refugiunt.

VI. Etenim ſi Rubricæ dum in ſequentem diem feſta rejiciunt, non ut ſupra intelligi deberent, proculdubio non forent ſatis expreſſæ, ſed addere debuiſſent, *etiam impeditam*, uti revera ſe exprimunt Congregationis Decreta, quando id privilegii faciunt feſtis Annunciationis, Dolorum Beatæ Mariæ, & Nativ. S. Jo. Baptiſtæ, ut ſuo loco videbimus; cum enim generales officii leges, ſeu Romanæ Rubricæ conſulere repoſitioni feſti alicujus cum alterius incommodo, vel tranſlatione diſerte obſtant, Rubricæ quæcumque particulares intelligi debent cum relatione, & uniformitate ad illas, niſi aliter in iiſdem expreſſe cautum ſit.

VII. Dices: Rubricarum præſcripta debent eſſe generalia, & non tantum attendere ad Kalendarium Romanum, quoniam etſi dies ſequens in hoc ſit libera, in Kalendariis locorum poteſt eſſe impedita; ergo ſi non intenderent feſta eſſe reponenda in diem ſequentem, licet impeditam, quoties in diem ſequentem illa notant transferenda, id utique exprimere debuiſſent, ne occaſionem præberent erroris.

VIII. ℞. Rubricas Romanas feſto particulari diſponentes, diſponere de eo relate ad Kalendarium, cujus ſunt, adeoque Romanum, & non attendere ad caſus particularium Eccleſiarum, pro quibus ſtat proviſio in Rubricis generalibus; quæ cum comperta ſint, errandi cauſa eſſe nequeunt. Quæ ſi multum non arrideant, exemplo ducto a Rubricis pro feſtis Purificationis, & Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quæ licet ſimpliciter habeant, *transfertur in diem ſequentem*, & non addant *etiam impeditam*, adhuc a Congregatione intelliguntur de die ſequenti etiam impedita, tu dicito, quod præfata Rubrica (ſi unquam ea fuit, nam mihi nonnulla vetera perluſtranti Breviaria eam non contigit reperire, auctoritate privata fuerat invecta, & ideo nec attendenda, & merito abraſa.

C A P U T   U N D E C I M U M.

De Natali Sanctorum.

I. DIem, qui natalis in Martyribus dicitur, in Confeſſoribus, vel non Martyribus depoſitionem, ſeu tranſitum antiquitas frequentius appellavit; hinc D. P. Auguſt. ſer. 114. de Diverſis S. Cyprianum laudibus proſequens, hæc habet: *Quod nomen ſic frequentat Eccleſia, ideſt natales, ut natales vocet pretioſas Martyrum mortes*; mortes autem Martyrum natales dictæ ſunt, eo quod, ut ait Euſebius Emiſſenus, ſeu potius Eucherius Lugdunenſis homil. 50. in Gen. *Martyrium, dum eos ingerit morti, gignit æternitati, & perpetua iis gaudia brevi dolore parturit*. In Confeſſoribus autem tranſitus, ſeu depoſitio dictæ ſunt, quod eo die *de terra in cælum abierint, de dolore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias*,

licios, non fluxas, ſed fortes, & ſtabiles, & æternas, ait eleganter more ſuo Petrus Chryſologus ſerm. 129., hinc Ambroſius ſerm. de depoſitione S. Euſebii Depoſitionem ſic definit: *Quid eſt depoſitio? Non illa utique, quæ ſepeliendis in terra membrorum reliquiis, Clericorum manibus procuratur; ſed illa, qua homo vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad cælum terrenum corpus exponit.*

II. Obtinuit tamen uſus, ut quamvis depoſitio nonniſi de Confeſſoribus dicatur, natalis tamen de quocumque Sancto etiam non Martyre indifferenter uſurpetur. Sic in Martyrologio legitur, natalis S. Pauli 1. Eremitæ 10. *Januarii*, natalis S. Hilarii 13. *ejuſdem*, natalis S. Athanaſii 2. *Maji*, & alias ſæpiſſime. Nec immerito; nam, ut addit citatus ſupra Ambroſius: *Depoſitionis ipſa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati naſcuntur Salvatoris.* Aptiſſima in hanc rem ſunt verba Euſebii Emiſſeni, ſeu Eucherii Lugdunenſis hom. 50. in Geneſim: *Merito plane dicendi natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis miſeriam, ſubito renaſcuntur in gloriam, vitæ perennis initium de morte ſumentes. Etenim ſi dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis, & doloribus naſcimur ad dolores, juſtius illi celebrabuntur natales, quibus Sancti ex corruptibili luce in novam illam futuri ſæculi veniunt claritatem, & filii hominum in adoptionem divinæ paternitatis aſcendunt.* Bene, nec minus appoſite Albinus Flaccus lib. de Officiis divinis, ubi de feria VI. Paraſceves: *Luce naſci dicuntur, qui de preſſuris hujus mundi, tamquam de anguſtiis cujuſdam ventris, ad illam ſpatioſiſſimam, & lucidiſſimam cæleſtis habitationis emittuntur latitudinem.* Is itaque dies, quo quiſque Sanctus ſive Martyrio, ſive ſpontanea morte ex hac vita decedens ad cæleſtem tranſiit, natalis proprie dicitur.

III. Quantæ autem curæ fuerit olim Eccleſiarum Antiſtibus, Sanctorum natalem diem adnotare, eo fine, ut recurrente ſingulis annis ipſo eodem die ſolemnis illorum memoria in ſacris myſteriis recoleretur, teſtis eſt Cyprianus, dum Epiſt. 37. *Denique*, inquit, *& dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus frater noſter ... ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, ut & celebrentur hic a nobis Oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum, Domino proſperante, celebrabimus.* Et Epiſt. 34. *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies, anniverſaria commemoratione celebramus.* Hinc eruit Pamelius in librum Tertulliani ad Martyres *n.* 22. antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ſacrificium pro Martyribus, & pro iis, qui Sancti credebantur, offerendi, nimirum ut pro eorum requie gratiæ Deo redderentur. Hujuſmodi Sacrificium appellabatur *Miſſa pro Requie Sanctorum oblata*, & in Miſſali Mozarabico intitulata reperitur: *Pro ſpiritibus Pauſantium, ſeu Confeſſorum.* Subdit autem idem Pamelius: *Gratulatoriæ ergo preces erant, quibus cum Deo gratias agebant, qui Martyribus eam gratiam, & tantum dignitatis contuliſſet: tum ſimile donum cælitus ſibi dari concordibus votis flagitabant, ceu adhuc canit Eccleſia: Gaudeamus in Domino, & reliqua.*

IV. Refert Macrus in ſuo Hierolexicon *verb. natalis* diſpoſitionem quamdam, in qua poſtquam ſtatutum eſt, non licere in Quadrageſima natales Martyrum celebrare, ſubditur: *ſed nec natalitia, nec nuptias liceat in Quadrageſima celebrare.* Ubi Gloſſa colligit, quod *natalis*, & *natalitium* habeant diverſum ſignificatum: *natalem* nempe ſignificare diem alicujus Sancti, *natalitium* vero hominis. Hic ſenſui cohærent, quæ habet Calepinus verb. *natalitia*, ubi notat: *Convivium, quod quis natali ſuo die amicis exhibet. Cic. 2. Philip. Hodie non deſcendit Antonius cur, dat natalitiam in hortis.* Ceterum Eccleſia paſſim, & promiſcue *natalem*, & *natalitia* pro natali Sanctorum die uſurpat, ac in orationibus, quæ in eorumdem natali recitantur, eorum *natalitia* celebrare, & colere profitetur. Unde Rabanus *de Inſt. Cleric. cap.* 43. ſcribit: *Dicuntur quidem Sanctorum feſtivitates natalitia, & merito: quomodo enim conſuete naſci dicitur, cum quis de utero matris procedens in lucem egreditur; ita rectiſſime poteſt natus dici, qui a vinculis carnis ſolutus ad lucem ſublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Eccleſiaſticus, ut dies beatorum Martyrum, ſive Confeſſorum Chriſti, quibus de ſæculo tranſierunt, natales vocitemus, eorumque ſolemnia, non funebria, ſed natalitia dicamus.*

V. Quod ſi quæras, cur Sanctorum potius mors, quam nativitas in hoc mundo celebratur? Reſpondet D. P. Auguſtinus *loc. cit.*, cujus hæc verba ſunt: *Quid eſt hoc, Fratres? Quando natus eſt, ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus: ſed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus: illo enim traxit originale peccatum, iſto autem die vicit omne peccatum.* Appoſite ſane Origenes pariter *lib. 3. comment. in Job.* in hunc modum profatur: *Animadvertamus o homines, quæ immutatio facta eſt in hominibus. Nam priores diem nativitatis celebrabant unam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum ſit dolorum atque tentationum introitus, ſed mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes. Sic itaque non diem nativitatis celebramus, quia in perpetuo vivent ii, qui moriuntur.* Hinc concludit S. Ildefonſus *lib. de perp. Virg. B. M.*, his verbis: *Nullius igitur Nativitas celebratur in mundo, niſi Chriſti, & ejus* (ſcilicet Mariæ) *atque B. Jo.*, quia nempe has tres omnes ſcimus fuiſſe immaculatas.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XCVII.

Dies natalitii, ii omnes habendi ſunt, qui licet vere non ſint dies obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt feſtivitati alicujus Sancti veluti fixi, & veluti propria eorum ſedes. S. R. C. 28. Novemb. 1682. *in Neapolitana*. Ex Merato in Indice Decretor. Brev. num. 130.

I. EA, quæ dedimus in præliminaribus Capitis, antiquam, ſemperque cuſtoditam affatim evincunt Eccleſiæ praxim Sanctorum diem obitus diem eorumdem natalitiam, ſeu natalem appellandi nec iis, quæ diximus, opus eſt, aliqua addamus, ut oſtendamus, tale illi vocabulum quadrare ſatis appoſite. Quoniam vero, etſi ſolemnitates Sanctorum in die eorumdem obitus Eccleſia in uſum ſemper celebrare habuerit, nonnumquam tamen alteri a natalitia debuit eaſdem conſignare, vel quia ea per aliud feſtum novem lectionum impedita foret, vel quia incideret in tempus, in quo nulla Sanctorum feſta admittere Eccleſiæ diſciplina ferebat, aut alia de cauſa, ut non ſemel alibi obſervavimus; hinc cum una ex parte tales reipſa non forent obitus dies, & ex altera eſſent ad recolendum diem obitum deſtinati, ortum eſt dubium, num dies natalitii forent cenſendi. Quid hac in re Sacr. Congr. deciderit, jam habet aperte in producto Decreto; prævaluit enim ratio illa valida, quod licet dies illi ut ſupra aſſignati, non ſint vere dies obitus, ſunt tamen dies ad recolendum diem obitus ab habente poteſtatem legitime deſtinati, in iiſdemque officium de die obitus, & non ſub alio inſtituitur titulo. Ut autem vere mens habeatur Decreti, liceat nobis, breviter ejuſdem verba percurrere.

II. *Dies natalitii ii omnes habendi ſunt.* Non quod ſint dies vere natalitii, quoniam non ſunt vere dies obitus, ſed quod pro diebus natalitiis debeant reputari, quatenus in iiſdem, ut ſupra dicebamus, colitur, licet ipſi vere non ſint, dies obitus. Hinc placet adnotare, quod Congregatio non uſurpat verbum *ſunt*, dicendo *ii omnes ſunt*, quod rerum, quibus adhibetur, veritatem ſignificat, ſed utitur verbo *habere*, dicitque, *habendi ſunt*, quod rerum veritatem non dicit, ſed ſimilitudinem, redditque in caſo ſenſum, quod licet tales reipſa non ſint, ſunt tamen ut tales cenſendi, ac reputandi.

III. Quod ſi hæc explanatio non admodum arrideat, aliam nobis ſuggerit Rabanus in ſuperius laudatis ejuſdem verbis. Videtur enim iſte diſtinguere natalem Sanctorum a natalitiis, & dies eorumdem obitus *natales* vocitare; ſolemnitates vero, ſeu ſolemnia in eorumdem memoriam inſtituta *natalitia*. En ejuſdem verba: *Et inde mos obtinuit Eccleſiaſticus, ut dies beatorum Martyrum, ſive Confeſſorum Chriſti, quibus de ſæculo tranſierunt, natales vocitemus, eorumque ſolemnia, non funebria, ſed natalitia dicamus.* Et ad hæc præcedenter verba jam dixerat: *Dicuntur Sanctorum feſtivitates natalitia.* Hæc diſtinctio in Tabulis ipſis Eccleſiaſticis fundamento non caret, quoniam in Martyrologio Romano, dum annuntiatur dies obitus Sanctorum, non ſemel per vocabulum *natalis* apparet notatus, numquam tamen quoties annunciatur eorumdem feſtivitas, quæ extra diem obitus celebratur, licet in memoriam diei obitus *ſit* illa inſtituta, ac dies ipſe obitus in eadem recolatur; quinimmo cum hujuſmodi feſtivitas annunciatur, ut plurimum aſſolet adnotari, quod Sancti illius dies natalis alio die recurrit. Exempla SS. Hilarii, Pauli 1. Eremitæ, Canuti Martyris, & aliorum clare id indicant; & cum in horum feſtivitatibus, licet extra diem obitus celebratis, in orationibus prædictorum Sanctorum *natalitia* recolere diſerte ſe explicet Eccleſia, non minus nobis indigitant, *natalem* in ſenſu Eccleſiæ pro die obitus uſurpari, *natalitia* vero pro feſtivitate in memoriam diei obitus, vel eorumdem mortis inſtituta, quantumvis alioqui extra diem obitus celebrata. Si hæc igitur ita ſunt, opus non eſt, ulterius probemus, quod dies Sanctorum *natalitii* & ſunt ii, qui feſtivitati Sanctorum ſunt ut ſupra aſſignati, cujuſmodi tantum eſt locutio Decreti, quod non nomen *natalis*, ſed *natalitiorum* uſurpat.

IV. *Qui licet vere non ſint dies obitus.* Non exigit Sanctio ad hoc, ut dies habeantur pro *natalitiis*, quod ſint *dies obitus*; hinc cum dies natalis pro die obitus ſtet in communi intelligentia, indubium eſt, quod *natalitia* pro *natali* haudquaquam uſurpat, ſed cum diſcrimine ſuperius adducto, aut ut prius ponderabamus, intendit, quod præfati dies non ſint *vere natalitii*, ſed tantum ut tales *debeant reputari*, alias proculdubio deberent eſſe *vere dies obitus*, ut eſſent *vere natalitii*.

V. Super ly *vere* aliam nobis liceat animadverſionem ponere, videlicet quod licet ad hoc ut ſint dies natalitii, non debeant eſſe *vere dies obitus*, debent tamen in aliquo ſenſu eſſe *dies obitus*, ſcilicet eſſe inſtituti in memoriam diei obitus, & ad hunc in iiſdem recolendum; non enim per accidens in textum irrepſiſſe credimus adverbium illud *vere*, ſed conſulto poſitum extitiſſe ad id iodicandum. Hinc a diebus natalitiis excluſi manent dies illi, qui ſunt aſſignati, non feſtivitati alicui principali, aut primariæ, ſed ſecundariæ, & minus principali, cujuſmodi ſunt Inventio, Ordinatio, vel aliud hujuſce rationis feſtum. Equidem hujuſmodi feſta cum non ſint inſtituta ad recolendam diem mortis, nec celebrentur in die mortis, nec *natalis*, nec *natalitiorum* poſſunt ſibi nomen jure vindicare; quapropter videmus, quod nec in orationibus, quæ in dictis diebus recitantur, unquam Ec-

eleſia

cleſia *natalitia* ſe colere profitetur, ſed expreſſe reſpective vel inventionem, vel translationem &c. celebrare ſe explicat, ut videre eſt in Converſione S. Pauli Apoſtoli, & in Inventione S. Stephani.

VI. Sunt aliqui Sancti, quorum feſtivitates, cum dies vere natalitia, ſeu obitus foret impedita, alteri vel tranſlatione, vel inventione eorumdem celebri in perpetuum ſunt conſignatæ. At cum in iis nihilominus non recolatur tranſlatio, nec inventio, ſed in memoriam pretioſæ eorum mortis fuerint inſtitutæ, non propterea a die natalitia in ſenſu Decreti proculdubio decidunt, nec cenſendæ veniunt eorumdem feſtivitates ſecundariæ, & minus principales, ſed principales, & primariæ, unde non dubitamus, quod in ipſarum orationibus *natalitiorum* nomen poſſit adhiberi, quemadmodum adhibetur in quibuſcumque aliis extra diem obitus celebratis, dummodo in hujus memoriam, ac commemorationem inſtitutis; tunc enim dies tranſlationis &c. non ſumitur, niſi tamquam opportunior ad celebrandum felicem Sanctorum tranſitum ad cæleſtem patriam, utpote qui de iiſdem aliquo modo redditus fuit illuſtris, & inſignis.

VII. *Tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt*. Sunt autem per Decretum Apoſtolicum aſſignati nedum dies illi, qui in prima feſtorum conceſſione, vel poſtmodum fuerunt ſpecialiter per Sedem Apoſtolicam delecti, verum etiam qui per Sacram Congregationem, quæ non ſua emanat Decreta niſi vi Apoſtolicæ poteſtatis ſibi factæ; quinimmo eadem de cauſa qui aſſignati veniunt in particularibus Eccleſiis vigore Decretorum Sanctorum perpetuo tranſlatorum immutationem concedentium, cum propria auctoritate non eam attentent, ſed ratione ut ſupra Decretorum, quæ non minus ſapiunt de Apoſtolica poteſtate.

VIII. *Feſtivitati alicujus Sancti*. Primaria ſcilicet, & principali, ut dicebamus, & ad recolendum diem obitus inſtitutæ, non autem ſecundariæ, & minus principali, ac ad celebrandum factum aliquod, vel actionem dicti Sancti indictæ. *Sancti alicujus*, hominis ſcilicet, non autem Angeli, qui cum nec naſcantur, nec moriantur, nec diem natalem, nec natalitium queunt habere, ut ſuo loco ponderatum veniet.

IX. *Veluti fixi, & veluti propria eorum ſedes*. A diebus natalitiis excluſi hinc veniunt dies illi, in quos officium, quod de natali Sancti alicujus eſt inſtitutum, per accidens quandoque transfertur celebrandum; quatenus enim in his colitur officium in memoriam natalis indictum, natalitiorum nomen poſſent quidem forſan aliquo modo, licet large, ſubire, unde in oratione, quæ in dictis adhuc recitatur diebus, illorum verborum, *cujus natalitia colimus &c.* ſi adſunt, nulla fit variatio, ſed adhuc non minus dicuntur, ac in diebus ut ſupra aſſignatis. At cum per accidens in iiſdem diebus tale recitetur officium, & recitetur ut tranſlatum ab altera die, cui in perpetuum adhæret, haud videtur, quod ex hujuſmodi accidentali recitatione queat in eoſdem natalitiorum vocabulum jure derivare, alioquin cum pro annorum varietate varia itidem in iiſdem recitentur, ac transferantur officia, ad horum varietatem pariter natalitiorum induerent varietatem. Admodum autem diſpar eſt ratio de diebus ut ſupra aſſignatis, quia etſi non ſint vere dies obitus, ſunt tamen dies, quibus officium de die obitus, & in hujus memoriam inſtitutum, in perpetuum adhæret, quique ab habente facultatem, tamquam dies obitus, ſunt legitime conſtituti: Unde non eſt reperire, quod veret, natalitiorum Sancti illius, cujus officium eſt iiſdem in perpetuum conſignatum, ſubeant denominationem. In præfatis denique diebus, in quos officia de die obitus quandoque rejiciuntur, verba illa, *Cujus natalitia colimus &c.*, invariata dicuntur, quia, ut ſupra ponderabamus, pro feſtivitate ſeu ſolemniis non incongrue accipiuntur, & reipſa hæc ſolemnia eo anno in iiſdem recoluntur.

X. Major utique foret difficultas de diebus, in quibus Sanctorum natalitia juxta dicta in præcedenti Capite accidentario immutantur; cum enim Decretum ſolummodo expoſcat, quod dies, ut dicantur natalitii, *ſint ex Decreto Apoſtolico aſſignati feſtivitati alicujus Sancti veluti fixi, & veluti propria eorum ſedes*, nec habeat *in perpetuum aſſignati*, cum hæc omnia in iiſdem verificentur, non videntur expulſi a diſpoſitione Decreti. Verum cum accidentaria immutatio magis habeat de tranſlatione, quam de immutatione; & licet officia ſic immutata alteram quidem diem, ut propriam, acquirant, attamen accidentario, & ad vere propriam ſunt illico reditura, idcirco quoad præſens attinet, de accidentario immutatis pariformiter loquendum venit, ac de tranſlatis. Etſi itaque Decretum verba illa, *in perpetuum*, minime teneat, adhuc ſubintelliguntur; tunc enim temporis, in quo præſens prodiit Sanctio, in uſum non erant feſta aliqua, quæ accidentariæ immutationis privilegio gaudebant: Unde nec Decretum, nec petitio de ea immutatione, quæ nondum fieri fuerat conceſſa, utique procedere poterant. Feſta, ut dicebamus in præcedenti Capite, quibus accidentariæ immutationis privilegium vere legitur factum, ſunt tantum Feſta Annunciationis, ſeptem Dolorum B. M., S. Jo. Baptiſtæ, & S. Benedicti Abbatis, ubi hoc adnexum tenet forum; Annunciationi autem anno 1696., Doloribus B. M. 1729., S. Jo. Baptiſtæ 1736., & S. Benedicto 1727. accidentaria immutatio conceſſa fuit, cum tamen anno 1682. præſens emanavit Sanctio.

XI. Huc ſpectant, quæ dedimus in Decr. I. Cap. IV., quæ propterea hic non repetenda eſſe putamus, videlicet quid faciendum veniat, quoties natalis Sancti alicujus in uſu propriorum locorum alius eſt, qui in Breviario, vel Martyrologio Romanis reperitur notatus, aut quando in Eccleſia univerſali in alium diem eſt perpetuo immutatus; & ſuper hiſce duobus caſibus adhuc potiora in Capite ſequenti dabuntur. In eodem Capite IV. itidem diximus, qualis uſus eſſe debeat celebrandi Sanctos illos, qui deſcripti ſunt in Martyrologio Romano, ſed non ea die (quod ſciatur) qua contigit eorumdem obitus, aut quorum natalis dies ignoratur. Alibi ſimiliter ſparſim non ſemel egimus de immutatione natalis diei impediti, necnon de reſtitutione ejuſdem ad proprium diem, quoties hic redditur inimpeditus, ac de pluribus aliis, quæ ad præſens facere queunt inſtitutum; quapropter ad alibi dicta ſuper hiſce Lectorem remittimus.

XII. Quæres, 1. quis dies natalis ejus, qui in die Biſſexti obiiſſet? Cenſet Guyetus *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 13. tamquam certum, natalem ejus eſſe affigendum diei 23. Febr., eoque die cunctis annis non biſſextilibus celebrandum. Verum ſi res ponderetur ſerio, talis ſanctus magis conſignandus videtur diei 24., quæ cum in anno biſſextili unam diem cenſeatur facere cum die 25., & non cum præcedenti 23. ſane magis ſpectat, & ſapit de die illius nalitia, quam dies 23. Quia tamen in annis non biſſextilibus dies 24. ſemper occupata manet per feſtum S. Mathiæ, & Sanctus, de quo agimus pridie S. Mathiæ cæleſtem petiit patriam, idcirco hac de cauſa pro annis non biſſextilibus diei 23. conſignari poſſe videtur, ſimul cum Vigilia in anno intercalari transferendus quoad officium, & lectionem in Martyrologio ad diem 24. in qua revera ad lucem ſublimatus fuit æternam.

XIII. Quæres 2., unde decerni debeat dies Sancti cujuſque natalis?

XIV. ℟. Triplicem a Guyero *lib.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 2. rationem adduci computandi diem natalitium Sanctorum, videlicet a veſpera ad veſperam, adeo ut qui Sanctus v. g. obiit prima die Octobris ab ea hora, quæ decantandis veſperis indicitur, hujus dies natalis non ipſa prima die Octobris, ſed ſequenti, ſecunda videlicet conſignetur; ſic enim ſuadere videtur officiorum ratio, quæ cum ad Sancti cujuſque feliciſſimum ex hac vita tranſitum inſtar ſe habeat triumphi ad victoriam, illum certe hanc non præcedere, ſed ſequi, aut ad ſummum comitari æquum eſt. Præcederet autem, ſi totum officium, vel plenior illius pars abſoluta fuerit ante horam, qua Sanctus ex hac vita migravit; quod in ſimplici maxime feſto contingit, cujus officium totum completur ad Nonam.

XV. Secunda computandi ratio, ab uſu communi magis adhibita, eſt, ut dies ille cuique Sancto natalis aſſignetur, in cujus aliqua hora a media nocte ad mediam noctem contigit ipſum ex hac vita tranſire.

XVI. Tertiam adducit, nec improbat, & eſt, quod Sanctorum, quos poſt horam Completorii inchoata jam nocte decedere contigerit, natalis computetur dies, non qui noctem illam præcedit, ſed qui ſequitur, eo quod illorum tranſitum eo potiſſimum die celebrari deceat, quo is hominibus primum vulgatus, atque cognitus fuit.

XVII. Quoad praxim vero attinet, hanc præſcribit regulam, ut quorum Sanctorum ratus pridem, ac fixus habeatur dies, ſive in Kalendario, vel Martyrologio Romano, ſive in proprio cujuſque Eccleſiæ, is omnino retineatur, nec in alium ullatenus mutetur, niſi ex cauſa perpetuæ ejuſdem tranſlationis. Aliis vero, qui recenter in Sanctorum Album referuntur, ſolet itidem Pontifex in Bulla Canonizationis, vel diem ipſum, quo obiere, vel alium, ſi is forte minus opportunus eſt, celebrandæ annuatim eorum feſtivitati decernere.

CAPUT DUODECIMUM.

De Conceſſionibus univerſalibus.

I. ÆQuum eſt, priuſquam operi extremas imponamus manus, nonnulla dirimamus dubia, ſuper quibus nuperrime conſulti fuimus; hinc de conceſſionibus univerſalibus agere ſumimus, quarum appellatione veniunt, quæ univerſali ſunt Eccleſiæ, ſeu quæ ſolent inſcribi, *Urbis, & Orbis*, ad differentiam conceſſionum particularium, cujuſmodi ſunt, quæ particularibus locis, Eccleſiis, vel Religionibus indulgentur, quæque a loco, aut Eccleſiis, vel Ordinibus, ad quorum preces emanant, denominationem depromunt; hinc in *Brixienſi, Ordinis Cappuccinorum &c.* inſcribuntur, quæ ad petitionem Eccleſiæ Brixienſis, aut Ordinis Cappuccinorum noſcuntur editæ. A qualitate itidem conceſſionis, ſeu magis illius, cui indulgetur, denominatur officium; quapropter cum ſoli Eccleſiæ Dei vox *univerſalis* in vero ſenſu conveniat, illud erit officium univerſale, quod toti Eccleſiæ Dei, ſeu univerſo Orbi Catholico reperitur conceſſum, quæcumque autem alia erunt particularia officia, & conceſſiones. Haud imus tamen inficias, quod inter particularia officia alterum altero poteſt eſſe particularius, ac unum relate ad aliud quodammodo de univerſalitate participare, quatenus ad plura loca protenditur. Hac in lata ſignificatione officia uni individuæ conceſſa Eccleſiæ, ſunt particulariora relate ad officia Diœceſis, hæc ad officia Provinciæ &c., & hæc aliqualiter univerſalia, numquam tamen in ſtricta acceptione, juxta quam impræſentiarum noſter procedit ſermo. Adhuc tamen & de iſtis officiis late univerſalibus, ſeu magis minus particularibus relate ad ea, quæ ad minora propagantur loca, nonnulla in Decreto III. dicemus, ut undequaque completa hæc noſtra evadant Commentaria.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XCVIII.

Cum SS. D. N. Innocentius Papa XI. per univerſam Eccleſiam celebrari præceperit Feſtum SS. Nominis Beatiſſimæ Mariæ Virginis Dominica infra octavam Nativitatis ejuſdem Virginis Mariæ cum Officio, & Miſſa propria, ſub ritu duplicis majoris: Quod feſtum jam ante ex Indulto Apoſtolico nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Chriſtifidelibus Miſſæ ſolemni intereſſentibus die 17. Septembris celebrabatur cum Officio, & Miſſa propriis: Inſtitum fuit a Sacra Rituum Congregatione declarari. Primo: *An ceſſare debeat in dictis locis jam officium proprium, quam feſtum SS. Nominis Mariæ jam antea a Sede Apoſtolica approbatum, ita ut idem feſtum dicta die 17. Septemb. cum dicto Officio, & Miſſa propriis non poſſit amplius celebrari?* Secundo: *An dictæ Indulgentiæ etiam cenſeantur ceſſare, an vero intelligantur translata ad dictam Dominicam infra octavam B. Mariæ Virginis?* Tertio: *An dictum Officium, & Miſſa pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus poſſint amplius reimprimi, ac illo poſt hac poſſint iidem uti?* Et Sacra Congregatio reſpondit ad dicta dubia, ut infra: Ad primum: *Ceſſare debere.* Ad ſecundum: *Indulgentias pariter ceſſare pro illa die; & pro translatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo.* Ad tertium: *Non licere*; & ita decrevit, & ſervari mandavit die 17. Junii 1684. *Ita habetur in Bullario Romano noviſſima Edit, tom. 7. poſt Conſtit. 16. Innoc. XI.*

I. Quoniam quæ ad hiſtoriam, cauſam, & tempus inſtitutionis feſti SS. Nominis B. Mariæ attinent, uberem alibi habere debent inquiſitionem, ad expoſitionem Decreti ſtatim accedimus. Priuſquam igitur feſtum hoc ad univerſalem protenderetur Eccleſiam, nonnullis in locis, ac Regularibus Ordinibus pro die 17. Septembris, ſub ritu duplici majori, cum Officio, & Miſſa propriis, ac cum indulgentiis pro intereſſentibus Miſſæ ſolemni, indultum fuerat recitari; hinc primo dubitari cœpit, *an iiſdem in locis ceſſare deberet tam officium proprium, quam feſtum SS. Nominis Mariæ jam antea a Sede Apoſtolica approbatum, ita ut idem feſtum dicta die 17. Septembris cum dicto officio, & Miſſa propriis non poſſit amplius celebrari?* Ad quod Sacra Congregatio reſpondit: *Ceſſare debere.* Equidem cum petitio duo declaranda proponat, *num* ſcilicet *ceſſare debeat officium proprium*, & *feſtum jam antea pro die 17. Septembris approbatum*, dum Sacra Congregatio reſpondit; *Ceſſare debere*, ſequitur, ſaltem directe, dumtaxat, quod nec feſtum præfatum, nec officium proprium amplius memorata die 17. poſſit celebrari; hinc locum habuit alterum propoſitum dubium, nempe *num dictum officium: & Miſſa pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus poſſent amplius reimprimi, ac illo poſthac* (poſt ſcilicet univerſalem officii proprii de dicto SS. Nomine conceſſionem) *poſſent iidem uti*, in die videlicet, in quo juxta univerſalem conceſſionem feſtum SS. Nominis celebrari deberet? Ad quod eadem Congregatio reſpondit: *Non licere.*

II. Per has reſponſiones duo nos edocet Congregatio, videlicet, facta extenſione feſti alicujus, quod antea in aliquibus locis vel Religionibus celebratur, ad univerſalem Eccleſiam, non amplius licitum eſſe, præfatum feſtum in die particularis Indulti, nec cum officio antea conceſſo celebrare, ſed in eodem recolendo uniformitatem ſervandam eſſe tam quoad diem, quam quoad officium, ita ut nedum in die prioris Indulti ceſſet feſtum, & officium, ſed quod nec etiam in die, in qua ab univerſali celebratur Eccleſia, recitari poſſit officium prius conceſſum, ſed quod illud recitari, quod pro univerſali Eccleſia indultum fuit. Equidem id denotare etiam videtur conceſſio ipſa, in qua officia ad univerſalem extenduntur Eccleſiam; in ea enim *ab omnibus*, adeoque & a particularibus Indultariis, illud pro die ſtata, puta in caſu, pro Dominica infra octavam Nativitatis, celebrari mandatur, & *cum officio, quod pro univerſali Eccleſia conceditur*; unde cum bis de eodem feſto officium in anno inſtitui, exorbitans ſit, & eccleſiaſtica a diſciplina alienum, per plurimas Sanctiones, & ſignanter per latam ſub die 30. Sept. 1679., de qua in *Decr.* II. Cap. de Sanctis Angelis, declarata, patens redditur, quod ceſſare debet feſtum, ac conſequenter & officium prioris Indulti.

III. Verum quidquid ſit de hoc, quod ex inferius dicendis nonnullam forſitan pariter limitationem, indubium id redditur præſentis vigore Decreti, cujus diſpoſitio, cum per duo ſequentia fuerit confirmata, omnem proculdubio tollit dubitandi rationem. Uniformitas, quæ inde cum univerſali Eccleſia exurgit, quæque plurimi juxta alibi dicta venit facienda, laudabilis congruitatis pondus eidem accumulat, cui ſi adjicias, quod quæ leguntur in univerſali Eccleſia, cum antequam ad hanc extendantur, expurgentur, novoque ſubjiciantur examini, ſunt emendatiora, & caſtigatiora, præferenda utique videntur iis, quæ particularibus locis poſſunt eſſe conceſſa, ſeu magis permiſſa.

IV. Quæ uſquemodo tradidimus, alibi non ſemel examinata venient, ac confirmata; hic ſolum addendum putamus, quod habet Pittonus *Deciſ. pro ſacr. ritib. n.* 981. ex præſenti illatum Sanctione: *Notandum, quod cum ex dicto Decreto legitime inferatur, officia univerſalia eſſe retinenda ubique locorum, tam quoad proprietatem lectionum, & aliorum in eis contentorum, quam quoad diei aſſignationem, ideo ceſſare debent officia propria SS. Nominis Jeſu, S. Mariæ de Monte Carmelo, & ſimilium, alicubi ſpecialiter conceſſa, ſi diverſa ſint ab univerſalibus, ut de hujuſmodi caſibus optime loquitur Piſart in expoſ. Rubric. Miſſalis Rom. par. 5. tit. 3. n. 1. pag. 169., & claro patet ex inferius dicendis 1722. 28. Novemb.*

V. Accedit uſus particularium ipſarum Eccleſiarum, ac Religionum, quæ non amplius celebrant feſtum SS. Nominis Jeſu, ac B. Mariæ juxta priora Indulta, ſed in diebus, & cum officio univerſalis Eccleſiæ. Status itidem quamplurimi, qui cum ad Hiſpanicam pertinerent Monarchiam, feſtum S. Mariæ de Mercede celebrabant olim in Dominica proximiori Kalendis Octobris, & Status Venetus officium S. Gertrudis die 18. Novembris, & vix reddita fuere univerſalia hæc officia, quod cum univerſali Eccleſia & quoad qualitatem officii, & quoad diem ſtatim ſe conformarunt.

VI. Finis non foret, ſi in hujuſce rationis exemplis recenſendis immorari vellemus, quare ſolum advertere putamus, quod dum Decretum Officium & Miſſam ut ſupra proprias *reimprimi* aſſerit, *non licere*, id intelligendum venit, *ad effectum, ut ſint pro uſu, & in divino officio pro præcepti adimplemento recitentur*, non autem quod *abſolute, & ſimpliciter eorumdem reimpreſſio ſit vetita, & extra divinum officium pro particulari devotione recitatio illicita.*

VII. Quantum ad indulgentias ſpectat, de quibus aſſerit Decretum, *ceſſare pro illa die, & pro translatione ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo*, hujus loci non eſt ulterius perveſtigare, ceterum ſi Lector de nonnullis circa indulgentiarum intransferibilitatem inſtrui cupit, recolat, quæ dicentur in ultimo Decreto Cap. de diebus feſtivis. Potior foret difficultas de earumdem ceſſatione pro die, pro qua ſunt conceſſæ; at cum in gratiam feſti, quod non amplius ea die coli poteſt, fuerint indultæ, uti principale pro ea ceſſat die, acceſſorium quoque, quales ſunt indulgentiæ, ceſſare debet. Cum dies 17. Septembris, in qua communiter feſtum SS. Nominis B. M. celebrabatur, apud Auguſtinienſes occupata exiſteret per diem octavam S. Nicolai de Tolentino, Clemens X. iiſdem indultum fecit quotannis recolendi cum officio proprio, ac memoratis indulgentiis præfatum feſtum die 20. Octobris, in quo ſemper illud celebrarunt, donec prodiit indultum Innocentii XI. pro Eccleſia univerſali, cui ſtatim parendum eſſe cenſuerunt & quoad diem celebrationis, & quoad qualitatem officii; quantum vero ad translationem indulgentiarum ſupplicarunt Clementi XI., qui in Bulla *Exponi nobis* 14. Novembris 1704. ſuper eadem benigne indulſit.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XCIX.

Omnes, nempe quicumque etiam Regulares tenentur de præcepto celebrare feſtum B. M. de Monte Carmelo die fixo 16. Julii, & ſervare Decretum emanatum 24. Septembris 1726. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Ex Metato in Indice Decretor. Brev. num. 267. & 330.

I. En alterum Decretum, per quod uberem confirmationem accipiunt ea, quæ in præcedenti tradidimus, ac omnis omnino ſuper iiſdem tollitur ambigendi ratio. Officium proprium de B. M. de Monte Carmelo pluribus in locis, ac Regularibus Ordinibus pro diverſis diebus indultum fuerat recitari: a pluribus enim celebrabatur die 16. Julii, ab aliis vero in Dominica, quæ incidit in, vel occurrit poſt dictam diem 16. Julii. Bened. XIII. ſub die 24. Sept. 1726. ad magis ſemper confovendum, & augendum cultum B. M., prædictum feſtum in tota Eccleſia die 16. Julii cum officio admodum diſſimili ab eo, quod in particularibus locis, & Religionibus recitabatur, celebrari mandavit. Natum eſt dubium, num privilegiarii poſſent in ſuo antiquo uſu ſeſe tueri; & Congregatio reſpondit, omnes, etiam Regulares, teneri celebrare dictum feſtum die fixo 16. Julii; unde ſemper magis confirmata remanent, quæ in præcedenti Decreto vidimus ſtatuta circa uniformitatem rigoroſe obſervandam quoad diem etiam a præcedentibus Privilegiariis, quoties feſtum aliquod in Breviarium invehitur Romanum diverſa die celebrandum, ac colebatur ab Indultariis.

II. Digna, quæ advertantur, ſunt verba, quæ ſubdit Sanctio: *Et ſervare Decretum 24. Sept.* 1726. Cum enim jam præcedenter ſtabiliverit, feſtum prædictum eſſe ab omnibus celebrandum die 16. Julii, profecto fas eſt, quod per ſequentia adducta verba aliud in præcepto conſtituat. At quid hoc erit? Erit alterum, quod Decretum 24. Sept. 1726., quod ſervari mandatur, itidem injungit, videlicet officii qualitas, cum dictum Decretum nonniſi hanc ultra diem celebrationis feſti ſtatuat eſſe ab omnibus obſervandam. Et ecce alterum pariter confirmatum, quod in præcedenti Decreto firmabatur, ſcilicet qualitatem etiam officii pro univerſali Eccleſia conceſſi ſtatim recipi debere etiam ab iis, qui vi particularis Indulti aliud officium in uſum habebant.

III. Decretum hoc confirmationem uberem exporrigit præcedenti una cum iis, quæ in ejuſdem expoſitione exarata fuere, & ſuper his omnibus potiora dare reſervamus explanantes ſequentem Sanctionem. Ab his itaque expediti cum ſimus, lubet quamdam promovere difficultatem circa antiphonam propriam, quam hoc feſtum habet in ſecundis veſperis ad Magnificat quoties ob concurrentiam cum ſequenti duplici primæ claſſis commemorationem deperdit, nempe num eo in caſu recitari poſſit, & debeat ad Magnificat in primis veſperis loco antiphonæ *Sancta Maria*, quæ veluti de communi cenſetur.

IV. R. Id fieri valde decere; communia enim, ſeu quæ deſumuntur ex communi, vel quaſi communi, congruentius omittuntur, quam quæ propria ſunt, quoniam propria particularem ſemper reſpectum habent, & particulari de cauſa inducuntur in

offi-

officium, quod recitatur; unde quoties hæc omitti neceſſe eſt, ſatius utique videtur omitti communia, & loco horum propria ſubrogari. Id aperte eruitur ex Decreto 23. Junii 1736., in quo Sacr. Congr. ſtatuit, quod *quando feſtum SS. Philippi, & Jacobi cadit in Dominicam, tunc apud Benedictinos ultimum Reſponſorium, quia eſt proprium, dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica*. Quod ſi quia ultimum Reſponſorium proprium eſt, debet dici loco penultimi, quod eſt de communi, ne Reſponſorium proprium omittatur ratione ultimi Reſponſorii, quod in præfata incidentia apud Benedictinos de Dominica dici debet, quis inficiabitur, quod quoties propria omitti debent, ſatius non ſit omitti communia, & loco horum propria ſubſtitui? Videntur, quæ in expoſitione memorati Decreti ſuo loco dabuntur, ut major adhuc lux affulgeat iis, quæ modo tradita ſunt.

V. Idipſum potiori jure dicendum venit de antiphona propria *Ego dilecto meo*, quam in ſecundis veſperis ad Magnificat habet S. Margarita de Cortona, quando omittenda alioquin venit ratione ſequentis feſti duplicis ſecundæ claſſis S. Matthiæ Apoſtoli; quapropter in hujuſmodi caſu ponenda ea erit ad Magnificat in primis veſperis loco antiphonæ *Simile eſt Regnum Cœlorum*, quæ nullatenus propria eſt, ſed de communi.

VI. Quoniam de S. Margarita de Cortona locutionem nobis præbuit occaſio, indeciſum deſerere non arbitramus ſequens dubium, nempe num hocce officium, uti & cetera cuncta quæ conceſſa ſunt recitari in tota Italia nulla facta mentione Inſularum adjacentium, celebrari valeant in Sicilia, Sardinia, & Corſica?

VII. Pro parte negativa ſtant Diana Coord. *tom. 7. reſol.* 265. *n.* 5., Bordonus *tom. 2. reſol. 6. n.* 3., & apud hunc Megal, & ducuntur, tum quia Hiſtoriographi illas non connumerant cum partibus Italiæ; tum etiam quia Papa, ac Sacr. Congr., quoties condunt Conſtitutionem, vel Decretum aliquod pro Italia, & Inſulis, mentionem expreſſe faciunt utriuſque; hinc videre eſt, quod in conceſſione officii S. Aloyſii Gonzagæ toti Italiæ facta a Sacra Congr. die 18. Maji 1737. expreſſe nominatæ fuerunt Inſulæ adjacentes, quæ itidem expreſſæ adinveniuntur in Decreto 28. Januarii 1728. in quo Bened. XIII. ad preces Violantis Beatricis Etruriæ Magnæ Principeſſæ officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis pro Italia ad ritum duplicem evexit.

VIII. Pro parte affirmativa adduci poteſt Marullus, quem citat Diana Coord. *part. 1. tract. 2. reſol. 13. in fine*, contendens Decreta lata pro tota Italia comprehendere etiam Inſulas eidem adjacentes, ac ſi illas expreſſe nominarent, fundaturque in illo dicto, *Inſulæ Italiæ pars Italiæ ſunt*, l. Inſul. ff. de Judic. Et quidem in favorabilibus non videtur ita rigoroſe procedendum, ſed ampliandum; licet poſtea ſi nos noſtram deberemus mentem aperire, in partem negativam propenderemus ratione conſuetudinis, quam tenent Pontifices, & Sacr. Congr. in ſuis condendis Decretis, expreſſe ſcilicet nominandi etiam Inſulas adjacentes, quando in iiſdem iſtas comprehendere intendunt.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE C.

Monialibus SS. Corporis Chriſti Civitatis Bononiæ S. R. C. humillime ſupplicantibus, ut benigne declarare dignaretur; *An ipſi liceat in poſterum die 14. Jan. officium SS. Nominis Jeſu, ſicut antea, juxta conceſſionem Fratribus Ordinis Minorum alias factam recitare, an vero teneantur illud Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, uti noviter pro Eccleſia univerſali indultum fuit, celebrare?* Sacra eadem Congreg. reſpondit: *Nec Monialibus prædictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum non licere amplius memoratum officium SS. Nominis Jeſu die 14. Jan., ſed Dominica 11. poſt Epiphaniam recitare; omneſque teneri ſub pœnis de non ſatisfaciendo officio divino, aliiſque in Bulla S. Pii V. contentis, noviſſimo Decreto die 29. Novemb. 1721. pro univerſali Eccleſia edito ſe conformare: & ita decrevit, & ſervari mandavit die 28. Novemb. 1722.* Ex Merato *ſect. 6. cap. 8. n. 1. §. Tertio.*

I. ZELO confirmandæ Doctrinæ, quam in ſuperioribus Decretis tradidimus, quoniam unice docimur, haud arbitramur hinc Lectorem morari ſuper iis, quæ ad inſtitutionem feſti SS. Nominis Jeſu ſpectare queunt, de quibus ſuo loco ſermonem inſtituere reſervamus. Clemens itaque VII. teſte Wadingo *in Annalib. ad ann.* 1530. *n.* 10: & 11. *tom.* 8. die 25. Febr. 1530. ſolemne inſtituit feſtum SS. Nominis Jeſu quotannis per viros, & Moniales Ordinis Minorum die 14. Jan. celebrandum cum recitatione officii a Fratre Bernardino de Buſtis, ejuſdem Ordinis celeberrimo Concionatore, compoſiti. Ab Ordine Seraphico ejuſdem officii recitatio ad alios poſtea Religioſos Ordines ac Dominia, & loca per Apoſtolicam tranſiit conceſſionem; & iſtante Carolo VI. tunc Imperatore apud Clem. XI., & deinde apud Innoc. XIII., ad Eccleſiam univerſalem extenſa fuit per Decretum S. R. C. 29. Novemb. 1721., in quo *omnibus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici 2. claſſis in Domin. 11. poſt Epiphaniam officium proprium alias conceſſum de præfato SS. Nomine recitandum demandatur.*

II. Hinc exortum eſt dubium, *num non obſtante hocce generali Decreto pro Dominica 11. poſt Epiphaniam præfatum feſtum demandante, poſſent præcedentes Privilegiarii ſe tueri in celebratione dicti feſti pro die in reſpectivo privilegio expreſſa*, quod cum ex parte Monialium Ordinis Minorum SS. Corporis Chriſti Civitatis Bononiæ pro declaratione S. R. C. exhibitum fuerit, *negative* reſcriptum extitit, *omneſque teneri Decreto pro univerſali Eccleſia edito ſe conformare*. Opus haud eſſe credimus, hic Lectorem moneamus ſuper confirmatione eorum, quæ in præcedentibus Decretis dicebamus, hoc eſt, *ceſſare præcedentes conceſſiones quoad diem celebrationis, & officii qualitatem, ſtatim ac feſtum aliquod ad univerſalem protenditur Eccleſiam, cunctoſque debere Decreto pro univerſali Eccleſia edito ſeſe conformare*, ut diſerte præſens ſtabilit Sanctio, quæ licet pro particulari officio SS. Nominis edita ſit, attamen denotat nobis, quid in ſimilibus præſtandum veniat; tum quia de ſimilibus ad ſimilia procedendum eſt, *l. non poſſunt, & l. nam ut ait, ff. de legib.* tum quia Congregationis reſponſio *declaratio* eſt ejus, quod ſervari debet pro caſu Indulti generalis, & præcedentis privilegii, adeoque generalem firmat regulam in ſimilibus obſervandam, hinc bene Meratus *cit. ſect.* habet. *Tertio notandum eſt, quod per prædictum generale Decretum derogatur conceſſionibus particularibus alias factis recitandi tale officium die 14. Jan., nunc enim omnes tenentur illud celebrare in dicta Dominica 11. poſt Epiphaniam*, & Pittonus *Deciſ. pro ſacr. ritib. n.* 1414. ſimiliter habet: *Notandum, quod idcirco non poſſunt amplius ſe tueri Franciſcani antiquiſſimo privilegio ſibi primo conceſſo, ad ſuſtinendam diem 14. Jan. pro hujuſmodi officii recitatione, niſi aliud ſibi de novo concedatur*; qualiter reipſa poſtea iiſdem conceſſum extitiſſe per hæc verba nos monet Meratus: *Poſt hoc Decretum tamen Fratres Minores Obſervantes, eorumque Miniſtro Generali ſubjecti per reſcriptum obtinuere facultatem a Benedicto XIII. celebrandi dictum feſtum die 14. Januarii.*

III. Quod iſti Auctores aſſerunt de die, in qua celebrandum eſt dictum feſtum, eadem indubie ratione dicendum eſt de qualitate officii, unde non mirari non poſſum, quod mei Eremitæ Auguſtinienſes cum Decreto univerſali paruerint quoad tranſlationem ejuſdem feſti a die 14. Jan. ad præfatam Dominicam ſecundam, adhuc poſtea retinuerint proprium officium, quod aliquantiſper differt ab univerſali Eccleſiæ conceſſo, & non magis proprio relicto univerſale aſſumpſerint, ſicuti ſatis laudabiliter præſtiterunt in feſto SS. Nominis B. Mariæ. Nolo hic cum iiſdem contendere ſuper formoſitate, aut concinnitate præfati officii proprii præ illo Eccleſiæ univerſalis; ſed hac ultro data, atque conceſſa eos tantummodo cogor monere, quod omnimodam uniformitatem cum Decreto pro univerſali Eccleſia edito præſens injungit Sanctio, quando etiam in ſimilibus per primam hujus Capitis non fuiſſet id expreſſe ſtatutum.

IV. Hæc autem adeo certa eſſe putamus, ut procedere debeant etiam, ubi Sanctus Patronus foret, vel Titularis, dummodo per expreſſam Bullam Pontificis, aut Decretum Congregationis fuerit ille in altero die a natalitio primum in Breviarium Romanum invectus, vel poſtmodum commutatus; hinc Guyetus *lib. 2. cap. 2. quæſt.* 4. laudat Dominicanos, qui a communi uſu non diſcedunt in celebratione Inſtitutoris ſui S. Dominici in die 4. Auguſti, tametſi natalis dies ejuſdem inciderit in diem 6. a feſto Transfigurationis impeditum, & in præcedentem a Greg. IX. fuerit immutatus, & adhuc in diem 4. a Paulo IV. rejectus ob conceſſionem officii B. M. ad Nives pro die 5. Eccleſiæ univerſali poſtmodum factam, & loquendo de iis, qui ſecus faciunt, ut de Eccleſia Cracovienſi, apud quam S. Stanislai feſtum non die 7., ſed 8. Maji, qui dies natalis ejuſdem eſt, colitur, habet: *Quem ego uſum nolim aſſertione mea refigi.*

V. Per expreſſam autem Pontificis Bullam, aut Congregationis Decretum cenſetur dies alicujus Sancti in alterum commutari, quando vel feſtum primo in alterum diem a natalitio in Breviarium Romanum introducitur, ut feſtum S. Hilarii Epiſcopi ad diem 14. Jan., & S. Franciſci Saleſii ad 29. Jan., vel quando cum jam ſuæ natalitiæ diei, vel alteri foret conſignatum, poſtmodum in alterum per particulare Decretum immutatum extitit, uti factum fuit in caſu S. Dominici, & modarno pro S. Petro Chryſologo, cujus officium primo conceſſum fuit pro die 2. Decembris, qui fuit natalitius ejuſdem Sancti, & poſtea ne ejuſdem celebratio in dicto die expelleret officium S. Bibianæ a prima uſque ſui conceſſione in eodem celebratum, ſtate ad diem 4. ejuſdem menſis fuit per particulare Decretum affixum. In utroque hujuſmodi, vel ſimili caſu ſequendus eſt uſus Romanus, & non dies natalitius Sancti, licet ex eo quod Patronus, aut Titularis ille ſit, ceſſet pro eo impedimentum, vel ratio illa, ob quam alteri diei fuit conſignatus, quinimmo tametſi penitus deſineret impedimentum ipſum, vel ratio factæ immutationis, puta per ſuppreſſionem feſti, vel officii impedientis, aut diſciplinæ olim rigide obſervatæ, adhuc Sanctus ille non deberet diei natalitio conſignari, ſeu reſtitui, quapropter licet ceſſaverit antiqua Eccleſiæ diſciplina non admittendi, vel ſaltem parce Sanctorum officia in Quadrageſimali tempore, vel circa feſtum Paſchæ, adhuc feſta, hanc ob cauſam in alteram diem immutata, ut SS. Jacobi Apoſtoli, Ambroſii Epiſcopi, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ &c., ſuo natalitio diei tradita, aut poſtmodum reddita non fuerunt, ſed adhuc in aſſignato retenta, & ſemper celebrata, etiam ubi dicti Sancti Patroni ſunt, vel Titulares: & reapſe ita faciendum eſſe Octavarium ipſum Romanum nos edocet, dum pro dictis diebus lectiones exarat dicendas infra octavam eorumdem Sanctorum, ubi ratione Patrocinii, vel Tituli Eccleſiarum eamdem ſibi vindicant.

VI. Diximus *per expreſſam Bullam, vel particulare Decretum*, quia non ita ſtricte loquendum eſſe arbitramur de Sanctis, qui ob ſuperveniens impedimentum perpetuum in natalitio die, vel altero, cui in ſui prima conceſſione, vel poſtmodum expreſſe fuerunt addicti, alterum diem a natalitio, vel proprio ſortiti ſunt in Kalendario Romano vigore generalium Decretorum immutationem Sanctorum perpetuo tranſlatorum, præſertim qui ſunt de Kalendario Romano, demandantium; cum enim

hi

hi aliquem ſaltem remotum reſpectum teneant ad propriam diem, cui ceſſante impedimento reſtitui debent, & aliunde conſtet de eorumdem immutationis cauſa; quæ haud militat pro iis locis, vel Eccleſiis, ubi dicti Sancti ratione patrocinii, vel tituli, aut quacumque alia de cauſa altiorem habent ritum, minus conveniens videtur, eoſdem extra proprium, & natalitium diem celebrari, ut in caſu S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ob impedimentum officii S. Gregorii VII. poſtmodum conceſſi ad diem 27. Maji perpetuo affixæ. In hoc itaque caſu crederem, quod ſi feſtum Patroni, aut Tituli eſſet primo inſtituendum, poſſet aſſignata ut ſupra dies aſſumi, ſecus vero ſi feſtum jam in poſſeſſione foret ſuæ propriæ, aut natalitiæ diei, licet & ſi hoc in eam dies ut ſupra aſſignata aſſumeretur, non foret res valde damnanda propter uniformitatem, quam ſtatim ingerit cum Eccleſia univerſali, quinimmo forſitan & eſſet laudabilis, ſi in die ut ſupra aſſignata in Eccleſia univerſali, vel in loco ſortitum fuiſſet ſpecialem celebritatem, vel ſolemnitatem, uti aliquibus in Sanctis aſſolet evenire.

VII. Hæc ſuppeditant nobis limitationes quaſdam, quas & pati videntur, quæ ſuperius dedimus de Sanctis alteri diei a natalitio per expreſſam Bullam, vel particulare Decretum aſſignatis in Breviario Romano. Prima eſt: Si particularis conceſſio cantet in conceſſa die celebrandum eſſe officium, tametſi in alteram in Breviarium Romanum poſtmodum illud invehi eveniret; hujuſmodi enim conceſſiones in nullo læduntur ab univerſalibus, ſi in his non habeatur expreſſa, & ſpecialis earumdem derogatio. Secunda, ſi conceſſio univerſalis particularibus Indultis parcere ſe explicet, ſunt ſiquidem hoc ipſo ab univerſali diſpoſitione excluſa, ac in exceptis poſita. Tertia, ſi conceſſio particularis ſit tempore poſterior ad univerſalem, cenſetur ſiquidem hoc ipſo id indulgere, tametſi aliter habeatur in Breviario Romano. Quarta, ſi aliter ferat legitima, ac laudabilis locorum conſuetudo, ut oſtendunt exempla S. Bartholomæi, & S. Margaritæ Virginis, & Martyris, quorum primus alicubi laudante ipſo Breviario Romano colitur die 25. Auguſti, & altera die 13. Julii, ut alibi videbimus; quando autem haberi cenſeatur hujuſmodi legitima conſuetudo, credimus habere debere radices præcedenter uſque ad Bullam Pii V. Quinta forſitan ſi feſtum in die antiquo peculiarem alicubi ſibi præſcripſerit ſolemnitatem, aut Populorum confluentium concurſum, & devotionem, quæ decrementum probabiliter pateretur, ſi ad diem alterum tranſlatum veniret. In omnibus enim hujuſmodi, & ſimilibus caſibus diem antiquum ab Eccleſiis teneri poſſe, & obſervari, veroſimile apparet.

VIII. Idem dicendum eſt de qualitate officii, quinimmo quoad hanc alias itidem fallentias addimus. Prima eſt in Sanctis indigenis, vel celebrioribus in locis, unde verb. gr. Ordo Eremitarum S. P. Auguſtini non debet ab officio proprio S. Joannis a S. Facundo ceſſare, ex eo quod dictum officium cum lectionibus II. nocturni, & oratione propria dumtaxat in Romanum Breviarium fuerit inductum; hujuſmodi enim propria conceduntur ad majorem feſti ſolemnitatem, cujus defectu ad univerſalem Eccleſiam non extenduntur. Nec par eſt ratio de officiis propriis SS. Nominum Jeſu, & B. Mariæ, quoniam hæc feſta non minus ad particulares, ac ad univerſalem attinent Eccleſias. Secunda forſitan eſt, ſi officium univerſali Eccleſiæ conceſſum ultra lectiones, & orationem, quæ non ſufficiunt ad conſtituendum officium proprium, nihil aliud proprium habeat. Ratio horum, & ſimilium eſt, quia in extenſione officii alicujus ad Eccleſiam univerſalem intenditur augeri, non minui cultus Sanctorum, ut ſtatim dicemus.

IX. Quæres, num Privilegiarii poſſint ſe tueri quoad retentionem ritus altioris ipſis particulariter indulti, vel competentis in vi Rubricarum, quoties ſe conformant cum Eccleſia univerſali quoad diem in celebratione eorum Sanctorum, qui ſub inferiori hujus fuerunt conceſſi? Sit exemplum: Dominium Venetum pollet indulto celebrandi verb. gr. S. Felicem a Cantalicio die 18. Maji ſub ritu duplici, extenditur hic ad Eccleſiam univerſalem ſub ritu duplici pro die 21., an poſſit a dicto Veneto Dominio memoratus S. Felix ſub ritu duplici celebrari, an vero debeat ſub ritu ſemiduplici una cum Eccleſia univerſali illum excolere?

X. ℞. A Privilegiariis retineri poſſe altiorem ritum, cum eoque excolere Sanctum in die in Breviario Romano aſſignata, tametſi hæc altera ſit ab ea, quæ a ſuo particulari Indulto fuerat conſtituta. Ratio autem eſt, quia Summi Pontifices, dum ad Eccleſiam univerſalem aliquod protendunt officium, intendunt non diminuere, ſed dilatare, ampliare, & augere cultum Sancti illius, atque adeo ubi idem Sanctus habet ritum ampliorem, ſeu altiorem vi particularis Indulti, vel Rubricarum, aut Decretorum ſibi competentem, eodem ſpoliari minime debet, ſed cum eodem celebrari, quia Legiſlatoris mens eſt attendenda, non verba. Unde ſicuti indubium eſt, quod ubi Sanctus aliquis verb. gr. Patronus, vel Titularis eſt, ritum ſibi competentem vi Rubricarum habere debet, tametſi in Breviarium Romanum ſub inferiori invehatur, nec illi ullatenus per univerſalem conceſſionem intelligitur derogatum, ita dicendum venit de Sancto, qui in loco vigore particularis Indulti altiori gaudet ritu. In hoc igitur caſu ritus ille altior cenſetur tranſlatus ad diem in Breviario Romano aſſignatam, in eaque eſt celebrandus Sanctus, perinde ac ſi pro ea die particulare Indultum latum foret, adeoque & cum octava, ſi hanc ex conceſſione haberet; unde Dominicani, quos ut ſupra vidimus a Guyeto laudatos, ad diem 5. & poſtea ad diem 4. Auguſti Inſtitutorem ſuum Sanctum Dominicum cum omnibus ſolemnitatibus tranſtulere.

XI. Quoniam vero eadem omnino, ut leviter conſideranti patebit, militat ratio, quoties a particularibus locis officium ad univerſalem extenditur Eccleſiam, ac quando extenditur ad univerſaliora loca, intra quorum confinia præcedens Indultarium ſitum eſt, ideo nec dubitamus pariformiter loquendum utique eſſe. Sit exemplum: S. Felix a Cantalicio ſub ritu duplici conceſſus fuit toti Dominio Veneto pro die 18. Maji, deinde pro die 21. ejuſdem menſis ſub ritu ſemiduplici ad totam Italiam cum lectionibus, oratione, & Miſſa propriis differentibus a præcedenter approbatis pro præfato Dominio extenſus fuit, hoc in caſu Dominium Venetum non amplius tueri ſe poteſt antiquo ſuo Indulto ad ſuſtinendam diem, & qualitatem officii, ſed debet cum reliquo Italiæ Clero ſe conformare, a ſimilibus enim ad ſimilia procedendum eſt, ac de aliis ſimilibus judicandum ex *l. non poſſunt*, *& l. nam ut ait ff. de legib.* Dominium enim Venetum eſt intra Italiam, adeoque comprehenſum in poſteriori Indulto, ab hocque adſtrictum, ſicuti particularia quælibet loca cenſentur teneri Indultis pro tota Eccleſia, vel Orbe emanatis, quia ſunt pars ipſius Eccleſiæ, & Orbis. Poteſt tamen dictum Dominium ſervare ritum duplicem ſibi particulariter indultum, & portio ea ejuſdem Dominii, quæ extra Italiam eſt, a tenore antiqui Privilegii non poteſt abſcedere, utpote cui poſterius non ſuffragatur. Et quidem cum officia aliqua ut ſupra extenduntur, ut plurimum aſſolent reddi caſtigatiora, & emendatiora, ut reipſa factum fuit in præfato officio S. Felicis, & in quampluribus aliis, de quibus alibi.

XII. Habes ex his, quid in ſimilibus dicendum veniat, ita ut ſi variatio fiat quoad diem, & qualitatem officii, ſequi debeat, ſi vero quoad ſolam diem, vel quoad ſolam officii qualitatem, non minus abdicato priori uſu inducta variatio debeat aſſumi, & conformitas cum cæteris ſervari.

XIII. Quoniam Feſtum SS. Nominis Jeſu, de quo impræſentiarum egimus, evenit alicubi ſibi octavam vindicare, nobis occaſio eſt, difficultatem quamdam obiter indicandi, quæ in Capite de octavis uberrimo veniet examinata calamo. Eſt autem, num dies octava ejuſdem SS. Nominis Jeſu, aliæque ſimiles, quæ de Chriſto Domino poſſent eſſe inſtitutæ, ut octava SS. Redemptoris in Dominio Veneto, in concurſu cum præcedenti, vel ſequenti duplici minori integras debeant habere Veſperas?

XIV. ℞. Affirmative; repetitis enim Decretis in memorato Capite de octavis late examinandis ſancitum eſt, dies quoſcumque octavæ B. M. integras habere veſperas in concurſu cum ſequenti, vel præcedenti duplici minori; quidni igitur & dies octavæ Chriſti Domini? Feſta Chriſti præferentiam habent relate ad Feſta B. Mariæ, & illius octavæ, utpote acceſſorium quoddam, quod ſequitur naturam ſui principalis, itidem ad hujus octavas; quomodo igitur excogitari unquam poterit, quod dies octavæ Chriſti præferentiam non debeant habere ſuper omnibus illis, quibus præferuntur dies octavæ B. Mariæ?

XV. Falleret utique hæc noſtra argumentatio, quoties præferentia, qua gaudent dies octavæ Deiparæ, iiſdem ex privilegio facta extitiſſet; aſt, ut ſuo loco ponderabimus, res haudquaquam ita ſe habet; non enim iiſdem præferentia per particulare aliquod privilegium fuit conceſſa, ſed per dicta Decreta declaratum ſolum extitit, eamdem illis competere vi Rubricarum, & præſertim *de concur. numer. 2. verſ. Inter feſta*, ubi affirmatur: *Inter feſta æqualis ſolemnitatis ſervetur hic ordo, ut feſta Domini præferantur omnibus aliis, & habeant utraſque veſperas integras, ſicuti feſta Beatæ Mariæ, feſtis Sanctorum*; quod autem de feſtis Rubricæ diſponunt, & ratione dignitatis iiſdem elargiuntur, proculdubio & de eorumdem diebus octavis procedit, non tantum quia hæ feſtorum, quorum ſunt, naturam ſapiunt, & ſequuntur, ſed etiam quia inſtar feſtorum ſe habent, & ritu feſtivo peraguntur. Si igitur dies octavæ B. Mariæ inſtar feſtorum præferentiam ſortiuntur relate ad feſta Sanctorum, cur non etiam dies octavæ Chriſti, cujus feſta per eaſdem Rubricas ſuper omnibus feſtis præferentiæ privilegio donantur? Idem autem dicendum venit de diebus octavis Angelorum, & Apoſtolorum, quoniam ſubdit præfata Rubrica: *Item feſta Angelorum, & Apoſtolorum, cæteris aliis.* An autem idipſum ſentiendum veniat de diebus octavis illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Eccleſiis ſolemniter celebrantur, non credimus propter ea, quæ in memorato Capite proferentur, ubi potiores horum omnium rationes dare reſervamus, & argumenta, quæ in contrarium facere queunt, aperte diſſolvere.

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM.

Numeri paginas notant. Ubi habetur &c., deſignat, etiam in ſequentibus paginis de re notata ſermonem haberi.

A

Abbas cum Territorio.

EST vere Ordinarius loci. pag. 15
Poteſt ſtatuere diem recenſendæ conſecrationis, dum ille ignoratur. ibid.
Vide V. *Epiſcopus*. V. *Epiſcopus quoad officium*. V. *Ordinarii locorum*.

Abbatiales Eccleſiæ.

Eo quod adſint in loco, non poteſt per locum ipſum de earundem Titulari celebrari. 44
Nequa de earundem Dedicatione. 14
Limita, niſi Cathedralis inſtar ſe habeant. 14. 45
Dici valent *Tituli*, & quæ. 40

Adventus.

Cur in eo rariora ſint Indicta feſta. 138
Reſpuit officia votiva. ibid.
A die XVII. Decembris non admittit octavas. ibid.
In Officiis Sanctorum non recuſat nonam legi lectionem de ſimplici occurrente. 140
In dies, in quibus occurrit, vel occurrere valet, non poteſt differri immutatio Sanctorum, ut in præcedentibus locus fiat officiis votivis. 182
Fallit hoc tamen, ſi officia votiva apud aliquos forent in præcepto. 187
An ſufficientem præbeat cauſam immutandi anniverſarium Dedicationis tunc temporis actæ. 3
Ejuſdem feriæ præferentiam habent ſuper feſtum per accidens ſimplex. 140

Equinoctium.

Æquinoctium vernum ad XII. Kalendas Aprilis a Concilio Nicæno fuit conſtitutum. 184
Tractu temporis decem circiter diebus a ſua ſede cur præcedendo receſſerat. ibid.
A Gregorio XIII. ſuæ ſedi quomodo fuerit reſtitutum. ibid.
Ut idem error in poſterum vitaretur, quid idem Gregorius ſtatuerit. ibid.
Attamen adhuc tractu plurium ſæculorum poſſet ſuam ſedem præcedendo mutare. 185
Creditur mundus diſſoluturus, antequam hoc malum eveniat. ibid.

Affinitas, vel Conſanguinitas.

Quæ requiratur ad conſtituendos Sanctos per ſe junctos, & ex natura rei. 131
Affinitas, quæ intercedit inter Religioſos ejuſdem inſtituti, aut inter confeſſorem, & pœnitentem, vera non eſt, ſed ſpiritualis. ib.
Quæ exoritur ex Sacramentis Baptiſmi, aut Confirmationis, vel ex adoptione, item vero non eſt, ſed ex ſola juris fictione. ibid.

Alma Redemptoris.

Hujus Antiphonæ recitatio protrahenda non eſt, quoties transfertur feſtum Purificationis B. Mariæ. 185. 186
Neque ubi hoc habet octavam. 186

Altare.

Duplex, & quodnam Titulum habeat. 49
Ejus Titulus an, quo ritu, & quando colendus. ibid.
Miſſa in hujus die feſto an, quando, & quomodo celebranda. 48. 49
Ejuſdem Dedicatio antiquitus celebrari ſolita. 15
Nunc cum ſola miſſa in die, non autem annuatim colenda. ib. &c.
Priſcus uſus illud contegendi caprarum pellibus, & cur. 47

Animæ Purgatorii.

Sub earundem titulo fundari non poſſunt Eccleſiæ. 62
Quid ſit ſentiendum de titulo Eccleſiarum in memoriam Defunctorum erectarum. ibid.
In eo ſtatu non ſunt, cui honor, cultuſque publicus tribuatur. ibid. &c.

Anniverſarium conſecrationis Papæ, vel Epiſcopi.

An de eo eſſe debeant miſſæ privatæ. 8
Quibus diebus vetita ſit etiam miſſa ſolemnis. ibid.
An tunc collecta de eodem dici debeat, & a quibus, & quomodo. ibid.
Sententia Auctoris. ibid.

Anniverſarium Dedicationis.

In lege uſque veteri ſolemniter per dies octo celebratum. 2
In alteram diem mutari poteſt a conſecratore in actu conſecrationis. ibid.
Quibus de cauſis. 3. ibid.
Inſtar ſe habet diei natalitiæ. ibid.
Quando mutari expediat. ibid.
Celebrari poteſt inſtar feſti mobilis, & immobilis. 3. 4. 10
Ut celebretur inſtar feſti mobilis, requiritur Decretum Epiſcopi. 4
An queat ſtate celebrari in Dominica, & in qua. ibid.
Cur alicubi celebretur in die Dominica. ibid.
Etiam in lege nova cum octava celebrandum. ibid.
Etiam quando immutatur, & cur. ibid.
Extra actum conſecrationis amplius mutari non poteſt. 8
In caſu aſſignationis illicite factæ, qua die recolendum. 9
Extra actum conſecrationis, ſi dies ejuſdem eſt minus commoda, pro translatione conſulenda Sedes Apoſtolica. 8
Quæ cauſæ ad rem hanc adduci queant. ibid.
Si conſecrator non eligit diem, quo die celebrandum, dum Eccleſia primo conſecratur. 9
Quid ſi conſuetudo diem determinavit mobilem, vel immobilem, in qua contingit conſecratio. ibid. &c.
Quid ſi aliam diem. 10
Quid in caſu ſecundæ conſecrationis. ibid.
Quid ſi anniverſarium antiquæ prius fuit omiſſum. ibid.
Quid ſi intermiſſum, & poſtea reaſſumptum. 11
Si conſtet de conſecratione, & ignoretur dies, ab Ordinario poteſt hic deſignari. 12. &c.

Anniverſarium Defunctorum.

Si ſolemniter celebretur, impedit immutationem feſtorum duplicium 1., vel 2. claſſis, non tamen inferioris ritus in die, in quam incidit. 182
Secus eſt de Anniverſario ſine ſolemnitate celebrari conſueto. ibid.
In repoſitione translatorum nulla eſt habenda ratio Anniverſariorum. ibid.

Antiphonæ.

Quoties eadem antiphona in eadem parte officii bis dici deberet, & pro eo, de quo fit officium, & pro eo, de quo fit commemoratio, variãda eſt. 30
Antiphona variata dicitur pro eo, de quo fit commemoratio. ibid.
Quoties Antiphonæ propriæ inductæ ſunt in officium plurium cauſa unitis, in hujus officio dumtaxat legi debent, ſi Sancti dividantur, depromptæ de communi in officio alterius. 133
Si omnium loitu, in utriuſque feſto ſunt legendæ. ibid.
Quoties aliquæ Antiphonæ propriæ vacarent, omittendæ ſunt potius aliæ de communi, & harum loco illæ recitandæ. 190. 191

Antiquitas major.

Unius feſti præ alio præferentiam non præſtat in concurrentia. 75
Neque in repoſitione. ibid.
Utique tamen in occurrentia, & quando. ibid. &c.
Major antiquitas in electione præcedentiam tribuit etiam Patronis locorum, & in quibus. 76. &c.
In Beatis canonizandis, dum ſunt ejuſdem ordinis hierarchici, præferendus eſt dies mortis. 76

Annunciatio B. Mariæ.

Subit accidentariam Immutationem, quanam in die, & quando. 184
In caſu accidentariæ immutationis ſecum fert forum, & octavam, ubi hanc habet. 183
Unde in caſu ſumendæ forent lectiones 3. nocturni. 184
Cur in Quadrageſima, & adhoc tempore paſſionis celebretur, etſi ad tale tempus aliquam incongruitatem teneat. 179
Titularis eſt Eccleſiarum ſub nomine *Matris Domini* erectarum. 59
Sufficientem dat cauſam alteri diei conſignandi anniverſarium Dedicationis in ea peractæ. 3

Annus.

Ex quot diebus, & horis conſtet annus regularis. 184
Quartus quiſque annus biſſextus eſt. ibid.
Annus biſſextus habet unum diem in menſe Februario ſupra annum regularem. ibid.
Qua de cauſa hic dies additus ſit Februario. ibid.
Dies, qui additur, non eſt XXIX., ſed XXIV. ejuſdem menſis. 185
Dies XXIV., & XXV. in anno biſſextili pro uno die reputantur. ibid.
Cur annus, & menſis præfatus dicatur intercalaris, & biſſextus. ibid.
Ab anno MDLXXXII. decem dies dempti fuere, & cur. 184
In centeſimis quartus quiſque ſolum biſſextus eſt. ibid.
Feſtum S. Matthiæ, etſi in anno biſſextili celebretur die XXV., adhuc celebratur eodem die, ac in anno regulari. 185
Methodus computandi iu anno biſſextili poſtremos Februarii dies, & celebrandi feſta tunc temporis occurrentia. ibid.
Ordo tenendus pro anno biſſextili in annunciatione Martyrologii. ibid.
Regula ad dignoſcendum annum intercxlarem. ibid.
Qui ſit natalis dies Sancti, qui in die biſſexti obiit. 189
Quo die in anno intercalari ſit hic recolendus. ibid.
Sanctorum occurrentium a die XVII. ad XXIII. Februarii octava in anno biſſextili per novem eſt continuanda dies. 185
Cur facta, & qualis ſit anni correctio. 184. 185

Apoſtoli.

Quot ſint, & quanta eorum dignitas. 94
Apoſtoli nomen pluribus aliis attributum, & quibus. ibid.
Nullus tamen ex his obtinuit in Breyiario Romano Apoſtolorum officium. 95

N Nos

Nec expedit, quod iiſdem concedatur. *ibid.*
De quibus ſolummodo quæſtio exurgere valeat. *ibid.*
Non deſunt tamen aliqui in particularibus locis Apoſtolorum cultu, & officio honorati. *ibid.*
An iſtis in concurſu præferentia debeatur. *ibid.*
In ipſo Eccleſiæ exordio in communi omnium conſenſu cultus Apoſtolis de'at - eſt. 61. 62
Feſta Apoſtolorum in occurſu, & concurſu in paritate ritus ſunt omnibus, licet in propria Eccleſia celebratis, præferenda, ſolumque cedunt iis Domini, Deiparæ, Angelorum, & Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. 27. &c.
Eorundem dies octava gaudet itidem ejuſdem præferentiæ privilegio. 187
Sub nomine omnium Apoſtolorum poſſunt dicari, & plures ſunt dicatæ Eccleſiæ. 63
Qualis tunc ſit earundem Titulus, & qua die colendus. *ibid.*
Fuerunt Clerici Regulares, non Sæculares. 176
An eorumdem natalitia, & quorum, dent cauſam alteri diei aſſignandi anniverſarium Dedicationis in eiſdem peractæ. 3

Appaririones, & Prodigia.

Recenſentur nonnullæ a Chriſto, ejuſdemva SS. Matre peractæ. 57. 114
Ubi evenem, in memoriam earumdem ſine ſpeciali indulto officium fieri nequit. 114
Facilis eſt Sedes Apoſtolica in conceſſione hujuſmodi officiorum. *ibid.*
Sunt unum ex capitibus, ſub quibus Beatæ Mariæ dicatæ reperiontur Eccleſiæ. 57
In hoc caſu peculiaris feſtivitas ſine ſpeciali indulto inſtitui valet. 60
Unde officium ſit deſumendum. *ibid.*
An in officio fieri queat appatitionum, vel prodigiorum memoria. *ibid.* & 114
Quo die ſit officiam recitandum. 65

Archiepiſcopus.

Quam juriſdictionem habeat in Provinciam. 24
Dum viſitat Provinciam, daquibus officiis locorum queat recitare. 55

Ave Regina Cælorum.

Non transfertur, ſed adhuc ponitur die 2. Februarii, etſi transferatur feſtum Purificationis. 186
Adhuc ubi Purificatio habet octavam. *ibid.*

B

Baſilica Lateranenſit.

VAria ejus nomina. 30
Cur dicta *Lateranenſis*. *ibid.*
Cur *Conſtantiniana*. *ibid.*
Cur SS. *Salvatoris*. *ibid.*
Cur S. *Joannis*. *ibid.*
A S. Silveſtro Papa die ix. Novembris primitus conſecrata. *ibid.*
Cum fuiſſet reparata, a Benedicto XIII. die 28. Aprilis iterum conſecratur. *ibid.*
Ejuſdem Dedicatio adhuc die ix. Novembris celebrari indicta. *ibid.*
Recenſentur ejus laudes. *ibid.*
Cur per totum orbem exculta. *ibid.*
Cur minori ritu, ac in Urbe. *ibid.*
Ejuſdem Dedicatio tanquam Eccleſiæ Cathedralis, a Clero Sæculari per Urbem, & diſtrictum celebranda. 31
A Regularibus quomodo. *ibid.*
A Sæculari, & Regulari Clero, ſi quis foret extra diſtrictum, quo ritu colenda. *ibid.*
Extra Urbem dividit veſperas cum duplici minori. *ibid.*
Etiam cum octava omnium Sanctorum. *ibid.*
Quod præfefert de SS. Salvatore, ad Titulum ſpectat. *ibid.*
In ejuſdem Dedicatione non colitur & Titolus. *ibid.*
Quinam ſit ejus Titulus. *ibid.*
Etiam Titulus ſub ritu duplici 1. claſſis, & cum octava debet per Urbem, & diſtrictum celebrari. *ibid.*
Dum indicta fuit ejus Dedicatio ut Cathedralis, indictum fuit & feſtum Tituli. 32
Cur forſitan, licet perperam, feſtum tituli nihilominus non fuerit invectum. *ibid.*
In occurſo, vel concurſo cum una, vel pluribus aliis Dedicationibus, ſeu earundem octavis, quomodo in orationibus ſit inducenda varietas. *ibid.*
Sub una antiphona ſuffragium facit de SS. Salvatore, & utroque Joanne. 91
Feſta perpetuo tranſlata in ſtatam diem in priſcum uſum habet immutare. 173
Verba, quæ addi debent in fine ſextæ lectionis ejuſdem. 30

Baſilica SS. Petri, & Pauli.

Cur celebretur ejuſdem Dedicatio in Eccleſia univerſali. 32
Cur Romæ non altiori ritu, quam alibi. *ibid.*
Quod præfefert de Apoſtolica dignitate, ad Titulum ſpectat. *ibid.*
Veſperas ſecat cum duplici minori. *ibid.*
In occurſu, & concurſu cum una, vel pluribus Dedicationibus, vel earundem octavis, quomodo in orationibus varietas inducenda. 13
Laudatur Epigraphis in fronte ejuſdem poſita. 44
Non probatur ejus conſuetudo officium agendi de S. Blaſio ob hujus Eccleſiam cum emolumentis ei unitam. 49
Secundo conſecrata fuit ab Urbano VIII. eodem die, quo primum a S. Silveſtro fuit dedicata. 20

Beati.

Etſi titulo Sanctorum alicubi exculti, in Titulares Eccleſiarum aſſumi non poſſunt. 44
Ubi autem forent aſſumpti, cum officio coli deberent. *ibid.*
Imo de novo officium eſt inducendum, vel reſtaurandum, ſi nunquam recitatum, aut intermiſſum fuiſſet. *ibid.*
Quinam ex iiſdem legitime valeant aſſumi. *ibid.*
Ante Decretum MDCXXX. in Patronos locorum eligebantur, & confirmabantur. 65
Poſt dictum Decretum eoſdem eligi vetitum eſt. *ibid.*
Cur tali jure potuerint expoliari. 101
Stant electiones precedenter ad dictum Decretum factæ. 65
Etiam poſtmodum nonnullæ particolares conceſſiones factæ fuerunt. *ibid.*
Variæ Beatorum claſſes. *ibid.* &c.
Quinam ax iiſdem in Patronos aſſumi queant. *ibid.*
Quandoque, & cur in Martyrologio nomine *Sanctorum* deſcripti. 67. &c.
Quæ deſcriptio non vetat, eoſdem poſſe canonizari. *ibid.*
Eorundem cultus extendi non poteſt de loco ad locum, nec de perſona ad perſonam, nec de iiſdem celabrari poteſt officium aut miſſa, niſi ab iis, quibus hoc eſt ſpecialiter indultum. 42. 119. &c.
Idipſum eſt de officio publice in Eccleſiis decantando, licet non pro ſatisfactione præcepti. 43. 119. &c.
Poteſt tamen privatim tale officium de iiſdem recitari. 43. 119. &c.
Immo nonnunquam & publice, & pro ſatisfactione præcepti, & quando. 43. 119. &c.
Conceſſo officio de iiſdem in aliqua Eccleſia recitari, poteſt etiam extra ipſam recitari, & a quibus. 120
Non tamen miſſæ, & cur. *ibid.*
Tam officium tamen, quam miſſa in Eccleſiis adnexis indultariæ queunt adhuc celebrari. 43
Miſſæ votivæ de iiſdem omnino dici vetitæ ſunt, ſi ſpeciale non habeatur indultum. 42
Quibus in caſibus, & locis, & a quibus perſonis adhuc dici valeant. *ibid.*
In publicis precibus invocari non poſſunt, & in quibuſcumque eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis privatis, recitandis, eorundem ſuffragia apponi non valent. 43

Beati Titulus.

Tribuitur aliquibus Dei Servis, licet non beatificatis. 66
Nec id reprobatur a Congregatione. *ibid.*
In Collectis communiter tribuitur Sanctis canonizatis, & in quo ſenſu. 67
Nonnunquam idipſum præſtatur in Martyrologio Romano. *ibid.*
Per hoc tamen haud minuitur cultus eorumdem. *ibid.* & 103

Beatificati beatificatione æquipolienti.

Sunt, qui poſt Alexandrum III. cultum obtinuere, & huic per Decreta Urbani VIII. nullum præjudicium fuit illatum. 41. &c.
Quinam hi ſint, quorum cultui dictus Urbanus præjudicatum non voluit. *ibid.* &c.
Ut de his concedatur officium, aut miſſa, requiritur probata immemorabilis quoad cultum cum miſſa, & officio. *ibid.*
Quomodo ſit id intelligendum. *ibid.*
Ex gratia particularibus circumſtantiis innixa de iiſdem pluries conceſſum fuit officium, licet non probaretur dicta immemorabilis conſuetudo. *ibid.* &c.
Quæ ſint, & eſſe poſſint hujuſmodi circumſtantiæ. *ibid.*

Benedictio Eccleſiarum.

Quid ſit, quiſque ejus miniſter. 2
Sufficiens eſt, ut in Eccleſiis miſſa celebretur. 5. 47
Cur adhibeatur Eccleſiis pollutis. 2
Ejus Anniverſarium non celebrandum. 12. 47
Cur non fuerit inſtitutum. 12. 47
Eccleſiis jam conſecratis, ſed pollutis reſtituit celebrationem anniverſarii Dedicationis. 12
Eccleſiarum ſolum benedictarum Titolus poteſt cum officio coli. 46
An etiam benedicto tantum loco, & impoſito primo lapide Eccleſiæ conſtruendæ. *ibid.*

Beneficiarius.

Quando, quo ritu, & quem Titularem ſui beneficii excolere debeat. 49. &c.
Habens plura beneficia tenetur ad Dedicationem, & Titularem ſingulorum, & quando. 51
Limita id, ſi choro alicujus Eccleſiæ ſit obſtrictus. *ibid.*
Num licet choro ut ſupra adſtrictus id poſſit, dum præſens eſt feſto. *ibid.* & 55
In occurrentia plurium Titulorum, vel Dedicationum quid præſtet. 54
Cujus Eccleſiæ morem ſequatur, ſi in pluribus habeat beneficia. *ib.*
An ultra feſta principalia teneatur ad Officia Reliquiarum. *ibid.* &c.
Non tenetur quotidie ſub gravi ad horas canonicas, quando beneficium eſt tenue. 168. &c.

Beneficiarius quoad ſuffragia Titularium.

Qui plures habet beneficiorum, vel Eccleſiarum Titulos, de omnibus juxta Gavantum debet ſuffragium facere. 91
Juxta Bonacinam, qui dicta ſuffragia omitteret, lethaliter peccaret, & quando. 94
Bonacinæ ſententia merito a Gavanto rejicitur. *ibid.*
Juxta Bonacinam poteſt omnibus Titulis per paucas commemorationes ſatisfacere. *ibid.*
Juxta Guyetum ad unum tantum ſuffragium tenetur, & cur. *ibid.*
Approbatur Guyeti opinio, ſed non ejuſdem ratio. *ibid.*
Cujuſnam Titularis ſuffragium agere debeat. *ibid.*

Beneficium.

Inconſonanter loquuntur Gavantus, & Guyetus de cultu Tituli ejuſdem. 49. &c.
Quid reipſa ſentiendum veniat. *ibid.* &c.
Pereunte ædificio, & cenſu, perit cultus Tituli. *ibid.*
Indem ſi pereat ſolum ædificium. *ibid.*
Quid ſi beneficium transferatur. 50
Quoties plura beneficia ſunt unita, ad ſingulorum Dedicationes, & Titulares tenetur Beneficiarius, & quando. 57
Beneficium integre commendatum itidem ut ſupra obligat. *ibid.*
Secus ſi ſit commendatum quoad ſola ſervitia exteriora. *ibid.*
Unum beneficium non poteſt duos obligare. 52
In jure canonico dicitur *Titulus*, & cur. 39

Habens plura beneficia, quorum Eccleſiam cenſere poſſit, vel debeat digniorem. 54

Bergomenſis Civitas.

Proponitur quidam caſus contingens in Eccleſia S. Andreæ Civitatis prælatæ pro Sancto Domnone, & reſolvitur negative. 119
Ultra diem XXVIII. Januarii in ejuſdem Kalendario relinquenda eſt vacua altera dies pro repoſitione feſti SS. Nominis Jeſu, quæ, & cur. 180
Monitum quoddam feſtum Cathedrali ejuſdem pro ſuffragio, quod eddit de SS. Joanne, Projectitio &c. 93

Breviarium Romanum.

Eidem nihil eddi poteſt, eut detrahi, vel aliquid in eo mutari, aut miſceri ex devotione, vel privata authoritate. 91
Idipſum eſt de iis, quæ integrant officia cujuſvis diei. ibid.

Bulla Pii V.

Quo tempore edita fuerit. 160
Quid in eadem fuerit ſtatutum. 156
Officia ante eandem invecta in valido ſunt ſtatu. 23. 72 120
Secus quæ poſtmodum, licet pluſquam centenaria fulcirentur conſuetudine. 23

C

Canonicus Coadjutor.

NOn eſt vere canonicus. 50
Non poteſt inſervire Epiſcopo ſolemniter celebranti, vel divinis interaſſenti. ibid.
Extra ſuam Eccleſiam, & ſine capitulo nullam habet prærogativam. ibid.
Non habet beneficium in re, ſed ſolum in ſpe. ibid.
Non habet vocem in capitulo, nec ſedem in choro præſente coadjuto. ibid.
Imo his præſentibus nec poſſunt functionibus intervenire in habitu canonicali. ibid.
Non eximit coadjutum ab onere officii divini. ibid. &c.
Bene vero a ſervitio chori. 53
Ex vi coadjutoriæ non tenetur ad officium divinum. ibid.
Nec ad officia propriæ Eccleſiæ, in qua eſt coadjutor. ibid.
In choro ad utrumque tenetur. ibid.
Etiam extra chorum, ſi ex alio titulo teneatur ad officium divinum. ibid.
Non poteſt officium facere de Titulari Præbendæ canonicatus. 50

Canonicus Coadjutus.

Eſt vere canonicus, & beneficiarius. 52
Per coadjutorem non liberatur ab onere officii divini. ibid. &c.
Bene vero ab aſſiſtentia chori. 53
Tenetur ad officia particularia propriæ Eccleſiæ. ibid.
Non poteſt officium facere de Titulari Præbendæ ſui canonicatus. 50

Canonizatio Sanctorum.

Ab Alexandro III. Sedi Apoſtolicæ reſervata, & qua occaſione. 40
Quo pacto priſcis Eccleſiæ temporibus fiebat. ibid.
A Concilio generali agi non valet. ibid.
Conceſſio officii de aliquo Dei ſervo pro Eccleſia univerſali, reddit eum canonizatum canonizatione æquipollenti. 66
Secus vero, ſi conceſſum ſit ſolum pro aliquibus locis. ibid.
Quinam Ordo ſervendus in Beatorum canonizatione. 76

Capella.

Quid ſecundum prophanum ſenſum. 47
Sic nuncupabilis omnis Eccleſia. ibid.
Sic dicta etiam ſacrorum ſolemnia. ibid.
Quid rectius ſignificet. ibid.
Ejus Ethymon. ibid.
Qualis ſit modo ejuſdem acceptio. ibid.
Si ſtet pro oratoriis privatæ domus, non colit Titulum. ibid.
Idem dicendum eſt, ſi accipiatur pro oratoriis publicis, in quibus non celebratur Miſſa. ibid.
Si pro capellis, in quibus celebratur, colendus eſt Titulus cum officio, & Miſſa, & a quibus. ibid.
Si pro Tempellis, oratoriis, & Eccleſiolis, quas clerus ſecularis, vel regularis habet in prædiis, itidem. 48
Adhuc, ſi pro capellis, quas intra clauſtra habent regulares. ibid.
Si pro æde minori ſacra a majori ex toto ſeparata etiam. ibid.
An titulus capellæ, quæ eſt pars Eccleſiæ, ſit celebrandus, quæſtio problematica. ibid.
Auctoris ſententia negative. ibid.
Quarum iſtarum capellarum, cum more Eccleſiarum conſecratæ ſunt, dedicatio, & quo ritu, & a quibus celebrari valeat. 19

Capellani.

Unde ſic dicti. 47
An, & qui poſſint recitare de feſtis primariis Eccleſiarum, in quibus ſunt capellani. 54

Capenum.

Quid ſit. 47
Hinc nomen capellæ derivare crediderunt nonnulli, & cur. ibid.

Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Denominantur ab Eccleſiis, quibus ſunt præfecti. 40
Nomine ſuæ Eccleſiæ debent ſe ſubſcribere. ibid.
Eccleſiæ, quibus ſunt præfecti, dicuntur *Tituli*. ibid.
Olim Monaſteriis Monialium nunquam præficiebantur. ibid.
Nunc aliquibus, & cur. ibid.

Carolus Magnus.

Licet ab Antipapa canonizatus, ſanctorum cultum in Eccleſia videtur habere. 66

Catacumbæ.

Quæ loca ſint, & an in eis ſepulta ſint ſolum corpora ſanctorum. 121
Sunt tumulus innumerorum martyrum ut plurimum ſine nomine, bene vero cum ſignis martyrii. ibid.
Quæ ſint hujuſmodi ſigna. ibid.

Cathedra S. Petri.

Eſſe poteſt Titulus Eccleſiarum. 60
Si Antiochena foret Titulus, in anno biſſextili per novem dies durat ejuſdem octava. 187
In eadem non inſpicienda eſt ratio Apoſtoli, ſed Pontificis. 95

Cathedrales Unitæ.

Earum conditio, & caracter. 18
Unius feſta, adhuc primaria, ad alteram non extenduntur. ibid.
Epiſcopus tenetur ad utriuſque feſta primaria. ibid.

Chriſmata.

Peculiarie chariſmata ſancti plurimi a Deo recepere. 111
Reddunt partem, in qua recepta fuere, inſignem, & ſufficientam ad invehendum officium. ibid.
Pro Eccleſia tamen ſolummodo, in qua cuſtodiuntur, non extra eam. ibid.
Sufficit feſtum de Breviario, ſi jam in eo habeatur de ſanctis ipſis inſtiturum. ibid.
Si non habeatur, qua die ſit inſtituendum. 112

Chriſtus.

Dedicationis feſtum præſentia ſua honoravit. 16
Conſecravit Eccleſiam Dionyſianam. 19
Ejuſdem Reliquiæ, quæ etiam ad Virginem Matrem ſpectant. 61
Hujus Reliquiæ, omnes ſunt inſignes, ſpeciali nota, & cultu dignæ, ſpeciale inducunt feſtum, quale, & quando. 113. &c.
Ut ejuſdem feſta, ita dies octavæ in paritate ritus ſuper omnibus præferendæ. 186
Etſi ſit communis noſtrum advocatus, ſpecialis Patronus eſſe poteſt. 38
In Patronum Eccleſiarum valet aſſumi. ibid.
Quo pacto ſit intelligenda quædam reſolutio, quæ in oppoſitum facere videtur. ibid.
Eccleſiarum Titulum nemo illi contendit. ibid.
Eccleſiarum ſub Myſteriis, vel Reliquiis ad eundem attinentibus dicatarum quinam ſit Titulus, & Patronus. ibid.
Vide V. *Inſtrumenta Dominicæ Paſſionis*. V. *Spinæ de Corona Domini*.

Civitas.

Civitatis appellatione veniunt pars eidem adjecta, atque ſuburbia. 14
Larga in ſignificatione, & in favorabilibus quandoque etiam Territorium. 14. 69
Quid vera ſit. 79

Clerici.

Alicui Eccleſiæ debent adſcribi. 20
Alias Eccleſiæ Parochiali cenſentur addicti, & in ea ad divina officia debent convenire, & quando. ibid.
In quo ſenſu dicantur filii Eccleſiæ Parochialis. 22
Memorata adſcriptio ſufficiens haud eſt, ut de Parochialis officiis valeant recitare. ibid. &c.
An intereſſentes Veſperis in Parochiali debeant illas iterato dicere, cum ſunt difformes a proprio officio. 25. 53
Clericatus prior fuit in regularibus. 70
Clericorum ſæcularium ſtatus eſt minus perfectus ſtatu religioſorum. ibid.
In primitiva Eccleſie nihil proprii habebant. ibid.
Non tenent figuram, nec locum Apoſtolorum. ibid.
Participant de Laicis. 77
Minoribus, quam Religioſi, gaudent privilegiis. ibid.

Clerus.

Cleri appellatione veniunt etiam Regulares, & quando. 70. 159
Etiam novitii, & debilis ſexus. 159
Aliquando adhuc in odioſis. 160
Quis cenſeatur clerus alicujus Eccleſiæ ad effectum agendi de ejuſdem feſtis. 24
Ut talis ſit, non expoſcitur habitatio intra limites juriſdictionis ejuſdem. ibid.
Tenetur ad officia propriæ Eccleſiæ, etſi extra Diœceſim commoretur. ibid. &c.
Præcedentia clero Regulari ſuper ſæculari de jure deberetur. 76
Quæ præcedentiæ methodus ſervanda ſit inter ſanctos de clero Regulari, & ſæculari. ibid.

Coadjutor Epiſcopi.

Non eſt ſimul cum coadjuto Epiſcopus quoad beneficium. 52
Poteſt eſſe ex Papæ diſpenſatione. ibid.
Tenetur ad officia particularia Eccleſiæ, in qua eſt coadjutor. 53

Coadjutor Parochi.

Si coadjutor eſt quoad ſola publica Eccleſiæ ſervitia, ex hoc non tenetur ad officium divinum, nec de officiis propriis Eccleſiæ valet recitare. 52
Hæc tamen recitans in choro, ſatisfacit præcepto. 53
Qui a legitimis ſuperioribus datur Parocho ſeni, vel ægroto, ad utrumque tenetur. 52

Coadjutor quoad Chorum.

Non liberat coadjutum ab onere officii divini. 53
Bene vero ab aſſiſtentia chori. ibid.
Ex vi coadjutoriæ non tenetur ad officium divinum, nec ad officia particularia chori. ibid.
Niſi quatenus recitat in choro. ibid.

Si aliunde teneatur ad officium divinum, etiam extra chorum teneatur ad officia chori. ibid.

Coadjutus quoad Chorum.

Conſervat obligationem officii divini, ſi eam habeat. 53
Liberatur ab onere chori. ibid.
Tenetur ad officia chori. ibid.

Collecta.

An, quoties, a quibus, & quomodo de feſto transferendo addi queat collecta in Miſſa diei. 7. &c.
Quoties anniverſarium conſecrationis Papæ, vel Epiſcopi impeditur, quid circa collectam de eodem ſentiendum ſit. ibid. &c.

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

Refugit immutationem feſtorum duplicium I., vel II. claſſis faciendam in die II., vel III. Novembris. 182
Non tamen duplicis majoris, aut minoris. ibid.
In caſu meræ translationis habenda eſt ratio ejuſdem pro repoſitione translatorum. 183
Hæc omnia æque militant de commemoratione omnium Defunctorum alicujus Religionis, vel communitatis pro ſuis reſpective diebus. ibid.
Dat ſufficientem cauſam ſtatuendi aliam diem pro anniverſario conſecrationis. 3

Commendatarii.

Ii quibus beneficium eſt integre commendatum, tenentur ad officium divinum, & ad officia particularia beneficii. 51. &c.
Secus, ſi non ſit integre commiſſum. ibid. &c.
Idem de iis, quibus cura alicujus Eccleſiæ quoad ſpiritualia committitur. 52

Commune Sanctorum.

Quale ſit uſurpandum, dum Sancti ſimul juncti ad diverſum attinent ordinem. 132
Quale, quoties ſeparantur a Sociis. ibid. &c.
Quomodo ſint intelligenda plurima, quæ habentur in communi plurimorum martyrum. ibid.
Cum de pluribus ſit officium, non mutantur, quæ habentur in numero ſingulari, nec e contra. ibid.
Quidquid proprii deeſt, ex reſpectivo communi ſupplendum. 135. 136
An, & quoties de communi I., vel II. loco. 137
Cum ex communi ſupplentur lectiones II. Nocturni, quo ordine ſint diſtribuendæ. 136
Quoties alias perirent propria, omittuntur ea, quæ ſunt de communi. 190. &c.

Conceptio B. Mariæ.

Congruam dat cauſam ſtatuendi aliam diem pro anniverſario Dedicationis in ea peractæ. 3
Ejuſdem feſtum aptum haud eſt ad recolendum titulum Eccleſiarum B. Mariæ ſimpliciter dicatarum. 50
Apud nos cur ſit ſolemnior Mariæ Nativitas. ibid.

Conceſſiones Univerſales.

Harum appellatione quæ veniant, & in quo diſcrimen habeant a particularibus. 189
Quæ univerſales dici queant in lata ſignificatione. ibid.
Ceſſant conceſſiones particulares quoad qualitatem officii, & quoad diem celebrationis ejuſdem, quoties idem officium ad univerſalem extenditur Eccleſiam. 189. 190
Vide V. *Officia Univerſalia*.

Concurrentia.

Quæ feſta, & quo ordine præferentiam habeant in concurſu. 27. &c.
Quibus ſint præferenda feſta, quæ ſolemniter in propriis locis celebrantur. ibid. &c.
Feſta, quæ in concurſu præferuntur, multo magis in occurſu. ibid.
Si unum feſtum alio ſolemnius celebretur, eſt quoque præferendum. 29. &c.
Quoties æqualis eſt ſolemnitas, habet locum veſperarum diviſio. 28
An feſta, ſi in propriis locis ſolemniter non celebrentur, ſint cæteris æqualis ritus, & dignitatis præferenda. 29
Præferentia, quæ competit feſtis, in eorundem dies octavas etiam derivat. 28. 192
Fallit hoc, ſi præferentia ex extrinſeco privilegio feſto conveniat. 36. &c.
Itidem ſi ratione ſolemnitatis feſti. 192
Concurrentiæ nomen aliquando pro occurrentia uſurpatur. 29
Feſtorum præferentia in concurſu peti non valet ex ordine hierarchiæ Eccleſiaſticæ, nec ex majori feſti antiquitate. 74. &c.
Unde ſit petenda. ibid. &c.

Confeſſores.

Hoc nomine olim appellati martyres. 62
Item Cantor, ſeu Pſalmiſta, idest primæ Tonſuræ clericus. ibid.
Nunc confeſſores dicuntur ſancti, qui in pace quieſcunt. ibid.
In hoc ſenſu etiam fœminæ non martyres rite *Confeſſores* dici queunt. ibid.
A primis Eccleſiæ ſæculis de his cum laude locuti ſunt Ss. Patres. ibid.
Quo tempore eorundem cultus cœperit in Eccleſia, variant Auctores. ibid.
Non eſt antiquior ſæculo quarto. ibid.
Cur in canone Miſſæ nulla eorundem fiat mentio. ibid.
Quinam ex Confeſſoribus prior in Eccleſia cultum obtinuerit. ibid.
Circa initium ſæculi V. in honorem S. Martini Baſilica fuit excitata, & nunc in honorem confeſſorum omnium, non minus ac martyrum queunt excitari. ibid.
Mortui in obſequio peſte laborantium quando inter confeſſores, martyreſve ſint recenſendi. 108
Dei ſervos ærumnis pro Chriſto confectos, aut a lethalibus tormentis divinitus ereptos, qui olim ut martyres colebantur, nunc tamquam Confeſſores honorat Eccleſia. 110
Symbolum, $\frac{P}{a}$ quo in catacumbis Chriſtifideles reperiuntur inſculpti, juxta Caſalium ſignat Confeſſorem. 121
Sub titulo omnium Confeſſorum collectiva erigi queunt Eccleſiæ. 63
Qualis tunc cenſendus ſit earumdem Titulus, & quo die colendus. ibid.

Congregatio Sacrorum Rituum.

Quando Inſtituta. 2
Quando cœperunt ejuſdem Decreta in Regeſtis deſcribi. 3
Promit ſua Decreta vi auctoritatis Apoſtolicæ. 5
Qua polleat facultate. 142
Admodum ponderate procedit in ſuis condendis ſanctionibus. 6. 174
Tabellam de concurrentia citat pro Tabella de occurrentia. 29
Quo pacto intelligi debeat, quod habet de lectionibus 1. nocturni diei octavæ Dedicationis. 35

Conſecrationis dies quoad officium, & Miſſas.

Quodnam officium in die conſecrationis dici debeat. 5. &c.
In Eccleſia conſecranda dici non poſſunt Miſſæ privatæ, & cur. 6
De quo iſtæ eſſe debeant, ſi celebrentur in Sacello adnexo. ibid.
Si in aliena Eccleſia, de quo eſſe debent, aut poſſunt. ibid.
Si celebrentur de Dedicatione, an aliqua variatio fieri poſſit, aut debeat in oratione Poſtcommunio. ibid.
Si conſecratio fiat in diebus privilegiatis, nec officium, nec Miſſæ privatæ eſſe poſſunt de eadem. ibid.
Circa Miſſam ſolemnem cum diſtinctione dierum eſt procedendum. ibid. &c.
An quoties de die Conſecrationis non licet Miſſam facere, ſaltem collecta de eadem dici valeat, aut debeat, & a quibus, & quando. 7
Quid circa officium, & Miſſas, ſi conſecratio fiat in feſtis S. Joan. Baptiſtæ, aut Ss. Petri, & Pauli. 8
Quid ſi in aliis particularibus I. claſſis. 9
An quoties locum habet ſola Miſſa ſolemnis de conſecratione, altera Miſſa cani debeat conformis officio. 8

Conſecrator Eccleſiæ.

In actu conſecrationis poteſt ſtatuere alium diem pro anniverſario ejuſdem. 2
An pro ſolo libito. 3
Quibus de cauſis. ibid.
An poſſit ſtatuere diem mobilem. ibid. &c.
An diem Dominicam, & quam. ibid.
Quid ob oculos habere debeat in electione facienda. 4
Aliam diem ſtatuere non valet extra actum conſecrationis. 8. &c.
Quandonam ad rem conſcatur extra tempus utile. ibid. &c.
Quonam loco, & tempore conſecrationis conſultius id præſtet. ibid. &c.
An valide alium ſtatuat diem extra actum conſecrationis, ſi in hujus actu formavit intentionem illam ſtatuendi. 9. &c.
Num extra actum conſecrationis queat alteri diei anniverſarium conſignare, quoties in proprio eſt perpetuo impeditum. ibid.
In actu conſecrationis valet etiam determinare diem pro recolendo Titulo, qui neſcitur, quando occurrat. 61. 63
Imo & extra conſecrationis actum. 62

Concilium generale.

Neceſſe non eſt, comprehendat omnes omnino de loco, imo nec majorem ejuſdem partem. 68
Sufficit, ut tale ſit, quod omnibus datum fuerit intervenire, & ad illud fuerint vocati. ibid. &c.
Quomodo ad illud ſint hi vocandi. ibid.
An etiam vocandi abſentes. ibid.
Qui non intervenere, cum poſſent, tenentur ad ſtatuta in eo, & cur. ibid.

Conſuetudo.

Ut conſuetudo vim legis obligantis habeat, debet eſſe inducta animo ſe obligandi, tali intentione obſervari, & quatenus cum tali animo inducta, a Superioribus approbari. 165. 166. 168. 169
Etſi credatur cum dicto animo inducta, & ut talis ſit approbata, ſi talis reipſa non eſt, obligationem non invehit. 168. 169
Dum non conſtat de intentione, qua fuit inducta, non obligat, & devotionis cauſa creditur invecta. 168
Conſuetudo ſolum pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex, & quando eſt lex, illa non inducit majorem obligationem, quam ipſa lex invehat. 166. 162
Quoties nihilominus ſupra legem obligationem inducat. 170
Conditiones communiter aſſignatæ ad dignoſcendum animum, quo fuit invecta. ibid.
Etiam fœminæ poſſunt conſuetudinem inducere, & in quibus. ibid.
Ex eo quod ſuperiores conſuetudinis tranſgreſſores puniant, non evincitur conſuetudinem obligare. 169
Quot actus exigantur, ut inducatur. 9. 72
Cum non eſt contra legem, ut ſubſiſtat, non debet eſſe præſcripta. 72
Non poteſt præſcribi, quando eſt contra legem expreſſe ipſam damnantem. ibid.
Ut valeat contra legem, quale temporis ſpatium exigatur. 72. 120
Qualis requiratur, & ſufficiat ad tuendos Patronos. 72
Ipſa revera non eſt, quæ firmat officia de Patronis media conſuetudine invectis. 72
Neque centenaria ſufficit ad inducenda officia. 23
Hanc ad effectum debet eſſe inducta ante Bullam Pianam. 23. 72. 120
Sufficit & immemorialis. 121

D

Decreta S. Rit. Congr.

Licet ad inſtantiam particularium emanata, in ſimilibus pro Eccleſia univerſali deſerviunt. 140
Fallit, ſi particularis ratio aliqua, vel circumſtantia inſpecta ſit. 141
Ex qualitate dubii qualitas eorundem dignoſcitur. ibid.
Ex verbis idipſum eruitur. ibid.
Ex ratione item inſpecta, ac perſeverantia in reſolutione. ibid.
Nonnulla inſcribuntur *In Decreto generali*, alia puta *Bergomenſis* &c. ibid.
Exempla Decretorum ad inſtantias particularium editorum, quæ in uſum univerſalis Eccleſiæ deſerviunt. ibid.

Item

Item aliorum, quæ in Breviarium ipſum Romanum invecta fuere. *ibid.*
Cur nonnulla *Generalia* nihilominus notentur. *ibid.*
Dantur aliqua inter ſe contraria, & priorum derogatoria. *ibid.*
Non ſunt tamen propterea irridenda, & cur. *ibid.*
Ex terminorum qualitate dignoſcitur an præceptiva, vel facultativa ſint. 142
Ut prioribus derogent, ſufficit, quod contraria diſponant. *ibid.*
Eorundem vis, ac obligatio non pendet a Cleri arbitrio, vel receptione. *ibid.*
Etſi onerosa, vel odioſa, numquam ſunt reſtringenda ultra verborum proprietatem, vel contra legiſlatoris mentem. 141
Quando cœperint in Regeſtis deſcribi. 3
Non faciunt novam, ſed inducunt obligationem, quam habent Rubricæ. 23
Qualiter ab Auctoribus valeant exponi. *ibid.*

Decretum ſuper electione Patronorum.

Refertur, & explanatur. 64. *&c.*
Procedit pro Patronis principalibus, & minus principalibus. *ibid.*
Gaudet Apoſtolica auctoritate. 65
Non officit electionibus præcedenter factis. 65. 66
Si in poſterum non ſervetur, nulla eſt electio. 64
Etiam quando hæc confirmata foret, niſi expreſſe ſuper defectu ſuppleretur. 65
Ante dictum Decretum etiam Beati in Patronos eligebantur. *ibid.*
Et tales electiones non ſemel per Congregationem fuerunt approbatæ. *ibid.*
Nunc per Decretum Beatos ut ſupra eligi vetitum eſt, & cur. *ibid.*
Nonnullæ tamen factæ fuerunt extraordinariæ conceſſiones. *ibid.*
An Beatos omnes a paſſiva electione expellat. *ibid. &c.*
Mandatur ejus impreſſio, & publicatio, & cur. 70
Si ejuſdem diſpoſitio per omnia non ſervetur, Patroni electi non gaudent Patronorum prærogativis. 71

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis.

In Civitate eſt celebranda cum octava, in Diœceſi ſine octava. 13. *&c.*
Idem dicendum eſt de iis Eccleſiis, quæ Cathedralium inſtar ſe habent. 14
Non tamen de Metropolitanis, aliiſque ſimilibus relate ad Provinciam. *ibid.*
In Civitate eſt celebranda ſub ritu duplici 1. claſſis, extra Civitatem juxta ſolitum. *ibid.*
In Suburbiis, & parte adjacta ut in Civitate, in Territorio ut in Diœceſi. 14. *&c.*
Etiam in Civitate alicubi celebrata ſub duplici minori. *ibid.*
Eſt recolenda ſub ritu duplici 1. claſſis, ubi habet octavam. *ibid.*
Ubi ſine octava, ſufficit & ritus duplex minus. *ibid.*
Etiam altior eſt ibidem tribuendus, ſi ita ſolitum ferat. *ibid.*
Extra Civitatem celebranda eſt ſine octava, etiam ab Eccleſiis non habentibus propriam Dedicationem. 15. *&c.*
Cur ita de Dedicatione, & non de ejuſdem Titulari, & Patrono loci. 81. *&c.* 89. *&c.*
Quibus feſtis, & quoties in occurrentia, & concurrentia ſit præferenda, vel non. 29. *&c.*
An Eccleſiæ Sæculares exemptæ, quando, & quo pacto ad ejuſdem celebrationem teneantur. 16

Dedicatio Eccleſiæ inſtar Cathedralis ſe habentis.

Extenditur ad totum ſuæ juriſdictionis locum, uti ea vere Cathedralis. 14. 19
Idem eſt de Titulari ejuſdem. 14
Reliquarum Eccleſiarum, licet inſignium, Dedicatio, aut Titulus ultra ipſas non extenduntur. 14. 19. *&c.* 21. 25. 32. 33. 44. *&c.*

Dedicatio Eccleſiæ quoad præferentiam.

Cedit in paritate ritus feſtis Domini, Deiparæ, Angelorum, S. Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum. 27. *&c.*
In occurſu præferenda eſt Titulari ejuſdem. 28
In concurſu veſperas dividit. *ibid.*
In oppoſitum loquendum venit, ſi Titulus ſolemnius celebretur. 30
Quibus aliis feſtis, & quoties in occurſu, & concurſu præferenda. *ibid.*

Deſponſatio B. Mariæ.

Quo die, & quo cum officio celebranda, ubi foret Titularis Eccleſiæ. 59

Deus.

An ſpecialis Patronus eſſe queat. 37. *&c.*
Patronus Eccleſiæ eſſe poteſt, & in quo ſenſu. *ibid.*
Utique, & preſſe etiam Titulus ejuſdem. 38. *&c.*

Diaconi, & Subdiaconi.

Quo jure ad penſum divini officii teneantur. 169

Diœceſis Januenſis.

Aſſignatio Sanctorum perpetuo apud eandem translatorum, quam fecerat, a Congregatione fuit reprobata, & quibus de cauſis. 175. *&c.*
Iterum ſupplicat ſuper dicta aſſignatione, & ejuſdem preces rejiciuntur. 176. *&c.*
Admittuntur tamen pro officiis ad libitum, & cur. *ibid.*
In celebratione feſtorum perpetuo translatorum debet ſervare Rubricas. 175. 176
Idipſum eſt de qualibet Eccleſia particulari ejuſdem Diœceſis. 176
Niſi ſit Regularium, & cur. *ibid.*
Aut Monialium, licet Ordinario ſubjectarum. *ibid.*
Præfata inhibitio particularis omnino eſt, nec offendit, ſed magis roborat Decreta dictam immutationem permittentia pro cæteris Eccleſiis. 175. 176

Diœceſis quoad feſta, & officia.

Sub quo ritu recitet de Dedicatione Cathedralis. 15. *&c.*
Hujus octavam celebrare non valet. 13. *&c.* 14. *&c.*
Et quidem etiam in Eccleſiis non habentibus Dedicationem propriæ Eccleſiæ. 15. *&c.*

Tenetur ad feſtum, & octavam Patroni principalis Civitatis. 77
Si tamen ipſa peculiarem Patronum non habeat. 78. *&c.*
In caſu peculiaris Patroni erga patronum Civitatis quomodo ſe gerere debeat. *ibid. &c.*
Tenetur ad feſtum, & octavam Titularis Cathedralis. 81 *&c.*
Cur ita de Titulari, & non de Dedicatione ejuſdem. *ibid. &* 90
Quoad officium divinum, feſtivitates, & Patronorum cultum ſequitur locum, cui in ſpiritualibus paret, non in temporalibus. 69. 79

Dominica.

Multum honoris ei debetur. 4. 115. 138
Ne periret ejuſdem officium, nulla feſta duplicia concedere olim ſtatuerat Congregatio. 138
An, & quoties fixari queat pro Anniverſario Dedicationis. 3. *&c.*
Nequit aſſignari pro Anniverſario Conſecrationis, quando neſcitur hujus dies. 13
Neque pro recolendo feſto, cujus dies natalitia ignoratur. 115
In hoc caſu an ſaltem una, vel altera vice. *ibid.*
Reſpuit immutationem perpetuam Sanctorum. 183. *&c.*

S. Domno.

Non eſt ex Sanctis deſcriptis in Martyrologio Romano. 118
In Diœceſi Bergomenſi ſemiduplex habet officium. *ibid.*
Quæritur, num in Eccleſia S. Andreæ ejuſdem Civitatis, in qua dicti Sancti lipſana aſſervantur, officium ſub ritu duplici queat inſtitui. *ibid. &c.*

E

Eccleſia.

Eccleſiæ vocabulum nonnunquam uſurpatum pro congregatione fidelium. 1
Rectius ſumitur pro domo materiali, & qua. *ibid.*
Ab Apoſtolicis uſque temporibus hujuſmodi Eccleſiæ extitere. *ib. &c.*
Extra caſum neceſſitatis nonniſi in iiſdem miſſæ ſacrificium offerebatur. *ibid.*
Et in iiſdem conſecratis. *ibid.*
Modo etiam extra conſecratas licet celebrare. *ibid.*
Sunt tamen, ſaltem inſigniores, conſecrandæ. *ibid.*
Bifariam Deo dicantur. 3
Olim dictæ fuere *Tituli*, & cur. 39. *&c.*
Solum tamen inſigniores, & quæ. 40
Appellatæ a nomine Fundatorum. *ibid.*
Beneficiatum denominant. *ibid.*
Dictæ fuere *Martyria*, vel *Memoriæ Martyrum*, & cur. 62
Variæ Eccleſiarum ſpecies. 18. *&c.*
Quarum Dedicatio, & Titulus ad alteram propagentur. 19. *&c.*
Ex eo quod aliqua Eccleſia habeatur in loco, non licet per locum de ejuſdem Titulari recitari. 41. *&c.*
Eccleſiolas de pellibus caprarum factas pro itinere habuerunt antiqui. 47

Eccleſia tantummodo benedicta.

Non poteſt recolere Anniverſarium Dedicationis. 12. *&* 15
Nec benedictionis, & cur. 12. *&c.* 46. *&c.*
Celebrare debet feſtum ſui Tituli, & quando. 46. *&c.*
Cur poſſit facere feſtum Tituli, & non benedictionis. *ibid. &c.*
Apta eſt, ut in ea celebrentur divina officia. 1. 47
Eſt conſe… 47

Eccleſia Cathedralis.

Quæ ſit, cujus partes, & quare ſic dicta ſit. 19. 104
Bifariam ſpectari poteſt. 13. 104
Quæ ejuſdem officia ad cæteras Eccleſias extendantur. 13. 104
Quæ ſint, quæ Cathedralis inſtar ſe habent. 14. 19
De his quoad extenſionem earundem officiorum loquendum eſt, ac de Cathedrali. 14. 19
Quæ non eſt conſecrata, eſt conſecranda, & intra quod temporis ſpatium. 1
Dici poteſt *Titulus*. 40
Rite recitat de Dedicatione, & Titulo Eccleſiarum acceſſoriarum, ſed hæc ad juriſdictionis ſuæ locum non propagat. 105
Vide V. *Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis*.

Eccleſia Caput Religionis.

Ejuſdem Dedicatio, & Titularis ad alias Ordinis Eccleſias non extenduntur. 19. 34
Quo in caſu extra eam extendi queant. 19. 34
Cur Ordo Minorum agat de Dedicatione Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum. 35. 58

Eccleſia Matrix.

Quæ ſit, & quotuplici modo dici valeat. 19. 104
Bifariam ſpectari poteſt, & quæ ejuſdem officia ad inferiores Eccleſias protendantur. 104

Eccleſia Metropolitana.

Quam juriſdictionem habeat in Provinciam. 14
Num ejuſdem Dedicatio, & Titulus ad totam Provinciam propagentur. *ibid.*
Idem eſto judicium reſpective de Eccleſiis Patriarchalibus, Primatialibus, aliiſque ſimilibus. *ibid.*

Eccleſia propria.

Eccleſiæ propriæ conſecratio ſub ritu duplici 1. claſſis, & cum octava eſt celebranda. 16. 81
Idem eſt de ejuſdem Titulari. 45. 81
Quot modis Eccleſia dici queat propria ad effectum obligandi ad ſua officia principalia. 53
Eccleſiæ filiales non ſunt vere propriæ Parochi. *ibid.*

Eccleſiarum conſecratio.

Fuit in uſu etiam in veteri Teſtamento. 2
Magna lætitia, & pompa tunc temporis per dies octo celebrata. *ibid.*
Ab Apoſtolis in uſum deducta. *ibid.*

Ejuſdem origo S. Evariſto perperam adſcripta, ibid.
Antiquior Conſtantino Magno. ibid.
Ejuſdem ritus male irriſus a Calvino, ibid.
Quid hæc præſtet Eccleſiis. ibid.
Quibus in diebus agenda. ibid.
Quid ſit, & quis ejus Miniſter, 3
Quando cenſeatur petire. 11
Præſumitur ſubſiſtere, quoties pridem anniverſarium celebratur, ibid.
Et præſumitur habita in die anniverſarii, aut ad hunc affixa, ibid.
Adeoque in eodem die recolenda. 12
Ex carentia ſignorum non præſumitur defeciſſe. ibid.
Bene vero ex omiſſione anniverſarii. ibid.
Niſi conſtaret id perperam fuiſſe omiſſum. ibid.
Quid ſi anniverſarium fuerit intermiſſum, & poſtea reſtitutum. ibid.
Non perit per violationem. ibid.
Tempore tamen violationis non eſt recolenda. ibid.
Non poteſt iterari, ſi conſtet de ea, bene vero ſi dubitetur. 11
Secunda conſecratio conſultius ſit in die antiquæ; aut ſaltem hic pro anniverſario ſtatuitur. 10

Eccleſia dubiæ conſecrationis.

Non recolit anniverſarium Dedicationis. 12
Niſi ſit in ejus poſſeſſione. ibid. &c.
Quid in caſu ſolius dubii circa diem. ibid. &c.

Eccleſia S. Mariæ Angelorum.

A qua fuerit S. Franciſco conceſſa, & unde *Portiunculæ* nuncupata, 57
In ea S. Franciſcus quid impetraverit. ibid.
Die 2. Auguſti feſtum ejuſdem conſecrationis, non Tituli occurrit. 58
Habet Ordo Minorum alibi alias Eccleſias ſub invocatione S. Mariæ Angelorum erectas. ibid.
In iis non de Dedicatione Eccleſiæ, ſed de S. Maria Titulari debet fieri officium. ibid.
In hoc feſto quodnam officium ſit recitandum. ibid.
In defectu in ejuſdem octava unde lectiones 3. nocturni ſint deſumendæ. 61
Quonam die ſit dictum feſtum inſtituendum. ibid.
Idipſum eſt de quibuſcumque aliis, qui Eccleſias ſub tali haberent titulo. ibid.
Quod monet videre Meratus, an, & pro quibus procedat. ibid.

Eccleſiæ Collegiatæ.

Quæ reipſa ſint Eccleſiæ ſtricte, & vere Collegiatæ. 165
Tales vero non ſunt Regularium Eccleſiæ. ibid.
Lato modo Collegiatæ tamen dici queunt, & in favorabilibus Collegiatarum nomine veniunt. ibid.
Regularium Eccleſiæ rectius dicuntur Conventuales. ibid.
Obligatio chori Collegiatas ſtricte premit Eccleſias. ibid.
Et major eſt, quam ſit ea Regularium Eccleſiarum. 167
Quæ ſunt vere Collegiatæ, tenentur quotidie canere miſſam concordem officio, etſi aliam cecinerint. 8. 26
Ab hoc tamen onere eximendas eas putamus in die conſecrationis propriæ Eccleſiæ. 8
Stricte tenentur horis debitis devote pſallere. 165
Non adeo ſtricta eſt temporis obligatio apud Regulares Eccleſias. 166. &c.
Vocatæ inveniuntur quandoque Cappellæ. 47

Eccleſiæ divinitus conſecratæ.

Recenſentur tres. 15
An earundem anniverſarium debeat celebrari, ibid.

Eccleſiæ filiales.

Non valent de officiis Eccleſiæ Parochialis recitare. 19. &c. 45. 53
Non ſunt acceſſoriæ ad Eccleſiam Parochialem. 53
In ſuis functionibus per ſe a Parocho non dependent, licet quandoque per accidens. ibid.
Earundem, etſi proprium non habeant Rectorem, Parochus poſitiva Rector non eſt. ibid.
De earundem feſtis Parochus non valet recitare. ibid.
Idem dicito de Eccleſia Cathedrali relate ad feſta aliarum Eccleſiarum Diœceſis. ibid.

Eccleſiæ unitæ.

Aliæ ſunt æque principaliter unitæ, & quid importet hujuſmodi unio. 50. &c.
Tunc Dedicatio, vel Titularis unius ad alteram non extenditur. 18. 51
Multo minus feſta Reliquiarum, aliaque particularia. 54. &c. 105
Aliæ ita ſunt unitæ, ut ex duabus Eccleſiis una fiat, vel cenſeatur facta Eccleſia. 50
Tunc feſta unius primariæ ad alteram viciſſim propagantur. 19. 51
Idipſum eſt de feſtis Reliquiarum, aliiſque particularibus. 105
Non tamen de officiis, quæ uni competerent ratione Diœceſis, ſi altera extra Diœceſim ſita ſit. 54
Aliæ ita ſunt unitæ, ut una alteri acceſſoria ſubjiciatur. ibid.
Tunc officia Dedicationis, & Tituli viciſſim protenduntur. 19. 51
Itidem feſta Reliquiarum, aliaque particularia. 105
Non tamen quæ competunt ratione Diœceſis, ſi extra hanc altera poſita ſit. 54
Quid ſit faciendum in occurrentia plurium hujuſmodi feſtorum, 20. 54

Epiſcopus.

Ex Eccleſia, cui præficitur, ſibi nomen aſciſcit. 49
Poteſt ſtatuere diem ad celebrandum feſtum de Sancto, cujus dies natalitia ignoratur. 114
Non tamen diem Dominicam, ſaltem fixe, & permanenter. 115
An pro una, vel altera vice. ibid.
Neque diem, quo Sanctus huic mundo natus eſt. ibid.
Neque eam, qua alterius Sancti ejuſdem nominis memoria recurrit. ibid.
Quamnam diem congruenter determinare valeat. ibid.
An diem Dominicam determinare queat, ſi tranſlatio ejus in ea fuerit peracta. ibid.
Pro feſto ſine officio quamcumque diem ſtatuere valet. ibid.
Vide V. *Ordinatio locorum*. V. *Conſecrator Eccleſiæ*.

Epiſcopus quoad officium.

Quicumque licet Regularis, tenetur ſe conformare Kalendario Eccleſiæ, cujus eſt Epiſcopus. 54. 55
Qui habet plures Cathedrales unitas, debet de ambarum Titulari, & Dedicatione officium facere. 18. 50
Non tamen de iis Eccleſiarum filialium. 53
Quoad reliqua officia ſe conformet cum Cathedrali, apud quam ſe reperit. 54
Et quidem etiam quantum ad officia cuncta particularia ejuſdem. ibid.
Quando reperitur in aliquo loco ſuæ Diœceſis, licite recitat de Patronis, & Titularibus, non tamen de aliis feſtis particularibus locorum. 54. 55
Poteſt id etiam de Dedicatione Eccleſiæ, & de Patronis minus principalibus. 55
Non tamen id poteſt extra loca ſuæ juriſdictionis. ibid.
Quinimmo nec intra ſuam Diœceſim relate ad Eccleſias exemptas. ibid.
Et adhuc relate ad Eccleſias Monialium ſibi ſubjectarum, ibid.

Evangelium.

Quando idem eſt Evangelium feſti, & vigiliæ, aut feriæ occurrentis, perperam a nonnullis ad varietatem ſubrogatur aliud Evangelium de reſpectivo communi. 131
Tunc de feria, vel vigilia facienda eſt ſola commemoratio, & nona lectio non eſt legenda. ibid.
Et hoc, licet diverſa foret ejuſdem expoſitio. ibid.
In caſu diverſitatis expoſitionis, an ea vigiliæ, aut feriæ, vel feſti ſit legenda. ibid.
Stante ipſeitate Evangelii nunquam in fine miſſæ repetitur idem Evangelium. ibid.
Cur in caſo ipſeitatis antiphonæ, vel verſus ſubrogetur alius, non autem aliud Evangelium, vel expoſitio. ibid.

S. Evariſtus Papa.

Eidem perperam adſcribitur conſecrationis Eccleſiarum origo. 2
Fuit dicti ritus ſolum promulgator, & cæremoniarum additor. ibid.
Titulos in Urbe diviſit. 39

SS. Euchariſtia.

Antiquitus poſt cœnam ſumpta. 1
Ante eam, ubi aſſervatur, debet continuo lampas ardere, 117
Hæc lex ab impotentia excuſationem patitur. ibid.

Expectatio B. Mariæ.

Incidens in feriam IV. quatuor temporum reſpuit nonam lectionem de feria, & ejuſdem Evangelium in fine miſſæ. 131
Legitur in ea homilia feriæ, & non ea feſti. ibid.
Quo die, & quo cum officio ſit celebranda, ubi eſt Titularis Eccleſiæ, 59

F

SS. Fabianus, & Sebaſtianus.

Sunt ſeparandi, quoties alteruter eſt Titularis, aut Patronus principalis. 133
Cur Sacra Congregatio eorumdem orationem inhibuerit de S. Sebaſtiano tantum recitari, adhuc in Eccleſia propria. ibid.
[illegible] ibid.
Quæ oratio in eorumdem officio ſit uſurpanda, quando ſeparantur. ibid.
Non ſeparantur, quando alter eſt ſolum Patronus minus principalis. 135
Idem eſt, ubi eſt Titulus Cappellæ, vel habetur Reliquia. ibid.
Quo ritu in caſu ſint ambo unitim celebrandi. ibid.

Feſta ſecundaria.

Quæ ſint, & quotuplicis generis. 95
Recenſentur exempla. ibid.
Adſunt alii tituli eorumdem inſtituendorum. 96
Non poſſunt inſtitui ſine Apoſtolico indulto. 95
Neque de Patronis, aliiſque, quorum feſta principalia ſunt in præcepto. ibid.
Refellitur Guyetus volens, ea induci poſſe per Epiſcopi auctoritatem. ibid.
Cum ignoratur dies natalitia, ad hanc recolendam congrue deſignantur. 115
Idipſum in conceſſione officiorum, cum eorundem dies eſt impedita, Eccleſia aſſolet præſtare. 181. 182
Id etiam laudatur pro caſu immutationis, & quando. 183
Cum dies mortis recolitur in feſtis ſecundariis, hæc ſunt dies natalitii, 189

Feſta ſolemnia in propriis locis.

Quibus præferantur, & quibus cedant. 27
Quid ſi aliqua in propriis Eccleſiis ſolemniter non celebrentur, vel minus ſolemniter. 30
Quid ſi omni careant extrinſeca ſolemnitate. ibid.
An præferentia, quæ ratione ſolemnitatis feſtis tribuitur, ſit diebus eorumdem octavis itidem concedenda. 192

Feſta quæ in fine anni ſuperſunt.

Rationes dubitandi, num poſſent, necne in annum ſequentem transferri. 139
Quæ erant de menſe Decembris, olim poterant ut ſupra transferri. ibid.
Imo & quæ erant aliorum anni menſium. 140
In quam diem transferri debeant. ibid.
Talis tranſlatio non erat in præcepto, ſed in arbitrio. ibid.
Quæ in hac re fuerit opinio Gavanti. 139
Id ſibi diſcors adhuc concedit Meratus. ibid.
Bina ejuſdem officii recitatio cur haud abſona, nec exorbitans cenſebatur. 140

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſemper ſupererant, nunquam dubitatum fuit, quod in ſequentem annum transferri poterant. *ibid.*
Nunc vetita omnino eſt translatio ſanctorum in annum ſequentem. *ibid.* &c.

Feſta in ſequentem annum transferri vetita.

Decreta, quæ permittebant ſanctorum translationem in annum ſequentem, per iteratas ſanctiones ceſſare fuere. 140
Num hujuſmodi ſanctiones particulares cenſendæ ſint, an generales. *ibid.* &c.
Validis de cauſis, & quibus dicta Decreta fuere annullata. *ibid.* &c.
Dicti ſancti nunc ritu ſimplici ſunt peragendi cum commemoratione ad modum ſemiduplicis. 142
Eorumdem laudibus ſic eſt plene conſultum. *ibid.*
Gravamen, ſi quod inde exurgit, habet, unde compenſetur. *ibid.*
Non relevat, ſi quandoque penitus omittantur. *ibid.*
Prælatæ inhibitivæ ſanctiones ſunt præceptivæ, non facultativæ. *ibid.*
Derogent prioribus, etſi horum nullam clauſulam derogatoriam contineant. *ibid.*
Imo etſi non ſint univerſali cleri uſu receptæ. *ibid.*
A timoratis ſtatim receptæ, & in uſum deductæ fuere. *ibid.*
Non comprehendunt ſanctos, qui ſemper iidem individualiter ſuperſunt. *ibid.*
Neque qui quaſi ſemper. 147
Num qui ſæpe. *ibid.*
A diſpoſitione duplicia I., vel II. claſſis ſunt immunia. 145
Circa duplicia majora cum diſtinctione procedi poteſt. 146
Duplicia minora ſunt incluſa. *ibid.*
Opinio ſentientium ſolum poſt circulum XII. menſium ſanctos in hoc anni ſupereſſe. *ibid.*
Rejicitur, oſtenditurque in fine anni ſupereſſe, dum in fine Decembris ſuperſunt. *ibid.*
De iiſdem toto anni decurſu celebrari non potuit, quoties in conſequentibus diebus poni non potuere, etſi in præcedentibus locum poſſent habere. 147

Feſta, quæ in fine anni ſuperſunt, quoad officium.

Sancti, qui in fine anni ſuperſunt conſiderandi ſunt tanquam ſimplices, & quibus diebus. 147
Juxta Rubricas ſimplicium ſunt regulandi. *ibid.*
Eorundem commemoratio facienda, ut fit in ſemiduplicibus, & quid id importet. 147
Habent commemorationem in iis officiis, in quibus, & prout in iiſdem fit de ſimplicibus. *ibid.*
In occurentia in feſtis II. claſſis habent commemorationem in II. Veſperis, in quibus illam non habent pura ſimplicia. *ibid.*
De iiſdem legenda eſt nona lectio compoſita ex omnibus lectionibus propriis II. nocturni, & cur. 149
Si unam dumtaxat propriam habeant, hæc ſolum, ſi duas, ambæ, ſi tres, tres, ſi nullam, nulla legitur. *ibid.*
Non legitur, cum fit de officio trium lectionum, aut habente nonum reſponſorium. *ibid.*
Nec in duplici I. claſſis. *ibid.*
Nec infra octavam Corporis Chriſti, niſi fiat de ſanctis. *ibid.*
Nec quando legenda eſt nona lectio homiliæ. *ibid.*
Lectio nona per accidens ſimplicis præferenda eſt illi ſimplicis per ſe. *ibid.*
Inter plura ſimplicia per accidens illa illius, quod alias haberet officium. *ibid.*
Quid ſi hoc ſimplex non habeat propriam lectionem, alia occurrent ſimplicia. *ibid.*
In officiis ſanctorum occurrentium in feriis Adventus ſuam non deperdunt nonam lectionem. *ibid.*

Feſta, quæ in fine anni ſuperſunt, quoad moderationem octavarum.

Ut feſtis, quæ in fine anni ſuperſunt, intra annum fiat locus, moderari queunt octavæ. 143
Octavæ tantum minus principales, & quæ iſtæ ſint. *ibid.*
Non tamen octavæ Breviarii Romani, aut quæ ſunt ex præſcripto Rubricarum. 144
Ex octavis minus principalibus aliquæ relinqui poſſunt illæſæ. *ibid.*
Imo omnes, & quid in caſu de dictis feſtis agi debeat. *ibid.*
Octavarum decoctio ægra apud clerum ſæcularem locum habet, ſed ut pauci apud Regularem. *ibid.*
Dicta decoctio non eſt in præcepto, ſed in cleri arbitrio. *ibid.*
Non eſt facienda ultra neceſſitatem. *ibid.*
Nec iis in locis, ubi una ſolum, vel altera vice ſancti ſuperſunt. *ibid.*
Quid ſi non ſemper, quaſi tamen ſemper. *ibid.*
An ubi ſæpe. *ibid.*
Ubi fit, debet eſſe perpetua, tamet quandoque de feriali officio fieri contingeret. *ibid.*
Fieri poteſt a particulari monaſterio integris conſentibus apud totam Religionem. *ibid.*
An demi, vel truncari poſſint octavæ, ut unum, vel aliorum officium locetur. *ibid.*
Omiſſio ſanctorum ad libitum dictis feſtis locum parare itidem poteſt. 145
Non ſunt tamen ſancti ad libitum neceſſario omittendi, ut iiſdem fiat locus. *ibid.*
Num liceat omittere officia Romana cauſa faciendi intra annum de particularibus. *ibid.*
Num ſaltem ad eundem effectum illa liceat ritu ſimplici peragere. *ibid.*
Num e contra licita ſit omiſſio particularium cauſa faciendi de Romanis. *ibid.*
Decretum octavarum moderationem indulgens contrarium non eſt iis, quæ ſanctorum intransferibilitatem edicunt, ſed ſolum iſta modificat. *ibid.*
Quid faciendum ſit, ſi adhuc in fine anni ſancti ſuperſint. *ibid.*

Feſtum per accidens ſimplex.

Ita denominantur ſancti, qui in fine anni ſuperſunt. 148
Cur ſic denominentur, & quæ ſint ſimplicia per ſe. *ibid.*
Per accidens ſimplex habet commemorationem etiam in II. Veſperis, qua carent per ſe ſimplicia. 33
Occurrens in feſto duplici II. claſſis, commemorationem in II. Veſperis non deperdit. 149
Occurrens in feſto duplici II. claſſis, cum quo concurrit feſtum aliud duplex II. claſſis integras habens veſperas, in iis veſperis ſua caret commemoratione. *ibid.*
In reliquis regendum venit juxta Rubricas feſti per ſe ſimplicis. 147
Præferentiam habet ſuper commemorationem per ſe ſimplicium. 148
In concurrentia plurium per accidens ſimplicium illi debetur præferentia, quod integras haberet Veſperas, vel Capitulum. *ibid.*
In ſimultanea occurrentia commemoratio illius præcedit, quod alias haberet officium. *ibid.*
Cedit feriis majoribus, & vigiliis. *ibid.* &c.
Item officio Dominicæ anticipatæ. 149
In Dominica Palmarum, & ſabbato Pentecoſtes deperdit commemorationem in miſſa. *ibid.*
Item in miſſa ſolemni duplicis II. claſſis non tamen in privatis. *ibid.*
Quoties in laudibus habet ſolam commemorationem, hanc etiam ſolam habet in primis veſperis, licet hæ a nullo feſto ſint impeditæ. *ibid.*
Si in laudibus non eſt habiturum commemorationem, hanc etiam deperdit in primis veſperis, licet inimpeditis. *ibid.*
Tabella commemorationis feſti per accidens ſimplicis occurrentis in aliis officiis. *ibid.*
Tabella commemorationis feſti per accidens ſimplicis concurrentis cum aliis feſtis. 150
Tabella commemorationis feſti per accidens ſimplicis, cum quo concurrunt alia feſta. *ibid.*
Tabella ordinis ſervandi in commemoratione feſti per accidens ſimplicis. 150. 151

Feſtum per ſe ſimplex.

Occurrens in duplici II. claſſis in primis veſperis deperdit commemorationem, non tamen in laudibus. 147. &c.
In II. veſperis duplicis II. claſſis habet commemorationem, etſi in ſequenti die non ſit habiturum officium. *ibid.*
Cui ſic de ſimplici diſpoſitum ſit, cum dies infra octavam in utroque caſu ſua caret commemoratione. *ibid.*
In II. veſperis integris de præcedenti duplici II. claſſis, cum quo concurrit aliud duplex II. claſſis, commemorationem non habet. 148
Cedit feſto per accidens ſimplici. *ibid.*
Si feſtum per accidens ſimplex propria careat lectione, de eo legitur nona lectio, ſi propriam habeat. 149
In Miſſa Dominicæ Palmarum, & vigiliæ Pentecoſtes commemorationem non habet. *ibid.*
Item nec in miſſa ſolemni de duplici II. claſſis. *ibid.*
Quando in ſequenti die non eſt habiturum officium, ſed ſolam commemorationem, ſolam etiam commemorationem habet in veſperis. *ibid.*
Nec habet commemorationem in veſperis, ſi eam in ſequenti die non eſt habiturum. *ibid.*
In feriis Adventus, quoties agitur de ſanctis, nonam lectionem non deperdit, ſi propriam habet. *ibid.*
Quando perpetuo cadit in duplex I. claſſis, an omitti debeat, aut eidem altera aſſignari dies. 135

Feſtum Corporis Chriſti.

Infra ejus octavam legitur 9. lectio de ſimplici, quoties fit de feſto duplici. 141
Quoties inſtituendum eſt feſtum ob Hoſtias miraculoſas, aliaſque ſimiles Reliquias, ex eodem officium deſumitur. 114

Feſtum Inventionis S. Crucis.

Quænam ſit ejuſdem inſtitutionis cauſa. 187
Quodnam tempus dictæ inſtitutionis. *ibid.*
Ejuſdem officium a quo fuerit compoſitum. *ibid.*
Ob hiſtoriam dubiam Clemens VIII. mutavit antiphonas ejuſdem ad laudes. *ibid.*
Quænam ſit hujuſmodi hiſtoria. *ibid.*
Qualis olim fuerit ejuſdem ritus. *ibid.*
Quamnam olim habuerit Rubricam. *ibid.*
Quomodo talis Rubrica ſit intelligenda. *ibid.*
Præfatum feſtum non patitur accidentariam immutationem in ſequenti die. *ibid.*

Feſtum Ss. Nominis Jeſu.

Etſi affixum Dominicæ, transferendum, quoties impeditur. 179
Non anticipandum, quoties anticipatur Dominica II. poſt Epiphaniam. *ibid.*
Non convenit intra quadrageſimam transferri. *ibid.*
An ita diſconveniat, ut magis omitti debeat, quam in eam transferri. *ibid.*
Dies XXVIII. Januarii relinquenda eſt vacua pro ejuſdem repoſitione. *ibid.*
Si alicubi hæc dies ſit impedita, non propterea erit feſtum occurrens transferendum, ut in ea collocetur. *ibid.*
An, & quoties in dictam diem ſit transferendum, ſi feſtum altioris ritus itidem reponi inſtet. 180
Ubi dicta dies eſt impedita, aut per eam repoſitioni feſti Ss. Nominis non eſſet ſufficienter proviſum, altera dies, & quæ relinquenda eſt vacua. *ibid.*
In caſu repoſitionis an præferendum Purificationi B. Mariæ relatæ ad diem 3. Februarii. 186
Quando ejuſdem celebratio fuerit primum indicta. 190
Etiam præcedentes privilegiati debent ſe conformare cum Eccleſia univerſali tam quoad diem, quam quoad qualitatem officii. 191

Feſtum SS. Redemptoris.

In ſtatu Veneto, ubi Dominica II. Julii celebratur cum octava, an, & quando impediat immutationem Sanctorum e die XV. ad XVIII. Julii. 186
Uſurpandum eſt inibi ejuſdem officium, ubi quadraret feſto particulari ob Reliquias, vel alia de cauſa de Chriſto inſtituendo. 114
Ejuſdem dies octava quibus ſit præferenda. 192

Fe-

Feſtum Dolorum B. Mariæ.

Transferri non poteſt ad tempus paſchale. 179
Impeditum in propria feria, conſiderandum eſt ut occurrens in ſequenti Sabbato. *ibid.*
Impedit immutationem feſtorum altioris ritus in ſequenti Sabbato. 182

Feſtum S. Mariæ ad Nives.

Unde originem, ac denominationem traxerit. 57
Non eſt cenſendum Titulare Eccleſiarum ſub quibuſdam titulis B. Mariæ erectarum. 61
Imo hi tituli ſunt alia die recolendi. *ibid.*
Ejuſdem officium eſt veluti commune B. Mariæ, & in dictis titulis recolendis uſurpandum. 58
Lectiones tamen 2. nocturni ſunt in eas Nativitatis mutandæ. *ibid.*
Quæ mutatio in his lectionibus fieri debeat. *ibid.*
Unde ſupplendæ lectiones 3. nocturni, ſi pro octava deſint. 61

Feſtum B. Mariæ de Monte Carmelo.

Olim pluribus in locis celebratum, & quando. 190
Cum officio abſimili ab antiquo univerſali Eccleſiæ conceſſum. *ibid.*
Etiam a præcedentibus privilegiatis cum Eccleſia univerſali nunc prorſus celebrandum. *ibid.*
Ejuſdem antiphona propria ſecundarum veſperarum ad magnificat recitanda in primis, quando in ſecundis locum non habet. *ibid.*

Feſtum SS. Nominis B. Mariæ.

Olim pluribus in locis celebratum die xvii. Septembris. 190
Ab Innocentio XI. Eccleſiæ univerſali indultum pro Dominica infra octavam Nativitatis B. Mariæ. *ibid.*
In ejuſdem celebratione nunc omnes, etiam privilegiati, cum Eccleſia univerſali debent convenire, tam quoad officium, quam quoad diem. *ibid.*
Vetus ejuſdem officium amplius nec reimprimi poteſt, & in quo ſenſu. *ibid.*
Quid ſit ſentiendum de indulgentiis olim pro tali feſto conceſſis. ibid.

Feſtum S. Agnetis.

Ubi eſt conſtanter tranſlatum, non eſt immutandum in die 28. Januarii. 179
Cuinam diei conſignari debeat. 180
Non ceſſat feſtum S. Agnetis ſecundo, licet ejuſdem feſtum primarium in diem ulteriorem immutetur, vel transferatur. *ibid.*
Cur dictum feſtum dicatur S. Agnetis ſecundo, & in cujuſnam memoriam ſit inſtitutum. *ibid.*
Quomodo celebrandum ſit officium, ſi feſtum primarium in diem xxviii. Januarii transferri eveniat. *ibid.*
Quomodo ubi habet octavam. *ibid.*

Feſtum Ss. Innocentium.

Juxta Gavantum eſt reponendum in feria II., tranſlato feſto S. Thomæ Cantuarienſis uſque poſt octavam Epiphaniæ, quando hoc incidit in Dominicam. 139
Juxta Maratum hoc feriæ II. eſt conſignandum, & illud poſt octavam Epiphaniæ. *ibid.*
Errat uterque, ſed magis Meratus. *ibid.*
Quanam die utrumque ex dictis feſtis ſit reipſa reponendum. *ibid.*

Feſtum S. Margaritæ de Cortona.

In anno biſſextili ejuſdem octava per novem durat dies. 185
Ejuſdem antiphona propria ſecundarum veſperarum ad magnificat, quando in his locum non habet, dicenda eſt in primis. 191
An recitari valeat in Inſulis Italiæ adjacentibus. *ibid.*

Feſtum S. Matthiæ.

Ejuſdem lectio in Martyrologio, & celebratio in anno Intercalari habenda in die XXV. Februarii. 185
Eadem tamen die adhuc celebratur, ac in anno regulari. *ibid.*
In anno biſſextili non ſubit accidentariam immutationem. *ibid.*
In quo ſenſu Congregatio decreverit, in anno biſſextili transferendum eſſe feſtum occurrens die XXV. Februarii, ut fiat de S. Matthia. *ibid.*

Feſtum SS. Nazarii, & Celſi.

Mediolani ritu duplici celebratur. 132
Ubi eſt Titulare, ſeparatur a ſociis. *ibid.*
In quam diem ſocii ſint transferendi, & quo ritu celebrandi. *ibid.*
In horum officio quale Evangelium, oratio, & commune uſurpandum. *ibid.*
In oratione omittuntur ſocii. *ibid.*
Lectiones ſunt item ſeparandæ. 132
Decretum pro hoc feſto editum non eſt ſingulare, ſed ad alios ſimiles caſus extendendum. 132

Feſtum omnium Sanctorum.

Opiniones variæ circa ejuſdem inſtitutionem. 36. *&c.*
A conſecratione Pantheon originem agnoſcit. *ibid.*
A Romanis die xiii. Maji in honorem B. Mariæ, & SS. Martyrum primitus celebratum. *ibid.*
A Gregorio III. in honorem Omnium Sanctorum pro Kalendis Novembris ad univerſam Eccleſiam protenſum. *ibid.*
Cum ubique receptum non eſſet, a Gregorio IV. noviter indictum. *ibid.*
Cur ad Kalendas Novembris tranſlatum fuerit. *ibid.*
Potior ratio inſtitutionis ejuſdem. 37
A Sixto IV. cum octava celebrari mandatum. 36
In Poſtrema recognitione Breviarii privilegio omne feſtum excludendi donatum. *ibid.*
Stat cum feſtis particularibus de Sanctis aliquibus, non autem cum omnibus. 129
Stat itidem cum feſto Sanctorum omnium alicujus Religionis. *ibid.*
Non excludit commemorationem Sancti particularis, cum quo concurrit. 130
Sub qua ratione in eo Sancti colantur. 31. 37
Præfatum feſtum, & officium ſatiſfacit pro cultu Titularis Eccleſiæ omnibus Sanctis dicatæ. 63
Vide V. *Octava feſti omnium Sanctorum.*

Feſtum SS. Petri, & Pauli.

Feſtum eorundem primarium præferendum eſt in occurſu, & concurſu Dedicationi, Titulari, & Patrono. 27. *&c.*
Non gaudet privilegio excludendi omnia feſta. *ibid.*
Cur cedat veſperas S. Paulo in propria Eccleſia. 28
Non cedit, niſi feſtis Domini, Deiparæ, Angelorum, & S. Joannis Baptiſtæ. 27
Si in eodem Eccleſiæ conſecratio peragatur, quid circa officium, & miſſas illius diei. 8
Ejuſdem dies octava in paritate ritus quibus ſit præferanda. 192
Alteri diei eſt conſignandum Anniverſarium Dedicationis in eo occurrens. 3
Vide V. *Cathedra S. Petri.*

Feſtum SS. Philippi, & Jacobi.

Ubi alteruter ex iſtis Apoſtolis Titularis, vel Patronus principalis eſt, in duo ſinduntur feſta. 131
Feſtum, quod transfertur, ritum retinet duplicem 2. claſſis. 132
Non omnia ex propriis retinenda forent in utroque officio. 133
Quomodo propria forent diſtribuenda, & quæ deſunt, unde ſumenda. *ibid.*

Feſtum de præcepto quoad forum.

Tale eſt Feſtum principalis Patroni in quocumque Regno, vel Provincia, & alterius pariter principalis in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, in quibus habentur. 78
Ubi habetur diſtinctus Patronus principalis, Patronus Civitatis feſtivus non eſt. 79
Ubi plures habentur Patroni principales loci, vel Regni, utriuſque principalioris dies ſolum agi valet feſtiva. *ibid. &c.*
Feſta Dedicationis, & Titularis Eccleſiæ Parochialis feſtiva non ſunt. 23. 89
Feſtum de præcepto non continuo fert ſecum officium. 23. 90
In paritate ritus, & dignitatis præferendum eſt in occurſu. 74
Ad obſervanda feſta in Diœceſi ab Epiſcopo indicta tenentur etiam Regulares. 24
Itidem ad recitandum officium de feſtis, quæ in Diœceſibus ſunt quoad forum feſtiva. 81. 86

Feſtorum multiplicatio.

Quam a pluribus ſit expetita, & procurata. 138
Aliena a priſco Eccleſiæ ſenſu. *ibid.*
Plurima incommoda, quæ ex eadem oriuntur. *ibid.*
Juſtis de cauſis ab Eccleſia modo permiſſa, & inducta. *ibid.*
Etſi perimat officium feriale, cur non inferat injuriam Domino. *ibid.*
Alicubi adeo excrevit, ut nonnulla feſta locum in anno non habeant. *ibid.*

Flagella Chriſti.

Num duplicem Chriſtus ſuſtinuerit flagellationem. 113
An crucifixionis lex ferret, quod crucifigendus prius per flagella caderetur. *ibid.*
Flagella Chriſti ſunt Reliquiæ inſignes, ſpeciali nota, & cultu dignæ. 112
In reliquis Chriſti feſtis non ſunt ſatis exculta. 113
Inducunt particulare feſtum, ubi aſſervantur. 112. *&c.*
Qua die ſit inſtituendum. 113
Quodnam officium in caſu uſurpandum ſit. *ibid.*
Digna ſunt, quæ in toto loco, ubi cuſtodiuntur, per officii celebrationem recolantur. *ibid.*
Id tamen attentari non valet ſine ſpeciali indulto. *ibid.*
Debet conſtare de eorundem identitate, non tamen de deſcriptione in Martyrologio. *ibid.*

G

Gambarucci Joannes Baptiſta.

Ejus votum circa immutationem feſtorum perpetuo tranſlatorum. 173. *&c.*
Quales ejuſdem rationes. 174
Quid de Decretis cl... *ibid.*

S. Germanus.

Mortuus conſecrat Eccleſiam Vercellenſem, quam conſecrare vivus promiſerat. 15

Gregoriana Anni correctio.

Cur facta fuerit, quidve præſtiterit. 184. *&c.*
Omnino ad lancem adhuc non eſt. 185
Optime tamen eſt in perpetuum ſervari ſtatuta, & cur. *ibid.*

H

Hierarchia Eccleſiaſtica.

Qualis ſit ejus ordo. 74. *&c.*
Ex hoc petitur præcedentia Patronorum, & quoties. *ibid. &c.*
Itidem præcedentia Sanctorum in canonizationibus, & qualiter. 76
Sacerdos, etſi in hoc ordine dignior ſit non Sacerdote, quoad rationem divini officii, ſemper præcedentiam non habet. *ibid.*
Ejuſdem ordo ſervandus in recolendis Sanctis particularibus in Martirologio. 75
Itidem in invocatione Sanctorum in publicis precibus, & quando. *ibid.*

Non

Non relevat in concurrentia. 74
Nec in repoſitione. *ibid.*
Bene tamen in occurrentia, & quoſies. *ibid.*
Quid circa picturas, vel ſtatuas Sanctorum cenſendum veniat. 26

Hieroſolymitanus Ordo.

Cur primum ſic dictus, poſtea *Rhodienſis*, nunc *Melitenſis*. 34
Eſt militiæ addictus, nec ad officium divinum univerſim tenetur. *ibid.*
Habet Religioſos ſacris initiatos. *ibid.*
Habet & Moniales, & cur primum inſtitutas. *ibid.*
Hi ambo divinis officiis incumbunt. *ibid.*
Ejus Profeſſores ſunt vere Religioſi. *ibid.* & 80
Habet Melitæ Eccleſiam S. Joannis, quæ eſt caput totius Religionis. 34
Quæ Eccleſia non eſt in Cathedralium ſortem aſſumpta. *ibid.*
Qui ejuſdem ſervitio ſunt addicti, poſſunt de ejuſdem Dedicatione recitare. *ibid.*
Etiam qui in eadem beneficium haberent, aut eam permanenter inhabitarent. *ibid.*
Non tamen qui brevi. *ibid.*
Nec degentes extra Melitam. *ibid.*
Quinimmo nec degentes Melitæ, ſed non apud dictam Eccleſiam. *ibid.*
Fallit hoc, & quando. *ibid.*
Idem eſt judicium de Titulari. 35
Non poteſt ſervare conſuetudinem celebrandi S. Sebaſtianum ſeparatim a S. Fabiano. 135

Hoſtiæ miraculoſæ, aut Caro in eis mirabiliter apparens.

In Eccleſiis, in quibus aſſervantur, ſine ſpeciali indulto officium fieri valet, quale, & quando. 114
Prodigii tamen, ſi per Sedem Apoſtolicam non fuerit probatum, in officio nulla fiat memoria. 60. 115
Neque per clauſulam *ut fertur*, vel *ut pie creditur*, aliamve ſimilem. 60

Hymnus.

In hymno *Iſte Confeſſor* pridie diei mortis in primis veſperis, & per ſubſequentem octavam dicendus eſt ℣. *Meruit beatas*, & cur. 5
Quoties in primis veſperis S. Hermenegildi hymnus proprius non fuerit recitatus, dicitur in matutino, & hymnus matutini ad laudes. 141
Cur pridie Dominicæ Nativitatis in hymnis dicatur *Qui natus es de Virgine*, etſi nondum Chriſtus figuretur natus. 5

I

Immutatio accidentaria.

In quo differat a perpetua, & a tranſlatione. 183
Quæ feſta ſubeant accidentariam immutationem. *ibid.*
Feſtum S. Mathiæ, licet in anno intercalari celebretur tanquam occurrens in die XXV. Februarii, non gaudet in commutatione. 185
Feſtum Purificationis in ſequenti die non habet immutationem. 186
Quo privilegio in ea die potiri forſitan poſſit. *ibid.*
In caſu tranſlationis feſtum Inventionis S. Crucis non eſt in ſequenti die immutandum. *ibid.*
Quæ ex feſtis accidentarie immutetis ſecum ferant octavam. 184
In die hujuſce immutationis non poſſunt vere dici feſta in die natalitia. 189

Immutatio perpetua feſtorum.

In quo differat a tranſlatione. 170
In quo diſcrimen habeat ab accidentaria immutatione. 184
Feſta in Breviario Romano conſtanter tranſlata, in primam diem non impeditam ſunt immutanda. 171. 172
Quæ ſunt perpetuo tranſlata in Breviariis particularibus, ſine ſpeciali decreto immutari non poterant. 172
Nec huic immutationi poterat ſuffragari ſpecialis facultas ſuper hoc Minoribus facta. *ibid.*
Quinimmo nec opinio Gavanti præfatam immutationem licitam eſſe ſentientis. *ibid.*
Sed ſervandæ erant Rubricæ, quæ dicta feſta in primam diem impeditam non fixe, ſed inſtabiliter amandant. *ibid.*
Nunc licita eſt hujuſmodi immutatio, nec amplius exigitur ſpeciale decretum. 174. 175. 177. 178. 182
Per hoc tamen non it derogatum præcedentibus Decretis ſine ſpeciali indulto dictam immutationem illicitam declarantibus, & cur, 172. 173. 174
Et immutari queunt nedum feſta propria locorum, ſed etiam ea de Breviario Romano inibi perpetuo tranſlata. 175
Dicta immutatio nedum licita eſt in Diœceſibus, vel Ordinibus Regularibus, ſed etiam in qualibet particulari Eccleſia, vel Monaſterio. *ibid.*
Num immutatio Sanctorum in præcepto ſit, an in arbitrio. 178
Vide V. *Diœceſis Januenſis*.

Immutatio perpetua quoad diem aſſignandam.

Feſta in Breviario Romano conſtanter tranſlata primæ diei non impeditæ ſunt conſignanda. 171. &c.
Feſtorum in particularibus locis tranſlatorum immutatio nedum licite fit in ſequentem diem, ſed etiam in primam non impeditam. 175
In primam diem non impeditam eſt facienda, ſed & in alteram fieri poteſt, ſi congrua non deſit ratio. 177. 182
Inter hujuſmodi congruas cauſas locum obtinet tempus feſto ipſi, vel alteri celebrando minus idoneum. 182
Olim computari etiam poterat tempus quadrageſimale, & circa feſtum Paſchæ, ſed nunc id non amplius eſt attendendum. *ibid.*
Parcendum tamen eſt, & uſquequo tempori quadrageſimali, & Adventus. *ibid.*
Secunda cauſa eſſe poteſt, quando alias poſſet deſervire in omiſſionem alterius feſti. *ibid.*
Tertia, ſi foret in impedimentum alicujus celebritatis. *ibid.*
Producuntur nonnulla exempla hujuſce impedimenti. *ibid.* &c.
Quarta, ſi ibi habeatur dies altera de Sancto celebris. 183
An ſufficiens habeatur cauſa, ſi inde impediretur officium Defunctorum pro prima die menſis. *ibid.*
An & quoties in præcedentem diem fieri valeat. *ibid.*
Quænam cenſenda ſit prima dies non impedita pro immutatione feſtorum. *ibid.*
Feſta duplicia fixe aſſigi non poſſunt diei Dominicæ. 183
In diem XXVIII. Januarii fieri non poteſt immutatio Sanctorum. 179
Neque in diem 3. Februarii. 186
Feſta dupla 1., vel 2. claſſis diei 2., & 3. Novembris aſſigi non poſſunt. 182
Hæc nec diei, in qua incidit commemoratio omnium Defunctorum alicujus Communitatis, vel ſolemne aliquod Anniverſarium. *ibid.*
Ultra primam diem non impeditam non eſt differenda immutatio, ut locus fiat officiis votivis. 179. 186
Fallit id, quoties officia votiva forent in præcepto. 186
Majus, & Junius ab immutatione an immunes eſſe debeant. *ibid.*
An itidem a die XV. ad XXVIII. Julii, ubi celebratur octava SS. Redemptoris. 187
Quænam œconomia ſervanda ſit in immutatione, quæ fit apud particulares Eccleſias. 182

Immutatio perpetua quoad diem jam aſſignatam.

Semel aſſignato officio aliquo, non poteſt amplius ad aliam diem aſſignari. 177
Limita, ſi ab aſſignata die per aliud officium perpetuo ſimul occurrens abigi eveniret. *ibid.*
Vel in aſſignatione animadverſum non eſſet ad rationem congruam a Congregatione approbatam. *ibid.*
Secus vero ſi iſta congrua ratio non foret ex approbatis. *ibid.*
Si dies natalitia, aut propria evadat libera, eidem reſtitui debet officium, quod in altera die fuit immutatum. 181
Evadit autem libera, etiam quando officium impeditum redditur altioris ritus. *ibid.*
Diei natalitiæ, etſi evadat libera, non eſt tradendum officium, quod alteri in prima ſui conceſſione fuit conſignatum. *ibid.*
Bene vero, quod alteri diei poſt primam conceſſionem traditum fuit, licet ſit de Breviario Romano. *ibid.*
Quid ſi Sancti in die aſſignata ſpecialem ſortiti forent ſolemnitatem, vel immemorabilem celebrationem. *ibid.*
Quando feſtum reſtituitur propriæ diei, nulla variatio facienda eſt in aliis officiis perpetuo affixis. *ibid.*
Idipſum eſt, quoties alterius officii perpetuo tranſlati aſſignatio fieri deberet. *ibid.*
Cum feſta perpetuo aſſignata transferri contingit, eorundem prioritas tranſlationis unde petenda. 182

Immutatio perpetua quoad perſonas, a quibus fieri debet.

Fiebat olim a ſola Congregatione, nunc aliis facta eſt hujuſmodi poteſtas. 177
Cur facta fuerit. 174. 177
Quibus facta ſit, & a quibus reſpectiva ſit facienda. 174
Semel facta aſſignatione expirat poteſtas aſſignantis, & cur. *ibid.*
Quibus in caſibus poſſit ad aliam eorundem feſtorum, & officiorum aſſignationem deveniri. 177
Quam œconomiam ſervare debeant in immutatione Sanctorum facienda apud particulares Eccleſias. 182

Immutatio perpetua quoad octavam.

Sancti alteri diei a natalitia in prima ſui conceſſione perpetuo conſignati, non ſpoliantur octava. 183
An idipſum dici debeat de Sanctis alteri diei perpetuo traditis poſt primam ſui conceſſionem. *ibid.*
Quid ſentiendum ſit de Sanctis, qui accidentariam ſubeunt immutationem. 184

Indulgentiæ.

Non transferuntur, quoties feſtum transferri contingit. 115
Imo ſi feſtum, pro quo fuerunt conceſſæ ceſſet, aut per Sedem Apoſtolicam in aliam immutetur diem, ceſſant & indulgentiæ, & pro tranſlatione ſupplicandum eſt Sanctiſſimo. 190
Per communicationis privilegium participantur, quæ, & cur. 155
Nomine privilegiorum, indultorum, & gratiarum, etiam ſpiritualium non veniunt. *ibid.*
Quæ indulgentiæ concedantur in die conſecrationis Eccleſiæ, & in anniverſario ejuſdem. 8

Intercalandi ratio.

A quo fuerit inventa. 184
Cur, & quomodo facta. *ibid.*
Dies, quam adjicit ſupra annum regularem, quænam ſit. 185

Inſtitutor Religionis.

In occurſu, & concurſu cedit Dedicationi, & Titulari propriæ Eccleſiæ. 30
Secus eſt, ſi hic ſolemnius celebretur. *ibid.*
In utroque caſu præferendus Patrono loci, Dedicationi, & Titulari Cathedralis. *ibid.*
Non tamen forſitan, ſi hi majorem inibi ſibi vindicent ſolemnitatem. *ibid.*
Eſt Patronus principalis Religionis fundatæ. 93
Deo eo ſuffragium fieri debet. *ibid.*
In canonizationibus, licet in morte poſterior, præcedentiam habet ſuper alios ejuſdem ſtatus, & ordinis. 104
An hoc præcedentiæ privilegio gaudeat ſupra Sacerdotibus, quando ipſe Sacerdos non eſt. *ibid.* &c.
Solius vi communicationis privilegiorum non poteſt ejus nomen addi in Litaniis, & Confiteor. 157

Inſtrumenta Dominicæ Paſſionis.

Sunt Reliquiæ inſignes ſpeciali nota, & cultu dignæ. 118
De iiſdem peculiare feſtum inſtitui valet. *ibid.* &c.
Dummodo conſtet de earundem identitate. 118
Aut non reducantur ad aliquod feſtum jam iſtitutum. *ibid.*
Quanam die ſit dictum feſtum inſtituendum. *ibid.*
Quodnam officium in eo uſurpandum. *ibid.*
Digna ſunt, quæ in toto loco cum officio honorentur. *ibid.*
Id tamen fieri non poteſt ſine ſpeciali indulto. *ibid.*

S. Joan.

S. Joannes Baptiſta,

Præſtat Apoſtolis. 57
In orationibus, & confeſſione nomen ejuſdem Apoſtolis eſt præponendum. ibid.
Cedit dumtaxat feſtis Domini, Deiparæ & Angelorum. ibid.
Ejuſdem Nativitas quali præferentia gaudeat in occurſu, & concurſu. ibid.
Cur Decollatio ejuſdem veſperas dividat cum S. Auguſtino. 28
Vide V, *Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ*.

S. Joannes Evangeliſta.

Inter Martyres eſt recenſendus. 62. 100
Cur ejuſdem octava veſperas fecet cum octava S. Stephani. 28

K

Kalendarium.

KAlendariis, etiam propriis, poſt Bullam Pii V. non poſſunt locorum Ordinarii addere Sanctorum officia. 33. 44
Neque mutare ritum officiorum. 48. 98
Et quidem etiam ſtante quacumque ratione, & cauſa, ſaltem permanenter. 95
An ſaltem pro una, vel altera vice ex cauſa rationabili. ibid.
Limitenda ſunt hæc, quoties a Rubricis, vel per Decreta Sedis Apoſtolicæ, vel Congregationis reperiuntur permiſſa. 44. 72
Kalendario Diœceſano uti non poſſunt Regulares, & in quo ſenſu. 160. &c.

L

Lacrymæ miraculoſæ.

CHriſti, ejuſve Matris ſibi vindicant officium in Eccleſiis, ubi aſſervantur, quale, & quando. 114
Vide V, *Sanguis miraculoſus*.

Lampas.

Prælucere debet ex mandato Concilii Mediolanenſis ſacris Reliquiis, quibus, & quando. 126
Id tamen etſi laudabile, Eccleſiam univerſalem non obligat, an autem Provinciam Mediolanenſem. ibid.
Ante Reliquias expoſitas ardere debet, & an neceſſario. 127
Num dum Reliquiæ alicui oſtenduntur, aut dum benedicuntur infirmi. 128
Ante Altare SS. Sacramenti continuo ardere debet. 127
Hæc tamen lex excuſationem admittit ob impotentiam. ibid.

S. Latro.

Qui una cum Chriſto fuit cruci affixus, ſub appellatione Sancti Latronis in nonnullis Religionibus habet officium. 63
Circa ejuſdem nomen non una eſt Auctorum opinio. ibid.
Nil vetat eidem ſub appellatione Sancti Latronis dedicari Eccleſias. ibid.
Neque ſub titulo Sancti Dimæ, licet de tali ejuſdem nomine certe non conſtet. ibid.

Lectiones I. nocturni.

Duabus de cauſis in feſtis propriæ leguntur. 35
Semper eas proprias habent duplicia majora, 1., & 2. claſſis. ibid.
Quandoque & feſta ritus inferioris. ibid.
Semper dies octava Dedicationis, & quas. ibid.
Deficiente ſcriptura recurritur pro feſtis ad reſpectivum commune. ibid.
Etiam pro diebus infra octavam. ibid.
Non tamen pro die octava, in qua ſumuntur de feſto. ibid.

Litaniæ majores.

Si occurrant in die Paſchatis, transferuntur in feriam 3. ſequentem. 141
In iiſdem nulla fieri valet variatio, aut additio. 75
In iiſdem vi communicationis privilegiorum addi non poteſt nomen Sancti Fundatoris. 157

Luminum uſus.

Ad ſepulcra Sanctorum honoris cauſa ab initio Eccleſiæ adhibitus. 126
A Sanctis Patribus cum laude memoratus. ibid.
Evidentibus miraculis probatus. ibid.
Quos ob fines inductus. 127
Fuit etiam olim luminum uſus ad, vel intra ſepulcra Defunctorum non approbatorum. ibid.
Honeſtus erat, & quos ob fines invectus. ibid.
In Eccleſiis fuit inhibitus, & cur. ibid.
Aliquæ adhuc ſunt, & quæ ejuſdem reliquiæ. ibid.

M

Mandatum.

NEceſſarium, & quale ad hoc, ut officiales ad electionem Patronorum procedant. 68
Quomodo fieri debeat. 69
Quæ, & quot vota ad ejuſdem validitatem ſufficiant. ibid.

Manumiſſi.

Erant ſervi libertate donati. 37
Cur hi dicti manumiſſi, & quomodo manumiſſio fiebat. ibid.

B. Maria.

In Ipſo Eccleſiæ exordio cultus eſt ipſi delatus. 62. &c.
Ante ſæculum IV. illi tanquam Deæ ſacrificium nonnulli perperam offerebant. 62
Dum Neſtorius titulum *Dei genetricis* impie ei auferebat, ejuſdem cultus in toto Chriſtiano orbe maximum incrementum habuit. 65
Quæcumque ejuſdem dies octava habet veſperas integras in concurſu cum duplici minori, & quo. 141. 192

B. Maria quoad Eccleſias ſibi dicatas.

Eccleſiæ paſſim, & ubivis plurimæ in ejus honorem extructæ. 57
Cur aliquæ appellatæ a loco, a forma, vel ab accidenti. ibid.
Tituli, quibus illi Eccleſiæ dicantur, ad quinque capita facile revocantur. ibid.
Quænam ſint hujuſmodi capita. ibid.
Eccleſiæ ſub myſteriis dicatæ, quoad diem, & qualitatem officii ſequantur feſtivitates de iiſdem jam inſtitutas. 58 &c.
Sin autem nova eſt inſtituenda feſtivitas, qualis, & quando. 59
Pro Eccleſiis ſimpliciter B. Mariæ dicatis deſervit ejuſdem Aſſumptio. ibid.
Non minus congrue & Nativitas. ibid.
Non tamen Conceptio. ibid.
De Eccleſiis a loco, vel forma appellatis eadem eſt ratio, quæ de Eccleſiis ſimpliciter B. Mariæ dicatis. ibid.
Quid faciendum in Eccleſiis ab actione, vel virtute aliqua ejuſdem intitulatis. ibid.
Quid in eis aliquo ſub titulo ab excellentia petito. ibid.
Quid in conſtructis in memoriam alicujus Reliquiæ. 59. &c.
Pro titulis prodigiorum, & Apparitionum nova expoſcitur feſtivitas. 60
Quid ſi non ſint approbata. ibid.
An, & quando in officio fieri queat prodigiorum mentio. ibid.
Tituli ex favoribus, & donis peculiare feſtum requirunt. ibid.
In caſu novæ feſtivitatis inſtituendæ quodnam officium ſit uſurpandum. ibid.
Quo die inſtitui debeat. 61

B. Mariæ Reliquiæ.

Plurimæ recenſentur. 59. &c.
Aliæ ad ſolam Virginem, aliæ etiam ad Chriſtum ſpectant. 60
Utraque ſunt Reliquiæ inſignes, ſpeciali nota, & cultu dignæ. ibid.
Inducunt particulare officium in Eccleſias, ubi cuſtodiuntur. 113
Limito, ſi feſtivitas aliqua habeatur, ad quam commode reducantur. ibid.
Quanam die ſit feſtum præfatum inſtituendum. 114
Quodnam officium in eo eſt uſurpandum. ibid.
Sunt unum ex capitibus, ſub quibus B. Virgini Eccleſiæ dicantur 60
Quandonam propterea, necne ſit peculiaris feſtivitas inſtituenda. ibid. &c.
Vide V. *Lacrimæ miraculoſæ*, V. *Sanguis miraculoſus*.

S. Martialis.

Declaratur Apoſtolus. 95
Cultus extitit & cum Apoſtolorum officio. ibid.
Fere ubique deſiit hujuſmodi cultus, alibi tamen aliis ſanctis præſtatur. ibid.

S. Martinus.

Prior eſt ex confeſſoribus, qui Eccleſiaſticum cultum obtinuit. 62
In ejuſdem honorem ſtatim ab ejus obitu excitata fuit Eccleſia. ibid.
Ejuſdem Cappam Francorum Reges ad bella procedentes ſecum portabant. 47
Hinc derivatum creditur nomen Cappellæ, ſed melius Cappellani, & cur. ibid.

Martyres.

Eorundem cultus eſt Eccleſiæ coævus. 62
In eorum honorem, & memoriam extrui ſolebant templa. ibid.
Hinc hæc dicta fuere *martyria*, vel *memoriæ*, aut *Baſilicæ martyrum*. ibid.
Super eorundem Reliquias Altaria, & Eccleſiæ erigi olim ſolita. 96
Solum martyrum Reliquiæ in conſecratione Eccleſiæ olim adhibitæ. ibid.
Pro Chriſto ærumnis confectos, uti martyres veneratur Eccleſia. 108
Item infantes in maternis uteris ex odio in fidem occiſos. ibid.
Non ſic tamen caritatis argumento mortuos in obſequio peſte laborantium. ibid.
Niſi ex odio in fidem dicto ſervitio hi fuiſſent addicti. ibid.
Martyres deſiderii non ſunt vere martyres. ibid.
Apud Deum tamen coronam martyrii conſequuntur. 109
Martyres patientiæ, religionis, virginitatis, aut divinæ caritatis inter vere martyres non ſunt numerandi. ibid.
Neque qui in foro ſolum externo ut mortui reputantur. ibid.
An, & quando ſibi mortem inferentes ut martyres ſint agnoſcendi. ibid.
Qui lethalia vulnera receperunt, licet divinitus ab his læſi non fuerint, cultu martyris afficiuntur. ibid.
A fortiori a dictis vulneribus læſi, licet a Deo ſanati in pace quieverint. ibid.
An, & quando inter martyres recenſendi, qui lethalia, vel crudelia vulnera recepere. ibid.
A mortis periculis divinitus ereptos, licet tormenta nullam eorundem corporis partem affecerint, cultu martyris honorat Eccleſia. 110
Multa, quæ dedimus, tantum procedunt de Dei ſervis primorum Eccleſiæ ſæculorum. ibid.
De iiſdem non eſt ſimile modo, & cur Eccleſiæ judicium. ibid.
Miraculoſe a morte liberati perperam a nonnullis confirmati in gratia creduntur. 111
Exempla eorundem, qui lethalibus criminibus ſe poſtmodum inquinarunt. ibid.
Quos tanquam martyres notat martyrologium Romanum uti martyres rite coluntur. ibid.

Mur-

Digitized by Google

Martyres apud Antiquos *Confeſſores* appellati inveniuntur, & qui. 62

Martyres quoad partem Corporis, in qua paſſi ſunt.

Præ cæteris ſanctis ob eam corporis partem, in qua paſſi ſunt, conſequuntur officium in Eccleſia, in qua aſſervatur, cur, & quando. 106. *&c.*
Non gaudent hoc privilegio martyres ærumnis confecti. 79
An ſi ex ærumnis in parte aliqua ſpecialiter læſi fuerint. 108
Quid de infantibus in utero matris peremptis. *ibid.*
Mortui in obſequium peſte laborantium quando dictum privilegium reportent. *ibid.*
Martyres deſiderii non gaudent dicto privilegio. *ibid. &c.*
Item nec martyres patientiæ, religionis, virginitatis, & divinæ caritatis. 109
Nec mortui tantum in foro externo reputati. *ibid.*
Quid de iis, qui ſibi mortem intulerunt. *ibid.*
Quid de lethalia vulnera perpeſſis, & ab iiſdem per miraculum minime læſis. *ibid.*
Quid de his qui dicta tormenta ſenſere, ſed miraculoſe ſanati, in pace quievere. *ibid.*
An partes particulariter, ſed non lethaliter læſæ in martyribus dictum privilegium reportent. *ibid.*
Quale ad effectum vulnus eſſe debeat, quando non eſt lethale. *ibid.*
An per gravia vulnera afflicti, & poſtmodum per lethalia perempti, in amborum parte ſint privilegiati. 110
Quid de martyribus, qui per totum, vel ſere totum corpus torti fuere. *ibid.*
An ſancti a paratis tormentis divinitus erepti, in parte, cui illa applicari debebant, gaudeant privilegio. *ibid.*
Ærumnis confecti, etſi inde in aliqua parte ſpecialiter læſi, & a lethalibus tormentis divinitus erepti, qui in pace poſtmodum quieſcunt, non amplius, & cur, dictum privilegium aſſequuntur. *ibid. &c.*

Martyrologium Romanum.

Ejuſdem editio, atque emendatio. 105
Quæ ſit ejuſdem authoritas. 111
Omnes canonizati jus habent ſuæ deſcriptionis in eodem. 101
Quæ dicti juris differentia ſit inter canonizatos juxta antiquam, & modernam Eccleſiæ diſciplinam. *ibid.*
Carent tali jure, qui ſunt tantum beatificati. *ibid.*
An item, & qui ſunt in poſſeſſione cultus immemorialis. 102
Qui ad dictam deſcriptionem jure proximo cenſeantur gaudere. 103
Alii expreſſo, alii ſuppreſſo nomine in eodem notatis. *ibid.*
Quandoque promiſcue uſurpat titulum Beatorum, & Sanctorum. 67. *&c.*
Non exigitur, quod in Patronos eligendi in eodem ſint deſcripti. *ibid.*
Bene tamen, ut officium ſiat ratione Reliquiæ. 101. 176. 119. 120
Deſcriptio Sanctorum ſub titulo Beatorum, & e contra eorundem nec auget, nec minuit cultum. 67
Hoc verum eſt de Beatis ſub titulo Sanctorum deſcriptis, quatenus talis deſcriptio cultum non importet. 68
Verius deſcriptio in Martyrologio Romano importat cultum permiſſum in univerſali Eccleſia. 105
Cur nonnulli Beati ſub titulo *Sanctorum* in eo notentur. 67
Nec tamen deſcriptio non vetat, eoſdem adhuc poſſe canonizari. *ibid.*
In anno biſſextili ſanctorum verſus finem Februarii incidentium lectio in ſequentem diem eſt transferenda. 185
Particularium Sanctorum memoria in eo fieri poteſt, & quo ordine. 75

Meratus.

Aliorum errorem corrigens, majorem plagam facit. 2
Sibi diſcors. *ibid.*
Refellitur, quantum ad Miſſas privatas diei conſecrationis. 6. *&c.*
Refellitur itidem quoad Miſſam ſolemnem. *ibid. &c.*
Haud laudabiliter refert Decretum quoddam cum additione. 58
Aperte allucinatus, dum Textui nonnulla inſeruit verba explicationis gratia. 84
Turpiter deſerit Gavantum. 90
Non probatur ejuſdem ſententia de ſuffragio Patroni loci a Regularibus faciendo. 94
Addidit Textui explicationem. 132
Simplicibus perpetuo impeditis aliam diem eſſe aſſignandam perperam docet. 134
An recte Pittonum refellat. *ibid.*
Craſſus, & invindicabilis ejuſdem error. 139
Sanctorum translationem ad annum ſequentem probat, quam alibi refutat. *ibid.*
Allucinatus in additione cuidam facta Decreto. 140
Se corrigit ab iis, quæ alibi tradiderat. 143
Turpiter deſtruit, quod ædificavit. 179
Textui inſerit quædam verba explicationis gratia; & an recte. 77
Refellitur quoad immutationem, quam concedit Purificationi B. Mariæ. 186

Minores Conventuales S. Franciſci.

Decretis inhibentibus Sanctorum translationem ad annum ſequentem ſtatim paruere. 142
Ut ſuperſtitibus officiis locum facerent, laudante Congregatione, octavas plurimas expunxere. *ibid.*
Pepercere tamen principalibus, imo & ſolemnioribus ex minus principalibus. 144
Quid teneat eorumdem Kalendarium circa feſtum SS. Nominis Jeſu, & quomodo ſit id intelligendum. 179
Conſignant alteri diei feſta ſimplicia perpetuo impedita. 134

Miſſa.

In die conſecrationis Eccleſiæ, de quo eſſe debeant miſſæ privatæ, & ſolemnis. 5
Si miſſæ privatæ ſiant de Dedicatione, num in poſtcommunione ſit aliqua variatio facienda. 6
Celebrantes in aliena Eccleſia, quam miſſam facere debeant. *ibid.*
Si Eccleſiæ, in qua celebrant, in miſſa non ſe conforment, quid circa colorem. *ibid.*
Quibus diebus, & quibus in caſibus cani poteſt miſſa ſolemnis de feſto, quod transfertur. *ibid.*
An quoties dicitur miſſa ſolemnis de feſto, quod transfertur, cani debeat altera Miſſa officio conformis. 8
An, quoties, a quibus, & quomodo addi poſſit collecta de feſto transferendo in miſſa diei. 7. *&c.*
Quid ſit ſentiendum circa miſſam anniverſarii conſecrationis Papæ, vel Epiſcopi. *ibid.*

Miſſa altera de die.

Non obligat Eccleſias, in quibus non canitur miſſa quotidie. 8
Nec ubi non eſt obligatio illam canendi. *ibid.*
Obligat ſolum Cathedrales, & Collegiatas. *ibid.*
Imo nec has in die conſecrationis. *ibid.*

Miſſæ Sacrificium.

Duobus dumtaxat luminibus ardentibus rite peragitur. 117
Quid ſit ſentiendum de tertio lumine a parte Epiſtolæ juxta Rubricam accedendo. *ibid.*
In caſu neceſſitatis, adhuc non valde gravis, licet celebrare cum luminibus ex oleo, vel ſevo. *ibid.*
Quinimmo & cum uno ſolo lumine. *ibid.*
Nullatenus tamen ſine ullo. *ibid.*
Peccatum putarunt nonnulli miſſam facere ante preces matutinas, ſed male. 169
Antiqua conſuetudo miſſam celebrandi pro requie Sanctorum. 188

Moniales.

Veniunt nomine Religioſi, & in quibus. 80
Etiam cleri appellatione. 150
Participant cuncta privilegia, quorum ſunt capaces, Fratribus, & Monialibus ſui Ordinis conceſſa. 151
Et quidem licet ſint conceſſa cum expreſſione *Virorum, aut maſculorum Religioſorum*. *ibid.*
Quæ ſunt diſpoſita de Regularibus viris, diſpoſita etiam intelliguntur de Monialibus, dummodo earundem ſexui, & conditioni congruant, ac ſint adaptabilia. 17. *&c.* 80. 82. 84. 151. 150. 162. 163. *&c.*
Et quidem licet ſint locorum Ordinariis ſubjectæ. *ibid.*
An ad privatam, aut publicam horarum canonicarum recitationem teneantur, & quæ. 163. uſque ad 170
Privilegia, quibus gaudent circa officium divinum. 157. uſque ad 159

Moniales Ordinariis ſubjectæ.

Participant cuncta privilegia, quorum ſunt capaces, Fratribus, & Monialibus ſui Ordinis, vel aliorum conceſſa. 151. *&c.*
Licet ſint conceſſa ſub expreſſione *Virorum, aut maſculorum Religioſorum*. *ibid.*
Vel in iiſdem hæc, vel ſimilis expreſſio habeatur: *Moniales ſub obedientia Ordinis veſtri*. *ibid.*
Non teneantur, nec poſſunt recitare de octavis locorum. 17. *&c.* 167

Myſteria, & Res ſacræ.

Poſſunt eſſe Eccleſiarum Tituli. 38. *&c.*
Non tamen Patroni. *ibid.*
Quomodo & Patroni. *ibid.*
Quid ſentiendum veniat de Eccleſiis ſub titulo myſteriorum Deiparæ erectis. 57

N

Natale Sanctorum.

Olim de martyrum morte tantummodo dictum, in confeſſoribus depoſitio, vel tranſitus. 188
Nunc & de confeſſorum morte dicitur. *ibid.*
Cur dies mortis tali gaudeat nuncupatione. *ibid. &c.*
Quantæ olim curæ fuerit ſanctorum natale annotare, & quo fine. 189
In ſanctorum natali olim miſſa pro eorundem requie celebrabatur. *ibid.*
Sanctorum natale differt ab eorundem natalitiis, & in quo. *ibid.*
Eccleſia utrumque nomen promiſcue uſurpat. *ibid.*
Rectius tamen natale ſignat diem mortis, natalitium feſtivitatem. *ibid.*
Cur ſanctorum potius mors, quam nativitas celebretur. *ibid.*
Quorum nativitas in hoc mundo ſolummodo recolatur. *ibid.*
Pro diebus natalitiis habendi ſunt, qui fixe per Sedem Apoſtolicam aſſignati ſunt feſtivitati alicujus ſancti. 180
Qui tamen, licet non ſint dies obitus, ſunt ad diem obitus recolendum deſtinati. *ibid.*
Licet tamen ita habendi ſint, non ſunt vere tales. *ibid.*
Feſta ſecundaria natalitia dici non poſſunt. *ibid.*
Quoties in feſtis ſecundariis colitur ſanctorum mors, natalitiorum nomen non effugiunt. *ibid.*
Dies, in quos officia mortis transferuntur, non ſunt vere natalitii, ſed lato modo. *ibid.*
Cur nihilominus in iiſdem diebus natalitia ſanctorum coli dicantur. *ibid.*
Quid ſentiendum ſit de iis, qui accidentario immutantur. *ibid.*
Triplex eſt ratio decernendi ſanctis natalem diem. *ibid.*
Quæ regula hac in re ſit tenenda. *ibid.*

Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.

Antiquior eſt Nativitate B. Mariæ, & cur. 25
Cur celebrari indicta, cum in aliis ſanctis colatur dies mortis. *ibid.*
In occurſu, & concurſu eſt præferenda Dedicationi, Titulo, & Patrono Eccleſiæ. 26. *&c.*
Præferenda eſt etiam Apoſtolis, & quibus ſolum cedat. 27
Donata non eſt privilegio excludendi omne feſtum. *ibid.*
Cur ejuſdem dies octava veſperas ſecet cum præcedenti commemoratione S. Pauli. 28
Ejuſdem octava gaudet quoque præferentiæ privilegio relate ad octavam Dedicationis, & Patroni, & quibus dumtaxat cedat. *ibid.*
Immutationis privilegio in ſequentem diem etiam impeditam donata eſt, quoties transfertur. 141. 186

In

Digitized by Google

In hoc tamen caſu nullam mutationem ſubit ejuſdem octava. 184
Si Eccleſiæ conſecratio in hoc feſto agatur quale officium, & miſſæ ſint recitandæ. 8
In die octava ejuſdem congrue leguntur in tertio nocturno lectiones de aliqua die infra octavam, ſi lectæ hæ non fuerunt, 34

Nativitas B. Mariæ,

In cœlis quotannis feſtiva colitur ab Angelis. 55
Ex quadam cœleſti viſione ab aliquibus creditur orta. ibid.
Auguſtini ætate non erat inſtituta. ibid.
Ejuſdem inſtitutio quibus Auctoribus & temporibus ſit adſcribenda. ibid. &c.
Non ſemper die VIII. Septembris celebrata. 26
Olim octavam non habuit, & a quo, & cur fuerit illi adjecta. ibid.
Gregorius XI. pervigilium addidit de conſilio, ibid.
Cedit Dedicationi Eccleſiæ. ibid.
Etiam hujus octavæ cedit illius octava. ibid.
Non cedit in paritate ritus, ibid.
Quoties transfertur, poteſt de ea miſſa cantari, ibid.
Non incongrue deſervit ad recolendum titulum Eccleſiarum B. Mariæ abſolute dicatarum. 59
Pro quibuſdam recolendis Titulis poſſet ejuſdem officium uſurpari, ſed aptius eſt illud S. Mariæ ad Nives, 58
Quæ Reliquiæ ad eam reducantur. 59

Notæ, ſeu ſigna Martyrii.

Plurimæ ſunt, & primum inſcriptio, & qualis. 181
Secundo inſtrumenta martyrii, non tamen imagines. ibid.
Tertio Symbolum $\overset{P}{X}$, de quo dubitant Auctores. ibid.
Quarto Palmæ. ibid.
Quinto Phialæ, ſeu vaſcula ſanguinis. ibid.
Palmæ tantum, & vas ſanguinis pro certis ſignis a Sacra Congregatione habentur. ibid.
Una ex his notis ſufficit, non utraque exigitur. ibid.

O

Occurentia.

In occurrentia feſti Eccleſiæ particularis, & alterius de Eccleſia univerſali, in paritate ritus, dignitatis, & ſolemnitatis præcedit officium particulare. 178. 180. &c.
In occurſu feſtorum, quorum unum eſt in die natalitia, & alterum in die aſſignata, huic illud eſt præferendum. 180
Et hoc, licet feſtum aſſignatum foret dignius dignitate accidentali, aut antiquius conceſſione. ibid.
Aſſignatum pro Eccleſia univerſali præſtat aſſignato in Eccleſia particulari. 181
Cur ita, cum feſtum particulare præſtet univerſali. ibid.
Itidem illud, quod univerſaliorem habet aſſignationem, præferendum eſt habenti non ita univerſalem. ibid.
Pro retinenda die natalitia, aut univerſalius aſſignata, ſcrupuloſe inſpici non debet dignitas, aut ritus officii in ea præcedenter immutati. ibid.
Fallit hoc, ſi officium immutatum in die aſſignata ſpecialem ſortitum fuiſſet ſolemnitatem, vel immemorialem poſſeſſionem. ibid.
Dummodo tamen officium poſterius conceſſum majoris non foret ritus, vel dignitatis. ibid.
Feſta, quæ ſolemnius celebrantur, præferenda ſunt iis, quæ non ita ſolemniter celebrantur, & quibus. 29. &c.
Unde petenda ſit præferentia in occurſu. 74. &c.
Ratio, quæ in concurſu non facit præferre, cur præferre faciat in occurſu, ibid.

Octava Dedicationis.

Quorum octavis cedat. 28. &c.
Id tamen, dummodo earum feſta æquali gaudeant ritu. 26
Cedit octavæ omnium ſanctorum. 36. &c.
In occurſu quæ præferentia eidem tribuenda. 28. &c.
Qualis in concurſu. 29
Quæ ſint lectiones 1. noct. 35
Quæ infra octavam, ſi ſcriptura deficiat. ibid.
Quæ in 3. nocturnu. ibid.

Octava feſti omnium Sanctorum.

A Sixto IV. fuit indicta. 36
Dignior eſt octava Dedicationis. ibid.
Ratio hujuſce præferentiæ petita ex comprehenſione Chriſti, B. Mariæ &c. non probatur. ibid.
Quæ potior ejuſdem præferentiæ ſit ratio. ibid. &c.
Cedit octavis Domini, B. Mariæ, Angelorum, & Apoſtolorum. 37
Ejuſdem feſti privilegium excludendi omne feſtum in eam non deſervat. ibid.
In concurſu veſperas dimidiat. 31. &c. 37
Vide *Feſtum omnium Sanctorum*.

Octavæ.

Octava quæcumque B. Mariæ integras habet veſperas in concurſu cum duplici minori. 141
Dabantur olim octavæ minores, & quomodo earundem officium inſtitueretur. 180
Quædam octava in anno biſſextili per novem durant dies. 185
Cur octavæ commemoratio quandoque deperdatur, & eam non deperdat feſtum ſimplex. 147
Tranſlato feſto non transfertur octava. 5
Quando feſta immutantur, eo, & quæ ſecum ferant octavam. 5. 183
Quæ dies octavæ in concurſu præferentiam habeant. 192
Octavæ diſpendium dat ſufficientem cauſam mutandi anniverſarium Dedicationis, & quando. 3
In occurſu præferentiam habet octava feſti dignioris ſecundum claſſem. 26
Quæ lectiones 1. nocturni legendæ ſint in die octava, & infra octavam deficiente ſcriptura. 35
Quæ in 3. nocturno, ſi aſſignentur de feſto, & ex alicujus diei infra octavam vacent, ibid.

Officia terminis facultativis conceſſa.

Quæ ſint. 162
Poſtquam ſunt acceptata, ſunt de præcepto. ibid.
Harum acceptatio pertinet ad Epiſcopos, vel Prælatos, non ad ſubditos. ibid.
Eorum, quæ ad Principum inſtantias conceduntur, acceptatio pertinet ad Principes ipſos. ibid.
Si tamen conceſſa ſint pro locis ſibi ſubjectis, ſin autem, ad quos. ibid.
Quorum acceptatio Regulares obliget. 161. 162. 163

Officia toti Italiæ conceſſa.

An ad Inſulas adjacentes extendantur. 191
Sequenda quoad proprietatem officii, & diem celebrationis etiam a præcedentibus Indultariis. 192
Quid ſi præcedens Indultum altiorem ferat ritum. ibid.

Officia affixa diebus mobilibus.

Si ſint Eccleſiæ univerſali conceſſa, in caſu impedimenti omittenda non ſunt, ſed transferenda. 170
An item quæ particularibus locis ad inſtantiam Principum, locorum, vel Epiſcoporum. 144

Officia univerſalia.

Quæ ſint in ſtricta acceptione, & quæ in lata. 189
Ceſſant officia particularibus locis conceſſa, quoties ad univerſalem protenduntur Eccleſiam. 190. 191. &c.
Imo hoc ipſo uniformitas cum Eccleſia univerſali teneri debet tum quoad proprietatem officii, tum quoad diem illud celebrandi. 190. 191. &c.
Vetus officium nec amplius poteſt reimprimi, & in quo ſenſu. 190
Sequenda eſt dies Breviarii Romani, licet ſit altera a natalitia, & ibi officium altiori polleat ritu, & quoties. 191
Id limita quinque in caſibus. 192
Hæc omnia iiſdem procedunt, cum officia redduntur late univerſalia, & quando. ibid.

Officiales locorum.

Non poſſunt ſoli procedere ad electiones Patronorum. 68. &c.
Poſſunt, ſi habent ſpeciale mandatum. ibid.
Quomodo in caſu ad electionem procedere debeant. 69
Quæ votorum pars ſufficiat, ut valida tranſeat electio. ibid.

Officium divinum.

De eodem Sancto multiplicari non debet ad titulorum multiplicationem. 99. &c.
Conceſſum de aliquo Dei Servo pro Eccleſia univerſali, reddit eum canonizatum canonizatione æquipollenti. 66
Secus vero, ſi conceſſum ſolummodo ſit pro aliquibus locis. ibid.

Officium feriale.

Quantam olim habuerit reverentiam. 138
Ejuſdem decoctio quamplurima affert incommoda. ibid.
Juxta Gavantum officium Domini eſt. ibid.
Etſi per feſta ſupprimatur, nulla injuria infertur Domino Deo. ibid.

Oleum.

Ex pluribus Sanctorum cadaveribus, aut ſepulcris effluens. 96
Ad Reliquias proprie dictas dictum oleum eſt revocandum. 97
Vetuſta conſuetudo venerandi oleum deſumptum ex lampadibus ante ſacras Reliquias ardentibus. ibid.
Quædam miracula medio hoc oleo peracta. 96. 97. 98
Antiquus uſus deferendi oleum ad Eccleſiæ miniſtros, ut benediceretur. 97
Itidem ad homines ſanctitate præſtantes, ibid.

Oratio.

Quoties debet variari, variata dicitur de eo, de quo fit commemoratio. 32
Variatur in aliam de reſpectivo communi. ibid.
Etiam de alio communi variatis variandis, & quando. ibid.
Quomodo inducenda in orationibus varietas in caſu plurium Dedicationum. 33
In diverſis locis ejuſdem partis officii, & miſſæ eadem oratio repeti poteſt. ibid.
Quoties Sancti ſejunguntur, ſi oratio propria eſt, in utriuſque officio recitatur. 132. 133
Quid ſi feſtum Sociorum recitetur infra octavam, vel concurrat cum feſto aliorum. 133
Quid ſi oratio ſit de communi. ibid.
In oratione tacenda ſunt nomina Sociorum quoties ſeparantur. 132

Oracula vivæ vocis.

Quæ ante Pium V. fuerunt expedita, per hujus Bullam tranſierunt in privilegia bullata. 157
Hinc extincta non fuere per generalem vivæ vocis oraculorum revocationem. ibid.
Imo per hanc ſolum oracula alteri præjudiciabilia caſſata fuiſſe docent nonnulli. 158

Ordinarii locorum.

Qui ſint, & quinam eorum nomine veniant. 73
An tales item ſint Prælati Regulares. ibid.
In Monialium regimine gerunt vices Prælatorum Regularium. 17. 150. 163
Privilegium per Prælatos Regulares exercendum, relate ad Moniales ſibi ſubjectas ab Ordinariis locorum exercetur. 151
Dum ignoratur dies conſecrationis, hanc ſtatuere valent pro anniverſario, quam & an immutabiliter. 13
Quid, & qui poſſint circa feſtum patrocinii B. Mariæ. ibid.
An ſtatuere valeant diem pro celebratione feſti, cujus dies natalitia ignoratur. 114
Ab iiſdem, & a quibus debeant eſſe approbatæ Reliquiæ, & quæ pro officio, & cultu. 107. &c. 118. 119.

Digitized by Google

Quid poſſint circa Reliquias Eccleſiarum Regularium. 218
Poſt Bullam Pii V. nullum officium poſſunt inducere. 23
Feſta perpetuo tranſlata poſſunt alteri diei in perpetuum conſignare. 177
Quoties e memoria exciderit, ex pluribus cognominibus quinam ſit Titularis, valent alterutrum eligere. 64
An ſi poſtea innoteſcat, antiqui cultus debeat reſumi. ibid.
Quoties Eccleſia eſt pluribus Sanctis collective dicata, eorundem eſt determinare diem, quo feſtum Tituli recolatur. ibid.
Idipſum facere poſſunt pro recolendo Titulo Eccleſiæ, & quando. 61

Ordo Eremitarum S. Auguſtini.

Errat, dum Eccleſiarum ſub titulo S. Mariæ Conſolationis erectarum Aſſumptionem, aut Nativitatem B. Mariæ pro Titulo recognoſcit. 60. 61
Qualis eſſe debeat Titulus dictarum Eccleſiarum. 61
Quolibet menſe habet in præcepto commemorationem ſui Sancti Inſtitutoris. 186
Ad effectum agendi de ea, in immutatione Sanctorum facienda relinquere debet duas menſis dies liberas. ibid.
Reprehenditur, quia recitat officium abſimile ab eo Eccleſiæ univerſali conceſſo in feſto nominis Jeſu. 191

Ordo Prædicatorum.

Quomodo officium peragat in die conſecrationis Eccleſiæ, & qua die ejuſdem octavam. 5
Talis modus probari non valet. ibid.
Nonnunquam anticipat in præcedentem diem feſta, quæ transferuntur, & quando. 147
Ab addictis Breviario Romano nec iſte modus in uſum valet deduci. ibid.

P

Pantheon.

CUR Chriſtianis in Idolorum Templa furentibus, intactum ſteterit. 27
Quis ejus auctor, & cur *Pantheon* dictum. ibid.
A quo & quo tempore B. Mariæ, & Martyribus dicatum. 36
Quomodo nunc dictum. ibid.
Ab ejuſdem conſecratione feſtum omnium Sanctorum originem agnoſcit. ibid.

Parochialis Eccleſia.

Unde ſic dicta. 19
Celebrat feſta primaria antiquæ, cujus jura ad ipſam ſunt devoluta, & quando. 19
Item acceſſoriarum, & unitarum. ibid.
An ejuſdem feſta Tituli, & Dedicationis extendantur ad Eccleſias, & Sacerdotes intra juriſdictionis limites degentes. ibid.
Ejuſdem feſta primaria non ſunt feſta loci. 23
Nec ſunt in præcepto quoad forum. ibid.
Miſſa feſtiva de Titulo, & Dedicatione Eccleſiæ Parochialis celebrari non poteſt in ſubjectis Eccleſiis. 21
Non poteſt recitare de feſtis Eccleſiarum filialium. 53
Non poteſt per Civitatem, aut Diœceſim celebrari feſtum de Titulari ejuſdem, eo quod ea adſit in loco. 44. &c.
Et quidem nec etiam intra limites juriſdictionis. ibid.
Quæ non eſt conſecrata, eſt conſecranda, & intra quod temporis ſpatium. 1
Vocata invenitur quandoque Cappella. 47
Vide V. *Patronus Parochiæ*.

Parochus.

Quare ſic dictus. 19
Si duas habeat pereque unitas Eccleſias, recitet de ambarum Titulari. 50
Licet unio ſit temporalis. ibid.
Et adhuc licet altera ſit ſolum acceſſorie unita, aut cum priori facta ſit veluti una. ibid.
Idem dicendum de Dedicatione. ibid.
Non poteſt recitare de feſtis Eccleſiarum filialium. 53
Eccleſiarum filialium vere Rector minime eſt. ibid.
Dum in harum feſtis choro intervenit, ſatisfacit per officium earundem. 55
Quoties choro alicujus Eccleſiæ addictus eſt, non debet de aliarum officiis, etiam primariis, ſui beneficii recitare. 31
Poteſt tamen adhuc, dum præſens eſt feſto principali illarum. 52. 55
An, & quæ alia officia ſuarum Eccleſiarum æque principaliter unitarum valeat recitare. 54. &c.
De feſtis Reliquiarum, aliiſque particularibus Eccleſiarum factarum veluti una, ac acceſſoriarum cum propria ſua reſidentiæ rite recitat.
An, & quando valeat recitare de feſtis Parochialis antiquæ. 54. 105
Quid faciat in ſimultanea occurrentia plurium hujuſmodi feſtorum. 20. 20. 54
Hæc omnia æque procedunt de Parochis mercenariis. 31

Pars dextera.

Olim minus digna, quam læva. 76
Cur S. Pauli effigies ad dexteram olim fuerit collocata. ibid.
Hujus exemplo elegans inventio ad ſedandam quandam præcedentiæ differentiam. ibid.

Patrocinium B. Mariæ.

Quinam aſſignare poſſint diem illud celebrandi. 53
Quanam die, & quodnam officium ſit celebrandum, ubi eſt Titulare. 59

Patroni Civitatis quoad electionem.

Electio Patroni Civitatis fieri debet per ſecreta ſuffragia, & cur. 68
A populo, & non ab officialibus ſolum, & quare. ibid.
Et a populo mediante conſilio generali. ibid.
Facta a conſilio nobilium, vel aliorum non ſubſiſtit. ibid.
Quoties cenſeatur facta per conſilium generale. ibid.
Qui in hoc non intervenere, tenentur ad factam electionem. ib. &c.
Omnes de loco ad dictam electionem ſunt vocandi, & quæ vocatio ſufficiat. ibid.
An etiam abſentes debeant ad eam citari. ibid.
Valida eſt, licet non facta a majori parte vocalium, & quando. 69
Poteſt fieri a Repræſentantibus Civitatem, & quando. ibid.
Quodnam mandatum in caſu hi debeant habere. 69
An in conſilio eligente, vel faciente mandatum debeat patere aditus populo Suburbiorum, Territorii &c. 69. 71
Quid ſi hæc ad alienam ſpectent Diœceſim. 69
Quid ſi proprium habeant Patronum. ibid.
Quid ſentiendum ſit de iis Diœceſis, quæ extra confinia Civitatis eſt poſita. ibid.

Patroni Regni quoad electionem.

Electio Patroni Regni a populo ſingularum Civitatum, & quomodo facienda. 69
Poteſt fieri etiam a Repræſentantibus Regnum, vel Provinciam, & quando. ibid.
Quodnam mandatum hi debeant in caſu habere. ibid.
Non ſubſiſtit electio, ſi una ex Civitatibus non eligat. ibid.
Bene vero, ſi unus ex officialibus non eligit, & quando. ibid.
Cur fieri non indicta a Populo ſingularum Civitatum congregato, verum ſic fieri queat, & debeat ab officialibus earundem. ibid.
Quibus, & quoties in conſilio eligente, vel faciente mandatum ingreſſus debeat patere. ibid.

Patroni quoad conſenſum ſuper electione.

Non ſubſiſtit electio Patroni, niſi accedat conſenſus Epiſcopi. 70
Non cujuſcumque, ſed Epiſcopi loci. 61
Si locus duobus pareat Epiſcopis, amborum conſenſus exigitur. ibid.
Sede vacante ſufficit conſenſus Vicarii Capitularis. ibid.
In locis nullius Diœceſis Ordinarius illius conſenſum præbebit. ibid.
In electione Patroni Regni exigitur conſenſus Epiſcoporum cunctarum Civitatum Provinciæ. 69
Neceſſarius item eſt ad cujuſcumque Patroni electionem conſenſus cleri. ibid. &c.
Etiam Regularis, & cur. ibid. &c.
Conſenſus cleri quomodo capiendus, & præſtandus. 70
In conſilio cleri votum non habet Epiſcopus. ibid.
Utrique clero in conſilium ingreſſus debet patere. ibid.
Quæ votorum pars ſufficiat. ibid.
Pro clero Regulari ſat eſt conſenſus ſuorum Prælatorum. ibid.
Conſenſus præſtari poteſt etiam per alium, & quomodo. ibid.

Patroni quantum ad confirmationem, & cauſam electionis.

Electio Patronorum arbitrarie fieri non debet, ſed cum cauſa. 70
Quæ eſſe poſſint hujuſmodi cauſæ. 68
Debet approbari, & confirmari a Sacra Congregatione. 70
Cur. ibid.

Patroni ex conſuetudine.

Patroni olim media conſuetudine inducebantur. 71
A Decreto MDCXXX. per conſuetudinem induci vetantur. 72
Sine ulla contrarietate ab alio Decreto admittuntur, & qui. ibid.
Ante annum MDCXXX. debet eſſe inducta conſuetudo, quæ eos tuetur. ibid.
Non exigitur, quod etiam fuerit præſcripta. ibid.
Quid requiratur, ut ſit legitime inducta. ibid.
Debet inſuper eſſe recepta, & in quo conſiſtat hujuſmodi receptio. ibid.
A quo, ubi, & quomodo debeat, & ſufficiat, quod ſit inducta, aut recepta. 73
Quæ conſuetudo tueatur officium de Patrono Civitatis in locis gaudentibus peculiari Patrono. 78

Patroni locorum.

Alii univerſales, alii particulares. 64
Ex utriſque alii principales, alii minus principales. ibid.
In quo differant a Patronis Eccleſiarum. ibid.
Dici etiam queunt Patroni Eccleſiarum, & in quo ſenſu. ibid.
Qui vere Patroni cenſeantur. 64. 71
An mutari poſſint, & expediat. 78
An novi priſtinis adjici. ibid.
An reintegrandi, qui a ſuis juribus hominum incuria exciderunt. ibid.
Quæ loca eoſdem habere valeant. 71. 78
Plures principales haberi nequeunt. 79
Niſi habeatur Apoſtolicum Indultum. ibid.
Aut priſca conſuetudo, & quæ. ibid.
In caſu plurium omnes habeant ritum 1. claſſis, & octavam, unus tamen ſolam feſtivationem. ibid. &c.
Plures eſſe queunt per modum unius. 80
Quid, ſi alicubi plures tanquam principales celebrati fuerint. ibid.
Patroni tranſlatio celebrari non poteſt ſine indulto particulari. 95
Quibus, & quoties in occurrentia, & concurrentia præferendi, vel non. 29. &c.
Pro ſeparatione Patronorum a Sociis vide V. Socii quoad officium, & V. Separatio feſtorum.

Patroni Regularium Ordinum.

Haberi, & eligi queunt, & quomodo. 71
In eorum electionibus quis conſenſum præbeat. ibid.

Patroni locorum electi non ſervata forma Decreti.

Non ſunt vere Patroni. 71
Eorundem dies non eſt ex præcepto feſtiva. ibid.
Nec licet de iiſdem officium pro præcepti adimplemento facere. ib.
Neque in ſuffragiis commemorationem eorundem addere. ibid.
Ex devotione poterit eorundem diem haberi feſtivam, & officium recitari. ibid.
Non tamen in ſuffragiis commemorationem fieri. ibid.
Miſſæ votivæ, aut commemoratio eorundem in feſtivis vetitæ minime ſunt, & in quibus diebus, & feſtis. ibid.
Adhuc hæc ſunt inhibita, ſi iidem tantummodo forent Beati. ibid.

Patroni principalis feſtum.

Ab omnibus, etiam Regularibus, debet cum feſtivatione, & officio celebrari. 77. &c.
Et celebrari cum octava per Civitatem, & Diœceſim. *ibid.*
Fallit hoc, quoties Diœceſis proprium habet Patronum. 78
Itidem in Regularibus relate ad octavam. 79. 81. 83. 84. 90
An octava Patroni principalis a Clero Romano facienda ſit, quando juxta uſum loci ea non fit. 77

Patronus.

Quis ſit. 37
Quinam apud Romanos. *ibid.*
Quinam in jure civili. *ibid.*
Quinam in ſenſu Eccleſiaſtico. *ibid.*
Sancti omnes ſunt Patroni noſtri. *ibid.*
Aliqui ſpeciales. *ibid.*
An Deus, & Chriſtus ſpeciales Patroni eſſe queant. *ibid.* &c.

Patronus Parochiæ.

Proprie non eſt Patronus loci, ſed Eccleſiæ Titularis. 89
Ejus feſtum non eſt de præcepto quoad forum. *ibid.*
Clerus Sæcularis degens intra Parochiam nequit de eo recitare, niſi ſit de clero Parochiali. 20
Qui veniant nomine Cleri Parochialis. 14
Neque clerus Regularis de eo officium facere valet. 13. 89

Patronus principalis Regni, vel Provinciæ.

Pluribus in locis habetur, & obivis haberi poteſt. 85
Ejuſdem feſtum eſt de præcepto quoad forum. *ibid.*
In toto Regno celebrari debet, ſtatim ac habetur confirmatio, & ſub quo ritu. 86
Num plures haberi queant. 87. &c.
Quinam ſit cenſendus principalior, ubi plures habentur. *ibid.*
Quid ſi ubi jam habetur, alterius fiat electio, & habeatur confirmatio. *ibid.* &c.
Quid ſi in confirmatione non habeatur clauſula *ſine diminutione* &c. vel ſi ea habeatur. *ibid.*
An haberi poſſit alter Regni, & alter Provinciæ. 87
Noviſſime electus derogat primatui præcedentis, & quando. 88
Sub quo ritu celebrandus ultimo electus ſine clauſula. &c. *ibid.*
Quid, quando præcedens decidit. *ibid.*
Cur S. Chunegundis celebretur ut Patrona principalis, etſi in confirmatione non habeatur dicta clauſula. *ibid.*
An Patronus Regni veniat ſub Patrono loci, ad quem Regulares tenentur. 84
An hi reipſa ad celebrationem ejuſdem teneantur. 87
An, & ſub quo ritu teneantur iidem Regulares ad omnes, ubi habentur plures principales. 87

Penſionarius.

Juxta Gavantum non poteſt recitare de Titulo penſionis. 49
Defendenda hæc ejuſdem opinio. *ibid.*

Pollutio Eccleſiarum.

Suſpendit celebrationem officii de conſecratione earumdem. 12
Cur Eccleſiæ pollutæ reconcilientur. 2

Populus.

Qui veniat ejuſdem appellatione. 68
Solus habet facultatem eligendi Patronos locorum. *ibid.* &c.
Ejuſdem preces, & votum ſunt ſufficiens cauſa ſtatuendi aliam diem pro anniverſario Dedicationis. 3

Præcedentia Beatorum in Canonizatione.

Olim dabatur juxta ordinem antiquitatis. 76
Nunc juxta ordinem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & intra eundem ordinem juxta diem mortis. *ibid.*
In paritate ordinis præcedunt illi de clero ſæculari, licet poſteriores obdormitionis in Domino. *ibid.* &c.
Sine tamen præjudicio principis loci clero Regulari alias competentis. *ibid.*
Fundator Religionis præcedit non fundatorem. *ibid.*
Quid ſi fundator non ſit ſacerdos. *ibid.*
In iis de Clero Regulari non attenditur præcedentia Regularis inſtituti, & quomodo iiſdem præcedentia concedatur. *ibid.*
Hic præcedendi ordo ſolum in canonizationibus ſervandus. *ibid.*
Qualis in aliis rebus, & actibus. *ibid.*

Præcedentia Patronorum.

In concurrentia non petitur ex ordine hierarchiæ Eccleſiaſticæ. 74
Neque ex anterioritate electionis. *ibid.*
Sed ex Rubricarum præſcriptis. *ibid.*
Patronis quibuſcumque inter ſeſe comparatis ſua ut ſupra præferentia tribuitur. *ibid.* &c.
Qualis, & quibus ex Patronis præferentia in repoſitione debeatur. *ibid.*
Qualis in occurrentia. 75
Quæ in publicis precibus. *ibid.*
Quæ in Litaniis. *ibid.*
Quæ in eorumdem ſtatuis, vel picturis. 76

Præfectus Eccleſiæ.

Sequi debet quoad officium conſuetudinem Eccleſiæ, cui præficitur. 52
Licet Regularis præficeretur alteri Eccleſiæ Regulari, vel Sæculari, aut Sæcularis Eccleſiæ Regulari. 54. 55

Prælati Regulares.

Sunt vere ordinarii, non tamen locorum. 13
Poſſunt ſtatuere diem recenſendæ conſecrationis ſuarum Eccleſiarum, dum ille ignoratur. *ibid.*
Itidem pro celebrando Titulo earundem, quoties neſcitur, quando occurrat. 61
Non tamen pro recitatione officii de Patrocinio B. Mariæ. 13
Dum reperiuntur in aliquo monaſterio ſui ordinis, licite recitant de hujus feſtis ſolemnibus. 55
Electioni in Patronos locorum vice ſuorum ſubditorum conſenſum queunt præſtare. 70
In electione Patronorum ordinis conſenſum itidem tribuunt. 71
Ab onere horarum canonicarum ſuos ſubditos queunt diſpenſare, quos, & qualiter. 157. 158
Acceptatio officiorum terminis facultativis conceſſorum ad eoſdem pro ſuis ſubditis ſpectat. 161
Transferentes Religioſum a ſtatu choriſtarum ad ſtatum laicorum, ab onere divini officii eundem liberant, & quomodo. 163. &c.
Sunt cuſtodes Regulæ, & inſtituti. 166
Sinentes regulares obſervantias damnum pati, aut non extirpantes ſubditorum tranſgreſſiones etiam leves, graviter peccant. *ibid.*
Idipſum eſt ſi officium divinum omittatur in choro. *ibid.*
Non ſunt magis ac ſubditi chori aſſiſtentiæ obligati. *ibid.*
Juſta, & adhuc leviſſima de cauſa diſpenſant a publica officii recitatione, vel ut non recitetur tempore debito. 167
Non tamen, ut ſolum per duos, vel tres recitetur. *ibid.*
Immutationem Sanctorum pro ſuis Eccleſiis rite peragunt. 177
An id etiam poſſint in Diœceſi Jauenſi. 176
Quam œconomiam in hac facienda debeant obſervare. 182
Eorundem electio ſubſiſtit etiam in duobus, vel tribus. 167

Privilegiorum communicatio quoad ea, ad quæ ſe extendit.

Religiones mendicantes ſtricte communicant in privilegiis conceſſis, & concedendis, & quomodo. 151
Communicant item in privilegiis non mendicantium. *ibid.*
Etiam non mendicantes gaudent communicationis privilegio. *ibid.*
Moniales in his, in quibus ſunt capaces, ſe participant privilegia Fratrum, & e contra. *ibid.*
Et quidem tametſi concedi reſpective dicantur *Maſculis, vel fœminis Religioſis*. *ibid.*
Verum id eſt etiam de Monialibus Ordinario ſubjectis. *ibid.*
Et adhuc etſi in aliquibus Bullis ſimilis clauſula haberetur: *Moniales ſub obedientia ordinis veſtri*. *ibid.*
In Monialibus ordinario ſubjectis hic exercet privilegium per Prælatos Regulares exerceri conceſſum. *ibid.*
Privilegiorum communicatio extenditur etiam ad privilegia Religionum poſtea fundandarum. 152
Privilegia ita fiunt propria Religionis communicantis, ac ſi ipſi primo, & principaliter conceſſa fuiſſent. *ibid.*
Imo & apponere uique poteſt nomen ſuum juxta privilegia participata. 186
Si in Religione principali pereant, aut limitationem ſubeant, non pereunt, nec limitationem ſubeunt in Religione communicante. 152
Idipſum eſt, ſi Religio illa deſtrueretur. *ibid.*
Aucto privilegio in prima Religione cenſetur etiam auctum in Religione communicante. *ibid.*
Et adhuc licet Religio communicans ſolum privilegium haberet communicandi *in conceſſis*, & non *in concedendis*. *ibid.*
Religio communicans poteſt uti privilegiis conceſſis alteri, quæ iis non utitur, etſi conceſſa ſint cum clauſula *quatenus ſint in uſu*. *ibid.*
An, & quando participentur privilegia alteri conceſſa cum clauſula, *ut communicari non poſſint*. *ibid.*
Communicatio ampliſſima ſupra generalem quid addat. 155
Exempla ampliſſimæ communicationis. *ibid.*
Communicantur indulgentiæ, quæ, & cur. 154
Quæ feſtivitatibus unius ordinis competunt, competunt & feſtivitatibus, etſi ſint numero plures, alterius ordinis communicantis. 157

Privilegiorum communicatio quoad ea, ad quæ non extenditur.

Non participantur privilegia, quæ propriis legibus, aut modo vivendi adverſantur. 152
Neque indulta propter ſpecialem rationem conceſſa. 153
Neque gratiæ datæ per Brevia particularia præcedente Decreto, vel examine alicujus congregationis. *ibid.*
Et hoc licet eadem vel ſimilis ratio haberi credatur. 154
Quinimmo & quando reipſa haberetur. *ibid.*
Quædam alia privilegia non extenduntur, & quæ iſta ſint. 156
Neque officia particularia conceſſa aliis Regularibus ordinibus. 152
Quanta alias hinc incommoda derivarent. 153
Credidere nonnulli extendi officia alteri ſpecialiter quidem conceſſa, ſed quæ particularem non habent rationem. 153
Reapſe tamen haudquaquam protenduntur. *ibid.*
Ad participationem officiorum nec ſuffragatur ampliſſima privilegiorum communicatio. *ibid.*
Num ſaltem extendantur de una Provincia ad alteram, vel de uno monaſterio ad aliud ejuſdem Religionis. *ibid.*
An officia uni conceſſa, alteri communicentur ad inſtar. *ibid.*
An vi communicationis addi poſſit nomen ſancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor. 157

Provincia.

Non celebrat feſta, etiam principalia, ſuæ Metropolitanæ. 14
Bene tamen de Patrono principali Provinciæ, ſeu Regni. 14. 85. &c.
Imo hujus diem tenetur agere feſtivam. 85. &c.
Qualiter concurrere debeat ad ejuſdem electionem. 83. &c.
Olim in pſallendo ſervabat modum in Metropolitana inſtitutum. 14
Non tamen modo, & cur. *ibid.*

Purificatio B. Mariæ.

Purificationis feſtum non habet accidentariam immutationem in ſequenti die, quoties transfertur. 186
Quale ſit Decretum Clementis VI. circa rem hanc editum. *ibid.*
In ſequenti die an cedat feſto Ss. Nominis Jeſu. *ibid.*
Dies III. Februarii relinquenda eſt vacua pro ejuſdem repoſitione, & cur. *ibid.*
Quid ſi dicta dies alicubi ſit impedita. *ibid.*
Oratio *A cunctis* ſtatim ſumenda poſt diem ſecundam Februarii, etſi Feſtum Purificationis ulterius transferatur. *ibid.*
Vide V. *Ave Regina*, V. *Alma Redempt.* V. *Verſiculus*.

Qua-

Q

Quadrageſimale tempus.

IN eo olim nulla, nunc pauca feſta apud Romanam admittuntur Eccleſiam. 138. 182
Apud Ambroſianam adhuc nulla. 138
Excludit octavas, & officia votiva. ibid.
Sufficientem dat cauſam ſtatuendi aliud tempus pro anniverſario Dedicationis. 3
Ejuſdem commemoratio eſt præferenda illi feſti per accidens ſimplicis. 148. 149

R

Regulares ad divinum officium.

MOniales eodem modo, quo viri ejuſdem Religionis ſacro ordine non inſigniti, ad divinum officium obligantur. 163
Religioſi laici, aut moniales converſæ ad divinum officium non tenentur. ibid.
An hi ſint adſtricti, & quo pacto ad aliquid aliud loco horarum. ibid.
Nulla obligatio afficit novitios, aut novitias. ibid.
Neque Religioſos Religionis non habentis uſum chori. 164
Neque Religioſum, quia Religione choro addicta tranſit ad aliam non habentem talem deputationem. ibid.
Neque e ſtatu choriſtarum tranſeuntem ad ſtatum converſorum. 163. &c.
Neque Religioſum ajectum. ibid.
Neque condemnatum ad triremes. 164
Neque ex Pontificia diſpenſatione contrahentem matrimonium. ibid.
Quid de diſpenſato, ut in ſæculo vivat, aut nunquam eat ad chorum. ibid.
Quid de fugitivo, aut Apoſtata. ibid.
Religioſi non tenentur ad horas canonicas ex vi alicujus præcepti divini. ibid.
Neque ex jure naturæ. ibid.
Neque ex naturali lege juſtitiæ. ibid.
Neque vi profeſſionis. ibid.
Neque ex jure canonico, vel Pontificio. ibid.
Neque quia Regularium Eccleſiæ ſint collegiatæ. 165
An, & quomodo teneri queant ex vi Regulæ, vel Conſtitutionum. 164
Ex conſuetudine recepta in Religionibus choro addictis communiter petitur prædicta obligatio. 165

Regulares quoad publicam pſalmodiam.

Refertur ſententia negans obligationem cum ſuis validis argumentis. 165. &c.
Communiſſima ſententia ſuſtinet obligationem. 166
Radix hujus obligationis non facile invenitur, petitur tamen communiter ex conſuetudine recepta, & præſcripta. ibid.
Omiſſio publicæ pſalmodiæ ſolum ſuperiorem lethalis culpæ reum reddit, & cur. ibid.
Stante tamen negligentia Prælati etiam ſubditi forent in culpa. ibid.
Quoties obligatio per aliquot adimpletur, ad chorum non accedentes, etiam ex conſuetudine, minime peccant. ibid.
Idipſum eſt de Prælato. ibid.
Dicta obligatio impleri poteſt per ſolos novitios. ibid.
An ſit obligatio chori, ubi reſident tres ſolum, aut quatuor Religioſi. ibid. &c.
An ubi ſunt plures, ſed aliqui infirmi, vel impediti, ſi quatuor, aut quinque non ſint expediti. 167
Ad choralem obligationem implendam juxta Baſſæum duo ſaltem exiguntur. ibid.
Juxta Naldum tres. ibid.
Verius requiritur aſſiſtentia quatuor Religioſorum. ibid.
Publicæ pſalmodiæ obligatio minus afficit Religioſos, quam Canonicos, & Beneficiatos. ibid.
Prælati Regulares ſtante juſta cauſa poſſunt in ea diſpenſare. ibid.
Imo & leviſſima de cauſa. ibid.
Item ut matutinum recitetur poſt completorium. ibid.
Circa obligationem chori penſanda ſunt, quæ traduntur agendo de privata recitatione. ibid.
An occupati ſervitio chori ſatisfaciant obligationi, ſi propterea aliquam officii partem nec canant, nec audiant. ibid.

Regulares quoad privatam officii divini recitationem.

Recenſentur Auctores eximentes Religioſos viros ſacris non Initiatos, ac Moniales Religionum choro addictarum ab onere recitandi privatim horas canonicas. 167
Adducuntur eorundem fundamenta plurima, ac valida. ibid. &c.
Refutantur argumenta obligationem demonſtrantia. 168. &c.
Sententia negans obligationem probabilis eſt, & tuto in praxim deduci poteſt. 169
Memorabile Leſſii ad hanc rem de Monialibus aſſertum. 170
Præferenda tamen eſt ſententia ſuſtinens obligationem, & cur. ibid.

Regulares quoad feſta locorum.

Poſſunt, vel tenentur ad feſta locorum conceſſa pro clero Sæculari, & Regulari. 159
Item ad ea conceſſa pro clero indefinite. ibid.
Non tamen ad conceſſa pro clero ſæculari tantum. ibid.
Quid ſi deſit particula *tantum*. ibid.
Poſſunt recitare & ea, quæ recitantur, & neſcitur, an fuerint conceſſa cum exceptione. ibid.
Itidem conceſſa recitari *ab omnibus Chriſtifidelibus, vel Eccleſiaſticis, qui ad horas canonicas tenentur*. ibid.
Referuntur Auctores, & ratio, quibus evincitur, Regulares de feſtis locorum congrue recitare. ibid. &c.
Tenentur ad obſervantiam dierum feſtorum locorum. 160
In his ritus officiorum ſuorum manere poteſt intactus. ibid.
In lectionibus, vel concionibus habendis ad populum debent ſe conformare evangelio, vel epiſtolis, quibus utitur clerus ſæcularis. ibid.
Non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, & in quo ſenſu. ibid.
Curſim recenſentur officia locorum, ad quæ, & prout tenentur. ibid.
Poſſunt, vel tenentur ad officia ad petitionem Principum in Regnis &c. ab utroque clero recitari conceſſa; & prout ſunt conceſſa. 161
Congruitatis debito etiam ad ea terminis facultativis ut ſupra indulta. ibid.
Etiam rigoroſo debito, quando ſunt acceptata. ibid.
Poſt acceptationem tenentur quoque ad conceſſa ad inſtantiam Principum pro aliqua Civitate, vel loco. ibid.
Non tenentur tamen ad cætera diœceſana, vel provincialia, quæ ad inſtantias Principum indulta non ſunt. ibid.
Et hoc tametſi per locorum ordinarios forent acceptata. ibid. &c.
Secus dicendum eſt, ſi per Conſtitutiones ab Apoſtolica Sede confirmatas fuerint demandata. 162
Itidem ſi a Prælatis, vel Capitulis eorundem recitatio fuerit indicta. ibid.
In caſu ſolius formalis, vel virtualis acceptationis ad ea non tenentur. ibid.
Quid ſit ſentiendum de Regularibus relate ad hujuſmodi officia. ibid.
Poſſunt eadem pro libito recitare, omittere, reſumere, & intermittere. 163
Quoties ſunt impedita, etiam ea poſſunt transferre. ibid.

Regulares relate ad Dedicationem, & Titularem Eccleſiæ Cathedralis.

Voluit Gavantus ex congruentia dumtaxat Regulares teneri ad feſtum Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis. 16
Ad illud rigoroſo debito ſub ritu duplici II. claſſis ſine octava tenentur. 16. 17. 81. 89. &c. 163
Ii tamen, qui degunt in Civitate, non extra Civitatem. 16. 82. &c.
Poſſunt tamen & hi illam celebrare. 16
Sub quo ritu 17
Cur ita de Dedicatione, cum de Titulari ejuſdem, & de Patrono loci Regulares, etiam Diœceſis, ſub ritu duplici I. claſſis recitare teneantur. 81. 89. &c.
In Civitatibus, ubi a clero ſæculari ſub ritu duplici minori celebratur, a Regulari ſub altiori coli non poteſt. 90
Imo hoc in caſu ab ejuſdem celebratione deobligatus videtur. ibid.
Ejuſdem octava a quibuſcumque Regularibus celebrari non valet. 16. 17. &c. 89
Idipſum omnino eſt etiam de Monialibus, adhuc locorum ordinariis ſubjectis. 17. &c. 163
Tenentur quoque ad officium de Titulari Eccleſiæ cathedralis, & ſub quo ritu. 81
Non tamen ad hujus octavam. ibid.

Regulares relate ad Feſta Patroni principalis loci.

Tenentur ad feſtum Patroni principalis loci. 77. 78. 80. 81. 88. 89. &c.
Non tamen ad ejuſdem Octavam. 77. 78. 81
Imo nec pro libito hanc valent celebrare. 83
Dummodo iiſdem ſpecialiter indulta non fuerit. ibid.
Vel vi Conſtitutionum per Sedem Apoſtolicam approbatarum. ibid.
Idipſum dicendum eſt de quibuſcumque locorum octavis. ibid.
Et quidem licet ſint de Sanctis eximiis. 84
Hæc vera ſunt etiam de Monialibus, quæ locorum ordinariis parent. ibid.

Regulares relate ad feſta Patronorum minus principalium.

Regulares non tenentur ad officia Patronorum minus principalium. 81. &c.
Tenentur ad ea, ſi ſint in Breviario Romano, vel proprio. 81
In caſu quo ritu, & quando. ibid.
Tenentur itidem, ſi habeant feſtivationem. ibid.
Itidem ſi ſint valde ſolemnia in loco. ibid.
Pariter, ſi in indulto nominati ſint. ibid.
Etſi non teneantur, poſſunt tamen eadem celebrare. ibid.
Cur *non teneri* dictum de octavis excludat libitum, non tamen de Patronis minus principalibus. ibid. &c.
Hæc procedunt etiam pro Monialibus. 82

Regulares quoad feſta propriarum Eccleſiarum.

Tenentur ad Dedicationem, & Titularem Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur, & quo ritu, & pacto. 81
Itidem ad Dedicationem; & Titulum Conventuum, qui cum ſuo unum faciunt capitulum. 19
Non tamen ad dicta officia aliorum Conventuum, licet Religionis capita. 19. 34
Itidem tenentur ad præfata feſta Eccleſiolarum adnexarum, & unitarum, ac acceſſoriarum, licet inſerviant pro confraternitatibus, vel Parochiales ſint. 19
Idipſum eſt de Sacellis intra clauſtra poſitis, in quibus celebratur. ib.
Necnon de Templis, quæ in ſuis prædiis habent. ibid.
Aut de Eccleſiis, quas deſeruere, dummodo ſub eorumdem poteſtate remaneant. ibid.
Quomodo continere ſe debeant in occurrentia plurium hujuſmodi Dedicationum, vel Titularium. 20
Tenentur ad Feſta Reliquiarum, quæ in propria, & in unitis, & acceſſoriis Eccleſiis aſſervantur. 105

Regulares quantum ad ſuffragia.

Facere non debent ſuffragium de Patrono loci, in quo morantur. 93
Bene vero de Inſtitutore ſui Ordinis. ibid.
Quæ præferentia ſit huic præſtanda. ibid.
An, & quoties ſuffragium de ſanctis omnibus, vel præcipuis ordinis agere valeant. ibid.

Regularium privilegia circa divinum.

Regulares licite dicunt mentaliter, quæ in publica officii recitatione, aut in miſſa jubentur dici ſecreto. 157
In privata recitatione totum officium mentaliter dicere queunt. ibid.
Inſiſtentes prædicationi, audientiæ confeſſionum, lectioni Theologiæ, aut Canonum, aut ſtudio, vel ſaluti animarum, aut infirmorum ſervitio occupati, ex diſpenſatione ſuorum Superiorum ſatis-

ſatisfaciunt oneri horarum canonicarum recitando ſex, aut ſeptem pſalmos cum oratione dominica ſepties, & ſymbolo Apoſtolorum bis. 158
Idipſum eſt de Lectoribus caſuum conſcientiæ, ac de iis, qui ſcribunt libros ſacros edendos. *ibid.*
Graviter ægrotantes itidem ſatisfaciunt per ſolam recitationem orationis dominicæ ſemel, & ſalutationis angelicæ ſeptim. *ibid.*
Infirmi, ſenes, valetudinarii, & qui ſine tædio nequeunt dicere horas canonicas, ſatisfaciunt recitando id, quod ſuis Prælatis, vel Confeſſoribus viſum fuerit. *ibid.*
Regulares poſſunt anticipare officia prolixiora diebus, quibus ſunt otioſi, reſervando breviora, quando credunt ſe eſſe occupatos. *ibid.*
Stantes licite dicunt, flexis genibus dici præſcripta. *ibid.*
Partem non notabilem omiſſam, vel male pronunciatam, aut male auditam, repetere non tenentur. *ibid.*
Neſcientes perfecte recitare judicio Prælati, vel Confeſſarii, licite recitant officium Laicorum. *ibid.*
Officium Laicorum itidem licite recitant in qualibet occaſione rationabili abſque conſilio, aut judicio alterius. *ibid.*
Quæ ſit iſta rationabilis occaſio. *ibid. &c.*
Hæc omnia privilegia competunt etiam Monialibus, licet ſub cura Ordinariorum exiſtant. 159
Ad licitum uſum dictorum privilegiorum non exigitur occupatio, vel indiſpoſitio, quæ ex ſe excuſet. 158
Quid ſufficiat. *ibid.*
Quo pacto plura ex dictis privilegiis ſubſiſtere queant, cum per vivæ vocis oracula fuerint conceſſa. 157. 158
An per Bullam Pianam ſint revocata. 158

Religioſi.

Horum appellatione lata veniunt etiam Cleri Sæculares. 80
Stricte tantum ii, qui tria vota ſubſtantialia emittunt. *ibid.*
Veniunt & Equites Melitenſes. *ibid.*
Etiam Moniales. *ibid.*
Adhuc Novitii Regularium Ordinum in favorabilibus, non in odioſis. *ibid.*
Quid ſignificet hoc nomen *Religioſus*. 76
Horum ſtatus eſt perfectior ſtatu Clericorum, & Parochorum. *ibid.*
Cleri, & Clericorum appellatione veniunt in favorabilibus. 70. 77. 159
Aliquando etiam in odioſis. 160

Reliquiæ Sanctorum.

Quid hæc vox *Reliquia* ſignificet. 96
Qualis ejuſdem uſurpatio apud Eccleſiaſticos. *ibid.*
An Reliquiæ vocabulum integro corpori apte convenire queat. *ibid.*
Reliquiæ Sanctorum plurima nobis ferunt beneficia. 96. 97. 122. 113
Neceſſariæ ſunt ad Eccleſiæ conſecrationem. 96
In defectu propriarum adhibitæ fuere Reliquiæ ſanctificatæ. 96. 97
Olim nonniſi Martyrum in dicta conſecratione adhibitæ. 96
Super illas Templa erecta, & Sanctis, & a Sanctis, quorum erant, dicata, & denominata. *ibid.*
Aliæ ſunt proprie tales, & quæ ſint. *ibid.*
An liquor, lacrymæ, aliaque id genus a demortuorum cadaveribus effluentia ad eaſdem reducantur. *ibid.*
Aliæ ſunt minus proprie tales, & ad has quæ revocentur. 97
Aliæ improprie tales, ſeu ſanctificatæ, quæ ad hoc genus attineant. *ibid.*
Antiquitas uſus admovendi oraria, aliaſque res ſacris Reliquiis, ut ſanctificarentur. *ibid.*
Tantummodo brandea olim diſtribui ſolita. *ibid. & 113*
Reliquiarum, quæ ſunt corporis partes, diviſio in inſignes, notabiles, ac minutas. 107

Reliquiæ Sanctorum baptizatorum.

Non ſibi vindicant officium in Eccleſiis, in quibus cuſtodiuntur. 120
Fallit, ſi adſit conſuetudo immemorabilis. 122
In hoc caſu de communi eſt recitandum. *ibid.*
Sepultorum ut pluriorum ſine nomine. *ibid.*
Solent laudabiliter iiſdem nomina imponi. *ibid.*
Nomina tamen dumtaxat appellativa, & cur. *ibid. &c.*
Unde iiſdem Sanctorum *baptizatorum* denominatio obveniat. 121
Sepultæ cum notis, & ſignis martyrii. 121
Cautela, quæ ſervatur, antequam publico diſtribuantur cultui. 122

Reliquiæ Beatorum.

Etſi inſignes ſint, officium non invehunt in Eccleſias, in quibus aſſervantur. 100
Publico cultui exponi non valent, niſi id ſit ſpecialiter indultum. 118
Bene vero in Eccleſiis, in quibus officium, & miſſa de iiſdem celebrari queunt. *ibid.*
Quando exponuntur, eadem lumina exiguntur, quæ pro Reliquiis Sanctorum. *ibid.*

Reliquiæ inſignes ad officium.

Exiguntur, & ſufficiunt, ut fiat officium. 98. 99. 100. 106
Quæ ſint declaratæ inſignes ad dictum effectum. 106. *&c.*
An magna corporis pars inter inſignes ſit collocanda. *ibid.*
An, quæ, & cur illa pars corporis, in qua paſſus eſt martyr. *ibid. &c.*
Debent eſſe integræ, & quæ integritas ſufficiat. 107
Nec debent eſſe parvæ, & quæ parvitas obſiſtat. *ibid.*
Debent eſſe approbatæ, & quæ, & a quibus. 107. 108. 117. *&c.* 119
Debet conſtare de earundem identitate. 116. *&c.*
Debent eſſe Sanctorum in Martyrologio Romano deſcriptorum. 101. *&c.*
Debent eſſe Sanctorum approbatorum. 100
Tybia ex ſe non eſt, & cur Reliquia inſignis. 111
Cur talis ſit in Martyribus, & quando. *ibid.*
Reliquiæ non inſignes, quas Deus peculiari caractere ſignavit, uti inſignes ſunt habendæ. *ibid.*
An itidem eædem Reliquiæ, quoties ſint eminentiſſimi alicujus Sancti. *ibid.*
Reliquiæ quæcumque Chriſti, ejuſque SS. Matris ſunt Reliquiæ inſignes. 112

Reliquiæ notabiles.

Quæ ſint. 107
Non ſufficiunt ad officium. 106
Sufficiunt, quando in eis paſſi ſint Martyres. 107
Itidem ſi Deus eas ſpeciali caractera ſignavit. 111
Quid ſi ſint eximiorum Sanctorum. *ibid.*
Si plures ejuſdem Sancti habeantur, inducunt officium, & quando. 106. 107. 111
Quando ſunt diverſorum Sanctorum, haud illud invehunt. 107. 112
Si ſint Chriſti, aut ejuſdem Matris, redduntur inſignes. 112. *&c.*
Quale officium iiſdem nonnulli dederint. 105
Nullum tamen reapſe de iiſdem recitari valet. *ibid.*
Quæ conſuetudo Congregationis in concedendo de iiſdem officio. *ibid.*

Reliquiæ minutæ, & exiguæ.

Quæ ſint. 107
Non invehunt officium. 106
Neque in Martyribus, etſi in eis ſint paſſi. 107
An ex eximiorum Sanctorum. 112
Quid de iis, quas Deus ſpeciali caractere ſignavit. *ibid.*
Si ſunt Chriſti, ejuſdemve Matris, reputantur inſignes. 112. *&c.*
Si plures ejuſdem Sancti habeantur, quando inducant officium. 106 107. 111
Quando ſunt diverſorum Sanctorum, numquam illud invehunt. 107. 112
Quale officium iiſdem nonnulli dederint. 105
Nullum tamen de ipſis reapſe recitari valet. *ibid.*

Reliquiæ quoad cultum.

In Teſtamento uſque veteri in veneratione ſunt habitæ. 97
In novo ab Apoſtolicis temporibus earundem cultus eſt repetendus. *ibid.*
Quanta moliti ſint Gentiles, ut earundem cultum impedirent. *ib. &c.*
Qualis ſit Chriſtianorum cultus erga Sanctorum Reliquias. 98
Hæretici, qui Reliquiarum cultum conati ſunt evertere. *ibid.*
Ut publico exponi valeant cultui, ab Ordinariis locorum debent eſſe approbatæ. 119

Reliquiæ quoad cultum officii.

Cultus divini officii in iiſdem deſiderari non debuit. 98
Vetitæ olim cuſtodiri, ubi non adeſt pſallendi frequentia. *ibid.*
Cum officio divino honorandæ, ubi inſignes aſſervantur. *ibid.*
Cur non ubivis, quidve pro cæteris ſuppleat locis. *ibid.*
Cur pro ſolis Reliquiis inſignibus fuerit officium indictum. *ibid.*
Quo ritu tale ſit officium celebrandum. *ibid.*
Quid circa ritum, ſi officium jam habeatur in Breviario. *ibid.*
Quid ſi conſuetudo aliter ferat. 99
An ſub ritu de præcepto, vel ad libitum. *ibid.*
An iterandum, quoties jam in Breviario habetur inſtitutum. *ibid.*
An ob Reliquiam poſſit officium & in die feſto, & in die tranſlationis recitari. *ibid.*
An queat iterari, ſi plures habeantur de eodem Sancto inſignes Reliquiæ. *ibid.*

Reliquiæ quoad cultus conſuetudinem.

Si aliæ non adſint conditiones exactæ, conſuetudo trigenaria non tuetur Reliquiarum officium. 110
Bene vero inducta ante Bullam Pianam. *ibid.*
Quinimmo & immemorialis. 111
Antiquæ in poſſeſſione ſui publici cultus ſunt manutenendæ. 117. *&c.*
Et quidem licet ſint Sanctorum in Martyrologio Romano non deſcriptorum. 118. 119
Antiquæ ad effectum cenſentur, cum per curſum ſexaginta annorum cultum habuere. 117

Reliquiæ quoad diem officii.

Reliquiarum officium recitandum in die natalitio Sanctorum, quorum ſunt. 99
Si in Breviario alia die recolatur, hæc eſt tenenda, & non natalitia. *ibid.*
Quid ſi dies natalitia ſit alia in uſu propriorum locorum. *ibid.*
Quid ſi Reliquia ſit de Sancto ſcripto in Martyrologio non eo die, quo obiit. *ibid.*
Cum ignoratur dies natalitia, poteſt Ordinarius aliam ſtatuere, & quam. 114. *&c.*

Reliquiæ quantum ad extenſionem officii.

De Reliquia inſigni officium ſit ſolum in Eccleſia, in qua aſſervatur. 99
Et hoc tametſi Reliquia aſſervaretur in Matrice, vel Cathedrali. 104
Extra Eccleſiam de Reliquia licite recitat, qui eſt de gremio Eccleſiæ, in qua ea aſſervatur. *ibid.*
Privatus illicite recitat de Reliquiis, quas apud ſe habet. *ibid.*
Et quidem, licet eaſdem in ſacello aſſervaret. *ibid.*
An ſaltem in hoc caſu Miſſa valeat celebrari. *ibid.*
Sufficit ad officium aſſervatio Reliquiæ in Sacriſtia, vel Monaſterio, nec requiritur ejuſdem expoſitio. *ibid.*
An ſufficiat olim habuiſſe Reliquias. *ibid.*
An, & quando ſufficiant Reliquiæ ad alia loca tanquam ad aſyla aſportatæ. *ibid.*
An item Reliquiæ, quæ ut depoſitum, commodatum, vel pignus cuſtodiuntur. *ibid.*
An, & quando ob Reliquias in Eccleſiis unitis, & acceſſoriis cuſtoditas. 105
Abuſus recitandi in toto loco officium ob Reliquiam in eo aſſervatam unde originem traxerit. 128
Proſcriptus ſuit, & qualis ſit ejuſdem proſcriptio. 105. *&c.*
Quodlibet officium fieri inhibetur in toto loco ob Reliquiam aſſervatam in loco. *ibid.*
Non tamen officium ex devotione, vel feſtum fori. *ibid.*
Indultum factum Eccleſiis Hiſpaniæ recitandi de Reliquiis totius Provinciæ, moderatum, & reſtrictum fuit ad Reliquias Diœceſis. *ibid.*
An inibi adhuc de Reliquiis Diœceſis recitari valeat. *ibid.*
Quid de Eccleſia Venetiarum, quæ recitat de Reliquiis Diœceſis. 105

Qua-

Qualis conſuetudo tueri valeat officia Reliquiarum extra locum, ubi aſſervantur, *ibid.*

Reliquiæ quoad qualitatem Sancti.

Ut ob Reliquias recitetur officium, debent eſſe de Sanctis approbatis ſeu canonizatis. 99
Non ſufficit, quod ſint de iis, qui apud Eccleſias aliquas tanquam Sancti coluntur. 100
Neque quod ſint Beatorum, licet in Martyrologio Romano deſcriptorum. *ibid.*
Neque quod tanquam Sancti in univerſa Eccleſia colantur, ſi reipſa non ſint ex canonizatis. *ibid.*
Cur hi in Patronos locorum aſſumi queant, & non ob eorundem Reliquias officio honorari. *ibid.*
Reliquiæ Sanctorum baptizatorum non inducunt officium. 121
Exigitur, quod ſint de Sanctis in Martyrologio Romano deſcriptis. 101
Limita hæc omnia, ſi in contrarium militet conſuetudo ante Bullam Pianam invecta. 110
Aut immemorialis. *ibid. &c.*

Reliquiæ quoad deſcriptionem in Martyrologio Romano.

Ad officium ratione Reliquiæ inſtituendum requiritur Sanctorum deſcriptio in Martyrologio Romano. 101. 115. 118. 120
Non ſufficit eorundem deſcriptio in quocumque alio Martyrologio. 120
Cur exigatur deſcriptio in Martyrologio Romano. 102. *&c.*
Sufficiens eſt eorum deſcriptio expreſſo, vel ſuppreſſo nomine. 103
Vel quod habeant jus integrum, vel proximum ad talem deſcriptionem. *ibid.*
Qui ſint, qui hoc polleant jure. *ibid.*
Officii recitationi non obſtat deſcriptio prædicta ſub titulo *Beatorum*, vel *Venerabilium*, ſi conſtet eos eſſe ex canonizatis. *ibid.*
Bene vero, ſi minime conſtet. *ibid.*
De deſcriptis ſub titulo *Sanctorum*, niſi conſtet eſſe ſolum Beatos, officium abſolute fieri poteſt. *ibid.*
Quinimmo etſi conſtet eſſe tantum Beatos, & cur. *ibid.*
Beati licet deſcripti in Martyrologio Romano, dummodo ſub Beatorum titulo, ob Reliquias officium non habent. *ibid.*

Reliquiæ non deſcriptorum in Martyrologio Romano.

Non ſibi vindicant officium, ubi aſſervantur. 101. 115. 118
Niſi ſint munitæ ſpeciali conceſſione. 120
An elevatiorem ritum ſortiri valeant in Eccleſiis, ubi inferiorem ex indulto habent. 118. *&c.*
Ad continuandum de iiſdem officium non ſufficit conſuetudo trigenaria. 110
Bene vero inducta ante Bullam Pianam. *ibid.*
Etiam immemorialis. *ibid. &c.*

Reliquiæ Eccleſiarum Regularium.

Quando ſunt antiquæ, viſitari non poſſunt ab Ordinario loci, etſi non conſtet unquam fuiſſe ab eodem approbatas. 117
Bene vero, ſi novæ ſunt. *ibid.*
Non poſſunt a Prælatis Regularibus, ſed ab Ordinariis locorum debent approbari. 118. 119.
Pro earundem cultu, identitate, & antiquitate non eſt deferendum atteſtationibus ipſorum Regularium, in quorum Eccleſiis ſunt exponendæ. 116

Reliquiæ quoad feſtum generale.

Feſtum generale Reliquiarum dudum a plurimis Eccleſiis celebratum. 118
Quæ ſint cauſæ inſtitutionis ejuſdem juxta Guyetum. *ibid.*
Ab Eccleſiis Breviario Romano addictis propria authoritate inſtitui non valet. *ibid.*
Relate ad individuam aliquam Eccleſiam quando forſitan & minus conveniens ſit. *ibid.*
Relate ad Eccleſias Matrices, & Regulares Ordines eſt admodum commendabile. *ibid.*
Quas reliquias includat. *ibid. &c.*
An comprehendat etiam earundem Translationes, & feſta ſecundaria. *ibid.*
Quid Benedictus XIV. hac in re ſenſerit. 129.
Quid de Reliquiis non canonizatorum. *ibid.*
Quando permat feſta particularia Reliquiarum, & cum his fiet. *ibid. &c.*
Quid in ejuſdem concurſu cum feſto particularis alicujus Reliquiæ. 130
Apud Benedictinos qua die, & an de præcepto celebrandum. *ibid.*
Quid quando apud hos incidit in vigiliam omnium Sanctorum. *ibid.*
Quid apud quoſcumque, quoties incidit in vigiliam habentem idem Evangelium. *ibid. &c.*
Quid ſi ejuſdem Evangelii diverſa ſit expoſitio. 131
Qui color paramentorum eſſe debeat in miſſa feſti præfati. 130.
Qualis in feſto Reliquiarum alicujus particularis Eccleſiæ. *ibid.*
An ſymbolum in dicta miſſa dici debeat. *ibid.*
In fine miſſæ locum non habet Evangelium vigiliæ omnium Sanctorum apud Benedictinos, & quando apud alios. 131

Reliquiarum approbatio.

Pro Reliquiis novis eſt neceſſaria, tum ut publico cultui exponantur, tum ut officio honorentur, non tamen pro antiquis. 107. 117. 117
Potiori jure exigitur, & cur in Reliquiis Sanctorum in Martyrologio Romano non deſcriptorum. 117
Idipſum videtur pro parte, in qua paſſus eſt Martyr, ſed id non probatur. 107. *&c.*
Spectat ad Epiſcopos, ſeu Ordinarios locorum. 117. 119
Quando ad Sedem attineat Apoſtolicam, & quando Epiſcopus in ea ſe ingerere nequeat. 116
Quorum Epiſcoporum, vel Ordinariorum requiratur, & ſufficiat approbatio. 108. 119
Quomodo Epiſcopi in earundem approbatione ſe gerere debeant. *ibid.*
Quæ certitudo exigatur, & ſufficiat ad eam habendam. *ibid.*
Quid Epiſcopus præſtare debeat erga Reliquias jam approbatas, & in ſuam Diœceſim aſportatas. *ibid.*
An ab officio ſit deſiſtendum, ſi Epiſcopus Reliquias a cultu ſuſpendat. 118
Ordinarius loci, & non Prælati Regulares, approbat Reliquias, & quas, in horum Eccleſiis exponendas. 118. 119

Reliquiarum identitas.

Eſt neceſſarium, quod de ea conſtet, ut officium ob Reliquias recitetur. 116. 118. 120
Antiquitus ignis experimento probabatur. 116
Nunc, & cur per probationes moraliter tantum certas. *ibid. &c.*
Argumenta, quibus oſtenditur. *ibid.*
Quid ſit ſentiendum circa miracola. 117
Sufficienter non probant atteſtationes eorum, in quorum Eccleſiis Reliquiæ aſſervantur. 116
An identitas Reliquiæ cenſeatur ſufficienter probata ex conceſſione officii de eadem. 117
An officium adhuc faciendum, quoties de identitate plene non conſtat. *ibid.*
Quid ſi conſtet, ſed mixtæ ea ſint incertis. *ibid.*
Quid de Reliquiis, quæ alibi aſſervari nonnulli ſentiunt. *ibid.*
Cum de Reliquiarum identitate non conſtet, quæ conſuetudo tueri valeat earundem officium. 120
Num cum conſtat de Reliquiarum identitate, requiratur ulterius Epiſcopi approbatio. 117. *&c.*

Reliquiarum conceſſio.

Reliquiæ ſanctorum per Eccleſias admodum apte, & fructuoſe diſtribuuntur. 122
Non ſunt tamen omnibus, ſed quibus tantum concedendæ. 123
Antiquus Eccleſiæ mos minime ferebat oſſa, aut corpora ſanctorum diſtribuere, ſed ſolum brandea, & alia hujuſmodi. *ibid.*
Quando inceperit. *ibid.*
Nunc Principibus, & Eccleſiæ Prælatis conceduntur Reliquiæ etiam inſignes. *ibid.*
Modernæ huic conceſſioni aliqualis antiquitatis honos haud deeſt. *ibid.*
Reliquiis non inſignibus nec defraudanda pietas fidelium. *ibid.*
Emolumenta, & antiquitas hujuſce conceſſionis. *ibid.*
Quo pacto ſint intelligendæ litteræ, quibus Reliquiæ creduntur privatæ cuſtodiæ. *ibid.*
Quid faciendum de Reliquiis, ſi prævideantur ad indignos tranſituræ. *ibid.*
Modus ſervandus, & quale in Reliquiarum diſtributione. *ibid.*

Reliquiarum cuſtodia.

Reliquiæ inſignes in Eccleſiis cuſtodiendæ, nunquam in privatis domibus, nec apud laicus. 122
Id decens eſt etiam de non inſignibus. *ibid.*
Emolumenta, quæ ex tali cuſtodia emanant. *ibid.*
Injuriæ, quibus Reliquiæ exponuntur in privatis domibus. *ibid.*
Memorabile ad rem teſtamentum Perpetui Epiſcopi Turonenſis. *ib.*
Reliquiæ inſignes nec in omnibus Eccleſiis aſſervandæ. *ibid.*
Permittuntur tamen, & cur apud Magnos Principes, & Prælatos haberi. 123
Non inſignes etiam pietati fidelium in privatis ædibus creduntur. *ib.*
Emolumenta, & antiquitas talis privatæ cuſtodiæ. *ibid.*
Quid hac in re ſit facere laudabilius. *ibid.*
Quænam ad præſens cenſendæ ſint Reliquiæ inſignes, & non inſignes. *ibid.*
In credendis Reliquiis privatæ cuſtodiæ modus eſt ſervandus. *ibid.*

Reliquiarum cuſtodia quantum ad locum loci.

Sanctorum corpora non ſuper Altare, ſed ſub Altare, vel intra Altare aſſervanda. 124
Idipſum eſt de Reliquiis inſignibus. 125
Antiquitas hujuſce conſuetudinis in Eccleſia Dei. 124
Ab hæreticis ipſis in uſum deducta. *ibid.*
Quando poſſint, aut debeant alibi cuſtodiri. 125
Ubinam aſſervandæ minus inſignes, & quæ pro expoſitione reſervantur. *ibid.*
Reprobatur uſus has aſſervandi intra tabernaculum Ss. Sacramenti. *ibid.*
Afferuntur Reliquias cuſtodiendi varii Eccleſiarum uſus, & nonnulli probantur. *ibid.*
Quomodo ſint collocanda, & diſtinguenda Sanctorum Corpora, & Reliquiæ intra Capſas. 124
Quo pacto ſit hæc diſpoſitio intelligenda. 126
Reliquiæ, quæ Principibus, aut Prælatis conceduntur, ubinam ſint aſſervandæ. 123
Conſuetudo priſca oſculandi Templorum limina, eaque feſtivioribus diebus ornandi unde credatur. 125

Reliquiarum expoſitio.

Bifariam fieri contingit. 126
Corpora integra ſuper Altare exponi non probantur, & quomodo ſint exponenda. 124
Id fieri tamen poteſt, & quandoque eſt laudabile. *ibid.*
Ad effectum expoſitionis reſervari debent, & cur Reliquiæ non admodum grandes. *ibid. &c.*
Per hoc excluſæ minime veniunt Reliquiæ inſignes. 125
Diſplicet aliquibus, ſed perperam, hæc conſuetudo. *ibid.*
Ob laudabiles tamen fines eſt inducta. *ibid.*
Non ſunt exponenda oſſa nuda, ſed vel intra capſam, vel intra hierothecas. *ibid.*
Hujus diſpoſitionis rationes variæ, & quæ, ab Auctoribus adducuntur. *ibid. &c.*
Refertur verior, & dicti moris antiquitas oſtenditur. *ibid.*
Reliquiæ exponi non poſſunt venales. *ibid.*
Pro labore extrinſeco expoſitionis aliqua merces accipi poteſt. *ibid.*
Talis tamen quæſtus turpis eſt, & eliminandus. *ibid.*
An exponi queant, ut largiores eleemoſynæ offerantur. 166
Qui ritus ſervandus ſit in earundem expoſitione. *ibid.*

Reliquiarum expoſitio quoad quantitatem luminum.

Quando Reliquiæ ſuper Altare exponuntur, duo ſaltem lumina ſuper Altare debent ardere. 126

Con-

Concilium Mediolanenſe ſaltem quotuor grandiores Candelas expoſcit. ibid.
Pro Eccleſia univerſali ſolummodo id eſt in conſilio. ibid.
Quid agendum in Provincia Mediolanenſi. ibid.
Ex qua materia ardere debeant dicta lumina. 127
Cum unico lumine exponi queunt, & quando. ibid.
Non tamen ſine ullo prorſus lumine. ibid.
An inceſſanter dicta lumina ardere debeant. ibid.
An hæc omnia procedant etiam de Reliquiis, quæ inter candelabra exponuntur. 128
An etiam de Reliquiis Beatorum. ibid.
Quid de Reliquiis, quibus ornata reperitur crux in Altari expoſita. ibid.
Quæ luminum quantitas, dum Reliquiæ intra Altaris menſam exponuntur. ibid.
Quæ dum devotis oſtenduntur, aut cum iiſdem benedicuntur infirmi. ibid.
Ultra allerta lumina etiam lampas ardere debet, dum Reliquiæ ſunt expoſitæ. 127
Non ita tamen neceſſario, ut aliter ab expoſitione ſit temperandum. ibid.
Nec cum alicui oſtenduntur, vel cum iiſdem benedicuntur infirmi. 128

Reliquias guſtandi mos.

Eſt laudabilis, & antiquus. 124
Non ſolis Presbyteris reſervatus, ſed etiam ſæcularibus permiſſus. ibid.
Profecta hinc creditur conſuetudo deferendi crucem cum Reliquiis, dum Epiſcopi ſolemniter celebrant. ibid.

Reliquiarum oſculandi mos.

In ſolemnitatibus Reliquiæ Sanctorum laudabiliter traduntur oſculandæ. 126
Admodum antiqua venerationis erga ſacras Reliquias oſculandi eſt conſuetudo. ibid.
Cur Lucilla fuerit reprehenſa, quod os martyris oſcularetur. ibid.

Repoſitio Feſtorum.

Prior repoſitio in diſpari translatione quibus feſtis ſolummodo concedatur. 75
Quæ in concurſu præferuntur, præferenda item ſunt in repoſitione. ibid.
Fallit hoc forſitan in iis, quæ ratione ſolemnitatis in propri die præferuntur. ibid.

Ritus.

Ritus duplex abſoluta prolatus genus dicit, non ſpeciem aliquam. 17
Dum abſolute habetur in conceſſione aliqua, intelligitur de duplici minori. 100

S. Rocchus quoad cultum.

Initium ejuſdem cultus, & incrementum. 40. &c.
Quid in ejuſdem honorem Concilium Conſtantienſe præſtiterit. ib. &c.
Formaliter nec inter Sanctos, nec Beatos relatus fuit. ibid.
Nec æquipollenter canonizatus. 42
Æquipollenter tamen beatificatus. 41
Titulo *Sancti* legitime gaudet. 42. 65.
Ejuſdem cultui non derogant Decreta Urbana. 41. 42
Ejuſdem Corporis pars Venetias, altera ad Urbem delata. 41
In ejus honorem Urbanus VIII. ſacrificat. ibid.
Ejuſdem Reliquiæ publice exponi, per proceſſionem circumferri queunt, & ejus nomen in publicis precibus invocari. 42
In Titularem Eccleſiæ, & Patronum loci volet aſſumi. 44. 65

S. Roccus quoad officium, & Miſſam.

Ante Pium V. habuit officium, tempore Pianæ reformationis poſtea a Breviariis expunctum. 41
Conceſſum eſt recitari in Eccleſiis eidem dicatis. ibid.
Ex gratia. ibid.
Forſan quodammodo ex juſtitia. ibid.
Ea gratia conceditur etiam locis, ubi ſunt Eccleſiæ in hujus honorem erectæ. ibid.
Ad id tamen requiritur ſpeciale indultum. ibid.
Extra Eccleſias eidem dicatas recitari non valet. 43
Et quidem licet ejus feſtum ſervaretur ex devotione. 61
Cur extra dictas Eccleſias non ſit dici conceſſum. 44
Cur locis ubi ſunt ejuſdem Eccleſiæ, ex gratia etiam concedatur. ibid.
Quæ conſuetudo ſit valida ad tuendum ejus officium extra eaſdem Eccleſias. ibid.
A clero addicto Eccleſiæ S. Roccho dicatæ adhuc extra eandem recitari valet. 43
An privatim, & publice poſſit ex devotione officium recitari. ibid.
Miſſæ feſtivæ de eodem in ſolis Eccleſiis eidem dicatis dici queunt, & nullatenus extra. ibid.
An Miſſæ votivæ de eodem, quibus in locis, quibus a perſonis, & quibus in caſibus celebrari queant. ibid.
De Eccleſiis unitis, aut acceſſoriis par eſt ratio, ac de Eccleſiis ipſis S. Roccho conſecratis. ibid.
Ubi S. Rocchus foret Titularis Cathedralis, vel Patronus loci, per totam Diœceſim poſſet officium, & Miſſa celebrari. ibid. &c.
Et celebrari deberet ſub ritu duplici primæ claſſis, & cum octava. ibid. &c.
Imo induci deberet, ſi nunquam fuiſſet recitatum, aut reſtaurari, ſi omiſſum. 44

Rubricæ.

Unde ſic dictæ. 30
Sanctorum perpetuo translatorum immutationem non ferunt. 172
Qualiter ſint intelligendæ, dum feſta translata in ſequentem diem amandant. 187
Late diſſeritur ſuper Rubrica tit. IX. num III. loquente de Titulari, vel Dedicatione Altaris, vel Capellæ. 48. 49
Circa Rubricam de Transl. Feſt. num. VI. error nonnullorum. 134
Rubrica loquens *de Patrono*, & *vel Titulo Eccleſiæ* late explanatur. 91. &c.
Similis alia ſub Tabella occurrentiæ poſita a nonnullis male intellecta. 134
Rubricæ *inter feſta* qualis ſit ſenſus, dum feſtis ſolemniter celebratis præferentiam tribuit. 27. &c.
In ea implicite comprehenditur S. Joannes Baptiſta ante Apoſtolos. ibid.
In quo ſenſu citari valeat pro Veſperarum diviſione. 30
Rubrica *de ſuffragio Patroni, vel Tituli Eccleſiæ*, an jubeat ſuffragium de ſolo Titulari Eccleſiæ, vel etiam de Patrono principali loci, celebris quæſtio. 90. uſque ad 93

S

Sancti Titulus.

OLim omnibus Chriſtianis communis erat, & cur. 111
Tributus aliquando aliquibus Dei ſervis, licet nec canonizatis, nec beatificatis. 66
Nec id reprobatur, ſed approbatur a Sede Apoſtolica. ibid.
Quinam, & quando ſufficiat ad eligibilitatem in Patronos. 65. &c.
Quandoque in Martyrologio Beatis attributus, & a contra. 67. &c.
An hoc in caſu augeatur, vel deprimatur eorundem cultus. ibid. &c. 103

Sancti non deſcripti in Martyrologio Romano.

Ratione Reliquiæ non ſortiuntur officium. 101. 115. 118. 119. &c.
Neque ob Reliquiam eorundem officium ubi illud habent, ad elevatiorem evehitur ritum. 118. &c.
Officium queunt habere, ſi alii legitimi non deſint tituli. 119
His deficientibus adhuc privatim, & ex devotione officium habere queunt. ibid.
Etiam publice, licet non pro adimplemento præcepti. ibid.
Quid ſi ſolummodo ſint beati. 110
Conſuetudo ante Bullam Pianam eorum officium tueri valet. ibid.
Etiam immemorialis. ibid. &c.

Sancti nominis ignoti, aut incerti.

In eorundem honorem feſta inſtitui, & Eccleſiæ erigi poſſunt. 62. &c.
Recenſentur plurima ex hujuſmodi feſtis jam inſtitutis, & Eccleſiis erectis. 63
Primi per Epitheta feſta, & Eccleſias queunt optime denominari. ibid.
Secundi per nomen, licet incertum, & cur. ibid.

Sancti collectiva.

Sub titulo plurium Sanctorum collective poſſunt Eccleſiæ dicari. 63
Enumerantur nonnullæ ſub titulo Apoſtolorum, aut Martyrum &c. erectæ. ibid.
Hujuſmodi Eccleſiæ omnes Apoſtolos, aut Martyres diviſiva ut titulares non poſſunt excolere. ibid.
Particulare feſtum debent de omnibus Apoſtolis, collectiva aut de martyribus facere. ibid.
Qua die illud debeant inſtituere. ibid.
Quodnam officium debeant uſurpare. ibid.

Sancti cognomines.

Nil vetat Sanctos, qui alios cognomines habent, in Eccleſiarum Titulares aſſumi. 63
Si neſciatur, aut dubitetur, utri illorum fuerit dicata, ſtandum eſſe uſui pridem recepto. ibid.
Si Patroni cultus jampridem ſit nullus, aut uſus deſierit, eſt innovandus, ſi habeatur memoria. ibid.
Si e memoria penitus exciderit, Ordinarii erit determinare. ibid.
Facta hac determinatione non eſt innovandus cultus prioris Patroni, etſi poſtmodum innoteſcat. ibid.

Sancti juncti.

Alii ex occaſione, & per accidens juncti, alii per ſe, & ex natura rei. 131
Hi omnes qui ſint. ibid.
Alii juncti in ſolo Martyrologio, alii etiam in Kalendario. ibid.
Qui ſunt juncti in Kalendario, ſub aliquo ritu habent officium. ib.
Qui in ſolo Martyrologio, officium nec habent, nec jus ad officium. ibid.
Ut ſint juncti per ſe, ex natura rei, quam affinitatem, vel conſanguinitatem debeant habere. ibid.
Vide *Socii quoad officium*. V. *Separatio Feſtorum*. V. *Separatio Propriorum*. V. *Separatio Lectionum in ſimplicibus*.

Sanguis, aut Sudor miraculoſus.

Recenſentur nonnullæ Chriſti, atque Deiparæ Imagines, quæ ſanguinem, vel, ſudorem dedere. 59. 114
In Eccleſiis, ubi hujuſmodi ſanguis, aut ſudor aſſervatur, peculiare officium inſtitui valet, quale, & quando. 114
Non tamen, ubi ſolummodo cuſtoditur imago, ex qua ille deſfluxit. ibid.
Prodigii, ſi per Apoſtolicam Sedem non fuerit probatum, in officio nulla fieri debet mentio. 59. 114
Neque per clauſulam *ut fertur*, vel *pie creditur*, aliamve ſimilem. 59

Separatio Feſtorum.

Quando ſit facienda, necne. 131. 132. 134. 135. 137
Quoties ſit ſeparatio, in quam diem ſocii ſint transferendi. 131
Hi ritu ſemiduplici ſunt celebrandi, quoties unitim ſemiduplicem, vel duplicem habent. 132
Proprium ritum retinent etiam diviſi, quando uniti ritum duplicem 1., vel 2. claſſis aſſequuntur. ibid.
An ſociis, quoties ſimplici ſolum pollent ritu, & penitus ſupprimuntur, ſit altera dies aſſignanda. 134
Vide *Separatio propriorum*. V. *Separatio Lectionum in ſimplicibus*.

Sepa-

Digitized by Google

Separatio propriorum.

Quoties feſta ſeparantur, quale commune in iiſdem ſit uſurpandum. 132
Oratio, & alia, ſi quæ ſunt propria, in utroque feſto ſunt recitanda. 133
Si quæ ex propriis intuitu alicujus ſint dumtaxat inducta, in hujus officio locum habent, & in altero ex communi ſumenda. *ibid.*
Quid ſi de ſociis agatur infra octavam, aut concurrant cum feſto, a quo fuerunt ſejuncti. *ibid.*
In oratione omittuntur ii, a quibus fit ſeparatio. 132
Separantur, etiam lectiones, ſi commode ſunt ſeparabiles, & utrique feſto ſuæ propriæ conceduntur. 136. 137
Si commode ſeparari nequeunt, in utroque feſto leguntur, etſi etiam agant de altero. 137
Vide V. *Separatio Lectionum in ſimplicibus.*

Separatio Lectionum in ſimplicibus.

Facienda eſt ſeparatio lectionum in ſanctis ſimplibus, quando eorumdem unius habetur Reliquia. 136
Et hæc ſive unam, ſive plures habeant lectiones. *ibid.*
Cum lectiones ſejunguntur, omitti debet nexus, aut copula earumdem, ſi adeſt. *ibid.*
Lectio ſejuncta, ſi una eſt, in officio erit quarta, ſi duæ, quarta, & quinta. *ibid.*
Cur quarta, aut quarta, & quinta. *ibid.*
Quæ deficiunt, ſupplentur de communi. *ibid.*
De quo communi. *ibid. &c.*
An de communi I. vel II. loco. 137
Altera lectio ſejuncta de ſimplici, ponitur pro nona. *ibid.*
Lectionum ſeparatio in ſanctis per accidens junctis dumtaxat locum habet. *ibid.*
Nec eſt facienda, quando commode fieri nequit. *ibid.*
Hoc in caſu legitur in II. nocturno etiam lectio de ſimplici mixtim agens. *ibid.*
Nec amplius repetenda eſt pro nona. *ibid.*
Si plures ſint ſimplices, & unius dumtaxat lectio ſit ſeparabilis, hæc pro nona legitur, cæteræ in II. nocturno, etſi agant etiam de cæteris ſimplicibus. *ibid.*
De ſimplici ſemper fit commemoratio, etſi ejuſdem lectio desiungi non poſſit, nec legi pro nona. *ibid.*
Eadem diviſio, & regula ſervanda eſt, quando ex pluribus ſimplicibus alter eſt Patronus minus principalis. *ibid.*

Socii quoad officium.

Sunt, qui juncti ſunt in Kalendario. 131
Habent uniti officium aut ſimplex, aut ſemiduplex, aut duplex. *ib.*
Si ſint ex Sanctis ex occaſione, & per accidens, aut per ſe junctis, ſeparantur, ſi alter eorum ſit Titularis, vel Patronus principalis, & duplici, vel ſemiduplici ritu gaudeant uniti. *ibid.*
Si ſimplici, nihil prorſus de ſociis. 136
Si alter eorum ſit Patronus, vel Titularis minus principalis, a ſociis non ſejungitur, ſi ritum ſemiduplicem, vel duplicem habeant. 135
Si ſimplicem, in officio illius hi ſuum retinent ritum. *ibid.*
Idipſum eſt, ſi alterius dumtaxat Reliquia inſignis habeatur. *ibid.*
Si duorum habeatur inſignis Reliquia, ſeparandi non ſunt, ſed eodem officio ſimul recolendi. *ibid.*
Si vero ex Sanctis ſint per ſe, & ex natura rei junctis, nunquam ſeparantur, quocumque gaudeant ritu. 136
Sub quo ritu ſint omnes in caſu una ſimul celebrandi. *ibid.*
Fallunt hæc omnia in ſociis de ſolo Martyrologio. *ibid.*
Vide V. *Separatio feſtorum*, V. *Separatio lectionum in ſimplicibus*, V. *Separatio Propriorum.*

Spinæ de Corona Domini.

Spinis coronatus fuit Chriſtus, licet nec a lege, nec a Pilato mandatum id eſſet, & cur. 112
Quænam dictarum Spinarum ſit ſpecies. *ibid.*
Veneti olim pignori datæ, ubi nunc cuſtoditæ. *ibid.*
Nonnullæ earundem in diverſas mundi plagas deportatæ. *ibid.*
Sunt Reliquiæ inſignes. *ibid.*
Speciali item nota, & cultu dignæ. *ibid.*
Nullum eſt feſtum ex jam iuſtitutis, in quo ſatis excolantur. 113
Speciale feſtum de iiſdem iuſtitui debet, ubi cuſtodiuntur. *ibid.*
Qua die ſit inſtituendum. *ibid.*
Quodnam officium in ea uſurpandum. *ibid. &c.*
Dignæ ſunt, ut etiam in toto loco, vel Provincia peculiari feſtivitate colantur. *ibid.*
Extra tamen Eccleſiam, in qua aſſervantur, ſine ſpeciali indulto officium fieri nequit. *ibid.*
Debet conſtare de earundem identitate, non autem de deſcriptione in Martyrologio ad effectum faciendi de iiſdem officium. *ibid.*
Una ex Spinis transfixa eſt fronti B. Ritæ, dum ad Crucifixi imaginem intenſius oraret. 113
An in Patronas Eccleſiæ, vel loci valeant aſſumi. 38
Eccleſiarum Tituli eſſe poſſunt, & in hoc caſu quinam ſit earundem Patronus. *ibid.*

Suburbia.

In quo diſcrimen habent a Burgis. 78
Unum locum efficiunt cum Civitate. *ibid.*
Veniunt appellatione Civitatis. 14. 69
Non poſſunt habere diſtinctos Patronos ab iis Civitatis. 79
Ad Patronorum Civitatis electionem votum habent. 69
Uti Clerus Civitatis, ita & Suburbiorum tenetur ad octavam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis. 14. &c.

Suffragium Patronorum.

Faciendum eſt de Patrono principali loci. 90
An faciendum ſit vi Rubricarum, celebris quæſtio cum diſſonantia Auctorum. *ibid.*
Oſtenditur invaliditas expoſitionis, quam adverſarii porrigunt Decreto dictum ſuffragium demandanti. *ibid. &c.*
Effugium, quo verba Decreti poſſent ſervare, ſed invalidum in eorundem ſententia. 91
Reſolvitur affirmative propoſita quæſtio, & invicte probatur. *ibid. &c.*
Diluuntur ponderationes oppoſitæ. 92
Oſtenditur dictum ſuffragium item conveniens eſſe. *ibid.*
Ubi plures habentur Patroni principales, de ſolo pricipaliori faciendum eſt. *ibid.*
Uſus plurium Eccleſiarum illud faciendi de pluribus principalibus, vel minus principalibus corrigendus. 93
Servari poteſt, quando, & quomodo. *ibid.*
An ſaltem plures comprehendi queant ſub una commemoratione. *ibid.*
Si patroni principales plures ſint, & ſe habeant per modum unius, de omnibus fieri debet, & quomodo. *ibid.*
An principalioris univerſalis, vel particularis fieri debeat. *ibid.*
Poſtponendum ſuffragio Titularis, & quando. *ibid.*
Fieri non debet a Regularibus. *ibid.*
Conſuetudo non omnis, quæ tuetur Patronorum pluralitatem, valida eſt ad tuendum ſuffragium de iiſdem. *ibid.*
Secus eſt, ſi inducta ea ſit ante Bullam Pianam. *ibid.*

Suffragium Titularium.

Eccleſiæ pluribus Sanctis dicatæ, ſolum de principaliori Titulari ſuffragium facere debent. 93
Ad retinendum de omnibus ſuffragium non ſuffragatur conſuetudo, quæ valida eſt ad tuendum eorundem officium ſub ritu duplici I. claſſis, & cum octava. *ibid.*
Bene vero, ſi inducta ea ſit ante Bullam Pianam. *ibid.*
An plurium ſuffragium fieri queat per unam commemorationem. *ibid.*
Qui locus ſuffragio Titularium debeatur relate ad illud Patroni loci. *ibid.*
Qui relate ad illud Inſtitutoris Religionis. *ibid.*
Eccleſiæ, quæ adnexarum Eccleſiarum Titulos excolunt, cujus Tutularis ſolum ſuffragium faciant, & e contra, & cujus. 94

T

Tabellæ.

TAbellæ de feſto per accidens ſimplici adducuntur. 152
Tabella duplicium I. claſſis cur non recenſeat Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis. 14
Quomodo intelligenda, dum notat, *Patronus, vel Titulus Eccleſiæ.* 91
Ordo, quem tenet in recenſendis feſtis, quoties præferentiam ſignet. 28
Tabella concurrentiæ quem ſenſum habeat iis in verbis: *Totum de digniori, commem. de minus digno.* *ibid. &c.*
Nonnunquam citata pro tabula occurrentiæ. 29

Temple.

Cur Templa primario, & cui dicentur ſecundario, & quem cultum ſibi vindicent. 34
Qualiter Epigraphis in fronte eorundem exprimenda. *ibid.*
Idolorum Templa a Chriſtianis everſa, & indigna exiſtimata fuere, ut in Dei Eccleſias converterentur. 35. &c.
Quando, & quomodo in Eccleſias converti cœpta. *ibid. &c.*

Titulus.

Unde dictus. 39
Ejus Ethymon. *ibid.*
Acceptus pro ſigno perpetuæ memoriæ. *ibid.*
Pro cauſa. *ibid.*
Pro talibus, quæ prædiis affigebantur. *ibid.*
Pro confiſcationis ſigno. *ibid.*
Pro beneficio. *ibid.*
Eccleſiæ dictæ olim *Tituli.* *ibid.*
Quæ. *ibid.*
An aliæ, & quæ Tituli dici queant. *ibid. &c.*
Pars Eccleſiæ etiam *Titulus* dicta. 40
Unde Tituli *Pudentis*, *Equitii &c.* *ibid.*
Dictus de re, vel Sancto, qui Eccleſiam denominant. 39 &c.
Titulus *Chriſtianitatis* qui olim dictus. *ibid.*

Titulus Capellæ.

Cujuſnam Cappellæ Titulus ſit celebrandus. 47. &c.
An etiam Capellæ, quæ eſt pars Eccleſiæ. 48
Quid certi circa miſſam. *ibid. &c.*

Titulus Eccleſiæ.

Eſt Sanctus ille, vel res ſacra, aut myſterium, quod Eccleſiam intitulat, & denominat. 38. &c.
Ut differt a Patrono. *ibid. &c.*
Non omnis Titulus eſt Patronus, bene vero e contra. 39
Sufficientem præſtat cauſam in alium diem immutandi anniverſarium Dedicationis. 3
Titulares adſcititii qui ſint. 50
Quid de hiſce Titularibus aſcititiis ſentiendum veniat. *ibid.*

Titulus Eccleſiæ benedictæ.

Celebrandus, ut ille Eccleſiæ conſecratæ. 48
Cur, cum non celebretur dictæ Eccleſiæ Dedicatio. 43
Eſt vere Titulus. 46. &c.
Per conſecrationem ſolum ratihabetur ejuſdem electio. *ibid. &c.*

Titulus Eccleſiæ quoad officium.

Abuſus, qui in Italiam irrepſerat, celebrandi per totum locum officium de Titulari Eccleſiæ, quæ in loco habebatur. 44. &c.
Reprobatus a Gavanto. 45
Proſcriptus per Congregationem. 44. &c.
Contrarius Rubricis. 45
Ejuſdem reliquia adhuc Venetiis, ſed licita, & cur. 44
Inhibitum eſt feſtum chori, non fori. 45
Etiam officium trium lectionum. *ibid.*
Qualis foret talis abuſus. *ibid.*
Cur Decretum inhibens Cathedralis mentionem non agat. *ibid.*
Titulus celebrandus eſt tantum in Eccleſia ipſius Sancti Titularis *ibid.*

Fallit hoc in Titulo Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum inſtar Cathedralium ſe habentium. *ibid.*
Itidem in Titulo Eccleſiarum unitarum, & quarum. 50. *&c.*

Titulus Eccleſiæ quantum ad pluralitatem.

Unius Eccleſiæ unus tantum Titulus ſimul eſſe poteſt, vel ſi plures, per modum unius. 56
Quale officium tunc de his ſit celebrandum. *ibid.*
Dantur Eccleſiæ plures Titulares ſimul habentes. *ibid.*
An omnes ſint tunc cenſendi principales. *ibid.*
Quando de omnibus, tamquam de principalibus recitari queat. *ibid.*
Plures Tituli ejuſdem Eccleſiæ dantur ſucceſſive, & quomodo. *ibid.*
Qualis tunc eſſe debeat uſus eorundem officii. *ibid.*
Quinam in hoc caſu ſint vere Titulares. *ibid.*
Adſcititii Titulares rectius ſunt Patroni. *ibid.*

Titulus propriæ Eccleſiæ quantum ad præferentiam.

Cedit ejuſdem Dedicationi in occurſu. 28. *&c.*
In concurſu regulariter veſperas dividit. 32
Secus eſt, ſi Titulus præſtet in dignitate, aut ſolemnius celebretur. 28. 29. *&c.*
In occurſu, & concurſu præponendus Patrono loci, & Fundatori Religionis. 30
Non tamen, ſi hi majorem ſibi vindicent ſolemnitatem. *ibid.*
Præfertur in utroque caſu Dedicationi, & Titulari Cathedralis, niſi & hæc feſta majori ſolemnitate colantur. *ibid.*
In caſu paris, vel nullius ſolemnitatis in utroque caſu præfertur ceteris aliis præter Dedicationem propriæ Eccleſiæ, cui cedit in occurſu, & in concurſu veſperas habet medias. *ibid.*

Titulus Eccleſiæ quoad eligibilitatem.

Deus ipſe, ac quæcumque res divinæ, ac myſteria in Titulum Eccleſiæ eligi poſſunt. 28. *&c.*
Item Deipara, ac Apoſtoli. 57. 61
Martyres quoque. 62
Idipſum nunc eſt etiam de quibuſcumque Sanctis Confeſſoribus. *ibid.*
An item Animæ Purgatorii. *ibid.*
An Sancti, quorum nomen ignoratur. *ibid.* *&c.*
An ii, quorum nomen dubium eſt. 63
An ex Sanctis ſimul in Kalendario, vel Martyrologio deſcriptis unus disjunctim. *ibid.*
An plures Sancti collective. *ibid.*
Quodnam officium, & quando, ac quo pacto in hoc caſu fieri debeat. *ibid.*
Quid, quoties Eccleſia dicata eſt Sancto habenti plures cognomines, & neſcitur, utri illorum fuerit conſecrata. *ibid.*
An Beati, & qui, in Titulares valeant aſſumi. 44. *&c.*
Quæ, & quotuplex ſit ratio e Sanctis eligendi unum in Titularem. 63
Cui Eccleſiæ primario, & cui ſecundario dicentur. 44
An in memoriam alicujus facinoris, vel miraculi, aut rei ad Sanctos pertinentis Eccleſiæ dicari queant, & in caſu quis ſit cenſendus Titulus, & quo die recolendus. 60

Titulus Beneficii.

Si ſit Altare, an, & quo ritu colendus. 49
Quid ſi Titulus eſt Eccleſiæ dirutæ ad Altare tranſlatæ. *ibid.* *&c.*
Quid ſi Eccleſia ſit diruta, & non tranſlata, & cenſus permaneat. *ibid.* *&c.*
Quid ſi tranſlatio facta ſit de Altari ad Altare, vel de Eccleſia ad Eccleſiam, vel de Eccleſiis ad Altare. *ibid.* *&c.*

Tituli Prædiorum.

Antiquus mos apponendi prædiis titulos, & quorum nomine Inſcriptos, & cur. 39
Ab Imperatoribus inhibitus privatis hominibus, & Tamii nomine ſolum permiſſus. *ibid.*
Evaſit confiſcationis ſignum, & in quo ſiti forent fiſcales hi tituli. *ibid.*
Etiam rebus Eccleſiaſticis aliquando impoſiti, & a Divo Gregorio iiſdem imponi vetiti. *ibid.*
Hunc confiſcationis modum aliqualiter Chriſtiani ſunt imitati, & adhuc obſervant Epiſcopi, & *Stauropegium* dicitur. *ibid.*

Translatio.

Feſtorum in aliquibus uſibus ſit in præcedentem diem, & quando. 147
Id tamen attentari non debet a Clero Romano. *ibid.*
Feſta, quæ in fine anni ſuperſunt, an, quæ, & quando in annum ſequentem transferri valeant. 141. *ad uſque* 152

Tranſlatio Domus Lauretanæ.

Ejuſdem officium pro Titulo Eccleſiarum B. Mariæ Lauretanæ dicatarum non quadrat. 59
Quodnam officium, & qua die in dictis Eccleſiis ſit recitandum. *ibid.* *&c.*

: Titulus.

Olim Altiſſima Romæ Arx. 39
Ab eo tituli origo a quibuſdam petita, & cur. *ibid.*

V

Venetiarum Diœceſis.

Monitum quoddam eidem ſit ſuper pluralitate ſuffragiorum de Patronis, quam ſervat. 93
Licite recitat officium novem lectionum de Sanctis omnibus habentibus Eccleſiam in Civitate, vel Diœceſi. 44
Itidem de Sanctis, quorum Corpora in Eccleſiis ejuſdem Diœceſis requieſcunt. 105

Venetiarum Status.

Quomodo ſe gerere debeat in immutatione Sanctorum, qui tempore, quo occurrere poteſt octava Ss. Redemptoris, forent immutandi. 187
Qua die celebrare debeat officium S. Felicis a Cantalicio. 192
Colere deberet S. Marcum tanquam protectorem principalem Dominii ſub ritu duplici I. claſſis, & cum octava. 86
Non excolit illum tamen, & ratio neſcitur. *ibid.*

Verbum non teneri.

De ſe non importat inhibitionem. 17
Dictum de Regularibus Diœceſis relate ad Dedicationem Cathedralis non excludit libitum. *ibid.*
Bene vero dictum de Regularibus relate ad octavam Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, & cur. 18
Cur itidem dictum de Regularibus relate ad Patronos principales libitum haud capellat. 82. 83
Dictum de Regularibus relate ad octavam Patroni principalis loci excludit etiam arbitrium. 83

Verſiculus.

Verſiculus *Ora pro nobis* ſtatim poſt diem II. Februarii ſumitur in ſuffragiis in officio ſemiduplici, vel ſimplici, etſi Purificatio B. Mariæ ulterius transferatur. 186
In primis veſperis Dominicæ Nativitatis dicitur ℣. *Poſt partum*, etſi nondum Virgo pepererit. 25

Vicarius.

Cui committitur integre cura alicujus beneficii, tenetur ad officium divinum, & ad officia particularia beneficii. 52
Secus, ſi integre non ſit ipſi commiſſa. *ibid.*
Vicarius beneficiarii pueri ad idem tenetur. 53
Et eadem militat obligatio de Vicario Parochialis vacantis conſtituto ab Epiſcopo. *ibid.*

Vigiliæ.

Excludunt officia votiva. 182. 186
In iiſdem differri non poteſt immutatio Sanctorum, ut in præcedentibus diebus locus fiat officiis votivis. 186
Fallit hoc, & quando. *ibid.*
Quando idem eſt Evangelium vigiliæ, & feſti occurrentis, non legitur nona lectio de eadem. 130. *&c.*
Quid, ſi diverſa ſit expoſitio Evangelii. *ibid.* *&c.*
An vigiliæ Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum quoad jejunium obligent, extra controverſiam non eſt. 170
Ex conſuetudine tamen obligare communiter creduntur. *ibid.*
Præferentiam habent ſuper feſta per accidens ſimplicia. 149. 150

Virgines, aut Viduæ.

Quæ Martyres non ſunt, Confeſſorum nomine appellatæ. 62
Quando in Eccleſia Dei earundem cœperit cultus. *ibid.*
Sub titulo cujuslibet earundem extrui poſſunt Eccleſiæ. *ibid.*
Etiam ſub titulo omnium collective. 63
Qualis tunc ſit Titulus, & quo die recolendus. *ibid.*

Univerſalis vox.

Dicta de Eccleſia omnem omnino comprehendit Eccleſiam. 67
Solus Romanus Pontifex jure dicitur *Univerſalis*. *ibid.*
An vox *Eccleſiæ* in Decretis Urbani VIII. de univerſali accipi debeat. *ibid.*

Urbs.

Simpliciter prolata ſignificat Civitatem Romanam. 35
Signat & cæteras, cum materia congruit. *ibid.*
Clerus ſæcularis Romanæ Civitatis, ejuſque diſtrictus tenetur ad Dedicationem Baſilicæ Lateranenſis tanquam ſuæ Eccleſiæ Cathedralis. 30. *&c.*
Debet & Titulum ejuſdem tanquam Titulum ſuæ Cathedralis excolere, & cur. 35
Quid ſit ſentiendum de Clero Regulari. *ibid.*
Quantum extendatur Romæ diſtrictus. *ibid.*
Cur Romæ non altiori ritu, quam alibi, colatur Dedicatio Baſilicæ Ss. Apoſtolorum. 40

Z

B. Zitta.

Ejuſdem deſcriptio in Martyrologio ſub titulo *Sanctæ* a Congregatione haudquaquam probatur. 68
In ejuſdem honorem conceſſum fuit officium, & miſſa, licet immemorabilis conſuetudo in ſpecie ſuper hujuſmodi cultum non probaretur. 67

LAUS DEO.